ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS VIII

CONGREGATIONES GENERALES CXXIII-CXXVII
SESSIO PUBLICA V

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVI

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXXIII
16 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXIII

16 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur congregationem generalem centesimam vigesimam tertiam em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Patres venerabiles, communico vobis piissimam mortem exc.mi D. Oddonis Bernacchia, ep. tit. Sebeliensis, olim episcopi Thermularum.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis...*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, omnibus mature perpensis, visum est moderatoribus em.mis non esse necessariam congregationem pomeridianam, nam horae pomeridianae dedicandae sunt studio, examini propositionum quae suffragandae sunt; quae suffragationes erunt plurimae in hac hebdomada et quandoque videri possunt etiam confusae, quia sunt multa argumenta. Quapropter necessarium est ut, horis pomeridianis, argumentis bene studeatur, ita ut, in congregatione generali, Patres prompti sint ad responsiones suas dandas.

Videatis, Patres: irrepsit aliquis error, vel potius excidit aliquod quaesitum in fasciculo qui continet Modos respicientes cap. III *de Ecclesia*. Nostri typographi omnem laudem merentur [*plausus*]. Laborant diu noctuque, et scire debetis hunc fasciculum, de quo loquor, correctum et impressum fuisse horis nocturnis, ita ut Patres praesto illum haberent sabbato et ita possent bene examinare quae in fasciculo continentur, sive die dominica, sive hodie, sive crastina quando suffragatio habebitur.

Excidit igitur quaesitum, quod ceterum est in omnibus fasciculis, et quaesitum est — addatis per vosmetipsos, Patres, — in pag. 64: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos cap. III respicientes cum correctionibus supra indicatis? ».

Ut videtis, quaesitum est omnino idem, mutatur tantum caput, ut evidens est; et huic quaesito erit respondendum crastina, ut iam nuntiatum est.

Nunc bene attendatis, Patres. Habeo vobis dandas communicationes maximi ponderis. Hae communicationes postea typis imprimentur et vobis singulis dabuntur:

I

Aliqui Patres exceptionem moverunt apud Superiorem Auctoritatem quod in disceptando et suffragando capite tertio de Ecclesia *Ordo Concilii celebrandi* observatus non fuisset: iidem Patres dubia quaedam de doctrina in eodem capite exposita anxie proposuerunt.

Quod attinet ad proceduram, re districte examinata, possunt supradicti Patres certiores fieri *Ordinem Concilii celebrandi* fuisse penitus observatum: omnesque decisiones quoad procedendi modum fuisse a competenti auctoritate, maturo examine, latas.

Dubia vero circa doctrinam quod spectat, eadem fuerunt competenti Commissioni doctrinali delata debitoque examini subiecta.

II

Quaesitum pariter est quaenam esse debeat *qualificatio theologica* doctrinae, quae in schemate de Ecclesia exponitur et suffragationi subicitur.

Commissio doctrinalis quaesito responsionem dedit, ut videre est in pag. 8 fasciculi Modos continentis, qui se referunt ad tertium caput schematis De Ecclesia.

« Ut de se patet, textus Concilii semper secundum regulas generales, ab omnibus cognitas, interpretandus est. Qua occasione Commissio Doctrinalis remittit ad suam Declarationem 6 martii 1964, cuius textum hic transcribimus:

« Ratione habita moris conciliaris ac praesentis Concilii finis pastoralis, haec S. Synodus ea tantum de rebus fidei vel morum ab Ecclesia tenenda definit, quae ut talia aperte ipsa declaraverit.

« Cetera autem, quae S. Synodus proponit, utpote Supremi Ecclesiae Magisterii doctrinam, omnes ac singuli christifideles excipere et amplecti debent iuxta ipsius S. Synodi mentem, quae sive ex subiecta materia sive ex dicendi ratione innotescit, secundum normas theologicae interpretationis ».

III

Superiore denique Auctoritate communicatur Patribus nota explicativa praevia ad Modos circa caput tertium schematis de Ecclesia, ad cuius notae mentem atque sententiam explicari et intelligi debet doctrina in eodem capite tertio exposita.

NOTA EXPLICATIVA PRAEVIA

« Commissio statuit expensioni *Modorum* sequentes observationes generales praemittere.

1° *Collegium* non intelligitur sensu *stricte iuridico,* scilicet de coetu aequalium, qui potestatem suam praesidi suo demandarent, sed de coetu stabili, cuius structura et auctoritas ex Revelatione deduci debent. Quapropter in Responsione ad Modum 12 explicite de Duodecim dicitur quod Dominus eos constituit « ad modum collegii seu *coetus stabilis* ». Cf. etiam Mod. 53, c. — Ob eandem rationem, de Collegio Episcoporum passim etiam adhibentur vocabula *Ordo* vel *Corpus*. Parallelismus inter Petrum ceterosque Apostolos ex una parte, et Summum Pontificem et Episcopos ex altera parte, non implicat transmissionem potestatis extraordinariae Apostolorum ad successores eorum, neque, uti patet, *aequalitatem* inter Caput et membra Collegii, sed solam *proportionalitatem* inter primam relationem (Petrus - Apostoli) et alteram (Papa - Episcopi). Unde Commissio statuit scribere, pag. 63, lin. 16-19, non *eadem* sed *pari* ratione. Cf. Modum 57.

2° Aliquis fit *membrum Collegii* vi consecrationis episcopalis et communione hierarchica cum Collegii Capite atque membris. Cf. pag. 63, linn. 33-36.

In *consecratione* datur *ontologica* participatio *sacrorum* munerum, ut indubie constat ex Traditione, etiam liturgica. Consulto adhibetur vocabulum *munerum,* non vero « potestatum », quia haec ultima vox de potestate *ad actum expedita* intelligi posset. Ut vero talis expedita potestas habeatur, accedere debet canonica seu *iuridica determinatio* per auctoritatem hierarchicam. Quae determinatio potestatis consistere potest in concessione particularis officii vel in assignatione subditorum, et datur iuxta *normas* a suprema auctoritate adprobatas. Huiusmodi ulterior norma *ex natura rei* requiritur, quia agitur de muneribus quae *a pluribus subiectis,* hierarchice ex voluntate Christi cooperantibus, exerceri debent. Evidens est quod haec « communio » *in vita* Ecclesiae, secundum adiuncta temporum, applicata est, priusquam *in iure* velut codificata fuerit.

Quapropter signanter dicitur, requiri *hierarchicam* communionem cum Ecclesiae Capite atque membris. *Communio* est notio quae in antiqua Ecclesia (sicut etiam hodie praesertim in Oriente) in magno honore habetur. Non intelligitur autem de vago quodam *affectu,* sed de realitate *organica,* quae iuridicam formam exigit et simul caritate animatur. Unde Commissio, fere unanimi consensu, scribendum esse statuit: « in *hierar-*

chica communione ». Cf. Modum 40 et etiam illa quae dicuntur de *missione canonica,* sub n. 24, p. 67, linn. 17-24.

Documenta recentiorum Summorum Pontificum circa iurisdictionem Episcoporum interpretanda sunt de hac necessaria determinatione potestatum.

3° Collegium, quod sine Capite non datur, dicitur: « *subiectum quoque supremae ac plenae potestatis* in universam Ecclesiam existere ». Quod necessario admittendum est, ne plenitudo potestatis Romani Pontificis in discrimen poneretur. Collegium enim necessario et semper Caput suum cointelligit, *quod in Collegio integrum servat suum munus Vicarii Christi et Pastoris Ecclesiae universalis.* A. v. distinctio non est inter Romanum Pontificem et Episcopos collective sumptos, sed inter Romanum Pontificem seorsim et Romanum Pontificem simul cum Episcopis. Quia vero Summus Pontifex est *Caput* Collegii, ipse solus quosdam actus facere potest, qui Episcopis nullo modo competunt, v. gr. Collegium convocare et dirigere, normas actionis approbare, etc. Cf. Modum 81. Ad iudicium Summi Pontificis cui cura totius gregis Christi commissa est, spectat, secundum necessitates Ecclesiae decursu temporum variantes, determinare modum quo haec cura actuari conveniat, sive modo personali, sive modo collegiali. Romanus Pontifex ad collegiale exercitium ordinandum, promovendum, approbandum, intuitu boni Ecclesiae, secundum propriam discretionem procedit.

4° Summus Pontifex, utpote Pastor Supremus Ecclesiae, suam potestatem omni tempore ad placitum exercere potest, sicut ab ipso suo munere requiritur. Collegium vero, licet semper existat, non propterea permanenter actione *stricte* collegiali agit, sicut ex Traditione Ecclesiae constat. A. v. non semper est « in actu pleno », immo nonnisi per intervalla actu stricte collegiali agit et nonnisi *consentiente Capite.* Dicitur autem « *consentiente Capite* », ne cogitetur de *dependentia* velut ab aliquo *extraneo;* terminus « consentiens » evocat e contra *communionem* inter Caput et membra, et implicat necessitatem *actus* qui Capiti proprie competit. Res affirmatur explicite, p. 64, lin. 11 ss., et explicatur ibid., linn. 29-43. Formula negativa « *nonnisi* » omnes casus comprehendit: unde evidens est quod *normae* a suprema Auctoritate approbatae semper observari debent. Cf. Modum 84.

In omnibus autem apparet quod agitur de *coniunctione* Episcoporum *cum Capite suo,* numquam vero de actione Episcoporum *independenter* a Papa. In quo casu, deficiente actione Capitis, Episcopi agere ut Collegium nequeunt, sicut ex notione « Collegii » patet. Haec hierarchica communio omnium Episcoporum cum Summo Pontifice in Traditione certe solemnis est.

N. B. Sine communione hierarchica munus sacramentale-ontologicum, quod distinguendum est ab aspectu canonico-iuridico, exerceri *non potest.* Commissio autem censuit non intrandum esse in quaestiones de *liceitate* et *validitate,* quae relinquuntur disceptationi theologorum, in specie quod attinet ad potestatem quae de facto apud Orientales seiunctos exercetur, et de cuius explicatione variae exstant sententiae ».

Et satis de communicationibus, quae, ut dixi, typis imprimentur et vobis distribuentur; non hodie, non est possibile, sed crastina, ante suffragationem.

Lego nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa schema *de institutione sacerdotali*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis in Argentina, et Antonius Bacci.

Deinde, nomine plurium, exc.mi DD. Iacobus Komba, ep. aux. Peramihoënsis in Tanganyka (sed non dicitur Tanganyca ...); Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis in Brasilia; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis in Hispania; Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis in Polonia; Arturus Rivera, ep. aux. S. Salvatoris in El Salvador; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Ioannes Weber, ep. Argentinensis in Gallia; Aemilius Benavent, ep. coad. Malacitanus in Hispania; Ludovicus Rodríguez, ep. S. Crucis in Bolivia; Raimundus Bogarín, ep. S. Ioannis Baptistae a Missionibus in Paraguay; Ioannes Klooster, ep. Surabaiensis in Indonesia; Ioseph Cserháti, ep. adm. ap. Quinque Ecclesiensis in Hungaria; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Ioseph Bánk, ep. aux. Jaurinensis in Hungaria; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis-Lucentinus in Hispania; Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania; Ioseph Pronti, ep. Nucerinus-Tadinensis in Italia; Ignatius Krause, ep. Scioenteanus in Sinis; Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae in Africa; Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania.

Deinde, nomine tantum proprio: Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus in Italia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Eduardus Martínez, ep. Zamorensis in Hispania; Dinus Tomassini, ep. Isclanus in Italia.

Nunc, Patres, transeamus ad VII suffragationem *de religiosis.* Textum habeatis in pag. 14: nn. 15-17 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 149-150*]. *Placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

Moderator: Continuatur disceptatio circa schema propositionum *de institutione sacerdotali*; et velit loqui em.mus D. Antonius Caggiano, card. arch. Bonaërensis in Argentina.

1

Em.mus P. D. ANTONIUS card. CAGGIANO
Archiepiscopus Bonaërensis

Em.mi Patres, venerabiles Patres, ceterique adstantes,

Inter optima, quae in hoc schemate *de institutione sacerdotali*[1] habentur, ea quae de studiis ecclesiasticis recognoscendis pertractant procul dubio adnumeranda sunt...[2]

Liceat tamen mihi modeste proponere nonnulla quae ...[3] conferre poterunt ad confirmanda et complenda illa quae ibi dicuntur vel innuuntur.

1. Optime affirmatur studia completa ecclesiastica esse debere aptata ad *integram* formationem sacerdotum, vi cuius idonei ministri Evangelii ad propriam et aliorum salutem evadant.

Quae quidem efformatio, traditionalis et nova esse debet, i. e.: renovata et attentis accessionibus atque exigentiis nostrorum temporum respondens. Uno verbo, ut simul colligat bona acquisita et probata, adhuc tamen vigentia praeteritorum tempora, et quae nova tempora invexerunt et accesserunt, dummodo sufficienter explorata sint et eorum veritatem certe comprobata sit.

Haec est enim lex fundamentalis viventium, ut iugiter adquirendo nova renoventur, simulque indolem propriae naturae servent. Renovatio nempe, non transformatio vel evolutio *ita*[4] radicalis, cum propriae naturae mutatione et amissione.

Utrumque, totum studiorum curriculum, tam philosophicorum quam theologicorum, simul efficere debet.

Quam ad rem recte praecipitur ut uterque cursus melius inter se coordinentur.

2. Huiusmodi *melior coordinatio* in eo est, ut cursus philosophicus sit revera propaedeuticus ad cursum theologicum. Quomodo introduceret et pararet ad cursum theologicum, si doctrinas et ideas doceret fidei divinae contrarias vel minus concordes aut penitus disparatas? Omnino requiritur ut veras et probatas doctrinas proponat aptasque ad melius intelligenda et exponenda dogmata fidei.

Et haec est christiana philosophia per saecula in Ecclesia agnita et ab ea adoptata, quae potissime est philosophia S. Thomae prout in eius principiis rationalibus tum gnosiologiae tum metaphysicae continetur. Haec enim principia sunt « prae ceteris consentanea veritatibus a Deo revelatis et in omnes aetates duratura », ut ait Ioannes XXIII...[5]

« Cum enim — etiam scripsit Paulus VI — ipsas rerum essentias exprimat, non clauduntur tempore neque spatio, sed omnia tempora ambiunt et ad omnes terrae plagas porriguntur et ad omnium hominum intelligentiam accommodantur, tam occidentis quam orientis, tam praeteritorum quam novorum temporum » ...[6]

In operibus S. Thomae, sicuti in omnibus operibus aliorum scriptorum, dantur etiam quaestiones disputatae in ordine philosophico et theologico. Certe Ecclesiae mens non est ut etiam quaestiones disputatae teneantur sed illae quae certitudine obiectiva pollent.

Ad rem meminisse iuvat exemplum praeclari illius viri, qui eximius inter discipulos S. Thomae fuit, iuris internationalis praecursor, Franciscus de Victoria. Qui, cum suis temporibus de iuramento defendendi doctrinam S. Thomae « usque ad unguem » ageretur, sic se habuit.

In quaestionibus disputatis, minime hoc iuramentum praestandum esse asseruit. Et solummodo si validiores rationes apparerent ex altera parte, S. Doctoris opiniones relinquendas esse dixit.

Quid tunc dicendum cum de veritatibus fundamentalibus agatur? E. g., cum agatur de valore obiectivo idearum universalium, iudiciorum generalium et argumentorum metaphysicorum ad Dei existentiam certe demonstrandam in ordine rationali?

3. Uterque cursus *integram* doctrinam debet exponere, scil. universam, non tantum partem; secus formatio manca et mutila esset.

Ambo tamen cursus potius formationem quam informationem alumnorum intendere debent. Ad hoc autem obtinendum « doctrina Doctoris Angelici, ait Leo XIII, *mire facta est ad conformandas mentes,* mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque » ...[7]

4. Cursus vero theologicus, ita tradi debet ut ad fontes sacrae theologiae semper fiat recursus.

Porro hoc obtineri non potest nisi ipsa theologia eiusque studium renovetur et restituatur ad illam dignitatem, profunditatem et unitatem quae habebat in summis magistris et doctoribus, iuxta quos fuit simul speculativa et practica, dogmatica et moralis, ascetica et mystica, scientifica et pastoralis *etiam.*[8]

At haec sublimitas et foecunditas S. Theologiae, imminuta et obscurata est ultimis temporibus ex nimia quadam vivisectione et divisione disciplinarum theologicarum, quae nonnumquam confini cuiusdam separationis et segregationis attingit.

Oportet ergo ad unitatem illam altiorem et diviniorem redire, ut Sacra Theologia integralem aptitudinem intellectualem sacerdotibus offerat, eosque ad omne opus bonum instructos reddat.

Ad quod, quam maxime theologia S. Thomae iuvavit, praesertim « Summa Theologica », in qua spiritus plene evangelicus et supernaturalis latet et evidens *semper*[9] est, non obstante litteraria cortice indolis scholasticae. Quod autem praevalet semper est medulla et spiritus.

Ideoque iure et merito Paulus VI theologiam S. Thomae quam maxime *commendavit.*[10] « Magistri et discipuli — inquit — vocem Ecclesiae Doctorum reverenter auscultent, *inter quos divus Thomas praecipuum obtinet locum.* Angelici enim Doctoris tanta est ingenii vis, tam sincerus veritatis amor ac tanta sapientia in altissimis veritatibus pervestigandis, illustrandis *aptissimaeque*[11] unitatis nexu colligendis, ut ipsius doctrina efficacissimum sit instrumentum non solum ad fidei fundamenta in tuto collocanda, sed etiam ad sanae progressionis *fructus* utiliter et secure percipiendos... ». *Dicta sunt haec in Allocutione ad magistros et discipulos Universitatis Gregorianae, die 12 mensis martii huius anni.*[12]

Neque putandum est theologiam hucusque in Ecclesia traditam, quaeque ideo traditionalis dicitur, totam sitam et clausam esse in scholis vel *factionibus* scholasticis, quas appellant, quasi doctrinam revelatam et communem Ecclesiae negligerent, et totos suos nervos impenderent in rixis et colluctationibus sterilibus et interminabilibus fovendis. Hoc verum non est, et caricaturam potius quam veram effigiem theologiae exhibet.

Equidem abusus quondam irrepsisse hac in re negari non potest: ipsi tamen non afficiunt neque conmaculant veram naturam theologiae, neque summis eius magistris et cultoribus imputari possunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (nn. 12-15, pag. 7-8). [3] mea humili opinione. [4] deest. [5] (Allocutio ad eos qui interfuerunt conventui thomistico Romae habito die 16-IX-1960: *A.A.S.,* 52 [1960], p. 821). [6] (Epistola ad rev.mum P. Anicetum Fernandez, mag. gen. O.P. die 7-III-1964). Qua de causa S. Thomas iure appellatus est « omnium horarum homo ». [7] (Enc. *Officio sanctissimo* ad archiepiscopos et episcopos Bavariae die 22-XII-1887; *Acta Leonis,* ed. Bonne Presse, t. I, pag. 128). [8] deest. [9] deest. [10] commendat. [11] aptissimoque. [12] (Allocutio ad magistros et discipulos Universitatis Gregorianae, die 12-III-1964; *L'Osservatore Romano* die 14-III-1964, pag. 1, coll. 4-6).

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis VIII; videatis pag. 15 nn. 18-19: [*cf. vol. III, pars VII, pag. 150*]. *Placet, non placet* an *placet iuxta modum?*

2

Em.mus P. D. ANTONIUS card. BACCI

Patres venerabiles,

Brevissime *loquor*[1] de hoc schemate, et quidem de n. 15, h. e. circa studium philosophiae perennis, seu thomisticae in seminariis. Quam ad rem has, quae sequuntur, animadversiones demisso animo propono.

1. Mihi recogitanti, non sine animi perturbatione, ea quae dicta sunt in congregatione generali elapsi sabbati hac super causa, opinor neminem ex vobis, venerandi Patres, voluisse in vestris orationibus posthabere, respuere, atque e seminariorum scholis amandare doctrinam S. Thomae, doctoris communis, quem octoginta Summi Pontifices a saec. XIII usque ad regnantem Pontificem (cf. Ep. Ap. *Summi Dei verbum* regnantis Pontificis et alia documenta) magnis laudibus extulerunt; ac voluere in nostris scholis veluti magistrum et ducem in re philosophica haberi.

Etenim qui hoc asseverare audeat, idem est ac si audeat hoc Concilium non modo supra Romanos Pontifices, sed etiam contra Romanum Pontificem constituere; quod quidem nemo certo certius ex vobis, venerandi Patres, asseverat, ac ne recogitat quidem.

2. Ex altera vero parte considerandum est scientiam philosophicam, sicut ceteras omnes disciplinas, progressionem facere et decursu temporis cotidie magis augeri ac perfici. Quamobrem nemo certo ex vobis, qui philosophiam perennem seu thomisticam alacriter doctissimeque defendit, ea tantummodo ratione inculcare contendit, ut ceteri philosophiae doctores, quos Ecclesia approbat, et qui suis elucubrationibus, pervestigationibus et scriptis, philosophiae incrementum dederunt, negligendi sint, cum contra omnes intento animo sint pervestigandi, et in iis quae nova ac perfectiora protulerunt, si recta ratione protulerint, sacrorum alumnorum studio diligenter proponendi sint. Humanae enim disciplinae omnes semper aliquid bonum ac verum, etsi interdum erroribus infectum, habent, quod oportet excernere ac seligere ad mentis culturam perficiendam.

3. Quamobrem propono ut in hac paragrapho clare dicatur philosophiam perennem seu thomisticam a nostris sacrorum alumnis summo in honore habendam esse, ea quidem ratione qua Summi Pontifices, multis praeclarisque datis documentis, commendarunt, et summo studio summaque diligentia discendam esse; non esse tamen neglegenda opera philosophica, quae ceteri Doctores elucubrando perfecerunt ad nostra

usque tempora, debito tamen modo ut errores a veritate decernantur; ita quidem ut haec philosophica studia nostrae huius aetatis necessitatibus ac nostrorum hominum ingenio et indoli magis magisque respondeant.

4. Ad propositam autem peculiarem commissionem *constituendam*[2] quod attinet, quae debeat seminariorum studia ceterasque res *seminariorum*[3] moderari, res mihi valde inopportuna videtur. Habetur enim hac praecipua de causa Sacra Congregatio Seminariis praeposita, quae hanc rem ex peculiari sibi *credito*[4] munere *a Sancta Sede*[5] curare debet. Quodsi haec commissio constituatur, oportet id fiat apud eandem Sacram Congregationem, et ab ipsa dirigatur.

Haec habui, venerandi Patres, quae demisso animo considerationi, prudentiae ac sapientiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] loquar, ut soleo. [2] deest. [3] deest. [4] concredito. [5] deest.

Secretarius generalis: Lego textum IX et ultimae suffragationis huius schematis *de religiosis*; pag. 16, n. 20 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 150-151*]. *Placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

3

EXC.MUS P. D. IACOBUS KOMBA

Episcop. tit. Thignicensis, aux. abb. null. Peramihoënsis

Venerabiles Patres, carissimi adstantes omnes,

Loquor nomine quadraginta episcoporum ex terris missionum.[1]

Pro schemate *de institutione sacerdotali,* quod in genere placet, emendando, aliquas animadversiones mihi liceat proponere, quarum prima in laudem schematis; secunda respicit titulum, tertia prooemium, et quarta n. 13 textus.

1. Particulari gratitudine nos, episcopi in terris missionum, salutamus propositionem *primam,* quae conferentiis episcoporum dat facultatem et etiam obligationem exarandi peculiarem « Rationem institutionis sacerdotalis », in singulis nationibus vel regionibus.

Sacerdos est quidem ante omnia « homo Dei », sed de ipso valet etiam illud « pro hominibus constitutus »; et quidem non pro hominibus quasi in abstracto, sed pro hominibus suae aetatis, suae culturae ... Candidati ad sacerdotium igitur sic formandi sunt, ut homines ad quos mittentur eorumque condiciones culturales et sociales et religiosas ap-

prime cognoscant. Exinde patet illas varias condiciones in toto formationis cursu sedulo attendendas esse. Optima proinde apparet illa propositio prima, quae est velut clavis pretiosa totius schematis.

2. *Ad titulum.* Schema constitutionis a commissione praeparatoria prius exaratum titulum habuit « *De sacrorum alumnis formandis* ». In schemate propositionum, ad quas postea textus prior reductus est, alius titulus invenitur, scil. *de institutione sacerdotali;* huius vero mutationis nullibi ratio indicatur. In relatione de schemate propositionum nondum emendato, pag. 24, sub *b*), dicitur commissionem sequentem titulum elegisse: « *De alumnis ad sacerdotium instituendis* », cum schema de solis futuris sacerdotibus instituendis agat. Revera autem tum in textu priori tum in textu emendato alius titulus apparet, scil. *De institutione sacerdotali.* Iamvero hic titulus mihi non aptus videtur et quidem ex sequentibus rationibus:

a) Voces « instituere, institutio » magis respiciunt *instructionem scientificam* in schola, cum educatio futurorum sacerdotum *tam* instructionem scientificam *quam* educationem characteris comprehendat. Utrumque exprimitur vocabulis « formare, formatio ».

Revera in ipso textu schematis emendato pluries vocabula « formare, formatio » hoc sensu adhibentur, v. g.: *pag. 13, 16, et ita porro.*[2]

Distinctio inter meram institutionem et veram formationem in ipsa relatione ad priorem textum omnino agnoscitur.

Ubi *vero*[3] de *instructione scientifica* agitur, relatio adhibet vocabula « *instituere, institutio* », v. g. pag. 21, *25, et ita porro.*[4]

Ubi vero non tantum de instructione scientifica, sed *maxime*[5] etiam de *educatione characteris* agitur, ipsa relatio saepe utitur voce « *formatio* », v. g. pag. 13, *14 et ita porro.*[6]

Mihi ergo, propter rationes allatas, in titulo verbum « formare » aptius adhiberi videtur quam verbum « instituere ».

b) Etiam adiectivum « *sacerdotalis* » in titulo adhibitum minus aptum videtur. « Sacerdotalis » nempe hic vox ambigua est, cum significare possit institutionem « a sacerdote datam vel dandam » aut « pro futuris sacerdotibus datam vel dandam », aut « more sacerdotum datam vel dandam ». Melius ergo sermo sit de futuris sacerdotibus.

Propono igitur, ut titulus « De institutione sacerdotali » substituatur sequenti titulo: « *De futuris sacerdotibus formandis* », vel « *De candidatis ad sacerdotium formandis* ».

3. *Ad prooemium.* Textus praesentis prooemii, quo schema tanti momenti incipit, mihi aliquantulum aridus et iuridicus videtur.

Textum a nobis propositum tradam secretariae generali.[7]

4. Ad n. 13 textus emendati, ...[8] ubi « de studiis praeviis apte

disponendis » agitur, haec mihi notanda videntur. Maximi momenti est, ut alumni seminariorum omnino *libere* eligant vel relinquere possint statum ecclesiasticum, si vere vocati non sunt. Libertas autem vera tunc habetur, si alumni sacerdotii omnes absolverunt totum curriculum institutionis humanisticae et scientificae *cum examinibus a gubernio suae nationis praescriptis.* Secus, enim, experientia teste, facile fiet, ut aliqui alumni propterea sacerdotium eligant, quia propter defectum studiorum et examinum a gubernio praescriptorum extra sacerdotium obtinere non possunt illum statum vitae et condicionem socialem, ad quam aspirant. Ut ergo electio status ecclesiastici vere libere fiat et excludantur a sacerdotio alumni, qui statum ecclesiasticum tantum propter commoda altioris condicionis socialis eligerent, mihi necessarium videtur, ut non tantum coetus episcoporum vel novus Codex Iuris Canonici, sed ipsum Concilium explicite declaret futuros alumnos sacerdotii rite absolvere debere totum curriculum institutionis humanisticae et scientificae cum examinibus a respectivo gubernio praescriptis. Tali declaratione conciliari efficacius obtinebitur, ut ubique talis institutio alumnorum exigatur, qua illis, qui non sunt vere vocati ad sacerdotium, transitus ad congruum statum laicalem possibilis et facilis reddatur.

Concludo et *propono* igitur, ut textus n. 13 hoc vel simili modo emendetur: « Antequam Sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica et scientifica studia *cum examinibus a gubernio praescriptis absolvant* quibus iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] pag. 13, lin. 4 (« in seminariis praesertim maioribus integra clericorum *formatio...* »); pag. 13, lin. 7 (« quare ad sacerdotalia ministeria spiritu Christi obeunda sacrorum alumni *formandi* sunt »); pag. 16, linn. 21-22 (« Ut *formatio* spiritualis solidiore ratione fundetur... ». [3] nempe. [4] lin. 4; pag. 25 sub *d*); pag. 27, n. 4. [5] deest. [6] sub titulo *a*) n. 1; pag. 14, n. 3; pag. 19 sub III *a*); pag. 20 sub *b*); pag. 21, lin. 9; pag. 22, linn. 9-20; pag. 30, n. 10; pag. 35, n. 23. [7] Quod evitari posset, si ex primo schemate verba quaedam praeponerentur, quae in relatione citata inveniuntur pag. 26, n. 1. Propono ergo ut textus prooemii sic incipiat: « Christus Dominus, Summus Sacerdos, Supremus Magister, ac Bonus Pastor, cum Ecclesiae suae dedit mandatum opus Suum redemptionis ad saeculorum usque occasum perpetuandi, ut omnes homines salvi fierent, voluit homines sui sacerdotii participes fieri, qui in isto opere ministerium suum praestarent, eo spiritu animati, quem ipse verbo et exemplo docuit. Ideo Sancta Synodus probe noscens illam tantopere a se optatam Ecclesiae renovationem a sacerdotum ministerio magna ex parte pendere, gravissimum formandi sacerdotes momentum proclamat... » (cf. textus emendatus pag. 11). [8] pag. 16-17.

4

Exc.mus P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres, ceterique adstantes omnes,

Qua sodalis commissionis de seminariis et educatione catholica, non possum non gaudere de modo benigno quo Patres conciliares schema hoc *de institutione sacerdotali* usque eo acceperunt. Inter eius merita speciali modo commendata est unitas organica quam institutioni illi impertiri intendit. Quamvis periculum incurram patientia vestra abutendi, liceat mihi per aliquot momenta hoc thema iterum illustrare.

Ad hanc unitatem fovendam schema sequenti modo procedit:

Finem totius institutionis sacerdotalis in par. 4 ...[1] clare exponit, qui finis nihil aliud est nisi formatio sacerdotum vere pastoralium seu apostolicorum. In ceteris paragraphis subsequentibus, schema indicare conatur quomodo hic finis obtineri possit per integrationem harmonicam trium elementorum institutionis: spiritualis, scil., intellectualis et practico-pastoralis.

1. Relate ad institutionem intellectualem evidens est sollicitudo de hac integratione harmonica. Requirit enim schema ut ante omnia, ante etiam philosophiam, fiat cursus introductorius qui animos alumnorum dirigat ad « Mysterium Christi quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et in ministerio sacerdotali imprimis operatur ».

Vult praeterea ut sacra doctrina ita tradatur ut alumni discant eam « ex divina revelatione accurate haurire, profunde penetrare, propriae vitae spiritualis alimentum reddere atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere et tueri ». Doctrina sit igitur inspiratio et vitae spiritualis et vitae pastoralis. Optima integratio.

Sacra Scriptura veluti anima universae theologiae esse debet; quae theologia locum congruum tribuens per modum unitatis dynamicae et organicae cognitioni Patrum, historiae dogmatum et elaborationi scholasticae ad « signa temporum » quoque respicere debet; ut alumni ducantur « ad mysteria salutis in cultu et vita Ecclesiae agnoscenda et ad humanorum problematum solutiones sub luce revelationis quaerendas, mutabili rerum humanarum condicionibus applicandas et modo coaevis aptato communicandas ». Non est hic quaestio de theologia mere speculativa sed de theologia etiam biblica et liturgica, ecclesiali et personali, historica et pastorali, vitali et dynamica.

2. Sollicitudo pastoralis quae institutionem intellectualem pervadit, etiam suam expressionem practicam invenire debet in comparatione artium pastoralium, et hoc evidenter solum exercitiis practicis perfici potest. Quapropter insistit schema, in par. 19 ad 21, ...[2] ut pro talibus exercitiis in curriculo studiorum tempus inveniatur. Notandum est haec exercitia cum institutione intellectuali et spirituali componenda esse, ad hoc ut ipsa valorem suum inde plene obtineant et vicissim novum impulsum studiis et vitae spirituali conferant.

3. Denique relate ad institutionem spiritualem, schema desiderat ut haec arcte cum formatione doctrinali et pastorali connectatur, ut fontes eius sint Verbum Dei et sacra Liturgia, ut Mysterio Ecclesiae profunde imbuatur et ut persuasioni innitatur quod sacerdos propriam perfectionem, i. e., configurationem ad Christum, prosequi debet in servitio membrorum ipsius Christi Domini, pauperum praesertim et peccatorum, et etiam incredulorum. Hoc modo vita ipsa sacerdotis praedicatio Verbi et cultus divinus erit. Seminarii disciplina, ut in par. 11 ...[3] innuitur, ad formationem spiritualem conferat oportet, alumnos adiuvando ut « gradatim sibimetipsis moderari, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere et cum confratribus et laicis sociam praestare operam addiscant » et generatim ut solidam formationem sic dictam humanisticam simul cum christiana et sacerdotali acquirant.

Ita triplex elementum institutionis sacerdotalis, intellectualis, scil., pastoralis et spiritualis, ad finem formationis sacerdotis apostolici concurrere oportet. Indoles autem apostolica institutionis nullo modo ad momentum studii profundi minuendum nec valores scholasticos despiciendos ducere debet.

Cum em.mo card. Suenens concordo quod locus tribuendus philosophiae in ratione studiorum iterum examinandus est, ut melius intelligatur quaenam partes eius, et quibus gradibus et methodis formationi clericorum integrari debeat. Philosophiam ipsam scholasticam autem ne parvipendamus, quia quaedam eius themata ita essentialia sunt menti philosophicae catholicae ut ea derelinquere non possimus quin periculum incurramus portas aperiendi notionibus philosophicis cum fide catholica incompatibilibus. Cum S. Thoma profiteri debemus quod non datur duplex veritas, una philosophica alteri theologicae contradicens.

Propter hoc sane non raro nobis obiicitur quod philosophi esse non possumus, quia plena libertate inquirendi non gaudemus. Si talis libertas illimitata ad essentiam philosophi pertinet, concedamus. Fide enim divina tenemur. ...[4] Nullo modo *autem* [5] concedimus quod catholicus fide divina illuminatus, non potest modo philosophico de Deo, de homine et de universo inquirere, et quidem in luce notionum et prin-

cipiorum scholasticorum, sed habita quoque ratione propriae culturae atque conclusionum hodiernae scientiae, inter quas eminere videtur persuasio de natura evolutionistica totius realitatis creatae ...[6]

Crescente hoc spiritu in Ecclesia, crescat etiam influxus eius in modum docendi philosophiam in seminariis et facultatibus catholicis ad hoc ut alumni placitis fundamentalibus philosophiae scholasticae toto corde adhaerere discentes, tamquam aspectibus veritatis cum revelatione in mente philosophica catholica arcte connexis; discant pariter illas assertiones luce crescentis scientiae humanae evolvere et cum magna libertate et facilitate lingua hodierna exprimere. Ita parati erunt ad colloquium cum mundo ineundum.

Credo talem modum agendi secundum spiritum S. Thomae esse, qui spiritus in plena et aequilibrata sacerdotum formatione suas partes habere debet.

Concordo cum exc.mo D. Sauvage, ep. Anneciensi, de necessitate sermonem de philosophia in schemate ampliandi, ut aliquid plus dicatur de eius fine, munere, methodo et habitudine ad theologiam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 12). [2] (pag. 19-20). [3] (pag. 16). [4] Et revera quis non aliqua fide tenetur? Etiam agnosticus profundissimas suas persuasiones fide aliqua humana tenet: et si obscuritas ad essentiam fidei pertinet, eiusque intensitati proportionata exsistit, maior est fides existentialistae quam thomistae. [5] deest. [6] Philosophus catholicus problematibus certo non caret, et inter ea exstat illud maximum et quandoque dolorosissimum conciliandi libertatem inquisitionis cum fide divina a magisterio Ecclesiae auctoritative enuntiata. Hic datur locus colloquio. Magisterium enim debet intelligere problema philosophorum et philosophi debent intelligere problema magisterii. Neque potest colloquium in puro iuridismo fundari, sed in « veritate facienda in caritate » (*Eph.* 4, 15).

5

Exc.mus P. D. BENEDICTUS ZORZI

Episcopus Caxiensis

Venerabiles Patres, ceteri omnes qui me auditis,

Loquor nomine meo, et etiam centum et duorum episcoporum, praesertim ex Brasilia, in altera parte huius sermonis.

Hoc schema Propositionum *de institutione sacerdotali,* paucis rebus exceptis, mihi placet.

1. Mihi placet quia « institutionis sacerdotalis ratio » oportet ne sit nimis arcta sed accommodata diversis circumstantiis et locis prout,

decurrente tempore, necessitates pastorales exigunt; attamen semper sub ductu coetuum episcoporum, Sede Apostolica approbante.

2. Etiam placet quia in fovendis vocationibus ad totius Ecclesiae necessitates respicitur et in seligendis vocationibus vigilans cura commendatur.

3. Placet illa determinatio quae, salva institutione scientifica communi, communitates magnas seminariorum in communitates parviores distribuit ad meliorem sacerdotalem formationem faciendam.

4. Valde etiam schema hoc mihi placet quia in studiis recognoscendis ad studium attenditur linguae latinae, quod certo est maximi momenti ad complendam culturam alumnorum, praesertim ex occidente.

Schema mihi *minus placet*: 1. Cum agit de institutione spirituali excolenda quia, etsi ibi omnia bene dicta sint, attamen deest, meo humili iudicio, aliquid essentiale: in universa formatione sacerdotali futuri sacerdotis, immo et in tota vita sacerdotali adesse debet illa Stella, quae ducit ad Iesum, Eius Mater et Mater nostra quam « alter Christus » ut alter Mariae filius, filiali pietate quotidie excolere debet.

Ergo humiliter propono ut in n. 8, in pag. 15, lin. 5, post vocabula « et Eucharistia » haec verba addantur: « in devotione vere filiali erga Summi et Aeterni Sacerdotis Matrem quae speciali modo sacerdotis Mater est ».

2. Etiam mihi minus placet id quod schema refert circa institutionem apostolicam seu missionariam. Verum est quod in praesenti schemate de hac re plus dicitur quam in schemate priori; sed haec res est tanti momenti pro vita Ecclesiae in mundo quod si multum dicitur non nimis dicitur. Oportet igitur ut haec res in nostro schemate appareat modo vividiori et cum fundamento theologico.

Aliquas considerationes de hoc argumento faciam antequam ad emendationem veniam: si inde a primis annis vitae in seminario deactae alumni non imbuantur vero et firmo spiritu apostolico, in vanum pastores collegialitatem episcopalem cum omnibus suis consequentiis praedicabunt. E contra, si nostra seminaria et pro clero saeculari et pro clero regulari hoc spiritu imbuuntur, non tantum aderit maior numerus sacerdotum, parati propter Christum ad ultimum terrae venire, sed in ceteris erit maior perseverantia, etiam in vocationibus ecclesiasticis, maior zelus et maior progressus spiritualis quia si generosi erga Deum erimus, Deus generosior nobiscum erit. Immo ipsa distributio cleri in mundo modo magis naturali quam coacto fiet.

Parcatis mihi, Patres venerabiles, si vobis testimonium afferam: Dioecesis in qua ministerium exerceo, an. 1934 condita, semper aper-

tas habuit ianuas erga congregationes religiosas, quae iam suos alumnos in universum mundum miserunt, et erga dioeceses pauperiores. Immo duodecim abhinc annis etiam sacerdotes e clero saeculari cum aliquibus seminaristis, alias dioeceses, praesertim seminaria parvula, adiuvant. Vocationes et pro vita religiosa et pro clero dioecesano ullo modo minutae sunt; e contra, auctae sunt. Dioecesis facta est velut puteus ubi multi aquam hauriunt et aqua non deficit. Attamen dioecesis de qua loquor non dives est: sumus minus pauperes inter pauperes; ex ore nostro aliquid auferimus in bonum eorum qui egestate et fame spirituali pereunt, quae maior caritas nobis videtur quam famelicis donare quod ex lauto prandio superfuit.

Patres venerabiles, his ultimis annis multum accepit nostra America Latina a dioecesibus et ab ordinibus et congregationibus religiosis Europae et Americae Septemtrionalis; propterea gratias quam maximas agimus pro hoc magno beneficio; sed ne cesset hoc beneficium; ne sit in vestris dioecesibus et ordinibus seu congregationibus religiosis avaritia spiritualis; pandite praecordia cordis vestri; date nobis et dabitur vobis; aqua vocationum, i. e. gratia Dei, non deficiet in vestris dioecesibus et familiis religiosis, immo et purior et salubrior erit. Experientia, magistra vitae, docet.

Nunc ad emendationem veniam, quam humiliter propono, iuxta desiderium centum et duorum episcoporum ex diversis nationibus, praesertim ex Brasilia, quorum subsignationes iam diebus peractis commissioni de seminariis tradidi: in pag. 20, in n. 20, lin. 6, ubi legitur: « atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius necessitates Ecclesiae respicere assuescant », sic emendetur: « atque, ut veri collegii episcopalis cooperatores qui in Christo Iesu illuminare et salvare debent omnem hominem venientem in hunc mundum, eo spiritu vere catholico imbuantur et formentur quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius necessitates Ecclesiae respicere assuescant, parati ad Evangelium praedicandum et ad oves quaerendas usque ad ultimum terrae ». Dixi. Gratias.

Animadversiones additae:

Pag. 6, n. 6, lin. 15: in fine phraseos, quae ita sonat « Integra clericorum institutio eo tendere debet, ut ad Divini Pastoris exemplar, alumni veri animarum pastores formentur », haec verba addantur: — parati ad Evangelium praedicandum et ad oves perditas quaerendas usque ad ultimum terrae ut veri cooperatores Collegii Episcopalis quod cum suo Capite ad salutem quaerere debet omnem hominem venientem in hunc mundum.

Et similiter in lin. 17 eiusdem numeri, ubi legitur « ad hunc pastoralem finem

ordinentur », post vocabulum « pastoralem » haec vocabula addantur: « et missionarium » — ad hunc pastoralem et missionarium finem...

[*Subscripserunt*] Benedito Zorzi, bispo de Caxias; Belchior da Silva Neto, bispo tit. de Cremna; Candido Padim OSB, bispo tit. de Tremitonte; José Lamartine Soares, bispo tit. de Fussala; Severino Mariano de Aguiar, bispo de Pesqueira; José Thurler, bispo tit. de Capitoliade; Clemente José Carlos Isnard OSB, bispo de Nova Friburgo; José Dalvit, bispo de S. Mateus; João de Souza Lima, arcebispo de Manaus; Alberto Ramos, arcebispo de Belém; Agnelo Rossi, arcebispo de Ribeirão Preto; Helder Camara, arcebispo de Olinda e Recife; Aniger Francisco Maria Melillo, bispo de Piracicaba; Aristides Pirovano, prelado de Macapá; Adolfo Luiz Bossi, prelado de Grajaú; José Maria Pires, bispo de Arassuaí; Carlos M. Cafferata, bispo de S. Luiz Argentina; Acacio Rodrigues Alves, bispo de Palmares; Aloisio Lorscheider, bispo de S. Angelo; Milton Correa Pereira, bispo auxiliar de Belém; Henrique Gelain, bispo de Vacaria; Roberto Caceres, bispo de Melo Uruguai; João Hoffmann, bispo de Frederico Westphalen; Aloisio Henriquez, bispo auxiliar de Caracas Venezuela; Felipe Tiago Broers, bispo de Caravelas; Nivaldo Monte, bispo auxiliar de Aracajú; Hamleto De Angelis, bispo de Viana; Giocondo Maria Grotti, OSM, prelado nullius do Acre Purus; Armando Cirio, bispo de Toledo; Agostinho Jauffrés, bispo tit. de Arcennária França; Honorato Piazzera, Bispo de Nova Iguaçú; Anselmo Pietrulla, bispo de Tubarão; Candido Julio Bampi, bispo auxiliar de Caxias; Avelar Brandão Vilela, arcebispo de Teresina; Alonso Silveira de Melo, bispo tit. de Nasai; José Nicomedes Grossi, bispo de Bom Jesus de Lapa; Augusto Petró, bispo de Uruguaiana; Afonso Maria Ungarelli, prelado nullius de Pinheiro; Gabriel Paulino Bueno Couto, bispo tit. de Leuce; Gregorio Warmeling, bispo de Joinville; Adelmo Cavalcante Machado, arcebispo de Maceió; Luiz Gonzaga Peluso, bispo de Cachoeira do Itapemirim; Pedro Paulo Koop, bispo de Lins; José de Medeiros Leite, bispo de Oliveira; Jaime Luiz Coelho, bispo de Maringá; Claudio Colling, bispo de Passo Fundo; Paulo Rolim Loureiro, bispo de Mogi das Cruzes; Manoel Pedro da Cunha Cintra, bispo de Petropolis; Vicente de Araujo Matos, bispo de Crato; Eugenio de Araujo Sales, administrador apostólico de S. Salvador e Natal; Caetano Antonio Lima dos Santos, bispo de Ilheus; Climerio Alves de Andrade, bispo de Vitória da Conquista; Walfrido Vieira, bispo tit. de Laranda; José D'Angelo Neto, arcebispo de Pouso Alegre; Guido Maria Casullo, bispo tit. de Utica; Jackson Berenguer Prato, bispo de Feira de Santana; João José da Motta e Albuquerque, arcebispo de S. Luiz Maranhão; David Picão, bispo coadjutor de Santos; Bernardo José Bueno Mielli, bispo tit. de Bararo; José Almeida Batista Pereira, bispo de Guaxupé; Paulo Hipolito de Souza Liborio, bispo de Parnaiba; Antonio Campelo de Aragão, bispo de Petrolina; José Varani, bispo de Jaboticabal; José de Medeiros Delgado, arcebispo de Fortaleza; Fernando Gomes dos Santos, arcebispo de Goiania; Antonio Fragoso, bispo de Crateus; Waldir Calheiros de Novais, bispo auxiliar do Rio de Janeiro; João Rezende Costa, arcebispo coadjutor de Belo Horizonte; Orlando Chaves, arcebispo de Cuiabá; Altivo Pacheco Ribeiro, bispo de Barra do Piraí; Walmor Battu Wichrowski, bispo tit. de Felbes; Joaquim de Lange, prelado de Tefé; Diogo Parodi, prelado de Balsas; Amadeo Gonzales Ferreros, bispo tit. de Metre; José Vicente Távora, arcebispo de Aracajú; Vicente Scherer, arcebispo de Porto Alegre; José Adelino Dantas, bispo de Garanhuns; Luiz Victor Sartori, bispo de Santa Maria; José Alberto Lopes de Castro Pinto, bispo auxiliar do Rio de Janeiro; Afonso

Niheues, bispo coadjutor de Lages; Edmundo Luiz Kunz, bispo auxiliar de Porto Alegre; José de Aquino Pereira, bispo de Presidente Prudente; José Eugenio Corrêa, bispo de Caratinga; Manoel Pereira da Costa, bispo de Campina Grande; Francisco Austregésilo de Atayde, bispo de Afogados de Ingazeira; Francisco Zayek, bispo titular de Callinico; Othon Motta, bispo de Campanha; Otávio Aguiar, bispo de Palmeira dos Indios; Geraldo Maria de Moraes Penido, arcebispo de Juiz de Fóra; Manuel Tato, bispo de Santiago del Estero, Argentina; Alberto Devoto, bispo de Goya, Argentina; Michel Ntuyahaga, bispo de Usumbura, Africa; Arcangelo Cerqua, bispo tit. de Olbia; João Gazza, bispo tit. de Circesio; Vicente Marchetti Zioni, bispo de Baurú; Pedro Felipak, bispo de Jacarézinho; Ruy Serra, bispo de São Carlos; Geraldo Fernandes, bispo de Londrina; Jorge Marcos de Oliveira, bispo de Santo André; Wilson Laus Schmidt, bispo de Xapecó; Manuel da Silveira D'Elboux, arcebispo de Curitiba; Alexandre Cesário Minalli, bispo prelado de Carolina; Alberto Etges, bispo de Santa Cruz do Sul.

6

Exc.mus P. D. PAULUS IOSEPH SCHMITT

Episcopus Metensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Schema *de institutione sacerdotali* in genere placet. Si eius praescripta sine ulla mora applicantur, cras Ecclesiae erunt sacerdotes vere idonei ad eius renovationem participandam. A sacerdotibus enim magna ex parte pendebit illa exsequi quae Concilium statuerit.

Liceat mihi tamen tres animadversiones generales *de educatione fidei alumnorum sacrorum*[1] proponere. Animadversiones particulares secretariatui scripto tradam.

Prima animadversio: Sacrorum alumni in firmitate fidei educentur. Sacrorum alumni orti sunt ex mundo et vivunt in mundo quo diversitas mentium et religionum viget. Ut in his condicionibus futurus sacerdos muneri suo possit esse fidelis, gaudere debet fide personali profundiore quam in saeculis praeteritis: sacerdos enim a communitate christiana hodie iam non portatur.

Fide ergo radicetur in Christo mortuo et resuscitato, Alpha et Omega, saeculorum Domino. Illi vitam totam tradat ut cum Apostolo possit dicere: « Scio cui credidi ». Hac fide Dominum semper et ubique attingere poterit, etsi vivere debeat inter infideles et subiectus esse multis laboribus et aerumnis.

Haec fides est bonus nuntius qui vitae nostrae et universo orbi dat sensum. Dei contemplatione nutritur qui semper in mundo operatur.

Seminarium autem solum ad hanc fidem alumnos ducere non poterit.

Vita enim in seminario est nimis artificiosa et ab omni periculo contra fidem praeservata. Oportet alumnos probativum ministerium ad tempus exercere, etiam in regione in qua maior pars a fide defecit, ut probetur et profundius radicetur eorum fides. Hoc ministerium fiat per gradus et a sacerdote, experientia praedito, dirigatur.

Secunda animadversio: Sacrorum alumni ad fidem missionariam educantur. Nostra aetate infidelitatis sacerdos debet praesertim fidem in cordibus hominum suscitare et educare, ut temporibus apostolicis.

Ad hoc autem postulatur scientia profunda tam nuntii transmittendi quam hominum qui evangelizandi sunt.

Institutio traditionalis in seminario praesertim scientiam nuntii spectabat. Quae quidem etiam hodie omnino necessaria est in sua forma scholastica, sed ampliari debet secundum theologiam historicam et concretam a Paulo VI commendatam.

Non minus necessaria est sacerdoti scientia hominum ad quos mittitur. Haec scientia non sit mere theoretica; non tantum ex libris hauriatur; sit concreta et practica; sit magis positiva quam negativa. Sit investigatio facultati uniuscuiusque accommodata, considerans serio dubia, contestationes, interrogationes hominum huius temporis difficillimorum. Agnoscat alumnus valores istorum hominum plus quam eorum defectus. Illos valores aestimet et homines, qui eis utuntur, diligat!

Acquiritur haec scientia exercitationibus psychologiae, paedagogiae, sociologiae. Sed hoc non sufficit. Discat clericus attente audire! Homo qui evangelizandus est non est quasi aliquod nihilum spirituale. Spiritus Dei qui orbem replet in illo operatur. Hominibus aurem dare, est dare aurem Spiritui Dei.

Discat ergo alumnus condiscipulos audire et dialogum habere cum magistris! Discat ab eis aliquid discere! Discat simpliciter discere! Discat in serium convertere problemata hominis coaevi! Discat scrutare signa temporum et eventuum significationem per quos Deus nobis loquitur! Discat discernere elementa immutabilia quae semper et ubique servanda sunt a mutabilibus quae rerum humanarum condicioni respondent, ut patet Ecclesiae historia. Sic sacerdos fiet homo dialogi cum mundo moderno. Per totam vitam suam assuetus erit actionem suam considerare et coram Deo contemplari.

Tertia animadversio: Sacrorum alumni fide vere ecclesiali radicentur: sentiant in et cum Ecclesia. Nomine Ecclesiae sacerdos suum ministerium exercet. Tota ergo Ecclesia localis responsabilitatem tenet in institutione sacerdotum. Hierarchia hoc onus non reclinet in moderatores et magistros seminariorum.

Pastores animarum intenti esse debent institutioni eorum qui cum eis ministerium exercebunt et eis succedent.

Laici non tantum fructum facere debent ex ministerio sacerdotum, sed ad eorum educationem conferant! Tota Ecclesia est missionaria: omnes fideles responsabilitatem tenent in formatione eorum qui cras missionarii Ecclesiae erunt. Quomodo hoc fiet?

Primo: Vita clericorum in seminario non sit nimis seiuncta a vita fidelium, immo et mundi. Ne degant in seminario vitam quae monachis propria est.

Deinde: Alumni participent experientiam parochorum et laicorum!

Sic clericus experietur suam fidem esse participatam cum tota communitate Ecclesiae. Sic paratur sacerdos qui numquam solus aget. Erit homo dialogi cum episcopo cuius adiutor est in evangelizando dioecesim. Erit homo dialogi cum confratribus quorum collegio per ordinem sacrum adiungitur. Illi eum experientia sua spirituali et pastorali adiuvabunt. Erit homo dialogi cum laicis qui eum cogent fidem suam et methodum pastoralem semper recognoscere.

Conclusio. 1. Nova institutio sacerdotalis sit tam profunda quam aperta necessitatibus hominum huius temporis. Sic efficitur tam urgens unitas totius sacerdotis vitae, scil. spiritualis, intellectualis, apostolicae.

2. Nova institutio sacerdotalis, praeter fundamentalem culturam theologicam, habitum dabit futuris sacerdotibus, per totam vitam, actionem pastoralem considerare. Haec inquisitio, in parvis coetibus cum aliis fratribus incepta, nutrit personales convictiones et habilitat ad studium personale.

3. Nova institutio sacerdotalis providere debet, quomodo pastores ex ministerio paroeciali et aliis ministeriis necnon et competentes laici cooperare possint non quidem ad directionem seminarii, sed ad elaborandum novam rationem studiorum et novum institutionis sacerdotalis regimen. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:

Ad propositionem 4: Linn. 6 et 15 mutentur nomina *Pastorem* et *Pastoris*.

Proponam *Regem* (lin. 6) et *ministerium educationis et caritatis* (lin. 15). Ratio haec est: ut optime affirmabat textus prior in propositione 6, titulus *Pastoris* est titulus globalis, totam mediationem salutis amplectans et non solum tertiam partem istius mediationis et missionis, ut in redactione emendata invenitur quae non placet.

Ad propositionem 8: Alumnis proponenda est theologia vera et clara de vocatione sacerdotis. Distincta est enim a vocatione laici; cognoscat suum esse

specificum, ne se sentiat laicis inferior aut superior. Sic vitatur illud incommodum quod multi sacerdotes iuniores experiuntur qui nesciunt quem locum teneant inter episcopum et laicos.

Ad propositionem 20: Optatur ut aliquid dicatur de vacationis temporibus, quibus perdurantibus alumni pastoralem formationem cum fructu acquirire possunt.

Ad propositionem 22: Cum institutio cleri numquam terminata sit, per totam vitam erit perficienda. Sic non solum clerus iunior, sed etiam maior natu ad conventus periodicos invitandus est ut capax fiat munus suum melius adimplendi.

[*Subscripserunt etiam*] L. A. Elchinger, coad. Strasbourg; P. Boillon, ep. Verdun; C. Flusin, ep. Saint-Claude; J. Guyot, ep. Coutances; B. Hoffmann, ep. Djibouti; V. Malenczuk, exarcha ap. in Gallia; J. Vilnet, ep. Saint-Dié; R. Boudon, ep. Mende; F. Bougon, ep. Moulins; A. Bontems, ep. S. Jean de Maurienne; P. Théas, ep. Tarbes et Lourdes; E. Pirolley, ep. Nancy; A. Pioger, ep. Sées; P. Puech, ep. Carcassonne; P. Chevalier, ep. Le Mans; P. Gouyon, arch. Rennes; G. Bannwarth, ep. Soissons; Ch. Gachet, ep. Castries; A. Roy, ep. tit. Ambia; J. Badré, aux. Paris; G. Huyghe, ep. Arras; S. Desmazières, aux. Bordeaux; A. Atton, ep. Langres; M. Vial, ep. Nevers; R. Kérautret, ep. Angoulême; P. Robert, ep. Les Gonaïves; A. Boussard; A. Malbois, aux. Versailles; R. Michon, ep. Chartres; J. Goupy, ep. Blois; A. Gand, coad. Lille; J. de Cambourg, aux. Bourges; L. Ferrand, arch. Tours; J. P. Vincent, ep. Bayonne; B. Collin, ep. Digne; G. Jacquot, ep. Gap; J. Ménard, ep. Rodèz; H. Donze, ep. Tulle; P. Vignancour, ep. Valence; A. de la Brousse, ep. Dijon; J. Sauvage, ep. Annecy; A. Couderc, ep. Viviers; A. Jauffrès, ep. tit. Arsennaria; A. Fauvel, ep. Quimper; J. Bellec, ep. Perpignan; V. Favé, aux. Quimper; F. Kervéadou, ep. St. Brieuc; J. Patria, aux. Beauvais; P. Brot, aux. Paris; R. Fourrey, ep. Belley; St. Courbe, aux. Paris; L. de Bazelaire, arch. Chambéry; G. Guibert, ep. Réunion; P. Bouque, ep. tit. Abbir Germaniciana; J. Reuss, aux. Mainz; B. Gantin, arch. Cotonou; H. Tenhumberg, aux. Münster; J. Fresno L., ep. Copiapò; C. A. Lima dos Santos, ep. Ilhéus; N. Riezzo, ep. Castellaneta; H. Jenny, aux. Cambrai; M. Riopel, aux. Rennes; J. Martin; J. Urtasun, arch. Avignon; J. Dozolme, ep. Le Puy; H. Varin de la Brunelière, ep. Fort de France; P. Martin, vic. ap. Nouvelle Calédonie; L. Julliard, vic. ap. Nouvelles Hébrides; M. Dubois, arch. Besançon; E. Bartoletti, aux. Lucca; J. van Dodewaard, ep. Haarlem; A. Mendoza Castro, ep. Abancay.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAUN

Episcopus Gadicensis et Septensis

Venerabiles Patres, carissimi omnes,

Schema in genere teneri potest ...[1]. Ideo iam in par. 1 laudandus admodum est sensus pastoralis quo imbuitur. Vere quidem inter populos plane diversa sunt adiuncta traditionis religiosae, psychologiae, culturae, vitae socialis, ambitum familiae atque processus historici; ...[2] et differentiae climatologicae, geographiae et stirpis.

Necesse est ut propriae conferentiae episcopales accommodent et adaptent, cuilibet casui, communes normas ac dispositiones quae dantur ad suum clerum instituendum.

Animadversiones ad par. 3, n. 5. Illud placet cum dicitur, quod magis aestimantur homines qui, ut moderatores et professores, seminariis praesunt, quam normae et constitutiones quibus reguntur.

1. Gravis monitus est improvisationi moderatorum; ex qua multae defectiones in seminaria venerunt.

Quoties vidimus ...[3] moderatores *aut superiores,*[4] bonae indolis intellectualis, sed nimium iuvenes, institutionis paedagogicae destituti et usus pastoralis ignari, qui misere periculum aetatis et pubertatis cum defectu vocationis confundebant! Ex hoc quidem errores consilii et directionis eveniebant.

2. Maximi momenti est ut « seminariorum moderatores et magistri... solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur ».

Maximi momenti est haec institutio et dispositio; sed ne praetermittamus hominem suis propriis conditionibus humanis et sua formatione radicali, et spiritus et mentis, esse quidem quod substitui non posse...[5]

3. Innuit schema ut institutiones promoveantur *et*[6] cursus formationi fovendae moderatorum. Quae opportunum videtur ut a conferentiis episcopalibus promoveantur et moderentur.

Ad par. 3, n. 7.[7] Etiam et in regionibus ubi vocationes abundant et quamvis dioeceses minus parvae non sint, convenientia existimo seminaria maiora regionalia, ubi alumni ex diversis dioecesibus congregentur, salvo influxu episcopi proprii in formatione suorum seminaristarum, his de causis:

1. Facilior redditur electio moderatorum atque professorum, v. g. in Hispania; melius enim inter mille sacerdotes quinque dioecesium seligitur quam inter ducentos unius dioecesis.

2. Erectio et expensum seminariorum unicuique dioecesi magnum pecuniae gravamen supponit, quae saepissime a fidelibus feruntur, iam oppressis in oeconomia ex adiunctis temporum evolutionis oeconomicae. Exemplare esset praeterea ingentes « inversiones » in seminariis dioecesanis consumptas aliis necessitatibus atque operibus distribuere, quas sive in propria dioecesi aliisve regionibus augentibus, iura boni communis vel caritatis vel iustitiae socialis postulant, ut vidimus in discussione praestantissimi schematis XIII.

3. Seminaria regionalia favent dotationi seminariorum, remunera-

tioni professorum, moderatorum et famulorum. Ex hinc professores intensius vacare possunt studio atque muneri docendi.

4. Consuetudinem etiam alumnorum ex diversis dioecesibus convenientem existimo eorum institutioni; hi contactus, cognitione problematum et communiore aptatione, indoli personarum favent.

5. Existimo grave onus conscientiae in nostris temporibus esse contrahere numerum sacerdotum in dioecesi ut mitti possint in Americam, in missionum regiones, ad emigrantium curam, etc.

Observationem facere audemus ad maximam convenientiam instituendi seminaria regionalia, vel nationalia, vel internationalia, iis destinata qui sero in vita sua a Domino vocantur, qui aetate matura seminaria adeunt, nonnulli postquam curriculos in Universitate Status perfecerunt. Certis de causis, etiam psychologicis, et adaptatione in studiis, propria et peculiari norma tractandi sunt, etiam et informandi, ut convenienter dispositi ad propria seminaria tempore opportuno veniant.

Ad par. V, n. 13.[8] Plausu dignissimum videtur indicium schematis ut alumni humanistica et scientifica institutione augeantur qua iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent. Magnum medium est autoselectionis vocationum et christianae sollicitudinis eorum qui intempestive e seminariis discedunt, neque aliunde periculum videtur ut ipsi seminarium relinquant. Si tamen aliquibus esset fortasse nobis dicendum periculum opportunum. Opes in his alumnis expensae non evanuerunt. Non erunt quidem sacerdotes, sed filii nostri erunt, Ecclesiae eorum matri corde et animo grato...[9]

Ad n. 18 hoc propono: ut tum moderatores tum professores harum *facultatum superiorum*[10] semper prae oculis habeant multum interesse scientiam et scientificam institutionem eorum iuvenum qui superioribus scholis intersunt, sed latius patere ut verus homo Dei integre et funditus efformetur...[11] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Difficultates video colligendi summatim et stylo conciliari, i. e. brevibus propositionibus, complexionem quaestionum amplissimorum, quae institutionem sacerdotalem spectant. [2] Ecclesiae orientales non sunt latinae. Etiam considerandae sunt varietates. [3] et passi sumus. [4] deest. [5] Huic condicioni postea advenit praeparatio specifica de qua loquitur, immo et dispositiones obiectivae actionis, quae simul aptabiles esse oportet. [6] ut. [7] tota haec animadversio deest. [8] tota haec animadversio deest. [9] Ad par. V, n. 13: Addendum videtur praeter studia linguae latinae, propria et specifica studia linguae graecae. Seminarium quidem facultas universitatis ecclesiasticae non est, sed abesse nequit institutio in lingua graeca, ita necessaria ut melius cognoscatur et interpretetur Sacra Scriptura necnon

scripta Patrum, quae omnia fontes theologiae constituunt. [10] disciplinarum. [11] Denique, ad par. VIII n. 22 hoc suadere audeo; ut via efficax perficiendi institutionem iuvenum sacerdotum, quod, pro dioecesis necessitatibus et indole personali, simul habitent hi iuvenes sacerdotes, per aliquod tempus, sub vitae communis regimine, cum parochis, consiliariis, adsessoribus operum apostolorum, qui suis virtutibus et indole pastorali simul niteant.

[*Subscripserunt etiam*] J. Flores, ep. Barbastrensis; Eduardus, ep. Zamorensis; Antonius, ep. Canariensis; Ferdinandus card. Quiroga; Felix, ep. Giennensis; Michael, aux. Compostellanus; J. Lecuona, ep. tit. Vagadensis; Ioannes Petrus, ep. Placentinus in Hispania; Daniel, ep. Segobiensis; Antonius, ep. Lucensis in Hispania; Pablo, ep. Bilbao; Eugenio, ep. Santander; Jacinto, ep. Mondeñedo; E. Corripio, ep. Tampico; Emmanuel, ep. Angrensis; A. Fresnel, ep. Fort-Dauphin; R. Sundaram, ep. Tanjore; M. Bergonzini, ep. Volterra; A. Zapiana Bellizza, ep. Tacna; Sanctus, ep. Abulensis; Iosephus, ep. Palentinus; Secundus, arch. Burgensis; Angelus ep.; Saturninus, ep. Oxomensis-Sorianus; Gregorius, arch. Barcinonensis; Raymundus, ep. Urgellensis; Innocentius, ep. Cuenca; Demetrius, ep. Civitatensis; Laureanus, ep. Seguntinus-Guadalajarensis; Anastasius, aux. Toletanus; Emmanuel, ep. Corduba; Pedro, arch.; Marcelo, ep. Astorga; Ioseph, ep. tit. Drusilianensis; N. Jubany, ep. Gerona; Abilius, ep. Calagurritanus; Vincentius, arch. Oviedo; Iosephus, ep. Segobricensis-Castellionensis; B. Fey, ep. tit. Philadelphia minor; N. Adam, ep. Sion.

8

Exc.mus P. D. ANTONIUS PAWLOWSKI
Episcopus Vladislaviensis

Venerabiles Patres, carissimi omnes,

Nomine episcoporum Poloniae loquor. Recta formatio alumnorum in seminariis quoddam problema gravissimum ac subtilissimum censeri debet. Quam gravitatem plurima documenta a Romanis Pontificibus nostris diebus prolata enixe subnotant ac probant...[1]

Proinde, cum ipsa sors Ecclesiae ab hac alumnorum formatione ex magna parte dependeat, structura seminariorum non per saltus neque per vehementes mutationes reformari debet, sed paulatim, quamvis constanter et consequenter, indoles doctrinalis, spiritualis et pastoralis seminarii evolvenda est. Eo vel magis id tenendum videtur, quia ipsa institutio seminariorum eorumque conamina et utilia et fructuosa saeculis elapsis sese demonstraverunt.

Si nostris diebus seminaria examini critico, et acriter quidem, subiiciantur, id fit praecipue in iis coetibus hominum, ex quibus minimae vocationes sacerdotales procedunt. Experientia enim plurium regionum

satis clare docet vocationes plurimas et optimas quidem provenire ex classibus pauperioribus et saepe saepius ex familiis, quae prole foecunda notantur, ubi nempe plures filii insimul vivunt et a parentibus recto spiritu christiano imbuuntur.

Si iam in educatione hominis generatim sumpta maximi momenti censeatur idoneitas educatorum, id eo vel magis attendendum est in hac instructione et educatione speciali, debita nempe formatione praeparatoria ad sacerdotium. Placent igitur, quae in textu emendato schematis propositionum sub n. 5 dicta sunt. Addere tamen mihi liceat, quod curandum est, ut ii quibus formatio cleri dioecesani committitur, familiam quasi constituere quaerant alumnosque paterne ament ac libenter et exemplariter cum ipsis conversentur...[2]

Munus vero formationis non est reponendum in manibus moderatorum tantum, Rectoris videlicet et Magistri Spiritualis, sed omnes qui de seminario responsabilitatem habent ad hoc omnibus viribus contendere debent, ut continue et permanenter, etiamsi discrete, in candidatos ad sacerdotium influxum fructuosum exerceant ad eorum evangelicam et ecclesiasticam formationem perficiendam.

In schemate, n. 17, *formaliter* occurrit mentio de *arte didactica* eiusque methodibus in disciplinis sive philosophicis sive theologicis exponendis. Animadvertendum est, quod ad rectam alumnorum formationem non sufficit, ut scientia ipsis diffuse exponatur ipsique se mere receptive ad hanc scientiam habeant, sed omni conatu et quidem ab unoquoque praeceptorum id prosequendum est, ut sacrorum alumnis momentum doctrinae propositae seu valor vitalis innotescat atque indoles quaedam attrahens insuper clare pateat, in mentem et voluntatem totamque eorum personalitatem ita agens, ut sacerdotio aucti pares sint et suam vitam secundum hanc scientiam ducere et eam fidelibus aliisve convenienter et efficaciter tradere seu ad fines pastorales eam fructuose applicare.

Claritatis causa duo exempla afferam. Itaque in Scripturis Sacris exponendis praeceptores maximam partem praelectionum suarum ad notiones introductorias illustrandas et ad systemata critica investiganda destinant, dum iis qui munus sacerdotale suscepturi sunt quam maxime ipsa exegesis et theologia biblica necessaria est, ad propriam scil. vitam spiritualem et praecipue vero ad praxim homileticam et catecheticam.

Aliquid simile de Sacra Liturgia dicere possumus. Recte quidem de ea tamquam de disciplina in programmate de seminariis dicitur. Sedulo tamen curandum est, ut sacrorum alumni vitam liturgicam sincere et profunde vivant et in ea diversas formas suarum orationum cotidianarum fundent ex eaque spiritum ecclesiasticum et zelum apostolicum per totam vitam sacerdotalem hauriant.

Hac in re ad duo sane attendendum est:

1. Ne futuris sacerdotibus ex variis et frequentibus mutationibus, etiamsi a legitima auctoritate introductis, aliquid relativismi irrepserit. Ad hoc periculum praecavendum, id quod substantiam Liturgiae Sacrae constituit cordibus alumnorum profunde inserere oportet, amorem scil. et praxim sacrificii, tum laudis tum altaris ipsiusque Crucis Christi.

2. Iis qui saepe saepius paternalismum sacerdotibus obiiciunt relinquimus, ut designent quid sub hoc nomine intelligant. Attamen liturgica instructio ac efformatio clericorum ad hoc tendere debet, ut ad mentem ipsius revelationis evangelicae et authenticae spiritualitatis christianae educentur ad paternitatem, quae nempe in eo consistit, quod fideles sibi in officio sacerdotali commissos tamquam familiam Dei recognoscant, erga quam ipsi veluti patres veri ac solliciti sint suamque responsabilitatem pro salute animarum prae oculis habeant.

In efformatione sacerdotali clericorum, prudenter quidem sed absque nimia haesitatione, componenda sunt vetera et immutabilia cum novis, mundo hodierno accommodatis, ad mentem normarum quae in singulis regionibus statuenda videbuntur in conferentiis episcoporum, de quibus n. 1 schematis sermo fit. Sic enim alumni instruendi sunt, quo modo ad fines apostolicos et missionarios sui sacerdotalis officii modernis mediis technicis, ut puta audiovisivis, quae dicuntur, uti possint ac debeant...[3]

Denique, ut ex alumnis sacrorum ministri usque ad finem suae vitae fideles Christo Domino et Ecclesiae eveniant, in eorum pietatem tempore formationis seminaristicae peculiariter quoque inseminandum est:

1. quanti momenti sint, quae fragilitati humanae in sacramentali poenitentia bene peracta suppeditantur et quam necessaria ac salutaris sit pro vita interna sacerdotis prudens directio spiritualis atque sincera eidem subiectio, ut nempe iis auxiliis et ipsi fructuose uti sciant et alios confratres efficaciter adiuvare valeant;

2. ut mentem, voluntatem atque cor suum sincere filiali devotioni erga Virginem Deiparam applicent. Ipsa enim optima et amantissima Magistra vitae est. Proinde in schola Mariae tutissima via ad rectam solidamque efformationem sacerdotalem seu ad fidelem et frugiferam in Sacerdotio Christi participationem omnibus sacrorum alumnis sternitur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Sufficit commemorare, quae in hac re a P. Pio XII, Ioanne XXIII necnon etiam a feliciter nobis regnante Vicario Christi Paulo VI pronuntiata sunt. [2] Etenim in vita quotidiana seminariorum illud celeberrimum axioma S. Thomae Aquinatis de « pulchritudine honestae conversationis »

ab omnibus applicetur oportet. Id enim maximam vim paedagogicam ostendit. [3] Iis vero perpensis quae n. 10 proponuntur, secundum humile meum iudicium, ad conscientem ac deliberatam electionem sacerdotii obligationumque cum eo connexis sufficere videtur generalis matrimonii cognitio, quae in ordinario cursu seminaristico habetur. Potius ad ea attendendum est quae P. Paulus VI sapientissime profert in epistola apostolica *Summi Dei Verbum,* quod scil. « Peculiarissimum ac necessarium indicium » vocationis divinae « in recto proposito... in manifesta et firma voluntate, qua quis in divinum famulatum se totum dedere exoptet » quaerendum est (*A.A.S.,* 55 [1963], p. 987).

9

Exc.mus P. D. ARTURUS RIVERA DAMAS

Episcopus tit. Legiensis, aux. S. Salvatoris in America

Venerabiles Patres,

Hoc schema ad propositiones reductum optima synthesis apparet non solum firmorum principiorum, diuturna experientia probatorum, quibus formatio cleri perenniter inniti debet, quaeque igitur opportune rursus et explicite affirmantur; verum etiam ea nova sapienter introducit, quae in hodiernis adiunctis et necessitatibus, in hac tam gravi institutione, peculiari et novo modo observari debent.

Liceat mihi ...[1] quasdam tamen animadversiones proferre, ea intentione ductus, ut propositiones magis ac magis ex omni parte a commissione competenti perpoliri possint.

1. Ratione habita momenti institutionis spiritualis expedit, ut singulae eius partes clarius et pressius determinentur idque in concreto sicut factum erat in schemate quod in appendice, pag. 30 ss., legitur. Quod fiat tamen forma synthetica iuxta indolem propositionum.

Nihil enim, e. g., de Officio Divino; pietatis exercitia in novo textu emendato, pag. 15, lin. 9, commendantur quidem, sed valor eorum humiliatur fere explicite phrasi sequenti; in propositione de castitate *verbis* quibus inculcatur clara cognitio matrimonii ad electionem caelibatus recte faciendam, nimis et aequivoce urgetur dicta cognitio ...[2] ac si voluntatis firmitas a profunda cognitione *unice* dependeat, quod falsum est ut cotidiana experientia demonstrat.

2. Lacuna sat gravis videtur adesse in descriptione vitae disciplinaris in seminariis degendae. Nam quidam fructus tantum disciplinae enumerantur qui hodiernae menti necessariae quidem sunt sed fere exclusive placent. Nos autem episcopi, experientia dolenda quoque edocti, non ignoramus quod *firma principia rectae disciplinae* de quibus propositio schematis loquitur hodie practice et etiam iam theoretice non raro ab

ipsis sacrorum alumnis in dubium vocantur tamquam libertatis iniusta impedimenta et personae humanae iniuriosae et damnosae coercitiones. Mirum est, quod huiusmodi errores nullo modo in propositionibus innuuntur. Hoc silentio inducere possumus suspicionem quod nos timemus, ne adulescentes his veritatibus offendantur aut quod gravissima mala, ex his erroribus rectae sacrorum alumnorum formationi imminentia leviter diiudicemus.

Qua de causa, propono, ut de his erroribus eo vel simili modo quo optime et positive in praecedenti schemate factum erat (uti in pag. 30 appendicis ad schema propositionum legitur), in propositionibus loquatur explicando aliquomodo illa « firma rectae disciplinae principia » antequam de fine particulari et de fructibus magis acceptis sermo fiat.

3. Ut redimatur spatium et verba quae huic additamento proposito necessaria sunt, ex propositione 16 plura deleri possunt, quae minime indoli huius propositionum schematis conveniunt: ibi enim ad res omnino particulares descenditur, quae ad rationem studiorum potius quam ad principia generalia pertinent: pag. 18, a lin. 10 loco novi textus qui incipit « Sacrae Scripturae studio » usque ad lin. 34 verbis « communicare discant », resumatur prior textus brevior, in quo omnia quae propositionis indoli respondent satis clare continentur.

Haec praeprimis suggerenda mihi videntur, ut propositiones tam salutares quam perfectissimae evadant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etiam nomine plurium Patrum. [2] res periculosa et damnosa.

10

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Rogatus a pluribus Patribus ut mentem meam aperiam de propositionibus quae institutionem sacerdotalem spectant, simpliciter testimonium tradam sat nunc diuturnae experientiae. Quod non sine verecundia faciam, cum ego ipse a plerisque vestrum doceri possem et deberem. De cetero statim venio ad practicas conclusiones quas vobis expono.

1. Est factum quod non raro, immo frequentius saltem apud nos, sacerdotes lapsi labore pastorali ac variis occupationibus cogebantur, immo aliquando nimius onerabantur. Opportunis cum suis sodalibus relationibus plures non carebant, immo quandoque in communitate vive-

bant. Saepe accusatur solitudo, quae sine dubio periculosa est, sed solitudo sub periculosa forma haberi potest in vita communi. Ut clarius rem exprimere possim, dicam gallice: « Solitude n'est pas nécessairement isolement, et vice versa ».

2. Quoties audivi, exprobatione facta, sacerdotem confitentem se reliquisse orationem et ita in spiritualem languorem incedisse et pedetentim gravius decessisse! Quo in casu, aliter et aliter sequitur: sunt qui in moralem depressionem cadunt, sunt qui suam fidem misere aspernantur, sunt etiam qui alicui mystico-carnali syncretismo indulgent, etc. ...

Quidquid sit, ego pro certo habeo magis ac unquam necessariam esse spiritualem formationem seminaristarum, formationem, inquam, profundam et austeram, et hoc propter duas rationes ad quas feliciter alluditur in nostro schemate.

Primo: Ratio habenda est recentiorum sanae psychologiae et paedagogiae inventorum. Revera, vigilandum est ut iuvenes ad sacerdotium accedant ut adulti et ab omni infantilismi specie arceantur.

Secundo: Oportet ut iam in seminario quaedam sit initiatio vitae quae a sacerdotibus nostrae aetatis ducitur, ut proinde notanter ad apostolatum et varias sacri ministerii formas initientur.

Hoc tamen dicendum videtur quod exaggerationis periculum facile existit et episcoporum est ad hoc sedulo attendere in conficiendo textu conciliari.

Ex una parte, coaevi nostri multum praeoccupantur, ut aiunt, efficientia (« l'efficience »). Quod est optimum, modo non fiat in detrimentum necessariae praeparationis spiritualis et intellectualis. Quo maior est turris aedificanda, eo profundiora debent esse fundamenta. Unde opportune dicitur in schemate quod tota seminarii ratio pietatis et silentii studio perfundi debet. Unde etiam insistitur in studiis peragendis. Semper verum est axioma: « Haec oportet facere et illa non omittere ».

Deinde, nostris diebus, magis extollitur sic dicta spiritualitas actionis, notanter ubi de sacerdotali et pastorali actione agitur. Tali spiritualitati actionis libenter adhaereo, modo sane intelligatur ac proponatur. Etiam servus Dei Eduardus Poppe, presbyter dioecesis Gandavensis, in Belgio, dicere iam solebat: « Oportet ad sanctitatem incumbere pro suo apostolatu et per suum apostolatum. - Il faut se sanctifier pour et par son apostolat ». Etiam in nostro schemate *de Ecclesia* dicitur gregis Christi pastores habere in adimplendo eorum ministerio « praecelsum sanctificationis medium ».

Sed praecise, textus sic legitur: « Gregis Christi pastores imprimis oportet ut, ad imaginem summi et aeterni sacerdotis, pastoris et episcopi

animarum nostrarum *sancte et alacriter, humiliter et fortiter* exsequantur ministerium suum, quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praecelsum sanctificationis medium ».

Ut patet, non qualecumque apostolatus exercitium laudatur et ut medium sanctificationis et apostolatus extollitur, sed utique ministerium illius qui sancte et alacriter, humiliter et fortiter ei se devovet. Unde concludo. Verum est quod spiritualitas cleri non est aliqua transcriptio plus minusve felix religiosorum spiritualitatis. Perspectivae sunt tantum diversae. Et in hoc insistendum est in moderandis seminariis. Sed ex altera parte strenue retinendus est primatus formationis spiritualis quae authentiam et sanctitatem actionis, etiam apostolicae actionis, firmare debet. Quando Iesus coetum duodecim apostolorum fecit, intendebat ut mitteret eos praedicare, et *iam misit statim* [1] praedicare, sed prius etiam voluit ut essent cum Illo.

Breviter dicam pro formandis sacerdotibus: Optandum est, immo necessarium est, ut apostolatui citius initientur, sed esse cum Christo magis adhuc importat quod apostolica opera exerceri. Scio mysticum Ruysbroek dixisse Deum in orationem relinquendum esse ut Deo inserviatur in pauperibus. Sed sermo meus est de formatione seminaristarum.

Concludo. Schema propositionis *de institutione sacerdotali* mediam quasi viam *optime* [2] sequitur. Plura quae dicta sunt in aula utilia erunt ad ultimam textus praeparationem, maxime ad apostolicam formationem quod attinet. Sed in genere textus mihi placet et opto ut largissimam approbationem habeat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non statim misit eos. [2] deest.

11

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Liceat mihi, venerabiles Patres, ex experientia viginti et quinque annorum in seminario parisiensi peractorum, testimonium valde favorabile afferre super schema *de institutione sacerdotali* et aliquas animadversiones adiungere.

In ista quaestione duo excessus vitandi sunt. Ex una parte, desideria omnia diruendi quae a sanctis viris post Concilium Tridentinum statuta sunt, v. g. *in Italia* [1] a S. Carolo Borromaeo, *in Gallia* [2] a SS. Vincentio a Paulo et Ioanne Eudes, et a venerabili sacerdote Ioanne Iacobo Ol-

lier; quae per quatuor saecula multos fructus protulerunt, et per Summos Pontifices a S. Pio X usque ad ...[3] Paulum VI sancita sunt. Ex altera parte, reluctatio ad quamcumque renovationem quam mutatio temporum et mentium postulat, ita ut de *praeteritis*[4] institutionibus cantari possit: « Sicut fuit sit iugiter saeclum per omne ».

Textus qui nobis proponitur brevis est, et commentarium exigit, quem habemus in schemate mensibus octobris et novembris praeteriti anni confecto et quod Concilio non submissum est. Attamen in sua brevitate viam aequam et sapientia refertam aperit, permanentia elementa retinendo et nova proponendo ad mentem S. Concilii.

1. In n. 1 et passim statuit principium competentiae coetuum episcoporum et episcoporum singularium dioecesium ad leges condendas, ita ut institutio sacerdotalis semper respondeat pastoralibus necessitatibus. Quod hodie in Italia *aut in Gallia*[5] bonum est, forsan alibi non convenit et aeternum non est.

2. In nn. 2 et 3, bene tractat de vocatione ad sacerdotium, de influxu familiae (per formationem traditam et haereditatem etiam), de munere sacerdotum ad vocationes reperiendas et formandas, et de seminariis minoribus. Optandum est *tamen*[6] ad finem n. 3 addatur aliquid amplius de vocationibus suscitandis etiam in scholis non ecclesiasticis (lyceis, scholis technicis, universitatibus ...), eo magis quod iuvenes ex his institutis orti saepe maturiores sunt quam alii qui sub alis maternis Ecclesiae aduleverunt.

3. Optima mihi videntur dicta de ratione studiorum et formatione pastorali in nn. 8 ad 22.

4. Paragraphus IV loquitur de institutione spirituali impensius excolenda. Insistere vellem in munus superioris eiusque adiutorum in formandis futuris sacerdotibus, nam generatim seminarium valet quod valent eius moderatores.

a) ut rectores seminariorum eligantur sacerdotes qui vere apti et omnimodo praeparati sunt ad hoc munus, *devoti,*[7] in fide radicati, aliqua experientia pastorali praediti, vera competentia muniti in diversis scientiis sacris, apti ad spiritualem formationem spiritualem tradendam, tam in foro externo quam in foro interno. Ne se etiam ab aliis sacerdotibus dioecesanis nec a laicis christianis secludant.

b) Efforment inter se verum « Collegium », quod collegialiter, sub auctoritate episcopi et directione superioris, seminarium ut veram familiam regere queat; qui constantem contactum cum suis discipulis teneat, ita ut eos realiter cognoscat et formet. Maximae difficultates in seminariis oriuntur ex dissidentiis inter rectores, aut ex absentia dialogi, sub diversis formis, inter ipsos et studentes.

c) Ad bonum domus seminarii quam maxime consequendum, interest ut superior in suis collationibus mentes discipulorum recte et viriliter formet ad omnes virtutes humanas, christianas et sacerdotales. In foro interno, moderatores spirituum satagant ut suos alumnos cognoscant, ament, eorum vocationem probent, eosque omnimodo adiuvent ut ad sacerdotium, si ad hanc gratiam revera vocati sunt, feliciter et laeti perveniant. Libertatem suorum discipulorum educent, etiam in vocatione sequenda, coactionibus, si necesse est, amotis, *etiam maternis.*[8] Sed etiam eos excitent *sub gratia Dei*[9] ut invitationi Christum in sacerdotio sequendi, si vere adest, toto corde respondeant, sine perpetua haesitatione et dubitatione, quae saepe nostris temporibus animos iuvenum inficit, ex diversis causis.

Hae sunt animadversiones quas vobis, venerabiles Patres, pando. Mutationes in textu quae inde oriuntur secretario tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Ioannem XXIII et. [4] his. [5] deest. [6] deest. [7] pii. [8] deest. [9] gratia Dei suffulti.

Animadversiones additae:

Pag. 12, ad finem n. 3 addatur: « Ne negligantur scholae non ecclesiasticae (ut Lycea, scholae technicae, Universitates...) ubi optimae vocationes reperiri et colere oportebit per ministerium sacerdotum ad eorum servitium spirituale deputatos.

Pag. 14, lin. 1 legatur: « ... superiorum seminariorum et *etiam professorum et spiritus moderatorum conventus* promoveantur... ».

Pag. 14 ad calcem n. 6 addatur: « Ad haec promovenda absolute necessaria est intima coadunatio omnium rectorum seminarii, eorumque cum discipulis coniunctio; ita ut seminarium sit velut familia in vera caritate unita ».

Optandum est ut hic resumatur quod in supplemento I schematis, pag. 31 legebatur: « Praecipua rectoris cura sit ut in seminario vita spiritualis potissimam partem habeat et cetera ita ordinentur ut in eius fastigium componatur. Haec vera institutio assiduam moderatoris spiritus operam postulat qui, sive unus sit in seminario, sive plures sint, servata semper spiritualis directionis unitate, singulos alumnos cognoscere et efficaciter curare debet ».

Optandum est etiam hic resumere quod pag. 27 eiusdem documenti legitur: « Per ministerium Rectoris et spiritualis rectoris illi qui supernum vocationis donum acceperunt et in quibus spem suam collocat Ecclesia, monentur ut huic singulari Dei gratiae libere et magno animo respondeant, sibi persuasum habentes rem Deo gratissimam ac proprio totiusque Ecclesiae bono utilissimam se facturos esse ».

Pag. 15. In finem n. 9 ponatur id quod in praecedenti forma schematis legitur: « Huius futurae missionis luce tota seminarii ratio perfundatur oportet, ac praesertim discendi ardor, silentii custodia et vitae interioris amor, suique abnegandi exercitium ».

Pag. 16. In medio n. 11 post « operam addiscant », addatur quod in pristina forma textus exstat: « Necessaria a mundi separatio congruam cum familia consuetudinem ac prudentem rerum humanarum experientiam ne excludat, ita ut homines ad quos mittendi sunt, convenienter cognoscant ».

Pag. 16, ad finem n. 11 addatur: « Ne artificiose seminarium segregetur a propria dioecesi, sed in contactu maneat cum sacerdotibus in sacro ministerio servientes et cum laicis qui sunt etiam de " Populo Dei " cui futuri sacerdotes destinantur ».

Pag. 19, n. 19, lin. 4 legatur: « Ut alumni *spiritu vere missionario imbuti,* diligenter...

12

EXC.MUS P. D. AEMILIUS BENAVENT ESCUIN
Episcopus tit. Cercinitanus, Coad. s. d. Malacitanus

Venerabiles Patres,

Multa et praeclara iam dicta sunt a multis Patris, quibus toto corde adhaereo, circa maturitatem, obiectivam cognitionem mundi huius temporis et spiritum *pastoralem,*[1] ut scopum institutionis sacerdotalis.

Ideoque, tantum aliqua *breviter,*[2] ad modum conclusionum, mihi *addere*[3] liceat.

Ad maturitatem assequendam, oporteret:

1. Ut in seminariis non nimis arceantur alumni a sua vita familiari et a iuvenili mundo normali inter laicos, nullo modo exclusis servitiis socialibus etiam onerosis.

2. Ordinatio sacerdotalis ipsis non conferatur nisi saltem duobus annis post expletum curriculum theologicum. His vero annis, alumni, iam diaconi, ...[4] apostolatui vacent cum aliis sacerdotibus, cum quibus in communi vitam agant.

Ad vitalem cognitionem mundi huius temporis, peropportunum esset:

1. *Saltem*[5] tempore vacationum seminaristas inter pauperes convivere et eos iuvare ut et ipsi seipsos iuvent ad propria problemata solvenda.

2. Candidatos ad sacerdotium accurate instrui, iuxta vehementer optatum a Ioanne XXIII, sanctae memoriae, in Encyclica *Mater et Magistra,* in doctrina sociali Ecclesiae quae non est nisi Evangelii lucis proiectio ad nostri temporis quaestiones.

Tandem, ad verum spiritum pastoralem obtinendum, meo iudicio, multum iuvaret statuere: Novum Testamentum semper prae oculis haberi debere ab illis qui ad sacerdotium efformantur a primis annis ut

materia studii, lectionis, reflexionis et orationis; et in cursu theologico etiam ut obiectum praedicationis. Ita ut homiletica veluti cardinalis materia habeatur, versus quam omnes aliae dirigantur et ordinentur.

Argumentatio et rationes, quibus hae paucae ac modestae conclusiones nituntur, scriptis tradam secretariae generali Concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] missionarium. [2] deest. [3] urgere. [4] alicui. [5] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Raphael, arch. Granada; Raphael, aux. Valencia; J. Flores, ep. Barbastrensis; Antonius, ep. Gadicensis et Septensis; Ioannes Petrus, ep. Placentinus in Hispania; A. Quintanilla, ep. Kweiteh; Ioseph, ep. tit. Drusilianensis; Raphael, ep. Guadix; Alfonsus, ep. Almeria; Felix, ep. Giennensis; J. Guerra, ep. tit. Muzia; M. Menéndez, ep. San Martin; R. Kérautret, ep. tit. Areopoli; M. Vial, ep. Nevers; S. Desmazières, aux. Bordeaux; A. Atton, ep. Langres; J. de Cambourg, aux. Bourges; R. Boudon, ep. Mende; A. Collini, coad. Ajaccio; M. Darmancier, vic. ap. Wallis and Futuna; L. Julliard, vic. ap. New Hebrides; P. Martin, vic. ap. Nouvelle Calédonie; H. Varin de la Brunelière, ep. Port de France; A. Bréheret, ep. Cahors; A. Fougerat, ep. Grenoble; J. Mouisset, ep. Nice; J. Guilhem, ep. Laval; G. Leuliet, ep. Amiens; G. de Milleville, arch. tit. Gabala; L. Rastouil, ep. Limoges; G. Riobé, ep. Orléans; J. Patria, aux. Beauvais; A. Gand, coad. Lille; P. Gouyon, arch. Rennes; P. Vincent, ep. Bayonne; J. Urtasun, arch. Avignon; G. Huyghe, ep. Arras; J. Dozolme, ep. Le Puy; P. Piérard, ep. Châlons; H. Wittler, ep. Osnabrück; J. Gargitter, ep. Bolzano-Bressanone; P. Tenreiro, ep. Guanare; J. Castro, ep. San Felipe; B. Schräder, aux. Osnabrück.

Animadversiones additae:

Aequum non esset ignorare seminaria fuisse efficaces institutiones ad educationem.

In Hispania, et ubique, patentes sunt fructus. Permulti enim sunt sacerdotes maturioris aetatis vere exemplares. Clerusque iuvenis est, ab aliquibus iam abhinc annis, unus ex coetibus socialibus qui meliori ac velociori modo fecit in omnibus progressus.

Evidens tamen est traditionales methodos ad sacerdotes efformandos penitus et urgenter recognoscendos esse.

Schema nostrum valiosa et non pauca affert elementa ad necessariam renovationem; sed insufficientia et diffuso modo.

Potius quam normae generales (quae difficillime deducentur in praxi propter adiunctorum diversitatem), oporteret ut schema, ab initio et perspicuo modo, scopos universales in efformatione sacerdotali assequendos proponeret, i. e., metas necessarias sacerdotalis efformationis omnibus in adiunctis.

Et adhuc melius esset si, dum metas statuit, aliquas etiam vias traderet, iuxta hodiernam psychologiam, ac paedagogiam, ut efficaciter illae consequerentur. Ita vero ut episcopis semper sit sufficiens libertas ad probanda media concreta ut efficaciora retineant.

Nunc autem: dicti scopi, seu metae, omnis efformationis sacerdotalis qui in

schema extolli deberent, sunt, meo iudicio, *a*) personalis maturitas; *b*) mundi et rerum ambientium vera cognitio; *c*) spiritus pastoralis et missionarius.

A) *Personalis maturitas.* Omnino necessaria est sacerdoti, tam ut fidelis semper sit suis obligationibus quam ut possit homines apostolice lucrari Christo.

Personalitas enim adhuc iuvenilis et hypersensibilis et instabilis producit angustias et deordinatas reactiones, quae infidelitati et inconsequentiae ansam praebere possunt.

Alia ex parte, influxus mundi rerumque ambientium, earum maxime quae a mediis diffusionis communicantur, quae veram personalitatem destruunt et homines in « massam » convertunt, profundius penetrant in hominibus immaturis qui ita labiles sunt ut non solum non influunt sed potius alienis influxibus cedunt.

Sacerdos autem debet esse homo et talis personalitatis ut alios iuvet ad hoc ut vere homines sint immo et christiani homines.

Ad hanc autem maturitatem adipiscendam nihil aptius quam propria familia. Bonum est partem habere in difficultatibus et in conatibus familiaribus, quae omnibus hominibus communes sunt.

E contra, conveniens non est a reali vita alienum esse et sine ulla responsabilitate vivere.

Oporteret, ergo, ut in seminariis non nimis arceantur candidati ad sacerdotium a sua vita familiari et a iuvenili mundo normali inter laicos. Episcoporum autem erit efformationem sacerdotalem statuere modo magis familiari qui possibilis sit.

B) Quod attinet ad obiectivam cognitionem, insufficiens videtur, quod in n. 15 schematis proponitur.

Non sufficit enim referentia quaedam, necessario summaria, Philosophiae vigentis uniuscuiusque regionis. Mens enim positiva et technica hominum hodierni temporis systematicis propositionibus non facile percipitur.

Periculosae, ergo, possunt esse syntheses. Cum enim perspiciatur earum inadaequatio cum reali vita, quam facillime possunt desillusionis reactiones suscitare.

Problemata propria rerum ambientium ab hominibus, qui iis afficiuntur, manifestantur.

Edocendum ergo est ut audiantur et simul comprehendantur; ii, praesertim, qui lugent et ii qui meliori ratione conscii sunt propriae responsabilitatis; non ita qui verbis nimis abundant multoque minus qui ad proprium commodum sive litterarie sive politice problemata trahunt.

Principia Philosophiae perennis, cum exclusione inutilium quaestionum quae in scholis discutiuntur, si progressive tradentur, conformiter ad maturitatem intellectualem alumnorum, utilia abs dubio erunt.

Maxime autem assimilatio doctrinae pontificiae, quae non est nisi Evangelicae lucis proiectio ad nostri temporis problemata.

Immo vero, ut parentur ad exaudiendos homines, peropportunum esset ut candidati ad sacerdotium (tempore scholarum vacationum), per aliquot tempus inter pauperes conviverent iisdemque operam praestare ut et ipsi seipsos superare et propria problemata solvere possint.

C) Efformatio sacerdotalis debet, ut praecipuum eius finem, spiritum vere pastoralem et missionarium tradere et quidem verum, constantem, abnegatum, ardentem.

Hic autem spiritus de amore Christi oritur et Eius missionis evangelizatricis, quam sacerdos inter homines prosequi debet.

Relate ad hunc spiritum, optima tradunt propositiones schematis.

Existimo, vero, necessarium adhuc esse magis magisque insistere in Evangelii reflexiva ac vitali lectione et in profunda ac conscia erga Eucharistiam devotione. Ambo enim sunt nutrimentum praecipuum illius amoris Christi qui fons est spiritus missionarii.

Novum testamentum semper prae manibus habere debent qui ad sacerdotium efformantur. A primis annis, ut materia studii, lectionis, reflexionis et orationis. Cum autem ad cursum theologicum adeunt, tamquam obiectum praedicationis.

Ideo homiletica considerari oporteret veluti cardinalis materia versus quam omnes aliae diriguntur et ordinantur. Et non tantum theoretice sed practice. Sacerdos, enim, ante omnia, minister est verbi. Sicut et minister Sacrificii. Hac de causa, tota eius vita posita esse debet, tamquam in centro, in Evangelio et in Eucharistia. Usque dum perfecta assimilatio spiritus Christi consequatur.

Assimilatio personalis tam authentica ut idealia, criteria habitualia, intimae reactiones futuri sacerdotis eadem sint ac Christi.

In seminariis enim discendus est Christus. Illum discere ut sacerdos dicere possit « mihi vivere Christus est »... Et illum vivere ut vita Iesu, eiusque Evangelium et salus, hominibus manifestentur.

Moderator: Venerabiles Patres, Moderatoribus visum est iam quaerere a vobis utrum placeat finem imponere disceptationi circa schema propositionum « de institutione sacerdotali ».

Patres quibus placet ut finis imponatur velint surgere et manere stantes; quibus vero non placet velint manere sedentes in suis locis.

[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Audite, Patres! Plures Patres petierunt qua ratione imitari valerent exemplum Summi Pontificis, qui suam tiaram egenis et pauperibus summa magnanimitate donavit.

Re mature examinata, visum est congruentius atque opportunius provideri posse pauperum necessitatibus offerendo Sancto Patri pecuniae summam. Id iam a Sacro Cardinalium Collegio egregie factum est; factum pariter est ab exc.mis secretariis Concilii. Patres qui volunt suas oblationes facere, directe ad Secretariam Status eas remittant.

Cum iam exacta sit disceptatio circa schema de institutione sacerdotali, crastina fiet suffragatio praeliminaris, quam bene novimus. Quodsi haec suffragatio fuerit positiva, statim procedetur ad suffragationes singulas.

Uti scitis, suffragatio praeliminaris est per *placet* et *non placet.* Suffragationes vero supra singulis articulis erunt per triplicem formulam: *placet, non placet* et *placet iuxta modum.*

Indicatur iam hodie ordo suffragationum singularum; semper si fuerit positiva suffragatio praeliminaris, in hypothesi, igitur:

1ª erit circa Prooemium et n. 1.

2[a] super nn. 2 et 3.
3[a] super nn. 4, 5, 6, 7.
4[a] super nn. 8, 9, 10, 11, 12.
5[a] erit super nn. 13, 14, 15.
6[a] super nn. 16, 17, 18.
7[a] et ultima erit super nn. 19, 20, 21, 22.

Fient crastina et etiam in congregatione generali feriae IV.

Nunc audiatis nomina vel — melius — ordinem episcopatus qui a Sanctissimo Domino coram admittentur crastina, scil. feria III, hora 19.

Sunt episcopatus: ex Argentina, ex Bolivia, ex Cile, ex Aequatore, ex Guyana, Paraguay, Perù, Uruguay, Venezuela.

Eodem die, scil. crastina, sed hora 17, Summus Pontifex coram admittet episcopatus ex Mexico, Colombia, Costa Rica, El Salvador, Guatemala, Honduras, Isola Curaçao, Nicaragua, Panama, Portorico, Santo Domingo, Haïti et ex reliquis Insulis Antillarum.

Et denique ... — vere raucae factae sunt fauces meae hodie, Patres venerabiles! — communico vobis exitum suffragationum peractarum mane.

VII Suffragatio:

Praesentes votantes	2.122
Dixerunt *placet*	1.833
non placet	63
placet iuxta modum	226

Ergo textus est approbatus a congregatione generali, sed Modi examinabuntur, ut iam scitis.

VIII Suffragatio:

Praesentes votantes	2.117
Dixerunt *placet*	1.936
non placet	50
placet iuxta modum	131

Etiam hic textus placuit congregationi generali.

IX Suffragatio et ultima:

Inter Patres	2.112
Dixerunt *placet*	1.639
non placet	50
placet iuxta modum	419
Vota nulla	4

Etiam hic textus placuit, sed modi examinabuntur.

Denique, Patres venerabiles, iam moderatores dispensaverunt Patres a congregationibus vespertinis, sed, si necesse erit, congregatio matutina, his diebus, protrahetur usque ad horam decimam tertiam. Hoc iam scitote. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXXIV

17 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXIV

17 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 124 moderabitur em.mus ac rev.mus P. D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Vobis, Patribus, distribuuntur nunc, in primis Intimatio pro sessione publica ubi omnes notitiae haberi possunt circa coeremoniam sabbati proximi. Nam aliqui Patres explicationes aliquas quaesierunt; responsum possunt habere legendo attente hanc intimationem. Deinde typis impressae dantur notificationes quas heri ex hoc ambone ego feci. Et distribuitur etiam fasciculus continens schema declarationis « de libertate religiosa, seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa » de quo schemate fiet suffragatio iuxta modum, quem in hac congregatione postea indicabo, feria quinta proxima.

Ordo agendorum in hac congregatione hic est. Fient suffragationes tres circa schema *de Ecclesia,* vel melius circa modos respicientes capita schematis *de Ecclesia.* Deinde fiet suffragatio praeliminaris quoad schema « de institutione sacerdotali » et si exitus fuerit positivus, procedetur ad singulas suffragationes de eodem schemate, quoad tempus permittet. Postea suffragationes hae prosequentur in congregatione crastina. Interea prosequetur disceptatio, in primis *de institutione sacerdotali,* circa quam adhuc petierunt loqui, nomine 70 virorum, tres Patres. Postea transitus fiet ad discutiendam declarationem *de educatione christiana.*

Antequam finis imponatur disceptationi *de institutione sacerdotali,* aliquis parochus, nomine suorum collegarum, ad Patres conciliares verba faciet.

Lego nunc ergo nomina eorum qui loqui in hac hodierna congregatione generali postulaverunt: circa schema *de institutione sacerdotali,* nomine 70 loqui postulaverunt: exc.mi DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Ioseph Maria Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania.

Circa schema *de educatione christiana* loqui postulaverunt, postquam lecta fuerit praescripta relatio, em.mi DD. cardd. Franciscus

Spellman, arch. Neo-Eboracen. in Stat. Foeder. Americae Septemtr., et Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foeder. Americae Septemtr.

Deinde (*nomine plurium*) exc.mi DD. Leo Elchinger, ep. coad. Argentinen. in Gallia; Paulus Gouyon, arch. Rhedonen. in Gallia; Ioannes Cody, arch. adm. ap. Novae Aureliae in Stat. Foeder. Americae Septemtr.; Iacobus Malone, ep. aux. Youngstonien. in Stat. Foeder. Americae Septemtr.; Arturus Rivera, ep. aux. S. Salvatoris in San Salvador; Lucas Olu Nwaezeapu, ep. Warrien. in Nigeria; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracen. in Venezuela; Georgius Beck, arch. Liverpolitan. in Anglia; Nicolaus Schneiders, arch. Makassaren. in Indonesia; Hoa Hien, ep. Dalaten. in Vietnam; Paulus Muñoz-Vega, ep. coad. Quiten. in Aequatore; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranen. in Germania; Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurten. in Nigeria; Antonius Abed, arch. Tripolitan. Maronitarum in Libano; Antonius Nwedo, ep. Umuahiaen. in Nigeria; Ioseph Dammert, ep. Cajamarcen. in Peruvia; Benignus Chiriboga, ep. Latacungen. in Aequatore.

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

III

CAPUT III

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE ET IN SPECIE DE EPISCOPATU

[3] RELATIO GENERALIS *

A die 21 septembris usque ad diem 29 septembris 1964 factae sunt suffragationes in aula de capite III schematis *de Ecclesia,* secundum ordinem statutum in fasciculo « *Quaesitum circa modum suffragandi schema constitutionis De Ecclesia* ». Exitus autem fuit sequens.

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXXII, die 14 novembris 1964.

	Num. votantium	*Placet*	*Non placet*	*Vota nulla*	[3]
N. 18 Suffr. 1ª	2200	2166	53	1	
N. 19 Suffr. 2ª	2206	2012	191	3	
N. 19-20 Suffr. 3ª	2221	2103	106	2	
N. 20 Suffr. 4ª	2207	2091	115	1	
N. 20 Suffr. 5ª	2248	2198	50	0	
N. 21 Suffr. 6ª	2246	2201	44	1	
N. 21 Suffr. 7ª	2240	2117	123	0	
N. 21 Suffr. 8ª	2247	1917	328	2	
N. 21 Suffr. 9ª	2243	2085	156	2	
N. 22 Suffr. 10ª	2243	1918	322	3	
N. 22 Suffr. 11ª	2213	1898	313	2	
N. 22 Suffr. 12ª	2201	2114	90	1	
N. 22 Suffr. 13ª	2224	1927	292	5	
N. 22 Suffr. 14ª	2254	1943	307	4	
N. 22 Suffr. 15ª	2251	2096	152	3	
N. 22 Suffr. 16ª	2245	2114	127	4	
N. 22 Suffr. 17ª	2214	2006	204	4	
N. 23 Suffr. 18ª	2220	2163	56	1	
N. 23 Suffr. 19ª	2226	2162	64	0	
N. 23 Suffr. 20ª	2228	2205	23	0	
N. 23 Suffr. 21ª	2226	2147	77	2	
N. 24 Suffr. 22ª	2225	2189	35	1	
N. 24 Suffr. 23ª	2221	2177	43	1	
N. 25 Suffr. 24ª	2203	2152	51	0	
N. 25 Suffr. 25ª	2198	2134	63	1	
N. 25 Suffr. 26ª	2192	2159	32	1	
N. 25 Suffr. 27ª	2187	2140	46	1	
N. 25 Suffr. 28ª	2187	2139	46	2	
N. 25 Suffr. 29ª	2180	2155	25	0	
N. 26 Suffr. 30ª	2162	2139	21	2	
N. 27 Suffr. 31ª	2176	2088	86	2	
N. 27 Suffr. 32ª	2169	2155	14	0	
N. 28 Suffr. 33ª	2164	2125	38	1	
N. 28 Suffr. 34ª	2168	2157	11	0	
N. 29 Suffr. 35ª	2152	2055	94	3	
N. 29 Suffr. 36ª	2148	1903	242	3	
N. 29 Suffr. 37ª	2228	1523	702	3	
N. 29 Suffr. 38ª	2229	1598	629	2	[4]
N. 29 Suffr. 39ª	2211	839	1364	8	

[4] Omnes igitur partes capitis III a Congregatione generali approbatae sunt, praeter membrum phraseos, in suffragatione 39[a]: « (diaconatus permanens conferri potest) iuvenibus idoneis quibus non imponitur lex caelibatus ».

Exinde textus approbatus, inde a suffragatione 38[a] ita legendus est (cf. Schema *De Ecclesia,* pag. 75; Relatio, ib., pag. 107; Quaesitum, pag. 28):

« De consensu Romani Pontificis, hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit, necnon iuvenibus, idoneis, pro quibus tamen lex caelibatus firma remanere debet ».

Die autem 30 septembris 1964 facta est suffragatio de integro capite, et quidem, de consensu Congregationis generalis, per duas partes, quarum *prima* respicit numeros 18-23, id est suffragationes 1-21; *altera* vero numeros 24-29, id est suffragationes 22-39, cum supradicta modificatione de diaconis. Exitus autem fuit sequens:

	Praesentes votantes	*Placet*	*Non placet*	*Placet iuxta modum*	*Vota nulla*
Prima pars:	2242	1624	42	572	4
Altera pars:	2240	1704	53	481	2

Integrum itaque caput cum omnibus suis partibus a Congregatione generali approbatum est. *Modi* autem propositi imprimis examinati sunt in Subcommissione, praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis delegato, a Secretariis Commissionis una cum Em.mo Koenig, pro numeris 18-21 (Suffr. 1-9), Exc.mo Parente, pro numeris 22-27 (Suffr. 10-32), Exc.mo Roy et Henriquez, pro numeris 28-29 (Suffr. 33-39), utpote qui in respectivis Subcommissionibus praesides vel relatores fuerunt. Etiam Exc.mus Franić invitatus fuit.

Plures Patres proponunt in *Modis* suis *considerationes generales,* quas hic summatim referimus.

a) Sex Patres dicunt *totum caput esse retractandum,* quia plura elementa ibi contenta, propter obscuritatem aliasve rationes, non conveniunt. Alii tres volunt ut omnia *quae de collegialitate dicuntur auferantur,* dum rursus tres ideam ad solam caritatis sollicitudinem reducere volunt. Quae propositiones cum normis generalibus non concordant.

b) Septem Patres postulant ut in capite quod de Episcopis agit, vitentur *declarationes nimis frequentes de Romano Pontifice.*

Quatuor Patres insuper loco « Romani Pontificis » suggerunt expressionem « Successor Petri » vel aliam aequivalentem. De qua propositione statuendum est in singulis textibus particularibus.

c) Septem Patres inserere vellent declarationem de *Praelatis nullius* et *Abbatibus*; immo unus loqui vult de *sacristis*. Haec autem ad declarationem doctrinalem generalem non spectant. [4]

d) Plures Patres, nempe 13, volunt ut Concilium declaret se quaestiones controversas *dirimere non velle*. E contra unus alius requirit proprie dictam « *definitionem* ». De quibus dicetur in Relatione de particularibus. [5]

NOTA EXPLICATIVA PRAEVIA

Cf. pag. 11-13.

RELATIO DE PARTICULARIBUS [7]

AD NUMERUM 18

SUFFRAGATIO 1[a]

1 — Pag. 59, lin. 2-3: Obiicitur contra expressionem « ad Populum Dei pascendum *semperque augendum* », quod Ecclesia non necessario semper augetur.

R. — In textu non agitur *de facto* continui augmenti Populi Dei, sed *de finalitate* institutionis variorum ministeriorum a Christo. Propterea textus servatur.

2 — Pag. 59, lin. 8-10: Proponitur in fine additio: « et alii nondum credentes *ad fidem adducantur* ».

R. — Res iam affirmatur in textu, ut ex responsione ad Modum 1 patet. Ideo nihil addendum.

3 — Pag. 59, lin. 12: Deleatur « *solemniter* cum eo docet... ».

R. — Scribatur: « *docet et declarat* », secundum verba Vaticani I. Denz. 1822: « Docemus itaque et declaramus... ».

4 — Pag. 59, lin. 16: loco « quorum successores Episcopos », scribatur « successores *qui Episcopi dicuntur* ».

R. — Scribatur: « quorum successores, *videlicet* Episcopos ».

5 — Pag. 59, lin. 20: Expressio « *in ipso* » est ambigua, quia potest referri tum ad *Episcopatum* (lin. 18), tum ad *Petrum* (lin. 19).

R. — Ad tollendam ambiguitatem, dicatur: « beatum Petrum ceteris Apostolis praepo*suit,* in ipso*que* instituit... fundamentum ».

6 — Pag. 59, lin. 24: Loco « vi ac ratione sacri *Apostolici primatus* », scribatur: « vi ac ratione *Petri successoris* primatus », vel « sacri Apostolici primatus, *qui in Romano Pontifice subsistit* », vel adhibeatur formula aequivalens.

[7] R. — Scribatur: « vi ac ratione sacri primatus *Romani Pontificis deque eius* infallibili Magisterio ».

[8] 7 — Pag. 59, lin. 26: Expressio: « doctrinam (Vaticani I) ... *suam facit* » caret elegantia, et ita sonat ac si Ecclesia hoc hucusque nondum fecisset.

R. — Deleantur verba: « *suam facit eamque* », utpote non necessaria.

8 — Pag. 59, lin. 29: Plures Patres scribere volunt: « *sub* », vel «*sub et cum* successore Petri ».

R. — Satis provisum passim in textu Capitis III.

9 — Pag. 59, lin. 30: Quidam Patres scribere volunt: « successore Petri, *primo* Christi Vicario »; vel « *eminenter* Vicario Christi », vel addere volunt: « *Coryphaeo* et ».

R. — Quia sub n. 27, pag. 71, lin. 3 etiam Episcopi vocantur *Vicarii Christi,* titulus pro Romano Pontifice evidenter modo eminenti intelligitur. Titulus « *Coryphaeus* », ne in Oriente quidem, est titulus ordinarius pro *successore* Petri. Unde in textu nihil immutandum.

10 — Pag. 60, lin. 3: in fine numeri, circa 160 Patres addere volunt declarationem de *qualificatione theologica,* ita ut dicatur Concilium non intendere quaestionem inter theologos controversas dirimere. Alius Pater, e contra, positivo modo declarare vult, expositionem de Episcopis, successoribus Apostolorum, tanquam ad doctrinam catholicam pertinentem a Concilio proponi.

R. — Ut de se patet, textus Concilii semper secundum regulas generales, ab omnibus cognitas, interpretandus est. Qua occasione Commissio Doctrinalis remittit ad suam Declarationem 6 martii 1964, cuius textum hic transcribimus:

« Ratione habita moris conciliaris ac praesentis Concilii finis pastoralis, haec S. Synodus ea tantum de rebus fidei vel morum ab Ecclesia tenenda definit, quae ut talia aperte ipsa declaraverit.

« Cetera autem, quae S. Synodus proponit, utpote Supremi Ecclesiae Magisterii doctrinam, omnes ac singuli christifideles excipere et amplecti debent iuxta ipsius S. Synodi mentem, quae sive ex subiecta materia sive ex dicendi ratione innotescit, secundum normas theologicae interpretationis ».

AD NUMERUM 19 [9]

SUFFRAGATIO 2ª

11 — Pag. 60, lin. 12: Proponit unus Pater ut post « ut essent cum Illo », addatur: « *et essent testes vitae et resurrectionis eius* ».

R. — Additio non est necessaria.

12 — Pag. 60, lin. 14: Loco expressionis: « *ad modum collegii* instituit », 99 Patres proponunt ut dicatur: « ad modum *coetus stabilis* instituit », dum 152, e contra, proponunt: « ad modum collegii *seu coetus stabilis* instituit ». 10 Patres suggerunt formulam: « ad modum *cuiusdam* collegii », dum 9 alii diversas variantes minores eiusdem formulae inducere vellent. 10 denique Patres formulam ipsam delendam esse aestimant.

R. — Secundum illa quae dicuntur in Relatione, pag. 81, C, scribatur: « ad modum collegii *seu coetus stabilis* instituit ».

13 — Pag. 60, lin. 15: Proponunt 3 Patres ut in formula « cui *ex iisdem electum* Petrum praefecit », verba « ex iisdem electum » deleantur.

R. — Modus loquendi congruit cum modo loquendi Vaticani I (cf. DENZ. 1821: « beatum Petrum *ceteris* Apostolis praeponens »); non dicit, ut supponere videntur Patres, « ex eodem (collegio) electum », sed « ex iisdem (apostolis) electum ». Ceteroquin ita loquendo sequimur ordinem narrationis evangelicae.

14 — Pag. 60, linn. 16-17: Dicatur: « eos ad filios Israel primum et *deinde* ad omnes gentes misit ».

R. — Modus dicendi noster fideliter sequitur textum Rom. 1, 16.

15 — Pag. 60, lin. 18: Plures Patres dolent quod post verba: « ut suae participes potestatis », ablata sint verba: « *summi Prophetae, Sacerdotis et Pastoris* » quae occurrebant in priori textus forma, et quae continent fundamentum christologicum triplicis potestatis episcopalis, de qua in sequentibus sermo fit.

R. — Textus tamen clare loquitur de participatione potestatis *ipsius Christi,* etsi, in suo tenore praesenti, ulteriorem specificationem de *triplici forma* huius potestatis non explicite indicat, ne phrasis, iam satis longa, nimis oneretur. Ceteroquin providetur in n. 21, pag. 63, lin. 9, ubi enumerantur tria munera.

16 — Pag. 60, linn. 22-23: Loco « eamque sub ductu Domini mini- [10]
strando pascerent », dicatur: « eamque sub ductu *Petri* », vel « eamque sub ductu Domini *eiusque visibilis Vicarii* ».

R. — Et Apostoli et Petrus in suo ministerio agunt nomine *Christi,* quae intentio christologica textus omnino servanda est.

[10] 17 — Pag. 60, lin. 25: Proponit unus Pater, in fine lin. 24, post verba « ad consummationem saeculi », additionem: « Praeter Apostolos ... alii magistri non sunt ».

R. — Additio videtur superflua.

SUFFRAGATIO 3ª

18 — Pag. 60, linn. 34-36: Loco: « quam Dominus in Apostolis condidit et supra beatum Petrum, eorum principem, aedificavit », 24 Patres volunt legere: « quam Dominus *supra Petrum aedificaverat et Apostolis sub ipso ubique terrarum exstruendam commiserat* ». Ratio est quia secus textus affirmare videtur Ecclesiam prius super Apostolos et deinde super Petrum esse fundatam.

R. — Locutio haec a Commissione *consulto* deprompta est e liturgia. Ordo, quem sequitur textus liturgicus, est ascensivus: Apostoli, Petrus, Christus.

19 — Pag. 60, lin. 34: Proponunt 2 Patres ut in formula « quam Dominus in Apostolis condidit », *deleantur verba*: « in Apostolis condidit et ».

R. — Iam provisum in responsione ad Modum 18.

20 — Pag. 60, lin. 34: Proponit unus Pater ut in formula « quam Dominus in Apostolis condidit », addatur « Iesus » post « Dominus ».

R. — Additio non est necessaria: deest ceteroquin in textu liturgico citato.

AD NUMERUM 20

21 — Pag. 61, linn. 15-19: 5 Patres proponunt ut, in citatione textus Epist. S. Clementis, *Ad Cor.* 44, 2, « ut cum decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent », scribatur: « *suum* » loco « eorum », quia haec translatio magis corresponderet textui graeco.

[11] R. — Textus graecus sic se habet: « Dia tautèn oun tèn aitian prognôsin eilèphotes teleian katestèsan tous proerèmenous kai metaxu epinomèn dedôkasin, opôs, ean koimèthôsin, diadexônthai eteroi dedokimasmenoi andres tèn leitourgian autôn ». Grammaticaliter sane versio « suum » possibilis est. Quia tamen haec interpretatio, quae successioni apostolicae magis favet, non ab omnibus eruditis admittitur, maluit Commissio impraecisionem textus intactam relinquere.

SUFFRAGATIO 4ª [11]

22 — Pag. 61, lin. 35: Loco textus: « Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro *ut primo Apostolorum concessum* et successoribus eius transmittendum », 99 Patres proponunt ut dicatur: « Sicuti ... singulariter Petro *ut suo Vicario* », 157 vero: « *ut suo Vicario et fundamento Ecclesiae* », 6 adhuc, « *ut principi Apostolorum* », vel aliquid huiusmodi (v. gr. « *ut omnium christianorum Capiti visibili* »), 15 demum ut textus *simpliciter deleatur*. 35 alii Patres affirmant textum eis non placere, quin dicant quomodo sit emendandus.

R. — Difficultas longe maioris partis horum Patrum videtur provenire ex appositione « Petro *ut* primo Apostolorum »; proponitur ergo ut particula « *ut* » simpliciter deleatur et scribatur: « Sicut autem munus singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum et successoribus eius transmittendum ».

SUFFRAGATIO 5ª

23 — Pag. 61, linn. 39-41: Proponunt 3 Patres ut post primum membrum phraseos: « Proinde docet Sacra Synodus Episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse », dicatur: « quatenus et quamdiu pertinent ad ordinem Episcoporum ».

R. — Res patet ex sese; ergo additio est inutilis.

24 — Pag. 62, lin. 1: Proponunt plures Patres ut loco « tamquam *Ecclesiae* pastores », dicatur: « tamquam *fidelium* pastores ».

R. — Haec mutatio posset admitti, sed non est necessaria. Stet igitur textus.

AD NUMERUM 21 [12]

SUFFRAGATIO 6ª

25 — Pag. 62, lin. 7: Unus Pater proponit ut loco « *adest* » dicatur « *operatur* », ne episcopi nimis identificentur cum Christo.

R. — Textus schematis fere ad litteram e S. Leone Magno desumitur. Ergo stet textus.

26 — Pag. 62, lin. 11: Deleatur verbum « *eximium* », quod, in contextu, saperet laudem propriam.

R. — Verbum *consulto* appositum est, non ut persona Episcopi sed ut eius munus extollatur.

27 — Pag. 62, lin. 12: Proponitur ut post verba « per eorum eximium servitium verbum Dei », addatur: « *primo in territorio indicato a Summo Pontifice, deinde* omnibus gentibus praedicat ».

[12] R. — Tales determinationes hic necessariae non sunt.

28 — Pag. 62, lin. 13: Proponitur ut post verbum « praedicat », addatur: « *operante Spiritu Sancto* ».

R. — Hoc in textu subauditur et alibi pluries dicitur (v. gr. sub num. 24).

29 — Pag. 62, linn. 16-17: Loco « *sapientia et prudentia* » dicatur: « *monitis et exemplis* ».

R. — Verba *consulto* apposita sunt, ad describendas *qualitates,* non actiones, quae ex parte Episcoporum *requiruntur.*

SUFFRAGATIO 7ª

30 — Pag. 62, lin. 28: Proponit unus Pater ut *deleatur citatio Act. 1, 8,* utpote iam adhibita.

R. — Referentia hic certo iustificatur ex contextu.

31 — Pag. 62, lin. 32: Proponunt 4 Patres ut loco: « quod usque ad nos *in episcopali consecratione* transmissum est », dicatur: « quod usque ad nos in *sacramento Ordinis* transmissum est ».

R. — « Sacramentum ordinis » posset accipi de ordinatione presbyterali. Concilium Tridentinum ceteroquin dicit « per sacram ordinationem »; stet ergo textus.

[13] 32 — Pag. 62, linn. 33-38: Unus Pater reprobat phrasim: « Docet autem Sancta Synodus ... sacri ministerii summa nuncupatur », dum alius rogat ut simpliciter deleatur.

R. — Esset notabilis expunctio, quae admitti non potest.

33 — Pag. 62, lin. 33: Duo Patres proponunt ut deleantur verba: « *Docet Sacra Synodus* » et dicatur simpliciter: « Episcopali consecratione confertur »; duo volunt ut eis substituatur alia formula, nempe: « *Antiquissima Traditio Ecclesiae* docet »; alius vero ut roborentur verba per additionem: « Docet Sacra Synodus, *ut doctrinam catholicam in Ecclesia tenendam...* ».

R. — Difficultates horum Patrum respiciunt qualificationem theologicam doctrinae propositae; iamvero huic difficultati iam provisum est in responso ad modum 10. Propositiones ceteroquin contradictoriae sunt. Stet ergo textus.

34 — Pag. 62, linn. 33 ss.: 133 Patres, qui considerant episcopalem consecrationem tanquam *supremum complementum* sacramenti Ordinis, sequentem textus immutationem proponunt: « Docet autem Sancta Synodus episcopa*lem* consecratio*nem ad Sacramentum Ordinis, ut supremum eius complementum, pertinere* ». 3 alii Patres quasdam huius formulae variantes proponunt, loquen-

do de Episcopatu tanquam de « *perfectiore participatione* Sacramenti Ordinis », vel tanquam de « *ministerii Christi summa* ». Unus tandem consecrationem episcopalem ad Sacramentum ordinis pertinere dicit, « *ut eiusdem complementum ac plenitudinem* ». [13]

R. — Mutatio proposita ipsum *sacerdotium* ut plenitudinem Sacramenti Ordinis considerat, cuius complementum esset *episcopalis consecratio*. Quae conceptio ergo differt ab ea quae in textu supponitur, quippe quae sacerdotium ut participationem, in suo gradu, plenitudinis episcopalis considerat. Episcopatus ceteroquin in pluribus textibus liturgicis *sacerdotii plenitudo* dicitur. Stet ergo textus.

35 — Pag. 62, post lin. 38: Duo Patres petunt ut textus attendat ad casum illius qui, etsi nondum Episcopus est, in Romanum Pontificem eligeretur. Quaenam est eius potestas ante eius consecrationem?

R. — Textus, qui est ordinis generalis, casum tam particularem non considerat. In hoc casu sui generis Electus, inde a sua acceptatione, immediate a Deo fit caput Ecclesiae, et in eo supponitur saltem voluntas accipiendi consecrationem. Ulteriores determinationes pertinent ad explicationem theologicam.

SUFFRAGATIO 8ª [14]

36 — Pag. 62, lin. 38 - Pag. 63, lin. 1: Totus textus suffragationis huius *deleatur* (18 Patres) vel per omnino alium substituatur (2 Patres).

R. — Propositio decisioni Congregationis Generalis contradicit.

37 — Pag. 62, lin. 38 ss.: Unus Pater petit ut explicitius indicentur distinctiones et *ulteriores specificationes* de diversis muneribus, de validitate ac liceitate, etc.

R. — In textu non praebetur nisi *assertio generalis* de muneribus Episcopi. Ulteriores distinctiones hic non sunt necessariae. De Orthodoxis, cf. infra sub Modo 40 et 43.

38 — *Ib.* Unus Pater proponit ut scribatur potestatem docendi ac regendi ex potestate sanctificandi *derivare*: 10 Patres autem episcopalem consecrationem conferre munus sanctificandi, quocum alia munera *intime connectuntur*.

R. — Textus approbatus solus statuit *factum generale* de collatione munerum; et in quaestionem de eorum inter se connexione non intrat.

[14] 39 — *Ib.* Plures Patres (52) proponunt ut dicatur consecrationem episcopalem conferre munus sanctificandi, et ita subiectum *disponere* et *aptum efficere,* ad munera docendi ac regendi. Alii (48) proponunt: haec munera *radicaliter vel aptitudinaliter* conferuntur. Rursus alii (57) dicunt: *radicitus;* 7: secundum *aptitudinem;* 4: *dispositive;* 3: *virtualiter;* 4: *in potentia* vel *in actu primo;* 9: *datur gratia in ordine ad* illa munera.

R. — Omnes illae lectiones variantes textui approbato contradicunt, quippe qui affirmat consecratione conferri, cum munere sanctificandi, *etiam munera regendi ac docendi,* cum hac quidem restrictione quod haec ultima *extra communionem* exerceri non possunt. Ad quam restrictionem (quae pag. 63, linn. 34-36 recurrit), hi Patres probabiliter non satis attenderunt. Unde stet textus.

40 — *Ib.* Alii Patres (17, quibus accedunt alii 5) addendum proponunt: ... nonnisi in communione cum Collegii Capite et membris *atque iuxta ordinationes supremae Ecclesiae auctoritatis* exerceri possunt. Alii duo addere volunt *accedente missione canonica;* 12 autem: *mandato accepto a Christi Vicario,* vel *per provisionem canonicam,* vel *missione accepta a successore Petri,* vel Communione *a Capite Collegii concedenda.*

[15] R. — Additio non est necessaria, quia res satis exprimitur per verba praecedentia *de requisita communione.* Qui enim contra ordinationes supremae Auctoritatis procedere vellet, certe *a communione recederet.* Istiusmodi autem ordinationes ex natura rei necessariae sunt, quia agitur *de pluribus* subiectis qui communiter agere debent. Quod fieri nequit sine normis a suprema auctoritate approbandis. Cf. relatio de Modis generalibus, sub n. 2.

41 — *Ib.* Plures ex praecedentibus Patribus insuper addere vellent: munera quoque *apostolica* (*ordinaria*) confert...

R. — Ita intraretur in quaestionem complexam, quae novas discussiones excitaret. Responsum autem substantiale praebetur, ubi dicitur permanere in Episcopis munus Apostolorum *pascendi Ecclesiam,* pag. 61, linn. 37-38.

42 — *Ib.* Unus Pater delere vult *primam* partem sententiae (munera quoque confert), alius vero *alteram* partem (quae tamen...); alius vult delere *natura sua;* rursus alius vult substituere haec verba per *ex ipsa Christi institutione;* quod in idem redit ac « natura sua ».

R. — Coram illis propositionibus, quarum prima affirmationem textus restringit, altera vero eam extendit, retinenda sunt duo membra phraseos.

43 — *Ib.* In fine textus, 31 Patres scribere volunt: « *perfecte* exerceri possunt », propter rationes oecumenicas. Alii 15 similiter dicere volunt (deleto *nonnisi*): « exerceri *debent* », propter considerationem Orthodoxorum. [15]

R. — Verbum *perfecte* suscitaret multas ambiguitates. Observatum est ceterum, in Relatione, pag. 86, litt. H, quod textus Commissionis, a Congr. Generali approbatus, in explicationem theologicam et canonicam de sacra potestate apud Orthodoxos non intrat. Stet ergo textus.

44 — Pag. 63, lin. 1: unus Pater addere exoptat: exerceri possunt *in universam* Ecclesiam.

R. — De relatione Episcoporum ad universam Ecclesiam agitur in numero 23. Ideo hic nihil addendum.

45 — *Ib.* Plures, nempe 157 Patres, addere volunt: « Haec tamen S. Synodus quaestiones de immediata derivatione potestatum magisterii et iurisdictionis (ac de charactere) dirimere non intendit ».

R. — Conferantur antea dicta de qualificatione theologica, in responsione ad Modum 10. Declaratio proposita competentiam Commissionis excedit; ergo ad textum addi non potest. [16]

SUFFRAGATIO 9ª

46 — Pag. 63, linn. 2-12: 6 Patres volunt supprimere hunc textum; unus autem postulat omnino novam redactionem.

R. — Hi *Modi* normis generalibus contradicunt.

47 — Pag. 63, linn. 4-7: Plures, nempe 139 Patres proponunt ut scribatur: consecrationem episcopalem ita conferri, vel *ad hoc* conferri, ut Episcopi partes Christi sustineant. Delent verba « manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis », necnon verba de charactere.

R. — Patres qui hunc Modum proponunt generatim sunt illi qui etiam Modo 39 subscripserunt. Cf. ib. *Descriptio ritus* nempe manuum impositio cum verbis, merum factum exprimit. De *charactere* infra dicetur, sub Modo 49.

48 — Pag. 63, linn. 6-9: Unus Pater addere vult: « *nisi obex adsit* ».

R. — Hoc de se patet, unde inutiliter adderetur.

49 — Pag. 63, linn. 7-8: Patres 5 proponunt varias lectiones *de charactere*, qui « *disponeret* » vel « *compleret et roboraret* » subiectum consecrationis.

R. — Statuit Commissio in quaestiones controversas de ulteriori expli-

[16] catione characteris non esse intrandum. Cf. Relationem pag. 87, litt. K.

50 — Pag. 63, lin. 10: Proponit unus Pater, ut addatur: « et *per Spiritum Sanctum* in Eius persona agant ».

R. — Satis provisum passim in textu.

51 — Pag. 63, linn. 10-12: Unus Pater proponit ut scribatur: « *Episcoporum est* ... assumere ». Alii plures, numero 221, loco « in *corpus* episcopale assumere », proponunt: « *consecrationem episcopalem* conferre ». Quibus accedunt 26 alii cum formulis fere aequivalentibus. Quatuor Patres scribunt: « ex *antiqua traditione* assumere *solent* », quibus accedunt 13 alii, qui scribunt: « consecrant » vel « assumunt » vel « assumere solent ». Tres alii addunt: « in communione *cum Capite* ». Alii denique has lineas supprimere volunt.

[17] R. — Suppressio normis generalibus contradicit. Intentio Commissionis est solum *factum historicum* asserere; unde loco « Quare soli Episcopi... » statuit simpliciter scribere, sicut primus Pater notavit: « *Episcoporum* est... ». Affirmatio autem de assumptione *in corpus episcopale* ex praecedentibus iustificatur, ideoque difficultatem non suscitat. De necessaria *communione cum Capite* providetur in praecedentibus, pag. 62, lin. 41, et in sequentibus, pag. 63, linn. 35-36.

52 — Pag. 63, lin. 12: Duo Patres addere volunt, Corpus episcopale *inniti* in gratia et charactere sacramentali.

R. — Additio ex una parte *non est necessaria,* et ex altera parte deficiens est, quia negligit necessitatem *servandi Communionem.*

AD NUMERUM 22

Modi ordinis generalis

53 — Pag. 63, lin. 13 ss.: Rogat unus Pater ut Concilium Vaticanum II, in sua loquendi ratione, melius exprimat mentem Concilii Vaticani I, in quo definitum est erga primatialem Petri et eius successorem potestatem, « cuiuscumque ritus et dignitatis *Pastores* atque fideles, tam *seorsim singuli* quam *simul omnes,* officio *hierarchicae subordinationis veraeque oboedientiae obstringi* » (Denz. 1827). Constanter haec relatio subordinationis exprimenda esset per particulam « *sub* ».

Timet ne ex textu deducatur supremam auctoritatem Romano Pontifici, ut et Petro, competere *qua et quatenus,* reduplicative, est Caput Collegii Episcoporum.

Admittit existentiam Collegii 12 Apostolorum, sed putat collegium illud per eorum mortem cessasse. Denique affirmat collegium *proprie dictum* Episcoporum non posse probari ex S. Scriptura et aestimat argumenta allata in n. 22 solummodo probare ius ecclesiasticum, non divinum, collegialitatis Episcoporum. [17]

R. — S. Synodus iteratim et solemniter inculcat doctrinam Vaticani I, inde a numero 18 et deinceps. Particula « *sub* » pluries adhibetur, sive explicite, sive aequivalenter per verba « *cum Capite* », quod evidenter stat *supra*.

Diserte vitata est dictio secundum quam Romanus Pontifex *formaliter ut* caput Collegii auctoritatem suam obtineret.

Quod *Collegium* non intelligitur ut coetus *aequalium*, qui potestatem suam Praesidi demandarent, iam apparet ex responsione ad Modum 12, ubi dicitur « ad modum collegii *seu coetus stabilis* ». Sentententia huius Patris iam nota erat quando Commissio [18]
statuit dicere Collegium Apostolorum in Corpore Episcoporum usque ad finem temporum esse perduraturum, ut patet ex Scriptura, praesertim ex *Mt.* 28, 20, et Traditione. Cf. num. 20.

54 — Pag. 63, lin. 13 ss.: Quatuor Patres textui actuali num. 22, pag. 63 (suffr. 10-11), linn. 13-36, substituere volunt *novum textum,* omnino diversum a textu iam in commissione et in congregatione generali approbato.

R. — Propositio non concordat cum normis generalibus.

55 — Pag. 63, lin. 13 ss.: Septem Patres rogant ut totus numerus 22 reficiatur, his attentis:

a) collegium, de quo agitur, non esse tale *in sensu strictiore;*

b) collegium non habere potestatem in universam Ecclesiam nisi *Romano Pontifice* ipsum invitante ad deliberandum, vel saltem Romano Pontifice approbante deliberata;

c) aliquem Corporis Episcopalis membrum non constitui unice et simpliciter « vi sacramentalis consecrationis et communione cum Collegii Capite atque membris ».

R. — *a*) De Collegio non intelligendo sensu *stricte iuridico* de coetu aequalium, iam dictum est in Resp. ad Modum 53.

b) De officio necessario *Romani Pontificis* explicite dicitur postea in numero 22, pag. 64, linn. 29-43.

c) Tertia observatio directe contradicit textui approbato, pag. 63, linn. 33-36, in quo textu tamen inseritur vox: « *hierarchica* communione ». De quo cf. Modus 62.

[18] SUFFRAGATIO 10ª

56 — Pag. 63, linn. 14-16: 144 Patres aestimant in N. T. tantum affirmari factum existentiae collegii apostolici, quin ibi clare sermo fiat *de voluntate Domini* instituendi illud, aut saltem de aliqua institutione post mortem Apostolorum ex voluntate Domini continuanda. Tres ex illis proponunt ut *deleantur* verba: « Statuente Domino ». 141 Patres, e contra, ut dicatur: « Sicut disponente » (60 P.), vel « Sicut providente Domino » (81 P.). 82 ex illis Patribus insuper proponunt ut loco verbi: « constituunt », in lin. 16, dicatur: « *constituerunt* » (quia, dicunt, agitur de facto praeterito).

Quaenam nunc particularia in hac parte phraseos:

— in lin. 16 loco: « unum collegium apostolicum », proponunt 3 Patres ut dicatur: « *unum coetum* », unus autem: « *ad modum*
[19] *collegii* », unus tandem: « collegium apostolicum *seu coetum stabilem* »;

— in lin. 16, post: « constituunt », proponit unus Pater ut *addatur*: « *quod Christus ut maneat usque ad consummationem saeculi voluit* ».

R. — Nemo dubitare potest de voluntate Domini instituendi 12 Apostolos ut collegium stabile. Commissio Biblica explicite respondit: « *S. Scriptura probatur*: statuente Domino, sanctum Petrum et ceteros Apostolos unum collegium constituisse ». Unde stet textus. Difficultas praedictorum Patrum videtur oriri ex altera parte phraseos, ubi de *parallelismo* cum Papa et Episcopis agitur. Quae quaestio in Modo sequente solvitur. — Particularibus vero propositionibus iam provisum est antea, sub n. 19, pag. 60, lin. 14: « ad modum collegii *seu coetus stabilis* ».

57 — Pag. 63, linn. 16-19: 381 Patres admittunt quidem *aliquem* parallelismum inter collegium apostolicum et collegium episcopale existere, sed non parallelismum *perfectum*. Quapropter 5 ex illis proponunt ut *deleantur* verba: « eadem ratione », dum *376* P. potius rogant ut eis substituantur aliae formulae, v. gr. « *simili modo* », vel « *simili ratione* », vel « *pari ratione* » vel « *similiter* », vel « *ita etiam* », vel « *ita* ». 1 tandem P. proponit: « *exinde R. Pontificem, successorem Petri, et Episcopos, successores Apostolorum, inter se coniungi oportere concluditur* ».

R. — Scribatur: « *pari ratione* », ut 376 Patres satisfactionem obtineant. Expressio « pari ratione » enuntiat *proportionalitatem in* structura utriusque collegii, non vero perfectam identitatem.

58 — Pag. 63, lin. 18: post « successores Apostolorum », proponit unus Pater ut addatur: « *arcte* inter se coniunguntur ». — Ibidem proponunt duo Patres ut loco: « et Episcopi », dicatur: « et *ceteri* Episcopi », vel « *ceterique Episcopi* ». Ex modo enim dicendi videretur sequi quod Romanus Pontifex Episcopus non sit. [19]

R. — Ad 1) Additio non est necessaria. - Ad 2) De se propositio admitti posset, sed non videtur opportuna.

59 — Pag. 63, post lin. 19: 4 Patres proponunt ut adiungatur: « Haec collegialis natura Episcopatus elucet in praerogativa qua Episcopi per orbem dispersi pollent, in solidum inter se et cum Romano Pontifice, eorum Capite, fidelibus infallibiter veritates fidei proponendi ab eisque oboeditionem fidei et vitae exigendi ». Ratio haec indicatur: Magisterium ordinarium est iuris divini; concilia autem sunt iuris ecclesiastici.

R. — De *magisterio infallibili* postea ex professo agitur, scilicet sub num. 25. Nullo autem modo in textu affirmatur quod magisterium ordinarium sit *actus collegialis proprie dictus*. [20]

SUFFRAGATIO 11ª

60 — Pag. 63, linn. 19-36: 9 Patres proponunt ut supprimatur tota paragraphus. Alii vero ut notabilis eiusdem pars omittatur: 3 proponunt ut expungantur linn. 29-32 (« Eandem vero ... haberent »). 13 denique Patres aestimant in linn. 26-27 verba: « ordinis ... significant » esse delenda.

R. — Tales propositiones vel textui iam probato contradicunt vel notabiliter in eodem textu expunctionem supponunt et ideo admitti non possunt. In lin. 29 ceteroquin dicitur: « *innuit* », non « demonstrat ».

61 — Pag. 63, lin. 26: Proponit unus Pater ut post verba: « ordinis episcopalis », scribatur: « *quandam* indolem ».

R. — Haec additio est superflua eique ceteroquin in antecedentibus iam provisum est.

62 — Pag. 63, linn. 33-36: 170 Patres proponunt *suppressionem* horum verborum. *Ratio* est quia ex textu, prout iacet, sequeretur aliquem posse Caput Collegii Episcoporum fieri, quin actu sit membrum Collegii, v. gr. si aliquis nondum consecratus episcopus, immo laicus, ut Summus Pontifex eligeretur et hanc electionem acceptaret: ab hoc ipso momento esset Caput Collegii. 34 Patres exigunt novam textus redactionem, quin tamen formulam praebeant, dum adhuc 63 alii hanc redactionem proponunt: « *membrum corporis episcopalis aliquis constituitur per communionem*

[20] *cum Collegii Capite* ». 3 alii Patres proponunt ut huic novae formulae addatur: « *et sacramentali consecratione* ».

R. — Difficultati, quae ab illis Patribus movetur, iam sufficienter provisum est in responsione ad modum 35. Nova redactio proposita omittit unum ex duobus elementis, — sacramentalem nempe consecrationem, — quae a Commissione consulto in textu apposita sunt. Ceteroquin phrasis, prout in textu iacet, post longam disceptationem, in praesenti forma redacta est. Non admittitur suggestio ut dicatur: « membrum corporis episcopalis aliquis *plene constituitur...* », sed dicitur, in conformitate cum Resp. ad Modum 40: « et *hierarchica communione* ».

[21] 63 — Pag. 63, linn. 34-36: Plures Patres lectiones variantes pro parte huius phraseos proponunt:

A) Tres suggerunt ut scribatur: « *in* communione », loco: « *et* communione », 3 alii: « communion*is* », loco: « communion*e* »; unus ut potius dicatur: « Membrum aliquis *plerumque* constituitur ».

B) Plures novam formulam proponunt pro: « et communione cum Collegii Capite atque membris », dicendo sive (1 P.): « *missione habita et communione cum Collegii Capite* », sive (1 P.): « *si tamen de voluntate Papae ipsa peragatur* », sive (1 P.): « *qua ille Christo sacerdoti unitur et per Ipsum et in Ipso in communionem cum Collegii Capite atque membris ingreditur* ». Alii, e contra, Patres ideam de *exercitio potestatis* in textum inducere volunt, dicendo, loco: « et communione ... membris», sive (1 P.): «ut autem munera sua *pastoralia exercere queat, communionem cum Collegii Capite atque membris servare debet*», sive (2 P.): « *exercitium vero potestatis in Ecclesia universali* (1 P. addit: « *de iure* ») *habetur communione cum Collegio eiusque Capite* (1 P. addit: « *atque membris* »).

C) Duo tandem Patres, in ulteriorem textus determinationem intrare intendentes, proponunt ut dicatur, loco: « vi sacramentalis ... membris », sive: « *consecratione episcopali rite accepta per communionem cum Collegii Capite* », sive: « *vi consecrationis episcopalis quae natura sua communionem cum Collegii Capite atque membris includit* ».

R. — *In genere* respondere debemus textum solummodo post longam disceptationem in Commissione, in qua omnes illae suggestiones notae erant, praesentem formam induisse. Ad particularia autem quod attinet:

Ad *A*) Prima suggestio minus clare *utrumque* elementum in lucem ponit; secunda potius suggereret utrumque elementum eiusdem ordinis esse; tertia, dicendo « *plerumque* », nimium momentum tribuit casibus exceptionalibus. Cf. ceterum Resp. ad Modum 35. [21]

Ad *B*) In prima formula deest unum ex duobus elementis (consecratio episcopalis); secunda aliis verbis ideam communionis cum Capite Collegii exprimit, dum nihil dicit de communione cum aliis membris; tertia autem additionem inutilem proponit. Aliae tandem observationes ideam *de exercitio potestatis* in textum inducunt, qui hac de re agere non intendit.

Ad *C*) Inopportunum videtur in tales ulteriores distinctiones intrare.

64 — Pag. 63, lin. 35: Proponit unus Pater ut dicatur, loco: « communione cum Collegii Capite atque membris », « *cum episcopali Collegio, scilicet cum Capite eius atque membris* ». Ratio: collegium episcopale aliquod totum constituit et non est summa Capitis et membrorum. [22]

R. — Explicatio haec non videtur necessaria.

65 — Pag. 63, lin. 36: Proponit unus Pater ut in fine paragraphi addatur: « Si quis forte eligatur Summus Pontifex, qui nondum sit Episcopus et proinde ad episcopale collegium nondum pertineat, ipsa sua acceptatione Summi Pontificatus, in qua voluntas continetur consecrationem episcopalem recipiendi, fit collegii episcopalis membrum et quidem Caput ».

R. — Ideae, in hac additione propositae, sane verissimae sunt, sed non videntur introducendae in textum, qui tales casus exceptionales non considerat. Cf. ceteroquin ea quae iam dicta sunt in responsione ad Modum 35.

Suffragatio 12ª

66 — Pag. 63, linn. 36 ss.: *Deleantur* omnia usque ad pag. 64, lin. 4; vel saltem usque ad pag. 63, lin. 42.

R. — Non concordat cum normis generalibus.

67 — Pag. 63, linn. 36 s.: Loco « auctoritatem non habet », dicatur: « *non est* », quia Romanus Pontifex non tantum auctoritatem, sed ipsam *existentiam* Collegio tribuit (3 Patres).

R. — Haec mutatio *contradicit* textui, in quo supponitur quod *agere sequitur esse,* et non e converso. Ex quo tamen non sequitur collegium semper motu proprio ad exercitium transire posse.

[22] Hoc enim facere non potest nisi « in hierarchica communione », id est *secundum normas* a suprema auctoritate approbatas, ut postea explicite dicitur, in fine numeri 22. Neque sequitur collegium *semper esse « in actu pleno »*. Cf. Nota explicativa praevia, sub n. 4.

Ib.: 4 Patres suggerunt ut adhibeatur *formula positiva*: « auctoritatem habet quando... ». Invocant casum Papae qui haereticus vel schismaticus fieret. Formula negativa, aiunt, difficultates suscitaret sub respectu oecumenico.

R. — Propositio debilitaret textum.

[23] 68 — Pag. 63, lin. 39: 3 Patres postulant ut dicatur: « *sub* Romano Pontifice » vel: « *dependenter* ab eo »; vel ut scribatur: « ut Capiti *suo* ».

R. — De « *sub* » et « *cum* » iam antea provisum est: cf. Modum 8. Dictio: « cum Capite *suo* », linn. 39-40, posset aequivocationem inducere.

69 — Pag. 63, lin. 40 ss.: Unus Pater eam sententiam vellet delere, ut vitetur nimia insistentia in *praerogativis Romani Pontificis*. E contra alius Pater suadet ut affirmetur potestas Romani Pontificis in Ecclesiam « et *in ipsum Concilium,* vi muneris sui, scilicet *successoris Petri, principis Apostolorum,* Vicarii Christi et totius Ecclesiae, *summi* Pastoris (vel Capitis) ». Cui consentiunt tres alii, dum rursus alii tres volunt ut deleantur verba « Vicarii scilicet Christi... ».

R. — Affirmatio de potestate Romani Pontificis hoc loco est opportuna, sed non oportet eam nimiis titulis onerare.

70 — Pag. 63, lin. 42: Unus Pater, post « fideles », addere vellet: « tam *seorsim singulos,* quam simul omnes ».

R. — Additio non est necessaria.

71 — Pag. 64, lin. 1: Unus Pater desiderat, loco: « in Ecclesi*am* », ut scribatur: « in Ecclesi*a* », dum e contra alius vult: « in *universam* Ecclesiam ».

R. — Stet textus, qui post deliberationem ita redactus est.

72 — Pag. 64, linn. 2-3: Loco: « *plenam* potestatem », 4 Patres volunt: « *totam plenitudinem* supremae potestatis ». Alii duo volunt insuper: « *immediatam* potestatem ».

R. — Additio non est necessaria.

73 — Pag. 64, lin. 3: Duo Patres addere volunt: « quam *ad bonum commune* semper libere exercere valet ». Alius vult ut tota incisa deleatur; alius rursus ut addatur: « semper libere *per seipsum* exercere valet ».

R. — Propositiones non admittuntur, quia *restrictivae* sunt. Prima insuper sive ut *finalitas* sive ut *conditio* intelligi posset: unde oriretur aequivocatio. [23]

SUFFRAGATIO 13ª [24]

74 — Pag. 64, linn. 4-13: Sex proponuntur Modi ordinis generalis, qui vel *suppressionem* totius paragraphi expostulant, vel correctiones inducendas esse aestimant, quin tamen formulas concretas suggerant.

R. — Suppressio totius paragraphi admitti nequit; ceteris difficultatibus in infra dicendis providebitur.

75 — Pag. 64, linn. 4-7: 14 Patres proponunt ut loco: « Ordo autem Episcoporum... succedit, immo... perseverat », dicatur: « *Corpus quoque Episcoporum quod collegio apostolico succedit,* uno cum... ». Proponunt ergo ut loco « Ordo » dicatur: « *Corpus quoque* », supprimunt verba: « *in magisterio* et regimine pastorali », et (cum uno adhuc alio Patre): « *immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat* ».

R. — Vocabulum « *ordo* » consulto in textum inductum est, ne semper sermo fiat de collegio; nulla videtur ratio cur verba: « *in magisterio et regimine pastorali* » delenda sint, dum verba: « *immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat* » expresse addita sunt a Commissione.

76 — Pag. 64, lin. 6: Tres Patres proponunt ut post verba: « in magisterio », addatur: « *ordinario* ».

R. — Nulla videtur adesse pro hac additione ratio stringens.

77 — Pag. 64, lin. 7: Proponunt 276 Patres ut post verbum: « perseverat », addatur: « *quando agit* » (34), vel: « *quando agit una cum Capite suo Romano Pontifice et iuxta eiusdem Capitis ordinationem* » (80), vel: « *quando collegialiter agit* » (161), vel adhuc: « *quando collegialiter agit iuxta Capitis ordinationem* » (1), ad exprimendam ideam collegium episcopale non semper *actu* existere, vel saltem *non semper agere.*

R. — Textus clare affirmat corpus apostolicum continuo in corpore episcopali perseverare, etiamsi corpus illud, ut in responso ad modum 67 dictum est, non semper, vel immo raris intervallis, stricte collegialiter agat. Unde nihil immutandum.

78 — Pag. 64, lin. 7: Plures Patres proponunt ut formula: « *una cum Capite suo* » vel *mutetur* vel *roboretur.* Octo proponunt ut dicatur: « *subordinatus est Capiti suo Romano Pontifici, a quo*

[24] *dependet, tum quoad potestatem iurisdictionis, tum quoad usum*
[25] *et exercitium eius* », tres vero: « una cum *et sub* (vel *dependens*) ».

R. — Dicendo Romanum Pontificem esse *Caput* collegii idea subordinationis aliorum membrorum sufficienter exprimitur.

79 — Pag. 64, linn. 7-10: A 165 Patribus proponitur ut deleantur verba: « *et numquam sine hoc Capite* », sed ob motiva diversa. 161 Patres additionem proponunt in lin. 7: « *quando collegialiter agit* », dum 4, e contra, suppressionem postulant tum ob motiva historica, tum quia formula positiva iam sufficiens esset.

R. — Quia additio in lin. 7 proposita non fuit admissa (cf. Modum 77), verba: « et numquam sine hoc Capite » servari debent. Verum est in prioribus saeculis non omnia concilia oecumenica a Summo Pontifice *convocata* fuisse, sed omnia a successore Petri vel ut talia *confirmata* vel saltem *recepta* fuere. Textus ergo receptus necessarius videtur.

80 — Pag. 64, linn. 9-11: 16 Patres clarius dicere vellent *unum* tantum subiectum supremae potestatis in Ecclesia existere. Tres ex ipsis proponunt ut dicatur: « *subiectum indivisum vel inadaequate distinctum* », 2 ut dicatur loco: « subiectum... existit », « *suprema potestate pollet* », alii autem duo: « *charisma divinitus collatum habet quo, Romano Pontifice ad hoc invitante vel in hoc consentiente, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam fiat* »; 10 tandem ut in linea 9 deleatur adverbium « *quoque* ».

R. — Commissio non voluit intrare in quaestionem disputatam de *unico* subiecto potestatis supremae vel de *duobus* eiusdem potestatis subiectis inadaequate distinctis. Stet ergo textus, qui, post longas discussiones in Commissione, praesentem formam recepit.

81 — Pag. 64, lin. 10: 164 Patres proponunt ut deleatur vocabulum: « *plenae* », ne plenitudo potestatis Summi Pontificis in discrimine ponatur.

R. — Textus agit de *suprema* potestate, quam tribuit collegio, *una cum et sub Capite suo,* Romano Pontifice: talis potestas necessario dicenda est *plena.* Per suppressionem vero propositam, ipsa plenitudo potestatis Romani Pontificis in discrimine poneretur. Collegium enim necessario et semper Caput cointelligit; a. v. distinctio non est inter Romanum Pontificem et ceteros Episcopos

collective sumptos, sed inter Romanum Pontificem seorsim et Romanum Pontificem simul cum Episcopis, ut dicitur in Nota explicativa praevia, sub n. 3. [26]

82 — Pag. 64, lin. 11: Duo Patres proponunt ut loco: « in universam Ecclesi*am* » dicatur: « in univers*a* Ecclesi*a* ».

R. — Etiam in pag. 64, lin. 1, ubi sermo fit de suprema Romani Pontificis potestate, « in Ecclesi*am* » scribitur. Cf. ceteroquin Rel. pag. 91, sub Litt. O. Stet ergo textus.

83 — Pag. 64, lin. 11: Plures Patres difficultatem habent ex usu verbi: « existit ». Duo proponunt ut loco: « existit », dicatur: « *praebetur* », 27 vero ut addatur: « *habitualiter* existit »; 2 tandem ut scribatur: « *constituitur tunc quando Summus Pontifex eum ad collegialem actionem vocat* ».

R. — *Prima* formula minus clara videtur quam formula recepta; *secunda,* nempe de « habitualiter » difficilius intelligitur et novas difficultates creat; *tertia* denique textui anteriori contradicit et redit ad modum sub numeris 67 et 77 expositum.

84 — Pag. 64, lin. 11: 19 Patres proponunt ut post verbum: « existit », *addatur*: « *de consensu Capitis exercenda* », dum 4 alii Patres proponunt: « *iuxta ordinationes Pontificis exercendae* ». Vel: « a Capite Collegii *determinanda* vel *specificanda* ».

R. — Scribatur: « quae quidem potestas *nonnisi consentiente* Romano Pontifice exerceri potest ». Particula negativa « *nonnisi* » omnes omnino casus comprehendit. Unde etiam evidens fit quod haec potestas normas ab auctoritate suprema approbatas observare debet. Cf. Nota explicativa praevia, sub n. 4.

85 — Pag. 64, linn. 11-13: 5 Patres expostulant ut deleantur hae lineae.

R. — Ut exponitur in Relatione, l. c. pag. 91, sub Litt. O, haec verba consulto a Commissione apposita sunt.

86 — Pag. 64, lin. 12: 25 Patres proponunt ut in textu addatur: « *perfecte* exerceri nequit ».

R. — Quod illi Patres intendunt, includitur in formula adhibita. « *Perfecte* » insuper aequivocationem inducere posset.

87 — Pag. 64, linn. 11-12: 5 Patres proponunt ut loco: « independenter... nequit » scribatur: « *in unione cum Romano Pontifice exerceri debet* ». [27]

R. — Formula negativa de se est explicitior. Ceterum haec potestas *non semper* actu pleno exerceri *debet*. Cf. etiam Resp. ad Modos generales, sub n. 4.

[27] SUFFRAGATIO 14ª

88 — Pag. 64, linn. 13-20: Plures modi ordinis generalis proponuntur. 20 Patres aestimant totam paragraphum esse *delendam.* 36 Patres petunt ut *Sacra Scriptura* accuratius adhibeatur, dum 33 proponunt ut iterum consuletur Commissio Biblica. Unus Pater rogat ut textus corroboretur ex *Traditione,* alius autem ut *subiectio Episcoporum* relate ad Romanum Pontificem melius exprimatur. Quinque denique Patres textum differentem pro integra hac paragrapho proponunt.

R. — Notabilis *expunctio* secundum normas admitti non potest. Commissio curam egit de accurato *Sacrae Scripturae* usu et Commissio Biblica mentem suam clare aperuit. Argumento *ex traditione* sufficienter provisum est in Relatione, pag. 91 ss., sub litt. Q., sicuti etiam *subiectioni Episcoporum* relate ad Romanum Pontificem. Denique contra normas esset, textui recepto redactionem totaliter novam *substituere.*

89 — Pag. 64, linn. 13-20: 221 Patres sequentem textus redactionem proponunt: « Dominus *unum* (quae additio adhuc a 42 aliis Patribus expostulatur) Simonem ut petram et clavigerum Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18-19), *eumque fratrum confirmatorem in fide* (cf. *Lc.* 22, 32), atque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 15 ss.) (14 vero alii Patres expostulant ut haec ultima incisa omittatur); collegio *autem* Apostolorum suo Capiti coniuncto (14 alii Patres variantem proponunt: « omnibus *simul* Apostolis suo Capiti coniunc*tis* ») *potestatem* (quod etiam 14 alii Patres exoptant) ligandi ac solvendi tribut*am* esse constat ». Per illam novam textus redactionem expungitur e textu in lin. 18 particula « *quoque* », et exciditur parallelismus inter Petrum et collegium apostolicum quantum ad potestatem ligandi ac solvendi.

R. — Particula « *enim* » in initio phraseos *delenda* est, ut patet ex Relatione, pag. 61, litt. Q. Admittitur in lin. 13 additio « *unum* », sed deletur « *uni* » in lin. 17. Idea de Petro, *confirmatore fratrum suorum,* infra (pag. 68, linn. 34 ss.) in textu exprimitur.
[28] Textus biblicus de *collatione potestatis primatus* uni Petro (cf. *Io.* 21, 15 ss.) omitti non potest. Commissio consulto, loco: « *potestatem* », vocabulum « *munus* » elegit. Verba autem *de ligando et solvendo* in Evangelio *de Petro* dicuntur: ergo delenda non sunt. 221 ergo illi Patres, quibus 10 alii accedunt, volunt supprimere particulam « *quoque* », quia parallelismus non est

perfectus. Commissio Biblica autem parallelismum admittit (attendendo etiam ad *Mt.* 28, 16-20). Addit vero quod exegetae non concordant de *ultima determinatione et extensione* huius potestatis. Quod extenditur super totam Ecclesiam conficitur ex Traditione. Stet ergo textus, hoc modo: « Dominus *unum* Simonem... », addito in fine: *Mt.* 28 16-20). [28]

90 — Pag. 64, lin. 14: Proponit unus Pater ut dicatur: « *primum* clavigerum ».

R. — Talis locutio est inconsueta et redundans.

91— Pag. 64, linn. 16-20: Diversae adhuc proponuntur *lectiones variantes*. Duo Patres suppressionem huius secundae partis phraseos rogant, unus desiderat ut saltem verba: « *ligandi ac solvendi* » omittantur, alii ut eis substituantur verba: « *pascendi* » (1 P.), vel: « *sanctificandi omnes gentes* » (1 P.). 28 Patres proponunt: « Petro *personaliter* », duo vero alii sequentem formulam suggerunt: « *de illo* autem ligandi ac solvendi *munere*, quod uni Petro datum est (cf. *Mt.* 16, 19), collegium quoque Apostolorum, suo Capiti coniunctum, *particeps factum est* (cf. *Mt.* 18, 16) ».

R. — *Suppressio* huius partis phraseos esset contra normas; verba de ligando ac solvendo, ut iam dictum est, in Evangelio de Petro proferuntur et ideo in textu delenda non sunt. « Petro *personaliter* » redundat, quia sermo fit de *uno* Petro. Ultima denique propositio tangit quaestionem in quam intrare Commissio non intendit. Verba *Mt.* 18, 16 diriguntur ad omnes Apostolos simul, qui Hierarchiam in Ecclesia constituunt.

92 — Pag. 64, lin. 16: Duo Patres proponunt ut addatur: « illud *universale* munus ».

R. — Additio inutilis videtur.

93 — Pag. 64, lin. 19: Unus Pater proponit ut loco: « Capiti coniuncto » dicatur: « *quando cum suo Capite agit* ».

R. — Illa additio supponere videtur quod collegium, cuius Caput est Romanus Pontifex, collegialiter *agere posset absque suo Capite*, quod sensum non habet.

94 — Pag. 64, lin. 20: Duo Patres proponunt ut deleatur citatio ex *Mt.* 18, 18, tres vero ut ei addatur *Mt.* 28, 18-20. [29]

R. — Prima suggestio inspiratur ab idea de insufficienti parallelismo inter *Mt.* 16, 18-19 et *Mt.* 18, 18: ei iam sufficienter provisum est in responso ad Modum 89. Citatio *Mt.* 28, 18-20 iam invenitur in textu, in quo per errorem omissa erat.

[29] SUFFRAGATIO 15ª

95 — Pag. 64, lin. 20: Tres Patres proponunt ut loco: « collegium hoc », scribatur, sive (1 P.): « collegium *Episcoporum* », sive (1 P.): « hic *ordo* Episcoporum », sive (1 P.): « *Corpus* Episcoporum ».

R. — Mutationes propositae non clarificant textum, sed eum obscurant: *Romanus enim Pontifex includitur* in collegio de quo sermo fit. Stet ergo textus.

96 — Pag. 64, linn. 22-24: Proponit unus Pater ut loco: « sub uno Capite... exprimit », scribatur: « *in communione cum* Capite collectum, *fide caritateque* unitatem gregis Christi exprimit ». Ratio: textus propositus tantum agit de grege collecto *sub* Capite. Atque unitas gregis efficitur et exprimitur *in notione communionis,* iuxta totam traditionem, ne unitas concipiatur modo mere humano et quasi physico. Ergo addenda est notio essentialis communionis, quae ad naturam compaginis pro grege pertinet.

R. — Ut antea dictum est, in responsione ad Modum 40, « communio » intelligitur ut « *hierarchica* », a. v. non *mere* consistit in affectu caritatis, sed nititur in exstructione, organis et normis praedita; quae quidem compago caritate animatur. Evidens est autem quod haec « communio » *in vita* Ecclesiae applicata est, priusquam *in iure* velut codificata fuerit. Cf. Nota explicativa praevia, sub n. 2.

97 — Pag. 64, linn. 23-24: Proponunt duo Patres ut loco « unitatem gregis Christi exprimit », dicatur: « *ad unitatem* gregis Christi efficiendam *dispositum est* ». Ratio: sic melius distinguitur functio propria et characteristica Capitis a functione corporis episcopalis.

R. — Rursus observandum, quod in Corpore *cointelligitur Caput.* Unde additio explicativa proposita affirmationem de unitate sub Capite *debilitaret.*

[30] 98 — Pag. 64, linn. 24-25: Proponit unus Pater ut loco: « primatum et principatum Capitis sui », scribatur: « In ipso Episcopi, *ecclesialem communionem* fideliter servantes, ... ».

R. — Haec etiam mutatio textum *debilitaret.*

99 — Pag. 64, lin. 25: Proponit unus Pater ut post « Capitis sui », dicatur: « *et Ecclesiae* ».

R. — Additio est inutilis et potius confusionem induceret.

100 — Pag. 64, lin. 27: Duo Patres proponunt ut *deleantur* verba: « *immo totius Ecclesiae* ». [30]

R. — Incisa non potest tolli. Episcopi enim etiam bonum totius Ecclesiae prae oculis habere debent.

101 — Pag. 64, lin. 27: 13 Patres proponunt ut loco: « immo totius Ecclesiae » scribatur: « immo *conciliari potestate in bonum* totius Ecclesiae... ». Unus alius Pater, ut potius inserantur verba: « *in oecumenica synodo congregati* ». Ratio: non constat utrum corpus Episcoporum in Concilio propria an a Romano Pontifice communicata potestate gaudeat, praesertim cum in compluribus anterioribus Conciliis multi Patres Episcopi non fuerint.

R. — Affirmatio textus *non restringenda est* ad solum Concilium, sed est universalis. Textus non intrat in quaestionem, quinam ad Concilium invitari possint: affirmatio agit de potestate Episcoporum.

102 — Pag. 64, linn. 26-27: Unus Pater proponit ut loco: « propria potestate ... funguntur », scribatur: « *non solum* propria potestate in bonum fidelium suorum funguntur, *sed etiam* totius Ecclesiae *boni sunt sponsores* ». Ratio: *propria* potestas Episcoporum directe respicit particulares eorum Ecclesias.

R. — Hic agitur praecise de relationibus Episcoporum ad *totam Ecclesiam*. Unde additio non est necessaria.

SUFFRAGATIO 16ª

103 — Pag. 64, linn. 29-37: Duo ex modis propositis ordinis generalis sunt. *A*) Unus Pater incongruentiam in textu adesse aestimat: ex una enim parte, linn. 32-33, dicitur: « Romani Pontificis praerogativa est concilia ... convocare », ex alia autem parte, per illud: « vel saltem receptum », in lin. 37, videtur supponi Papam quandoque Concilium non convocare: *B*) Duo alii Patres, [31] restructurationem proponunt pro lineis 32-43 (quae sese referunt, tum ad suffragationem 16, tum ad suffragationem 17), quas sequenti modo immutare vellent: « Concilium oecumenicum *n*umquam datur, quod a Successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum; et Romani Pontificis praerogativa est *haec* Concilia convocare, eisdem praesidere et eadem confirmare ». Similem inversionem proponunt pro sententia sequenti. *Ratio*: hac ordinis inversione nihil quoad doctrinam immutatur. Sed primo loco ponitur id quod sine dubio est iuris divini et quod per totam historiam verificatur, scl. quod Con-

[31] cilium oecumenicum non est sine approbatione vel saltem receptione Papae. Secundo autem loco ponitur id quod non certo est iuris divini et quod in historia non semper verificatur, scl. quod praerogativa Papae est Concilia convocare etc. Ordo rerum in textu impresso est quodammodo praeposterus. Primo enim loco ponit formas magis explicitas quibus ius primatus exercetur, postea autem, quasi necessitate historica coactus, retrogreditur ad formas minus explicitas, sed magis essentiales.

R. — Ad *A*) Nulla adest incongruentia in textu, nisi quis confundat ordinem *iuris* et ordinem *facti*. Ad *B*) Correctio proposita admittitur, pro prima non vero pro altera sententia.

104 — Pag. 64, linn. 29-30: Duo Patres proponunt ut loco: « in univers*am* Ecclesiam », scribatur: « in universa Ecclesi*a* » (1 P.), vel: « in Ecclesi*a* » (1 P.).

R. — Huic emendationi iam provisum est in responso ad Modos 71 et 82.

105 — Pag. 64, lin. 30: Unus Pater proponit ut post « potestas qua », *addatur*: « *dum collegialiter agit* ».

R. — Iam provisum est in responso ad Modum 77.

106 — Pag. 64, linn. 30-31: 167 Patres aestimant hoc unicum certum esse, scilicet: collegium supremam potestatem habere, *quando collegialiter agit*. 4 Patres proponunt ut verba: « *qua istud collegium pollet* » deleantur; duo ut immutentur, dicendo: « *ditatur* », vel: « *ditari potest* ». 147 ut scribatur: « *pollere potest* »; 14 denique ut post « pollet », addatur: « *dum in verum collegium, ex motione Capitis, erigitur* ».

R. — Suppressio verborum: « qua istud collegium pollet » destrueret sensum a phrasi intentum. *Propositiones restrictivae* non sunt
[32] admissibiles, ut ex supradictis patet. Collegium Episcoporum una cum Capite suo supremam potestatem habet, etiam quando eam *actu* non exercet.

107 — Pag. 64, lin. 31: 8 Patres timent ne insufficienter provideatur auctoritati Romani Pontificis relate ad Concilium. Quare proponunt ut post verbum: « pollet », *addatur* (1 P.): « *unice* et solemni modo ». Alii dicunt: « *dependenter a Romano Pontifice* » (1 P.), vel: « *salva auctoritate Summi Pontificis convocandi etiam non Episcopos* » (1 P.). Alii vero proponunt: « solemni *et perfecto modo exercetur* » (1 P.), vel: « Suprema potestate ... pollet *Corpus episcopale* (contradistinctum a Papa) eamque solemni modo exercet *dum in Concilio oecumenico Episcopi de voluntate Papae conveniunt* » (3 P.).

R. — *Prima* propositio est *contra substantiam textus*: suprema enim potestas, qua collegium episcopale, una cum Capite suo, pollet, non in *solo* Concilio exercetur. *Propositio de non-Episcopis* quaestionem tangit in quam Concilium non intrare intendit. Sufficienter etiam dictum est in textu collegium episcopale potestatem suam exercere non posse *independenter* a Romano Pontifice. [32]

108 — Pag. 64, linn. 32-37: Proponit unus Pater ut verba: « Romani Pontificis praerogativa ... vel saltem receptum » simpliciter *expungantur*. Ratio: res, immediate antea, in eadem pagina, bis vel ter (nempe linn. 8-9; 11-12; 16-19) iam affirmatur.

R. — Hic specificatur potestas Romani Pontificis *relate ad Concilium*. Ergo stet textus.

109 — Pag. 64, lin. 32: Duo Patres proponunt ut dicatur: « *Unius* Romani Pontificis est... ».

R. — Inutilis mutatio, quia in idem redit.

110 — Pag. 64, linn. 32-33: Modi diversi a 12 Patribus propositi obtinere volunt: *a*) quod textus remaneat in sphaera *dogmatica,* quin inseratur affirmatio *iuridica*; *b*) quod textus non intret in difficillimas quaestiones *historicas* (quod in textu affirmatur historice non fuit verum pro 7 prioribus saeculis). Unus Pater proponit ut *deleatur* vocabulum « praerogativa »; 7 vero dicendum esse aestimant: « Romani Pontificis *nunc* praerogativa est »; 4, e contra: « Romano Pontifici praerogativa *reservatur* », vel (unus alius Pater): « Romani Pontificis praerogativa est *sibi reservandi* ».

R. — Applicatio iuridica nititur in doctrina. Historicae considerationes non negantur, sed hic nonnisi indirecte tanguntur. Cf. ceteroquin Resp. ad Modum 103. [33]

111 — Pag. 64, lin. 33: Proponunt 6 Patres ut post verba: « concilia convocare », *addatur*: « *membra alia quam Episcopos convocare* ».

R. — Ut iam dictum est in responso ad Modum 107, Concilium in tales quaestiones intrare non intendit.

112 — Pag. 64, linn. 34-37: Unus Pater proponit ut *deleantur* verba: « nec Concilium ... receptum ». Ratio: verba illa pro praesenti nihil aliud dicunt quam antecedentia, pro praeterito vero sunt discussa.

R. — De *acceptatione* antiquorum Conciliorum non dubitatur.

[33] 113 — Pag. 64, lin. 37: Unus Pater proponit ut *deleantur* verba: « *vel saltem receptum* ».

R. — Incisa necessaria est propter rationes *historicas*.

SUFFRAGATIO 17ª

114 — Pag. 64, linn. 37-43: Plures proponuntur modi ordinis generalis: 4 Patres proponunt ut tota paragraphus *deleatur;* 2 ut fiat *restructuratio* cum fine paragraphi praecedentis (de qua iam in modo 103 B); unus tandem rogat ut in textum inducatur idea *magisterii ordinarii.*

R. — Prima propositio non concordat cum normis generalibus; secundae iam provisum est in responso ad modum 103; de *magisterio ordinario* agitur postea, sub num. 25.

115 — Pag. 64, lin. 37: Proponit unus Pater ut loco: « Eadem potestas », scribatur: « *munus collegiale* ».

R. — Non videtur ratio mutandi.

116 — Pag. 64, linn. 37-38: Unus Pater proponit ut loco: « una cum Papa », dicatur: « *dependens a Papa* ». Duo alii Patres proponunt: « una cum Papa *et sub ipso* ». Tertius autem addit post: « eadem potestas », « *per Papam omnibus Episcopis communicata* ».

R. — Sufficienter provisum.

[34] 117 — Pag. 64, lin. 38: Unus Pater proponit ut loco: « exerceri potest », scribatur: « *exercetur* ». Ratio: in incisa actuali potestas collegialis apparet ac si esset mera possibilitas hypothetica.

R. — Haec potestas non semper exercetur. Ergo maneat textus.

118 — Pag. 64, lin. 39: 4 Patres rogant ut loco: « in orbe terrarum degentibus », scribatur: « *per orbem dispersis* ». Ratio: modus loquendi dicere videtur episcopos in concilio oecumenico coadunatos non in orbe terrarum degere.

R. — Nemo de ratione allata dubitat. « Degentes in orbe terrarum » est expressio classica pro Episcopis non coadunatis, vel « dispersis », ut dicitur in lin. 41.

119 — Pag. 64, linn. 39-43: Unus Pater rogat ut tota haec incisa *deleatur* (« dummodo Caput collegii eos... efficiatur »), quia idem iam pluries aliis verbis antea dictum est.

R. — Sic mutaretur sensus. Remaneat ergo textus.

120 — Pag. 64, linn. 39-40: Plures Patres aestimant locutionem: « dummodo *Caput collegii* Episcopos ad actionem collegialem vocet », esse immutandam, quia Romanus Pontifex non *ut* Caput col-

legii Episcoporum, sed ut Caput totius Ecclesiae Concilium convocat. Quare proponunt 12 ut dicatur: « *Romanus Pontifex* », unus: « *Vicarius Christi* », alius adhuc: « *Summus Pontifex* », 155 denique: « *Ipse* ». [34]

R. — Textus non dicit Papam Episcopos ad actionem collegialem vocare *ut* Caput collegii, sed modo assertivo de « capitalitate » Romani Pontificis in collegio loquitur. Cf. ceteroquin Rel. pag. 92, sub litt. T. De cetero iam provisum est in antecedentibus.

121 — Pap. 64, lin. 39: Tres Patres proponunt ut loco: « dummodo », dicatur: « *quoties* ».

R. — Patres illi videntur supponere collegium episcopale *non existere* nisi quando agit. Huic autem difficultati iam provisum est in responso ad Modum 77. « *Dummodo* » ceterum restrictionem implicat.

122 — Pag. 64, lin. 39: Iuxta 156 Patres, ad tuendam libertatem Romani Pontificis, post: « Caput collegii » (quod ceteroquin mutant in « *Ipse* »), *addendum esset*: « *uni Domino devinctus* » (vel, ut ait unus Pater, « *quoad responsabilitatem* uni Domino [35] devinctus »).

R. — Huic difficultati sufficienter provisum est in Rel. pag. 92-93, sub litt. V.

123 — Pag. 64, linn. 40-43: 9 Patres proponunt ut *hae lineae deleantur,* inde a: « vel saltem... efficiatur »; 3, e contra, ut solummodo ultima incisa, « vel libere recipiat, ita ut... efficiatur », *auferatur.* Unus Pater suggerit ut loco: « recipiat », dicatur: « *recognoscat* », quia in iure terminus: « recipiat » fere non invenitur. Tres tandem Patres proponunt ut loco: « vel saltem libere recipiat », dicatur: « *et* libere recipiat ».

R. — *Expunctiones* propositae admitti non possunt, quia contradicunt normis generalibus. Textus fuit a Commissione, post acutam inspectionem, compositus sicut nunc apparet. Cf. ceteroquin Rel. pag. 93, sub litt. V. Electa est vox: « *recipiat* », quia non requiritur vox stricte iuridica.

AD NUMERUM 23

SUFFRAGATIO 18ª

124 — Pag. 65, linn. 1-5: Proponit unus Pater ut hae lineae auferantur.

R. — Pater ille existentiam collegii Episcoporum non admittit. Stet ergo textus.

[35] 125 — Pag. 65, lin. 2: Proponit unus Pater ut loco: « collegialis *unio* », scribatur: « collegialis *communio* », quia sic clarius apparet unionem fundatam esse in corpore mystico et supernaturalibus bonis.

R. — Mutatio in contextu non est necessaria.

126 — Pag. 65, linn. 5-8: Proponunt 8 Patres ut ante verba: « Romanus Pontifex », *addantur*: « *Collegium episcopale est vinculum unitatis in Ecclesia* », quia, admissa collegialitate, collegium episcopale simul poni debet ut fundamentum unitatis. Unus Pater proponit ut *addatur*: « Romanus Pontifex, *ut Principis Apostolorum successor, est episcopatus et, per cohaerentes sibi invicem episcopos,* fidelium multitudinis unitatis principium ». Idem quoque alii Patres, formulis aequivalentibus, proponunt, secundum verba Concilii Vaticani I (DENZ. 1821). 4 tandem Patres proponunt ut scribatur: « *visibile* principium ».

[36] R. — Iam in num. 18 dictum est de Romano Pontifice relate ad unitatem Episcoporum, secundum Concilium Vaticanum I. Idea de unitate per Episcopos exprimitur in linn. 13-16. Scribatur autem: « perpetuum ac *visibile principium et fundamentum* », sicut in pag. 59, linn. 21-22.

127 — Pag. 65, linn. 8-13: Proponit unus Pater ut dicatur: « ... Episcopi autem singuli principium et centrum sunt *communionis* in Ecclesiis ». Alius proponit: « Episcopi autem singuli, *apostolorum successores, visibile* principium *et fundamentum* sunt unitatis in suis Ecclesiis », quia, ait, vox *centrum* non est theologica. Unus denique proponit ut loco: « Ecclesiis particularibus », dicatur: « Ecclesiis *peculiaribus* » (vel: *localibus*), quia vox « particularis » reservari debet Ecclesiis quae ritibus et disciplina ecclesiastica distinguuntur.

R. — *Additiones* non sunt necessariae. De Episcopis, propter parallelismum, dicatur: « *visibile principium et fundamentum* ». De usu verborum « *particulares* vel *peculiares* Ecclesiae » notetur quod Commissio « De Regimine Episcoporum » cum nostro modo loquendi conformis est.

128 — Pag. 65, lin. 14: Proponunt 2 Patres ut loco « simul cum Papa », dicatur: « *sub* Papa ».

R. — Iam antea provisum.

129 — Pag. 65, lin. 15: Proponit unus Pater ut loco: « in vinculo pacis », scribatur: « in *communione* pacis ».

R. — « In vinculo pacis » est expressio biblica.

SUFFRAGATIO 19ª [36]

130 — Pag. 65, lin. 17 ss.: Quatuor Patres proponunt plus minusve conspicuas *ampliationes,* in quibus agunt de Episcoporum potestate vel sollicitudine *in solidum* exercenda. Observant insuper regimen pastorale Episcoporum residentialium ex natura sua *ad totam Ecclesiam* spectare.

R. — *Ampliationes* de se sunt vitandae. Expressio in *solidum* in contextu non convenit; significat enim obligationem natam ex deficientia alterius. « *Regimen pastorale* », ut patet, intelligitur de iure Episcopi proprios subditos obligandi.

131 — Pag. 65, lin. 17: Unus Pater proponit *omissionem* verborum: « *Quando particularibus Ecclesiis praeficiuntur* », quae sonant ac si hoc *per accidens* fieret. Proponit: « Singuli Episcopi *propria* [37] *potestate* regimen suum ... ».

R. — Ut vitetur inconveniens ... scribatur: « Episcopi *qui* ... ». *De facto* enim non omnes Episcopi particularibus Ecclesiis praeficiuntur. « *Propria potestate* » est expressio minus clara.

132 — Pag. 65, linn. 20-21: Duo Patres proponunt *omissionem* verborum: « non super alias Ecclesias... exercent »; unus Pater rogat ut ista verba *corrigantur,* ita ut sint consona cum pag. 64, linn. 9-11; 37-39. Alius denique *addere* vult: « *actu* exercent ». Observant quod *sollicitudo* universalis Episcoporum habet aliquid de natura « *regiminis* ».

R. — In praecedentibus sermo fuit de *Collegio* qua tali, nunc autem sermo fit de *singulis* membris, et quidem de Episcopis residentialibus. Ideo omissio proposita nequit admitti. Episcopi, de universa Ecclesia solliciti, in *regimen aliarum* Ecclesiarum intrare non possunt. Additio vocis « *actu* » non est necessaria.

133 — Pag. 65, linn. 21-24: 16 Patres proponunt ut *omittantur* verba: « qua membra collegii episcopalis », et scribatur: « Sed qua *legitimi apostolorum* successores, singuli, *una cum ceteris episcopis,* ea*m* sollicitudine*m* pro universa Ecclesia ex Christi institutione *participare* tenentur »; participant scilicet de sollicitudine Romani Pontificis. Duo alii Patres proponunt lectiones paululum diversas.

R. — Sollicitudo communis ex parte singulorum infertur ex eo quod Episcopi *corpus* quoddam constituunt. Unde mutationes non sunt admittendae. Connexio cum *Romano Pontifice* exhibetur pag. 64, linn. 6-11.

134 — Pag. 65, linn. 25-26: Proponunt 44 Patres ut *deleatur* vox:

[37] « *exercitium* » iurisdictionis et loco eius scribatur: « *iurisdictio* »; alius autem suggerit: « iurisdictionis *potestas* »; alius adhuc: « quae, *etiamsi per actum iurisdictionis non exerceatur* ». Tres Patres, e contra, volunt delere totam incisam.

R. — Suppressio non iustificatur. Admittitur vero *ultima emendatio,* qua textus melius currit.

135 — Pag 65, lin. 33: Proponit unus Pater *additionem* de exemplo paupertatis ab Episcopis proferendo.

R. — De exemplo ab Episcopis dando alibi agitur, sub n. 27 et 41.

[38] 136 — Pag. 65, linn. 38-39: Proponit unus Pater ut *omittantur* verba: « Ut portionem Ecclesiae universalis », quia inutilia. Tres Patres, e contra, proponunt ut nexus Ecclesiae particularis cum Ecclesia universali clarius indicetur per verba: « bene regendo propriam Ecclesiam *in Ecclesia universali* », vel: « bene regendo propriam Ecclesiam *in mente* Ecclesiae universalis ». Denique duo Patres hanc formulam suggerunt: « propriam Ecclesiam, *in qua mysterium Ecclesiae universalis repraesentatur* ».

R. — Utilis est haec idea, quae ceterum in textu breviter exprimitur. Amplior autem descriptio invenitur supra, pag. 65, linn. 10-13.

137 — Pag. 65, linn. 41-42: Duo Patres proponunt ut *deleantur* verba: « *Quod est etiam Corpus Ecclesiarum* ».

R. — Idea a Patribus affirmatur. Cf. nota 34.

138 — Pag. 65, lin. 42: Proponit unus Pater longam *additionem historicam* de unione cum Romano Pontifice, speciatim in Anglia.

R. — Additio, de se vera et pulchra, hic non requiritur.

SUFFRAGATIO 20ª

139 — Pag. 66, linn. 1-19: Rogat unus Pater ut tota paragraphus de novo apparetur.

R. — Non concordat cum normis.

140 — Pag. 66, linn. 3-9: Rogat unus Pater ut, lin. 3, *omittatur* vox: « *in commune* », ut vitetur tautologia. Unus alius Pater rogat, ut, lin. 6-7, scribatur: « Unde *omnes* Episcopi, *utpote membra unius Episcopatus...* ». Alii duo praeferunt linn. 7-9: « Singuli Episcopi, *ultra* suam perfunctionem muneris pascendi Ecclesias sibi commissas, in laborum *quoque* societatem venire tenentur inter se et *maxime* cum Successore Petri... ». Denique

unus *delere* vult *citationem de S. Coelestino,* quia testimonia recentium Pontificum non adducuntur. Tres alii variantes lectiones proponunt, vel contra vocem « *propria* », in lin. 7, criticam movent. [38]

R. — Retineatur « *in commune* », propter oppositionem cum « singulis », lin. 6. *Additio* vero redundat. Testimonio *S. Coelestini* ostenditur praeoccupationem esse antiquam; Encyclicae recentes in Nota 35 citantur. Vox: « *propria* » in contextu [39]
evidenter significat: in Ecclesia sibi commissa. Stet igitur textus.

141 — Pag. 66, linn. 10-11: Unus Pater, loco: « singulari modo », proponit: « *praecipue* », quae particularia ex C.I.C., can. 1327, commendatur. Duo alii *addere* volunt: « ... et qui in verbo Dei ubique praedicando (singulare) munus habet omnium conatus moderandi ».

R. — « *Singulari modo* » explicatur eo quod successor Petri est supremus Pastor totius Ecclesiae. *Additio,* quae applicationem concretam respicit, *hic* non requiritur.

142 — Pag. 66, linn. 16-19: Duo Patres novam redactionem proponunt, in qua agunt de *collectis et oblationibus* Summo Pontifici ad distributionem mittendis.

R. — Iam provisum lin. 9. Descriptio *formae concretae* ferendi auxilium hic non requiritur.

SUFFRAGATIO 21[a]

143 — Pag. 66, lin. 20: Tres Patres proponunt ut loco: « Divina Providentia», scribatur: « *A Christo Iesu, Pastore et Episcopo permanente Ecclesiae, factum est, per Spiritum eius* ». Aestimat unus Pater expressionem de « Providentia » magis deisticam esse quam christianam.

R. — Quia in sequentibus *plura mere historica* elementa indicantur, affirmatio directe de actione Christi dici nequit. Stet ergo textus.

144 — Pag. 66, lin. 24: 5 Patres proponunt ut *addatur*: « fidei *et communionis* unitate ». 173 Patres, e contra, proponunt ut loco: « salva fidei unitate », dicatur: « *cum Petri cathedra servata communione* ». Quibus accedunt 13 alii cum aequivalentibus formulis. Tres *additionem* volunt: « salva fidei, *sacramentorum* et *regiminis* (*Ecclesiae per totum orbem diffusae*) unitate ... ».

R. — Primatus Summi Pontificis ad fidem pertinet. Scribitur tamen explicite: « salva fidei unitate *et unica divina constitutione uni-*

[39] *versalis Ecclesiae* ». Textus hanc *unitatem* componit cum *diversitate* in disciplina et ritu particulari.

145 — Pag. 66, lin. 31: Post verba: « connectuntur » proponunt duo Patres ut *addatur*: « *quorum antiqua privilegia et iura, iuxta decretum unionis in Concilio Florentino prolatum, salva om-*
[40] *nino remaneant* ». In eadem linea 6 Patres proponunt, cum levioribus variantibus, mentionem fieri de *Patriarchatibus*.

R. — In linea 27 scribatur: « inter quas aliquae, *notatim antiquae Patriarchales* Ecclesiae, veluti matrices fidei... ». De iuribus et privilegiis Patriarchatuum hic non videtur speciatim agendum.

146 — Pag. 66, linn. 34-37: Proponit unus Pater ut hic textus *deleatur*. Alius suggerit in fine *addendum*: « dummodo communionem servent *cum successore* Petri ». Tertius non brevem *additionem* postulat de pastorali unitate.

R. — Prima et tertia propositio non concordant cum normis. Secundae autem iam satis provisum est.

AD NUMERUM 24

SUFFRAGATIO 22ª

147 — Pag. 66, lin. 38 ss.: Unus Pater *delere* vult totam sententiam usque ad pag. 67, lin. 4.

R. — Non concordat cum normis.

148 — Pag. 66, lin. 39: Proponit unus Pater ut *addatur,* post: « Episcopi », verba: « *legitime electi et constituti* ».

R. — Additio inutilis. Res de se patet.

149 — Pag. 67, linn. 6-8: Proponit unus Pater ut dicatur: « Christus Dominus *ipsis* (Episcopis) *in* Apostolis, Sanctum promisit Spiritum, cuius virtute ... ».

R. — Dictio nimis implicata. Episcopi in ipsa paragrapho: « Apostolorum successores » dicuntur; cf. pag. 66, lin. 39.

150 — Pag. 67, lin. 11: Proponit unus Pater ut, loco *Apoc.* 10, 11, citetur *Act.* 9, 15, quia textus Apoc. de profetia contra gentes agit. Referentia autem ad *Act.* 9, 15 est ad rem.

R. — Admittitur propositio.

151 — Pag. 67, lin. 16: Proponit unus Pater ut *addatur*: « *quod ministerium primo debetur pauperibus, afflictis et viam salutis quaerentibus* ».

R. — Alibi provisum.

SUFFRAGATIO 23ª [41]

152 — Pag. 67, lin. 18-20: Verba illa uni Patri *non placent,* quia timet abusus pro futuro in variis partibus mundi. Tres Patres, diversis formulis, proponunt *additionem*: « Consuetudines *saltem implicite acceptatas* ».

R. — Agitur de Ecclesiis catholicis Orientis. Consuetudo legitima non revocata de se saltem implicite acceptatur: unde additio est inutilis.

153 — Pag. 67, linn. 22-24: Tres Patres verba: « *quo renuente* ... », *delere* volunt, quia claritate carent. Unus Pater proponit: « *inconsulto et non annuente* ». Alii duo volunt: « *auferente* », cum additione, in fine: « *vel in eo permanere nequeunt* ».

R. — Pro Orientalibus *catholicis* remittitur, in Nota 38, ad Cod. Iur. pro Eccl. Orient. De orientalibus *seiunctis* non directe agitur. Pro illis invocari posset sive non-revocatio antiquae consuetudinis, sive alia theologica explicatio. *Mutationes et additio* sunt superfluae. Cf. etiam Rel. pag. 95, sub litt. G, ubi duae expressiones « renuente » vel « communionem Apostolicam denegante » dicuntur *aequivalentes.*

AD NUMERUM 25

SUFFRAGATIO 24ª

154 — Pag. 67, lin. 26: Quatuor Patres, loco: « *Praecipuum* », volunt: « *inter praecipua* Episcoporum munera *eminet* praedicatio Evangelii ». Etenim celebratio eucharistica etiam est praecipuum munus.

R. — Decreta disciplinaria Concilii Tridentini, in nota 39 citata, dicunt: « praecipuum », modo assertivo, non exclusivo. Ideo correctio admitti potest, sicut proponitur.

155 — Pag. 67, lin. 36: Proponit unus Pater duas versiones alicuius *additionis,* quae agit de relationibus Ecclesiae praedicantis *cum potestate civili* et de extensione praedicationis moralis *ad legem naturalem.*

R. — Haec materia hic ad rem non pertinet.

156 — Pag. 67, lin. 38: Proponunt 5 Patres ut *addatur*: « *Episcopi in communione* cum Romano Pontifice *aliisque Episcopis* docentes », vel: « *ceterisque Episcopis* ».

R. — Non necessarium; edicitur pag. 68, lin. 16. [42]

157 — Pag. 67, lin. 40 ss.: Patres 155, quibus accedunt alii 10 cum

[42] parvis variantibus formulis, scribere volunt: « fideles autem sui Episcopi sententiam ... *debent venerari* », vel: « *cum reverentia et oboedientia suscipere* ». Insuper obligationem relate ad Romani Pontificis magisterium explicite asserere volunt de omnibus, *tam episcopis* quam fidelibus.

R. — Expressio textus approbati est aptior. Obligatio Episcoporum de se est evidens.

158 — Pag. 67, linn. 40-41: Proponunt duo Patres ut loco: « de huiusmodi rebus », dicatur: « de fide et moribus », quia non bene videtur quid significet illud « huiusmodi ».

R. — Admittitur propositio.

159 — Pag. 68, linn. 2-3: Tres Patres invocant casum particularem, saltem theoretice possibilem, in quo eruditus quidam, coram doctrina non infallibiliter proposita, ob fundatas rationes *interne* assentire non potest. Unus Pater longam additionem de hac quaestione proponit.

R. — De hoc casu consuli debent probatae expositiones theologicae.

160 — Pag. 68, lin. 9: Proponunt tres Patres ut scribatur: « ... et sententiis ab eo prolatae sincere, *quamvis non assensu absoluto et irreformabili,* adhaerere », quia clare distingui debet assensus praestandus magisterio infallibili ab assensu magisterio authentico sed non infallibili praestando; de cetero remittit ille Pater ad observationem R. P. Hürth in eodem sensu (anno 1952).

R. — Magisterium ordinarium saepe proponit doctrinas quae ad ipsam fidem catholicam iam pertinent. Ergo additio proposita rursus complenda esset. Ideo melius remittitur ad probatos auctores.

161 — Pag. 68, lin. 12: Proponit unus Pater ut post verba: « ex dicendi ratione » *addantur* quaedam *de libertate relinquenda* pro investigatione ulteriori et progressu doctrinae.

R. — Observatio vera est, sed non necessaria hic inducenda.

Suffragatio 25ª

162 — Pag. 68, linn. 13-16: Aestimat unus Pater quod necesse est super *dependentiam a Romano Pontifice* insistere. 159 Patres petunt ut invertantur affirmationes: « communionis nexum *cum*
[43] *successore Petri et inter se* »; unus Pater proponit *suppressionem* verborum « inter se ».

R. — De prima observatione iam satis provisum est. Textus servari potest, quia quaestiones non semper statim ad auctoritatem supremam referuntur.

163 — Pag. 68, linn. 17-20: Proponunt 159 Patres, iidem ac supra, ut dicatur: « ... inter se servantes, authentice res fidei *vel* morum docentes, *omnes* in unam sententiam tanquam de fide tenendam conveniunt, *haec unanimitas signum infallibile constituit talem sententiam ad fidem pertinere* ». *Ratio* est, ne vox: « enunciant », in lin. 20, ut actus proprie collegialis intelligatur. Patres 5 suggerunt leves variantes. [43]

R. — Textus approbatus, ut iam in Resp. ad Modum 59 dictum est, nullo modo suggerit hunc actum esse *stricte* « *collegialem* ». In hanc quaestionem Concilium non intrat; solum *factum* infallibilitatis hic enunciat, de quo omnes concordant.

164 — Pag. 68, linn 23-24: Proponunt 4 Patres, cum parvis variantibus, ut dicatur: « quorum definitionibus, *ex sese irreformabilibus,* fidei obsequio est adhaerendum », sicut ceterum dicitur in Nota N, pag. 98, sub litt. e.

R. — Haec irreformabilitas asseritur etiam de definitionibus Corporis Episcoporum cum successore Petri, pag. 69, lin. 7 ss. Melius videtur explicationem illius « ex sese » relinquere ubi nunc est, scilicet *in alinea sequente.*

165 — Pag. 68, linn. 23-24: Proponit unus Pater ut *addatur,* post: « adhaerendum »: « *si tamen intentionem habeant fidei doctrinam ultimo definiendi* ».

R. — Res patet ex se per vocem: « definitionibus ».

SUFFRAGATIO 26ª

166 — Pag. 68, linn. 25-30: Relate ad integram suffragationem, observant 4 Patres quod in textu nihil dicitur de « infallibilitate Ecclesiae circa *connexa* cum Deposito Revelationis ».

R. — Dicitur aequivalenter ib. linn. 28-30.

167 — Pag. 68, linn. 25-27: Proponunt duo Patres ut *deleantur* verba: « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit », ne, secundum dicta pag. 69, lin. 5, infallibilitas Romano Pontifici a Corpore Episcopali communicata videretur. Alius Pater proponit ut scribatur: « Haec autem infallibilitas, qua Divinus Redemptor *Episcoporum Corpus* in definienda doctrina de fide et moribus instruc*tum* esse voluit, tantum ... ». Ratio est fere eadem: in infallibilitate Ecclesiae computatur etiam, immo praecipue, infallibilitas personalis Vicarii Christi. Unus tandem Pater proponit ut scribatur: « Ecclesiam suam *in credendo, docendo et definiendo* ». Ita [44]

[44] enim, ait, attingitur omnis infallibilitas Ecclesiae, nempe et sensus fidelium, et magisterium ordinarium Episcoporum, et definitiones Summi Pontificis, et definitiones Conciliorum.

R. — Verba quae proponuntur ut expungenda sunt ipsius Concilii Vaticani I. Nullo modo suggeritur quod infallibilitas Romani Pontificis ei communicaretur ab Episcopis vel ab Ecclesia. In sententia approbata agitur *de obiecto* infallibilitatis; unde ultima observatio non est ad rem.

SUFFRAGATIO 27ª

168 — Pag. 68, linn. 30-32: Proponunt 259 Patres ut post « Romanus Pontifex », deleantur verba: « *Collegii Episcoporum Caput* », quia haec suppressio, postulata in propositionibus a Paulo VI transmissis (cf. pag. 97, litt. M) iustificata est: Romanus enim Pontifex non est infallibilis vi muneris Capitis Collegii. Inter hos Patres, 10 postulant ut verba simpliciter deleantur, dum 65 postulant ut loco eorum scribatur: « *Vicarius scilicet Christi* », et 185 alii proponunt: « *totius Ecclesiae Caput* », vel: « *totius Ecclesiae Summus Pontifex* ». Unus adhuc suggerit ut dicatur: « *Vicarius Christi et* Collegii Episcoporum Caput », cum additione, secundum unum alium Patrem: « *quod fratres suos in fide confirmat* ».

R. — Ut dicitur in Relatione, pag. 97, litt. M, incisa « Collegii Caput » nullo modo habet indolem restrictivam, sed requiritur ex connexione cum obiecto totius paragraphi, quae nempe *de munere docendi Episcoporum* agit. Ceterum statim, nempe pag. 69, linn. 3-4, dicitur quod Papa est « universalis Ecclesiae magister supremus », et pag. 68, lin. 34, quod « fratres suos confirmat ». Linea 32, post verbum *Caput,* addenda est virgula.

169 — Pag. 68, linn. 30-33: 9 Patres proponunt ut post verba: « gaudet, quando », *addatur*: « *ut Sacrae Traditionis testis* », quia sic explicatur Romanum Pontificem non novam revelationem dare, sed sacram Traditionem interpretari, quod etiam oecumenice magni momenti est. Tandem proponit unus Pater ut *deleantur* verba: « *omnium Christifidelium* », cum explicatione [45] Notae M, quia vox « christifideles » protestantes et orthodoxos non respiceret.

R. — Non admittenda est *restrictio* formulae propositae, etiam ne videatur excludi progressus dogmaticus. Quaestio de concordia cum Revelatione et Traditione statim infra tractatur: pag. 69, lin. 14 ss. - Definitiones fidei *imprimis* ad catholicos diriguntur.

170 — Pag. 68, lin. 35: Proponunt 3 Patres ut *addantur,* post « doctrinam de fide vel moribus », verba: « *ab Ecclesia semper et ubique confessam* ». [45]

R. — Videatur responsum ad modum praecedentem.

171 — Pag. 68, linn. 37-38: Proponunt 5 Patres ut post verbum: « consensu », *addatur verbum*: « *posteriori* », vel: « *ulteriori* ». Sic sensus iuridicus formulae magis praecisus apparet et magis conformis iis de quibus in linn. 40-41, necnon sensui Vaticani I, quod respicit declarationem gallicanam; sic, denique, textus conformior redditur aliquibus interventionibus in sessione altera Vaticani II (ex. gr. Exc. D.ni Descuffi et Shean).

R. — Verbum « *ulteriori* » vel « *posteriori* » in citatione litterali Concilii Vaticani I inseri nequit.

172 — Pag. 69, linn. 2-3: Proponunt 2 Patres ut scribatur: « ... sententiam *ultima facie...* ». Etenim maximi momenti est ut dicatur Summum Pontificem sententiam proferre ad terminandam aliquam controversiam et non ad definiendam doctrinam novam.

R. — Spectata alinea 2 eiusdem paragraphi, pag. 69, additio est inutilis.

173 — Pag. 69, linn. 3-4: Proponit unus Pater ut dicatur: « magister *ac pastor supremus* ». 65 Patres rogant ut loco: « in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest », dicatur: « *charismate* infallibilitatis singulariter *gaudens* (vel: *pollens*) ». Non enim identificatur infallibilitas personalis R. P. cum infallibilitate totius Ecclesiae vel Collegii. 5 Patres, e contra, proponunt ut dicatur: « in quo *actu* charisma infallibilitatis *totius* Ecclesiae *exercetur* », vel: « ... *singulariter exercetur* », vel adhuc: « in quo charisma *veritatis totius Ecclesiae et nonnisi bono eius* (actu) *exercetur* » (1 P.). Rationes huius additionis inveniunt in Relatione, pag. 98, sub litt. N, ubi reassumitur explicatio ab Exc. Gasser data in Conc. Vat. I (cf. De Ecclesia, textus prior, 1963, pag. 42, n. 51).

R. — Propositiones illae sunt *inter se oppositae.* Ergo stet textus. [46] Quod agatur *de actu* patet etiam ex verbis lin. 6: « exponit vel tuetur ».

SUFFRAGATIO 28ª

174 — Pag. 69, lin. 7 ss.: Duo Patres, ne infallibilitas concipiatur ut forma quae intellectui Episcoporum *inesset, proponunt*: « *Etiam* corpus Episcoporum infallibilitate Ecclesiae promissa *pollet,* quando *in Concilio Oecumenico* supremum... ». Alius Pater

[46] *addit*: « quando in Concilio Oecumenico *Papa potestatem cum Episcoporum Corpore communicat* ». Etiam alii 17 Patres affirmationem ad solum Concilium restringunt. Rursus alii 145 Patres addunt, variis formulis, « *ex mandato Romani Pontificis* », vel: « *requirente Romano Pontifice* ». 8 denique Patres *delere* volunt particulam: « *quoque* ».

R. — Formula: « *inest* » etiam pro Romano Pontifice adhibetur, lin. 5. - Affirmatio *non est restringenda ad solam formam Concilii,* quia etiam aliae formae possibiles sunt, v. gr. iudicium in scriptis prolatum. - « Potestas a Papa Concilio communicata » intrat in quaestionem theologicam, a qua textus abstinet. - *Mandatum* Romani Pontificis ad convocationem Concilii iam supra, pag. 64, lin. 32 ss. exprimitur. - Particula: « *quoque* » non dirimit quaestionem de uno vel duplici subiecto, ut iam dictum est, in Responso ad Modum 80. Unde stet textus, qui videtur clarus.

175 — Pag. 69, lin. 10: Proponit unus Pater ut loco: « *autem* », dicatur: « *ergo* ».

R. — Sententia exprimit, non conclusionem, sed explicationem. Principium unitatis fidei est *assistentia Spiritus Sancti.*

SUFFRAGATIO 29ª

176 — Pag. 69, lin. 15: Proponunt 3 Patres ut mutetur vox « Concilium », in: « *Corpus Episcoporum cum Ipso* sententiam definiunt », quia assertio non necessario formam *Concilii* exigit.

R. — Admittitur, dummodo agatur de proprie dicta « definitione ».

177 — Pag. 69, linn. 18-19: Proponit unus Pater ut scribatur: « scripta *et* tradita » (loco: « *vel* »), ne Traditio a Scriptura separata videatur.

R. — In Vaticano I ambae adhibentur locutiones. Unde stet textus.

[47] 178 — Pag. 69, lin. 25: Proponit unus Pater *additionem,* post verba « operam navant »: « *Praeter Apostolorum legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem et Episcopos, non habentur in Ecclesia alii magistri iure divino* ».

R. — Additio, utpote non necessaria, non admittitur.

179 — Pag. 69, linn. 25-28: Aestimat unus Pater quod inepte dicitur: « novam revelationem ... non accipiunt », cum nova revelatio publica *dari non possit.*

R. — Quia subiectum logicum totius phraseos est « Rom. Pontifex et Episcopi », forma « non accipiunt » servatur.

AD NUMERUM 26 [47]

SUFFRAGATIO 30ª

180 — Pag. 69-70: Tota paragraphus 4 Patribus *displicet,* quia stylus est nimis verbosus et quasi « meditativus », et quia materia tanti momenti minus arcte tractatur.

R. — Paragraphus, quae etiam indolem pastoralem habet, totaliter mutari non potest.

181 — Pag. 69, linn. 33-34: Proponit unus Pater ut *addatur*: « praesertim *in celebratione* Eucharistiae, quam ipse offert vel offerri curat, et qua *maxime* vivit, crescit et *manifestatur* Ecclesia ».

R. — Additiones non sunt necessariae.

182 — Pag. 69, linn. 35-39: Proponit unus Pater ut hae lineae *deleantur,* quia proponitur mysterium praesentiae Ecclesiae universalis in ecclesiis localibus modo non satis enucleato. Duo Patres, e contra, proponunt ut loco: « adest », in lin. 35, dicatur: « *inest* ».

R. — Doctrina satis clara est, ut patet ex S. Paulo. Ecclesia particularis gaudet omnibus mediis salutis. Unde servetur: *adest.*

183 — Pag. 70, linn. 15-16: Proponunt duo Patres ut loco « dirigitur ab Episcopo », dicatur: « *in communione Episcopi* », vel, sicut alius proponit, « *peragitur in unione cum* »; alius denique proponit formulam: « *per semetipsos vel per sacerdotes* ».

R. — Agitur de *directione generali* Episcopi, seu de eius *administratione* relate ad cultum, ut immediate postea, lin. 18, dicitur. Unde stet textus.

184 — Pag. 70, linn. 19-21: Proponunt 145 Patres ut hae lineae [48] *deleantur,* quia potestas Episcopi circa leges liturgicas non potest verbis tam amplis exprimi. Episcopus non potest Liturgiam moderari, nisi « ad normam iuris » (cf. Const. de S. Lit. 22, § 1).

R. — Consulto in textu dictum est: « secundum praecepta Domini *et Ecclesiae leges* ». Unde stare potest textus.

185 — Pag. 70, linn. 30-31: Proponit unus Pater ut, loco: « quo regalis ... conceditur », scribatur: « quo *regeneratio filiorum Dei efficitur* »: non enim apparet causa cur hic non notetur primus et obvius effectus baptismi, scl. regeneratio spiritualis.

R. — Non omnia ubique dici debent. In toto contextu agitur *de munere sacerdotali.*

186 — Pag. 70, lin. 31: Proponunt duo Patres ut, loco: « ministri originarii », scribatur: « *ipsis reservatum est* ».

[48] R. — Observatio disciplinam existentem non accuratim exprimit.

187 — Pag. 70, linn. 36-37: Proponit unus Pater ut etiam mentio fiat de extrema unctione et matrimonio.

R. — Non omnia possunt enuntiari.

188 — Pag. 70, linn. 39-41: Proponit unus Pater ut loco « et quantum... », scribatur: « *forma facti gregis ex animo* (*1 Pt.* 5, 3) *constanter in omnibus se praebeant exemplum bonorum operum* (*Tit.* 2, 7), *in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (*1 Tim.* 4, 12), *ut ad vitam...* ».

R. — De hac materia agitur sub num. 41.

AD NUMERUM 27

Suffragatio 31ª

189 — Pag. 71, linn. 2-3: Duo Patres proponunt ut *deleatur* locutio: « *Vicarii Christi* », quia ille titulus, traditionali et communi usu, Romano Pontifici reservatur; unus, e contra, proponit ut scribatur: « Episcopi vicarii *et legati Christi* », quia Episcopi sunt vicarii et legati Christi non tantum in suas Ecclesias regendo, sed in omnibus muneribus et officiis i. e. etiam in sollicitudine pro universa Ecclesia et in cura dilatandi Evangelium. Alius adhuc Pater petit ut scribatur: « Episcopi *dioecesium* Eccle-
[49] sias », quia Vicarii Apostolici et Praefecti, etsi charactere episcopali insigniti, has Ecclesias nomine Romani Pontificis regunt.

R. — « Vicarius Christi » *non exclusive* de Romano Pontifice dicitur. Verba textus accuratim selecta sunt. Dicatur autem: « Ecclesias *particulares* sibi commissas », quia agitur de Ecclesiis complete exstructis.

190 — Pag. 71, linn. 12 ss.: Plurimi Patres insistere volunt *in dependentia essentiali* ipsius potestatis Episcoporum, et non tantum *exercitii* eiusdem, a Romano Pontifice. Proponunt varias *additiones*, v. gr.: « *licet a suprema auctoritate Ecclesiae, ex institutione Christi, essentialiter dependeat* (vel: *ei subsit*) ... intuitu *unitatis* et utilitatis Ecclesiae ». Vel secundum 50 Patres: « licet a suprema Ecclesiae auctoritate regatur » (sine: « *ultimatim* »). Potestas Episcoporum, secundum eos, a Romano Pontifice etiam *invalidari* potest. Alii vero duo Patres, loco: « regatur », proponunt: « *coordinandum sit* », vel « *ordinetur* ». Unus Pater suggerit: « Huius potestatis, *qua in persona Christi funguntur,* exercitium ».

R. — In quaestiones theologicas controversas, v. gr. de invalidatione, non est intrandum. - « *Ultimatim regatur* », secundum Relationem, pag. 99, litt. C, sub num. 27, consulto selecta est prae expressione: « *coordinandum sit* ». - Additiones oppositas praeoccupationes manifestant. Potius standum est textui. [49]

191 — Pag. 71, lin. 18: Proponit unus Pater ut *addatur*: « ad cultus, *morum* apostolatusque », quia necessarium est ut Episcoporum munus regendi etiam mores attingat.

R. — « Leges » et « iudicia » evidenter etiam mores respiciunt. Unde additio inutilis.

192 — Pag. 71, lin. 20: Proponit unus Pater ut *deleantur* verba: « pastoralis seu *habitualis et cotidiana ovium suarum* ».

R. — Haec descriptio *concreta* videtur omnino utilis. Etiam pro *Vicariis Apostolicis* de « ovibus eorum » loqui possumus.

193 — Pag. 71, lin. 22: Proponunt tres Patres ut *deleantur* verba: « *neque Vicarii Romani Pontificis putandi sunt* », quia non bene sonant.

R. — Ut in Nota 39 refertur, verba sunt *R. P. Leonis XIII*.

SUFFRAGATIO 32ª [50]

194 — Pag. 71, lin. 33 ad 72, lin. 14: Unus Pater animadvertit quod sub hac paragrapho adhuc remanent plura elementa quae vere et proprie reponi deberent sub numero: « de munere sanctificandi » (ex. gr. pag. 71, lin. 31 usque ad pag. 72, lin. 14).

R. — Tria munera *non possunt separari*. Etiam regimen intendit sanctificationem.

195 — Pag. 71, lin. 33 ad 72, lin. 14: Ista pars capituli agit *de exhortationibus* quae, ut videtur, pertinent ad asceticam episcopalem et non ad constitutionem hierarchicam Ecclesiae (1 P.).

R. — Ratio habeatur intentionis pastoralis.

196 — Pag. 71, lin. 32: Unus Pater proponit ut *deleantur* verba: « Missus ... familiam suam », quia ad rem non pertinent.

R. — Modus dicendi in Relatione, pag. 100, litt. F, iustificatur.

197 — Pag. 71, linn. 38-40: Verba *Hebr.* 5, 1-2 perperam adhibentur de Christo: Apostolus describit sacerdotium Aaronicum, quo deinde ostendit multo superius esse sacerdotium Christi. Unus alius Pater dicit: « *condolet* iis », ut textus fidelius sequatur verba Pauli.

R. — Textus Ep. ad Hebr. non negat possibilitatem applicandi ea quae ibi dicuntur ad sacerdotes Novae Legis. Unde stet textus.

[50] AD NUMERUM 28

SUFFRAGATIO 28ª

198 — Pag. 72, linn. 15 ss.: Proponuntur tres modi *ordinis generalis.* Duo Patres petunt ut ordo paragraphi mutetur, ut *melior parallelismus* habeatur cum iis quae de Episcopis dicuntur. Alius vero rogat ut S. Synodus clare definiat quomodo presbyteri in Sacramento ordinis partem habeant et quomodo presbyterorum sacerdotium ab illo Episcoporum *differat.* Alius denique Pater proponit ut quae hic dicuntur pag. 72, linn. 18-24, inserantur in Prooemio, pag. 59, lin. 10, post verba: « ad salutem perveniant ».

R. — *Primus* Modus non concordat cum normis generalibus; ei tamen aliqua satisfactio datur per quasdam textus clarificationes, ut, ex responsis ad plures ex sequentibus Modis, patebit.
[51] *Secundus* Modus obiectum de quo tractatur excedit. *Tertius* autem normis generalibus contradicit.

199 — Pag. 72, linn. 18 ss.: Rogant tres Patres ut iam ab initio huius paragraphi clare dicatur sacerdotium presbyterale *derivatum esse a Sacerdotio Christi* et ut in lucem ponatur eius indoles intrinsece *apostolica et missionaria.* Quare proponunt ut textus in linn. 18-24, sequenti modo, *emendetur*: « Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (*Io.* 10, 36), et qui unctus est a Spiritu Sancto ut evangelizaret pauperibus (cf. *Lc.* 4, 18) consecrationis missionisque suae Apostolos suos participes effecit, qui rursus invicem successoribus suis, Episcopis nempe, munus ministerii sui tradiderunt. Episcopi autem in adiutorium suum diversos ministros sumunt... ».

R. — Idea ab his Patribus proposita retinenda videtur et *explicitius* in textum induci potest hoc modo: « *Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (*Io.* 10, 36), *consecrationis missionisque suae, per Apostolos suos, eorum successores, videlicet Episcopos, participes effecit, qui munus ministerii sui,* vario gradu variis subiectis in Ecclesia legitime *tradiderunt* ». Altera phrasis textus recepti: « Sic ministerium ... vocantur » (linn. 21-24), retinenda est, quia *de diversis ordinibus* tractat, qui in hoc capite de constitutione hierarchica Ecclesiae considerantur.

200 — Pag. 72, linn. 18-21: Duo Patres proponunt ut textus sic legatur: « Potestas *ordinis sacri,* quae *ex instituto Christi* in Episcopis residet, vario gradu variis subiectis in Ecclesia *partici-*

patur». 130 alii Patres petunt ut deleantur verba: «*quae ex missione Christi in Episcopis residet*», ne tangantur quaestiones disputatae de modo immediato derivationis potestatis iurisdictionis. [51]

R. — Utrique petitioni, ex accepta modificatione textus sub Modo 199, iam satisfactum est.

201 — Pag. 72, lin. 25: Unus Pater proponit ut loco: «Pontificatus apicem», dicatur: «*plenitudinem Sacramenti Ordinis*». Praeterea suggerunt tres Patres ut, post: «presbyteri», *addatur*: «*cum Episcopis sacerdotali honore coniuncti*» (cf. Cypr. Ep. 61, 3: Hartel p. 696).

R. — Textus de «pontificatus apice» desumitur ex Epistula Innocentii I ad Decentium: cf. DENZ. 98 (215). Ergo stet textus. *Additio* autem ex S. Cypriano admittitur.

202 — Pag. 72, linn. 26-27: Proponunt duo Patres ut dicatur: «In potestate sua *legitime exercenda* ab Episcopis pendeant», quia ratione ordinis potestas est immediate a Christo. [52]

R. — Dicatur: «in potestate sua *exercenda* ab Episcopis pendeant»; «*legitime*» vero redundat et rem complicaret.

203 — Pag. 72, linn. 30-31: Plures Patres petunt ut in his lineis melius in lucem ponatur *triplex munus sacerdotale*. Quidam proponunt ut post vocem: «consecrati», *addatur*: «*et ad verbum divinum praedicandum gregemque Domini pascendum* ordinati, *vero sacerdotio ministeriali funguntur. Vi* huius muneris in Eucharistico cultu persona*m* Christi ag*unt* Eiusque mysterium proclaman*t*...». Sic etiam, aiunt, melius indicatur quod vi Ordinis sacerdotes habent munus praedicandi et pascendi. Alii rogant ut dicatur: «ad divinum *Evangelii ministerium* ordinati *et ad christianum* cultum *publice celebrandum* consecrati, veri...».

R. — Commissio proponit ut scribatur: «ad *Evangelium praedicandum fidelesque pascendos* et ad divinum cultum *celebrandum* consecrati, ...». Unde textus ita resultat: «Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant, et in *exercenda* sua potestate ab Episcopis pendeant, *cum eis* tamen *sacerdotali honore coniuncti sunt* (64), et vi sacramenti Ordinis (65)... ad *Evangelium praedicandum fidelesque pascendos* et ad divinum cultum *celebrandum* consecra*ntur, ut* veri sacerdotes Novi Testamenti (66)».

[52] 204 — Pag. 72, linn. 31-32: Proponunt duo Patres ut post: « veri sunt », dicatur: « *in sacerdotio Novi Testamenti Apostolorum successores* » (cf. Trid. 938, 949, 957).

R. — Omnes sacerdotes participant *missionem* Episcoporum successorum Apostolorum, sed directe non dicuntur: « successores Apostolorum », ne quidem in textibus allatis, qui de successoribus Apostolorum *in sacerdotio* eatenus agunt, quatenus omnes sacerdotes N. T., vi suae ordinationis, a Domino potestatem obtinent consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Eius, necnon et peccata dimittendi et retinendi.

205 — Pag. 72, linn. 40-42: Proponit unus Pater ut in lin. 41, inter verba: « repraesentant » et « et applicant », inserantur verba: « *mystice renovant* » (cf. Conc. Trid., DENZ. 950; LEO XIII bis et PIUS XII, *Mediator Dei*).

[53] R. — Verba adhibita deprompta sunt ex Concilio Tridentino, Denz. 938, ubi « repraesentare » significat: « praesens reddere », ideoque iam ideam exprimit quam ille Pater, per additionem, in textum inducere vellet. Ceteroquin eadem verba adhibita sunt in Const. De Sacra Liturgia, Conc. Vat. II, sub nn. 7 et 47. Cf. Nota 68.

206 — Pag. 72, lin. 32 - pag. 73, lin. 2: Proponunt 3 Patres ut ordo huius pericopae *immutetur,* ita ut activitas praedicationis, de qua in linn. 41 ss., praecedat activitatem proprie sacramentalem, et ut quaedam locutiones textus *corrigantur,* et quidem hoc modo: « *Omnibus debitores* (cf. *Rom.* 1, 14), fidelibus *et infidelibus Christum* annuntiant. Maxime *vero* munus sacrum exercent in Eucharistico cultu *vel synaxi,* quo in persona Christi agentes Eiusque mysterium proclamantes, *vota fidelium sacrificio ipsorum Capitis coniungunt,* Christi scilicet sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis (cf. *Hebr.* 9, 14-23), *cuius mortem* usque ad adventum Domini *annuntiant* (cf. *1 Cor.* 11, 26). Pro fidelibus peccantibus vel... ». Correctiones propositae sic iustificantur: additur: « *vel synaxi* », ut momentum communitarium in lucem ponatur: loco verborum: « cum fidelibus, devotione et vita Capiti suo coniunctis, unicum sacrificium N. T. » quae non valde clara sunt, proponitur alia traditionalis et liturgica expressio (nempe: de « *votis* fidelium »), quae idem dicit et forsan melius; tandem textus *1 Cor.* 11, 26 magis litteraliter adhibetur.

R. — Melius esset activitatem praedicationis in initio pericopae ponere, servando tamen verba textus recepti, quia de sollicitudine

sacerdotum erga *fideles et infideles* expresse sermo fit, pag. 74, linn. 10 ss. Additio de « *synaxi* » et *mutatio* pro linn. 35-37 retineri possunt, dum ultima additio proposita (« cuius mortem annuntiant ») iam alibi pluries in textum inducitur et hic in mentem vocatur per verba « usque ad adventum Domini ». Admissis his propositionibus textus sequenti modo legeretur: [53]

« Muneris unici Mediatoris Christi (*1 Tim.* 2, 5) participes in suo gradu ministerii, *omnibus* verbum divinum annuntiant. Suum *vero* munus sacrum maxime exercent in Eucharistico cultu *vel synaxi,* quo in persona Christi agentes (67) Eiusque mysterium proclamantes, *vota fidelium sacrificio ipsorum Capitis coniungunt,* ... Christi scilicet sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis (cf. *Hebr.* 9, 14-28), in sacrificio Missae ... usque ad adventum Domini (cf. *1 Cor.* 11, 26) ... Pro fidelibus *autem poenitentibus* vel aegrotantibus ministerio reconciliationis ... funguntur ».

207 — Pag. 73, linn. 6-11: Proponunt 3 Patres ut verba: « Eumque in spiritu ... imitantes quod docuerint » (linn. 6-11), transferantur post lin. 15 eiusdem paragraphi (post vocem: « adducunt »), et introducantur his verbis: « Quam ob rem, propter exigentias sacri ministerii... ». Ratio: ita actus sacri ministerii clarius resumuntur sub titulo *trium munerum* et quidem iuxta ordinem generaliter observatum docendi, sanctificandi et regendi. [54]

R. — Propositio videtur iustificata, sed lemma introductorium non videtur necessarium. Legatur textus sequenti modo:

« Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes (nunc 69 loco 70), familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam (70 loco 71), colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt. In medio gregis Eum in spiritu et veritate adorant (cf. *Io.* 4, 24). In verbo *demum* et doctrina laborant (cf. *1 Tim.* 5, 17), credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint (71 loco 69) ».

208 — Pag. 73, lin. 16: Unus Pater observat vocem: « *complementum* » non bene adaptari.

R. — Dicatur: « *adiutorium* ».

209 — Pag. 73, lin. 19: Unus Pater proponit: « unum presbyterium *sub et cum Episcopo, Patre suo,* constituunt »; alii proponunt: « *cum episcopo dioecesano* », alii adhuc: « *cum Episcopo proprio* ».

[54] R. — Scribatur: « unum presbyterium *cum suo Episcopo* constituunt ».

210 — Pag. 73, lin. 33: Proponit unus Pater ut post: « student », *addatur* paragraphus *de vita communi* instauranda.

R. — Huic petitioni iam provisum est in textu, pag. 74, lin. 4.

211 — Pag. 73, lin. 35: Proponunt plures Patres ut loco: « oboediant », scribatur: « *filialem oboedientiam et reverentiam, una cum exhibitione consilii et operis praestent* ».

R. — Talis additio non videtur retinenda; scribatur tamen loco: « oboediant », « *reverenter* oboediant ».

212 — Pag. 73, linn. 36-37: Proponit unus Pater ut dicatur: « Episcopus vero sacerdotes suos ut filios et amicos *et consiliarios habeat* (loco: « consideret »).

[55] R. — Minus bene de *omnibus* sacerdotibus dici potest; ergo stet textus. Dicatur tamen: « sacerdotes, *cooperatores* suos ».

213 — Pag. 73, lin. 39: Proponunt tres Patres ut post finem citationis et ante verba « Cum hoc corpore », *inserantur* sequentia: « Cum eis in disquisitionibus de re pastorali libenter communicet, ita ut secundi ordinis sacerdotes, oboediendo Praelato suo, fidentius cum eo collaborent atque iucundius concordent ». Ratio: hic adspectus deest in textu.

R. — Ea quae dicuntur vera sunt, sed potius pertinent ad Schema *De Regimine Pastorali Episcoporum*. Esset ceteroquin additio satis longa, quae ergo normis contradicit.

214 — Pag. 73, linn. 39-42: Plures Modi proponuntur qui tractant de relationibus inter corpus Episcoporum et sacerdotes *religiosos*. Plures Patres petunt ut lineae illae simpliciter *deleantur*, vel (7 alii) ut in lin. 16 *addatur*: « Presbyteri *omnes, sive dioecesani sive religiosi,* ordinis... ». Unus vult ut verba maneant, sed lin. 40 *deleatur* particula: « *etiam* »; duo ut verba maneant sed *inserantur* in lin. 20, post: « officiis mancipatum »; 4 alii ut fiat insertio in lin. 30, post: « opem afferunt ». Aliae etiam lectiones variantes proponuntur in eundem sensum.

R. — *Expunctio* linearum esset contra normas. Sed ut illis Patribus satisfactio daretur, scribatur, linn. 39 ss.: « Corpori igitur Episcoporum, ratione ordinis et ministerii, *omnes* sacerdotes, *tum dioecesani* tum religiosi, cooptantur et bono totius Ecclesiae... ».

215 — Pag. 74, lin. 7: Proponunt tres Patres ut *deleatur* vox: « *localis* », ut non praeiudicetur de indole communitatis, quae alia esse potest ac parochialis.

R. — « Localis » non necessario idem est ac parochialis. Ergo stet textus. [55]

216 — Pag. 74, lin. 12: Proponunt tres Patres ut, loco: « ministerii *ecclesiastici* », dicatur: « faciem ministerii *vere sacerdotalis et pastoralis* », quia vox: « ecclesiastici » nimis ieiuna, nimis frigida videtur.

R. — Propositio admittitur.

217 — Pag. 74, lin. 15: Proponitur ut *addatur*: « et quaerere etiam omnes *qui non sunt de hoc ovili* ».

R. — Iam provisum in linn. 10-12.

218 — Pag. 74, lin. 18: loco: « *sub ministerio* », scribatur: « *sub auctoritate* ». [56]

R. — Scribatur: « sub *ductu* ».

AD NUMERUM 29

219 — Pag. 74, linn. 21 ss.: Aestimat unus Pater totam materiam suffragationum 35-39 ad solum Summum Pontificem pertinere. 4 alii Patres dolent quod in hoc capite nil dicitur *de ordinibus minoribus*: proponunt ut textui recepto haec verba *addantur*: « Ordines minores ab Ecclesia instituti, ab ea supprimi possunt, vel iis conferre qui officio correspondente funguntur ».

R. — *Prima* observatio est contra textum. Ad *alteram* propositionem quod attinet, aestimat Commissio in hanc quaestionem non esse intrandum.

SUFFRAGATIO 35ª

220 — Pag. 74, linn. 23-24: Duo Patres aestimant locutionem: « *non ad sacerdotium sed ad ministerium* » esse ambiguam, nam sacerdotium est ministerium.

R. — Verba desumuntur ex Statutis Eccl. Ant., ut dicitur in Nota 74, pag. 79 et significant diaconos non ad corpus et sanguinem Domini offerendum, sed ad *servitium caritatis* in Ecclesia ordinari.

221 — Pag. 74, linn. 30-31: Proponit unus Pater ut post verba: « Eucharistiam servare et distribuere », *addatur*: « Sanctissimum sacramentum pro publica veneratione exponere et cum Illo fideles benedicere ». Ratio: utile esset pro illis regionibus in quibus sacerdotes desunt.

R. — Haec additio non videtur retinenda, quia in *res nimis particulares* intrat.

[56] 222 — Pag. 74, lin. 31: 4 Patres rogant ut *deleantur* verba: « matrimonio Ecclesiae nomine adsistere et benedicere », unus autem sola verba: « *et benedicere* ». Ratio: Haec quaestio pertinet ad Commissionem cui nova redactio C.I.C. attributa est.

R. — Haec incisa in textum introducta est, quia a multis Patribus *expressis verbis* postulabatur.

[57] 223 — Pag. 74, linn. 35-36: Duo Patres rogant ut *deleantur* verba: « *funeri et sepulturae praeesse* », quia quod proponunt contradicit iuri hodie vigenti in Ecclesia latina.

R. — Eadem responsio ac ad Modum praecedentem. Sub respectu latinitatis melius tamen scribitur: « *ritui* funeri*s* et sepulturae praeesse ».

224 — Pag. 74, linn. 28-36: Unus Pater rogat ut pro omnibus muneribus expositis inde a lin. 28 diaconus *caelebs uxorato* praeferatur.

R. — Talis ulterior determinatio pertinet *ad auctoritatem,* de qua in pag. 75, linn. 7-11.

225 — Pag. 74, lin. 36: Unus Pater proponit ut post verbum: « praeesse », *addatur*: « *mensis ministrare* », quia hoc ultimum munus in Act. Apost. videtur ratio institutionis diaconatus.

R. — Haec additio non videtur retinenda, quia hodie vix intelligeretur.

SUFFRAGATIO 36ª

226 — Pag. 75, linn. 1 ss.: 15 Patres aestimant totam hanc paragraphum, « Cum vero haec munera ... firma remanere debet », esse *delendam*. Unus putat illam potius *inserendam* esse in *Decreto de Pastorali Episcoporum munere,* quia hoc comma non est indolis doctrinalis sed potius *iuridicae et pastoralis*. Unus denique proponit ut dicatur diaconatum ut proprium gradum hierarchiae restitui posse *ut periodum probationis pro aspirantibus ad sacerdotium*.

R. — *Prima* et *secunda* propositio normis contradicunt; id quod suggeritur in *tertia* a textu recepto non negatur.

227 — Pag. 75, linn. 2-3: Unus Pater proponit ut *deleantur* verba: « *in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti* », quia hoc schema debet agere de tota Ecclesia et etiam in quibusdam Ecclesiis orientalibus diaconatus permanens in desuetudinem venit.

R. — Quod dicitur de quibusdam Ecclesiis orientalibus sese refert ad *praxim,* non ad *ius*: stet ergo textus.

228 — Pag. 75, linn. 4-6: Unus Pater proponit ut textus, post verba: « difficulter possint », sequenti modo *immutetur*: « *alii viri bonis moribus probati facultatem a Sancta Sede recipiant ad haec opera implenda, sine tamen Ordine Diaconatus. Huiusmodi privilegia* [57]
seu facultates concedi possunt vel ad tempus determinatum, vel [58]
ad casum, v. gr. facultas distribuendi communionem, ita ut alii viri hac facultate gaudere possint occasione magnarum celebrationum seu festorum ». Rationes: ut sacramentum Ordinis ab omnibus in summo honore habeatur et vitetur invidia inter viros eiusdem paroeciae vel dioeceseos; huiusmodi facultates ceteroquin semper auferri possunt, si quis horum virorum sese non iam bene gesserit.

R. — Propositio, si sensu exclusivo intelligitur, contradicit textui, qui ceteroquin non negat hoc etiam fieri posse.

229 — Pag. 75, lin. 6: Proponit unus Pater ut post verba: « tanquam proprius », praesenti textui sequens textus *substituatur*: « gradus hierarchiae restitui poterit (deletur ergo: « *et permanens* »), *in casibus tamen particularibus et nonnisi approbante Summo Pontifice, cuius erit determinare utrum et ubinam talis restitutio opportuna sit et sub qualibus conditionibus, retenta autem pro diaconis lege caelibatus* ».

R. — Haec propositio est contra textum approbatum in suffragationibus 36 et 37.

230 — Pag. 75, lin. 6: Unus Pater proponit ut loco: « restitui poterit », dicatur: « *institui* » poterit. Ratio: Historice non constat aliquando exstitisse diaconatum permanentem ut intelligitur in schemate.

R. — Diaconatus *permanens* in antiqua Ecclesia exstitit, licet forsan non cum omnibus illis formis, quae nunc a textu recepto, pag. 74, linn. 28-36, praevidentur. Ergo stet textus.

231 — Pag. 75, lin. 6: Duo Patres proponunt ut post: « poterit », *addatur,* sive: « *ad quem ordinari posse statuitur solos Fratres religiosos et alios qui aliunde iam ad caelibatum tenentur* », sive: « *Sola auctoritas competens est R. Pontifex, ad quem spectat decernere utrum et ubinam, pro cura animarum, huiusmodi diaconos institui opportunum sit* ».

R. — Modus *primus* propositus, in sua forma exclusiva, textui contradicit. Superiorum maiorum erit iudicare utrum opportunum sit etiam *Fratres religiosos* ad diaconatum permanentem admittere. *Secunda* propositio contradicit textui approbato in suffragatione 37.

[59] SUFFRAGATIO 37ª

232 — Pag. 75, lin. 6 ss.: 8 Patres proponunt ut omnia quae sequuntur *deleantur.*

R. — Esset contra normas.

233 — Pag. 75, lin. 6 s.: 55 Patres, variis formulis, proponunt ut dicatur ad *Romanum Pontificem, ipsumque solum,* spectare decernere utrum et ubinam diaconos permanentes institui opportunum sit, simulque diversis formulis munus coetuum Episcoporum in hac materia circumscribere conantur.

R. — Omnes hi Modi contradicunt textui suffragationis 37.

234 — Pag. 75, lin. 8: Unus Pater rogat ut post verbum: « coetus », *addatur*: « *aut, ubi coetus huiusmodi non habentur, ad episcopum,* approbante ... ».

R. — Est quaestio de iure, quae hic tractari non debet.

235 — Pag. 75, lin. 8: Unus Pater proponit ut *deleatur* incisa: « approbante ipso Summo Pontifice ».

R. — Propositio contradicit textui.

236 — Pag. 75, lin. 9: 3 Patres proponunt ut post verbum: « decernere », *addatur*: « *ubi adsit vera necessitas, et semper manente lege caelibatus* »; alius Pater rogat ut ibi *addatur*: « *quam cautissime et quidem in casibus bene perpensis* ».

R. — *Prima* propositio restringit textum, ideo admitti nequit; *secunda* videtur inutilis, quia res ex se patet.

237 — Pag. 75, lin. 10: Unus Pater proponit ut: « opportunum sit », *mutetur* in: « *necesse sit* ».

R. — Et haec propositio textui contradicit.

238 — Pag. 75, lin. 11: Unus Pater proponit ut, post: « institui », *addatur*: « *et quanam disciplina ecclesiastica regi debeant* » (in hac propositione linn. 11-17 textus recepti delendae essent). Alius vero ut hoc loco *addatur*: « *In territoriis autem Missionum, ad Ordinarios respectivi territorii Missionum, approbante ipso Summo Pontifice, spectat decernere utrum et ubinam, pro cura animarum, huiusmodi diaconos institui opportunum sit* ».

[60] R. — *Prima* propositio textui contradicit. *Secunda* autem additio quaestionem *de iure* implicat, quae hic tractari non debet.

239 — Pag. 75, lin. 11 ss.: 24 Patres rogant ut *deleatur* tota paragraphus. 20 alii non attendunt quod per exitum suffragationis 37, verba: « Supremae auctoritati competit » *nunc e textu*

excidunt, ut clare dicitur pag. 75, in nota explicativa, et in Relatione, pag. 107 (ubi scribitur: si exitus tertiae suffragationis, nempe 37^{ae}, est positivus, textus Concilii ita exprimitur: « Hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit »). Proponunt hi Patres ut, loco: « Supremae Auctoritatis », quae verba non iam sunt in textu, dicatur: « *Romanus Pontifex* ». [60]

R. — *Prima* series modorum contradicit normis; *secunda* propositio nunc obiecto caret, ut patet ex textu pag. 64.

240 — Pag. 75, lin. 12: 18 Patres *ulteriores specificationes* in textum inducere vellent, sive *a*) relate ad *qualitates generales* requisitas ab illis viris maturioris aetatis, *addendo*: « *pietate et zelo animarum probatis* », vel *mutando* textum in: « *viris vitae probatae christianae necnon apostolicae* », aut: « *viris idoneis et rite formatis* », aut: « *viris maturioris characteris* »; *b*) sive relate ad *aetatem* horum virorum, *addendo* « *multis annis christiane viventibus* », aut: « *id est, non infra 35 annos* » aut: « *saltem 40 annorum* »; *c*) sive relate ad eorum *vitam coniugalem, addendo*: « *servata tamen iuxta ininterruptam Ecclesiae traditionem continentia* », aut: « *servata tamen, iuxta ininterruptam Ecclesiae Latinae traditionem, continentia* ».

R. — Textus propositus est ordinis generalis; *ulteriores determinationes,* quales in omnibus his Modis proponuntur, spectant ad competentes territoriales Episcoporum coetus, approbante S. Pontifice. Ultima suggestio contradicit textui.

241 — Pag. 75, lin. 14: 5 Patres Modos proponunt qui respiciunt *adiuncta* institutionis diaconatus permanentis. *Addere* vellent, post verbum: « possit » sive: « *ex Ecclesiae necessitate* », sive: « *ratione maximae necessitatis et praesertim in missionibus* », sive: « *tantum in missionibus* », sive: « *tantum ob causam pastoralem valde gravem* ».

R. — Omnes hi Modi restringunt textum et ideo admitti non possunt.

242 — Pag. 75, lin. 14: 10 Patres proponunt ut in fine paragraphi aliquid *addatur* de lege caelibatus. Duo suggerunt ut dicatur: « *Quibus quoque in casibus firmam Sancta Synodus esse decernet sacram caelibatus legem pro ceteris in maioribus ordinibus constitutis* »; 8 autem: « *Hac nacta occasione Sancta Synodus solemniter proclamat firmitatem et sanctitatem caelibatus pro sacerdotio catholico* ». Unus tandem Pater rogat ut [61]

[61] explicite affirmetur in textu quod, qui diaconi ordinati sunt, non possint postea matrimonium contrahere.

R. — Propositiones illae *non videntur ad rem*. Ultima determinatio *ad dispositionem iuris* spectat.

CORRECTIONES ADMISSAE

IN CAPITE III

Num. 18

Pag. 59, linn. 11-12: Haec Sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani primi vestigia premens, cum eo *docet et declarat*...

Pag. 59, lin. 16: Quorum successores, *videlicet* Episcopos...

Pag. 59, lin. 20: Beatum Petrum ceteris Apostolis *praeposuit in ipsoque* instituit...

Pag. 59, lin. 23 ss.: Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri primatus *Romani Pontificis deque eius* infallibili Magisterio, Sacra Synodus cunctis fidelibus firmiter credendam rursus proponit.

Num. 19

Pag. 60, lin. 14: (Dominus Iesus Apostolos) ad modum collegii *seu coetus stabilis* instituit.

Num. 20

Pag. 61, lin. 35: Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum et successoribus eius transmittendum, ...

Num. 21

Pag. 62, lin. 41 ss.: ... quae tamen natura sua nonnisi in *hierarchica* communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt.

[62] Pag. 63, linn. 10-12: *Episcoporum est* per Sacramentum Ordinis novos electos in corpus episcopale assumere.

Num. 22

Pag. 63, lin. 14 ss.: Sicut, statuente Domino, sanctus Petrus et ceteri Apostoli unum Collegium apostolicum constituunt, *pari* ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur.

Pag. 63, lin. 34-35: Membrum Corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et *hierarchica* communione cum Collegii Capite atque membris. [62]

Pag. 64, lin. 11: ... quae quidem potestas nonnisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest.

Pag. 64, linn. 13-20: Dominus *unum* Simonem ut petram et clavigerum Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18-19), eumque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 15 ss.); illud autem ligandi ac solvendi munus, quod Petro datum est (*Mt.* 16, 19), collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat (*Mt.* 18, 18; *Mt.* 28, 16-20) (28).

Pag. 64, lin. 32-36: Concilium Oecumenicum numquam datur, quod a Successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum; et Romani Pontificis praerogativa est *haec* Concilia convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare (29).

Num. 23

Pag. 65, linn. 5-10. Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis, tum Episcoporum tum fidelium multitudinis *perpetuum* ac visibile principium et fundamentum. Episcopi autem singuli *visibile* principium et *fundamentum* sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus, ...

Pag. 65, lin. 17: Singuli Episcopi, *qui* particularibus Ecclesiis praeficiuntur, regimen suum ...

Pag. 65, linn. 23-26: (Episcopi) ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto tenentur (33), quae, *etiamsi per actum iurisdictionis non exerceatur,* summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum.

Pag. 66, lin. 24: ... salva fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae.

Pag. 66, linn. 26-27: *Inter quas aliquae, notatim antiquae Patriarchales* Ecclesiae, veluti matrices fidei, alias pepererunt...

Num. 24

Pag. 67, linn. 10-11: (Cf. *Act.* 1, 8; 2, 1 ss.; 9, 15).

Num. 25 [63]

Pag. 67, linn. 26-27: *Inter praecipua* Episcoporum munera *eminet* praedicatio Evangelii (39).

[63] Pag. 67, lin. 41 ss.: Fideles autem in sui Episcopi sententiam *de fide et moribus* nomine Christi prolatam concurrere ... debent.

Pag. 69, linn. 14-16: Cum autem sive Romanus Pontifex sive *Corpus Episcoporum cum eo* sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam Revelationem...

Num. 27

Pag. 71, linn. 2-3: Episcopi Ecclesias *particulares* sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt...

Num. 28

Pag. 72, lin. 18 ss.: Christus, *quem Pater sanctificavit* et misit *in mundum* (*Io.* 10, 36), *consecrationis missionisque suae per Apostolos suos eorum successores, videlicet* Episcopos *participes effecit;* qui munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia legitime *tradiderunt* (62). Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur (63). Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in *exercenda* sua potestate ab Episcopis pendeant, *cum eis* tamen *sacerdotali honore coniuncti sunt* (64) et vi sacramenti Ordinis (65), ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis (*Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28), *ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos* et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, *ut* veri sacerdotes Novi Testamenti (66). Muneris unici Mediatoris Christi (*1 Tim.* 2, 5) participes in suo gradu ministerii, *omnibus verbum divinum annuntiant.* Suum *vero* munus sacrum maxime exercent ut Eucharistico cultu *vel synaxi,* quo in persona Christi agentes (67) Eiusque mysterium proclamantes, *vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum coniungunt,* et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi, scilicet sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis (cf. *Hebr.* 9, 14-28), in sacrificio Missae usque ad adventum Domini (cf. *1 Cor.* 11, 26) repraesentant et applicant (68). *Pro* fidelibus *autem* poenitentibus vel aegrotantibus ministerio reconciliationis et alleviationis summa funguntur, *et* necessitates ac preces fidelium ad Deum Patrem afferunt (cf. *Hebr.* 5, 1-4). Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes (69), familiam Dei, ut fraternitatem in unum
[64] animatam, (70) colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum

Patrem adducunt. In medio gregis Eum in spiritu et veritate [64]
adorant (cf. *Io.* 4, 24). In verbo *demum* et doctrina laborant (cf. *1 Tim.* 5, 17), credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint (71).

NOTAE: 64 [Additur]: S. CYPRIANUS, *Epist.* 61, 3: HARTEL, p. 696. Nota 69 fit 71. Nota 70 fit 69. Nota 71 fit 70.

Pag. 73, linn. 16-19: Presbyteri, ordinis episcopalis providi cooperatores, eiusque *adiutorium* et organum, ad Populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium *cum suo Episcopo* constituunt ...

Pag. 73, linn. 35-37: Presbyteri Episcop*um* vere ut pat*rem* suum agnoscant *eique reverenter* oboediant. Episcopus vero sacerdotes *cooperatores* suos, ut filios et amicos consideret...

Pag. 73, linn. 39-41: Corpori igitur Episcoporum, ratione Ordinis et ministerii, *omnes* sacerdotes, *tum dioecesani tum* religiosi, coaptantur...

Pag. 74, lin. 12: (Memores sint se) ... faciem ministerii *vere sacerdotalis et pastoralis* exhibere.

Pag. 75, lin. 18: ... coniuncta cura et ope, sub *ductu* Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant.

Num. 29

Pag. 74, linn. 35-36: ... sacramentalia ministrare, *ritui* funeris ac sepulturae praeesse...

Pag. 75, linn. 11-17: De consensu Romani Pontificis, hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit, necnon iuvenibus idoneis, pro quibus tamen lex caelibatus firma remanere debet.

[5]

CAPUT IV *

DE LAICIS

RELATIO GENERALIS

Die 30 septembris 1964 facta est suffragatio in Aula de Capite IV Schematis *De Ecclesia,* cum sequente exitu:

Praesentes votantes	2236
Placet	2152
Non placet	8
Placet iuxta modum	76

Integrum ergo Caput IV a Congregatione Generali approbatum est. Modi autem propositi imprimis examinati sunt in subcommissione technica, praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis doctrinalis delegato, ab Exc.mo Wright, Relatore huius Capitis, et a Secretariis Commissionis doctrinalis.

MODI GENERALES

1 — Duo Patres rogant ut *ordo capitum,* inde a IV usque ad VII totaliter *mutetur.* Duo alii petunt ut textus completus *reficiatur.* Unus denique criticam movet contra ordinis logici deficientiam, repetitiones, inaccuratas considerationes vel citationes, etc.

R. — Duabus prioribus postulationibus satisfieri nequit. Tertiae autem in responsionibus *ad particularia* providebitur.

RELATIO DE PARTICULARIBUS

AD NUMERUM 30

2 — Pag. 117, lin. 3: Proponit unus Pater ut loco: « statui illorum », scribatur: « *ad eos fideles qui laici nuncupantur* ».

R. — Laici in Ecclesia reapse « *statum* » constituunt.

3 — Pag. 117, linn. 11-12: Duo Patres rogant ut vitentur formulae quae increpare videntur ministros sacros. Loco: « *ignorare non possunt* », ponatur: « *probe noverunt* ».

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXXII, die 14 novembris 1964.

R. — Admittitur. [5]

4 — Pag. 117, lin. 20: Proponit unus Pater ut loco citationis *Eph.* 4, 15-16, ponatur: *Eph.* 4, 11: « Posuit quosdam Apostolos... in opus ministerii ». [6]

R. — *Eph.* 4, 11 agit *de ministris; Eph.* 4, 15-16, e contra, de *omnibus* fidelibus.

AD NUMERUM 31

5 — Pag. 117, lin. 29 - pag. 118, lin. 5: Plures Patres descriptionem magis completam rogant de laicis. Duo proponunt ut, pag. 117, lin. 33, loco: « christifideles », ponatur: « *homines* ». Unus rogat ut, lin. 31, post verba: « status religiosi », inseratur: « *in quantum indoles institutorum propria exceptionem exigit* ». Alius dolet quod elementum fundamentale praetermittatur in descriptione, nempe: « *ut filii adoptionis* ». Denique, duo Patres, distinctione facta inter *Populum Dei* et *Ecclesiam,* proponunt ut dicatur: « Populo Dei *aggregati*... pro parte sua missionem *Ecclesiae* in *ipsa* Ecclesia et in mundo exercent ».

R. — Non placet vox « *homines* », quia solum *de fidelibus* agitur. Additio *de indole Institutorum* in rem controversam intraret. Incorporatio in Christum evidenter comportat *filiationem adoptivam.* In textu Schematis, *Populus Dei* idem sonat ac *Ecclesia.* Unde nulla ratio mutandi.

6 — Pag. 118, linn. 12-15: Plures Patres non accipiunt has lineas. Unus proponit ut *deleantur;* 9 Patres, observantes quod totius Populi Dei est « transfigurare mundum » et quod indoles specifica vitae religiosae non est praxis consiliorum neque « spiritus Beatitudinum », quae ad omnes spectant, proponunt: « Dum religiosi... testimonium reddunt, *cum a mundo per professionem externam consiliorum separati, resurrectionem exspectatam et gloriam Regni praenuntiant.* Laici vero *in saeculo vivunt,* scilicet in omnibus... » (6 Patres), vel: « spiritu *consiliorum evangelicorum* » (1 Pater), vel: « dum religiosi suo statu *bona caelestia iam in hoc saeculo praesentia clarius manifestant et vitam aeternam testificant* », vel adhuc: « dum religiosi qui, *suo statu mundo revera renuntiant, aperte demonstrant, Regnum Christi non esse de hoc mundo* (cf. *Io.* 18, 36) ».

R. — Textus affirmat Religiosos hoc testimonium praebere specifice *per statum suum* (cf. lin. 12). De Religiosis fusius agitur in numero 44. Proinde hic nihil immutandum.

[7] 7 — Pag. 118, linn. 15-17 (addita lin. 6[a]): 5 Patres timent ne indoles saecularis laicorum nimis exclusive proponatur. Lin. 6, scribere volunt: « *quaedam* saecularis indoles ». Lin. 15, volunt addere: « Laici *plerique* », et lin. 17, *delere*: « omnibus *et singulis* », et post lin. 17 interponere: « *Sic autem missio Ecclesiae adimpletur* ».

R. — Scribatur: *Laicorum est, ex vocatione propria,* res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, *regnum Dei quaerere.*

8 — Pag. 118, linn. 27-31: Proponit unus Pater ut hae lineae *deleantur,* ad repetitionem vitandam, additione facta in lin. 17: « ad res temporales gerendas secundum Deum *et Christum illuminandas* et ordinandas vocantur *in laudem Creatoris et Redemptoris* ».

R. — Hac suppressione ac transpositione non melioratur textus.

AD NUMERUM 32

9 — Pag. 119, linn. 17-20: Rogant tres Patres ut melius distinguatur « aequalitas » relate ad vocationem, gratiam, dignitatem, ab « inaequalitate », relate ad aedificationem Corporis Christi. Unus Pater his lineis substituere vult formulam: «*omnes tamen vocantur ad eandem aedificationem Corporis Christi* ».

R. — Consulto dicitur: « quoad actionem *cunctis fidelibus communem* circa aedificationem Corporis Christi », ut scilicet ratio servetur *differentiae in modo* cooperandi.

10 — Pag. 119, lin. 22: Non placet uno Patri expressio: « membra populi », cum vox: « membrum » in Epist. Paulinis ad Corpus semper sese referat.

R. — Dicatur: « *et reliquum Populum Dei* ».

11 — Pag. 119, lin. 26: Proponit unus Pater ut dicatur, loco: « reliquo Populo ministrent », « *fidelibus* ministrent ».

R. — Scribatur: « aliisque fidelibus ».

12 — Pag. 119, lin. 35 ss.: Timent duo Patres ne « inopportunae menti democraticae » indulgeatur et laici obliviscantur se revereri debere tria munera Pastorum, dum alius proponit ut lin. 40, post verba: « docendo, sanctificando », addatur verbum:
[8] « *et regendo* ». Alius Pater, lin. 35, loco: « ex divina dignatione », vult scribere: « *ex divina gratia sanctificante* ».

R. — Admittitur, lin. 40, additio: « *et regendo* ». De oboedientia postea explicite agitur in num. 37, pag. 124, lin. 36. Ultima mutatione non melioratur textus.

AD NUMERUM 33 [8]

13 — Pag. 120, lin. 9: Unus Pater proponit ut addatur verbis: « quicumque sunt », verba: « *veluti palmites in communione cum Patre, qui agricola est, et cum Christo, vite* ».

R. — Citatio *Io.* 15, 1 ss. hic non est ad rem.

14 — Pag. 120, linn. 14-16: De apostolatu laicorum, tres Patres volunt ut clarius indicetur origo eius et character eius particularis. Duo proponunt ut scribatur: « Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae, *quae a missione Filii missioneque Spiritus Sancti procedit.* Ad hanc Ecclesiae missionem omnes... ». Alius proponit ut simpliciter dicatur: « est participatio *quaedam* ».

R. — Ex toto contextu patet hic tractari de missione apostolica *sensu latiore.* Additio est inutilis. Unde nihil est immutandum.

15 — Pag. 120, lin. 22: Unus Pater proponit ut loco: « ut praesentem et actuosam reddant Ecclesiam », ponatur: « ut actuosam *repraesentent* Ecclesiam ».

R. — Locutio esset minus clara. Stet ergo textus.

16 — Pag. 120, linn. 25-26: Proponit unus Pater ut, lin. 25, *deleatur* vox: « *testis* », et, lin. 26, vox: « *totius* »: laicus enim non potest esse testis totius missionis Ecclesiae, siquidem non potest peragere ea quae sunt in Ecclesia principaliora. Addit quod citatio *Eph.* 4, 7 non esset ad rem.

R. — Etiam laici *testimonium* praebent. Citatio *Eph.* 4, 7 est accurata. Scribatur autem linn. 26-27: « vivum instrumentum missionis *ipsius Ecclesiae* ».

17 — Pag. 120, lin. 33: Proponunt duo Patres animadversiones circa « vocationem », vel sic dictum « mandatum » ad apostolatum. Alius Pater rogat ut declaretur clare: « *mandatum* » non esse reservatum uni associationi, sed extendi *ad omnes associationes* [9]
ab Ecclesia recognitas.

R. — Redactio consulto *vitat controversias de vocabulario.* Ulteriores determinationes ad Schema *De Apostolatu Laicorum* pertinent.

18 — Pag. 120, linn. 36-40: Proponit unus Pater ut haec verba *deleantur,* quia coincidunt cum dictis in lineis 30-33.

R. — Agitur hic de alia categoria, nempe de illis qui munera *ecclesiastica exercent,* v. gr. oeconomi in institutione religiosa, catechistae stricte dicti, etc.

[9] 19 — Pag. 120, lin. 39: Proponit unus Pater ut post lin. 39 *addatur* longa expositio de *variis formis* quibus laici cum Hierarchia cooperantur.

R. — Huiusmodi ampliatio admitti nequit.

AD NUMERUM 34

20 — Pag. 121, linn. 8-23 (de tota paragrapho): Plures Patres in titulo volunt « sacerdotium *commune* » loco: « *universalis* ». In lin. 13 duo Patres volunt « *participationem* », loco: « *partem* ». Alius proponit ut vox: « *character* » inseratur in secunda paragrapho, linn. 12-13.

R. — Admittitur: « sacerdotium *commune* ». « Partem tribuere » vel «sumere », latine indicat « *participationem*». De « *charactere* » non est loquendum.

21 — Pag. 121, lin. 16: Unus Pater aestimat sententiam esse « miram », quia videtur laicus passive se habere.

R. — Sensus est aperte acceptativus seu receptivus.

22 — Pag. 121, lin. 17: Unus Pater proponit ut *expungantur* verba: « *conversatio coniugalis et familialis* ».

R. — Omnino admitti nequit.

23 — Pag. 121, linn. 22-23: Proponit unus Pater ut *deleantur* verba: « Sic et laici... consecrant », quia iam sufficienter dictum est antea.

R. — Phrasis ponitur per modum conclusionis recapitulativae.

[10] AD NUMERUM 35

24 — Pag. 121, linn. 27-30: Duo Patres proponunt animadversiones contra *munus propheticum* laicorum, utpote non satis clare distinctum a munere Hierarchiae. Alius Pater putat citationes lin. 30 non ad rem esse.

R. — Differentia cum *Hierarchia* enuntiatur in lin. 28. Citationes Scripturae respiciunt *omnes fideles*.

25 — Pag. 121, linn. 38-40: Unus Pater dicit quod non intelligitur comparatio cum sacramentis.

R. — Comparatio est in *praenuntiatione futurorum bonorum.*

26 — Pag. 122, lin. 17: Rogant duo Patres praecisiones circa « officia sacra » quae laici possunt supplere.

R. — Agitur de baptismo conferendo, Eucharistia deferenda etc.

27 — Pag. 122, linn. 20-22: Plures Patres postulant clariorem explicationem circa formationem intellectualem et theologicam lai-

corum. 6 proponunt *additionem*: « pro sua quisque intellectuali cultura », vel, secundum textum priorem: « pro sui temporis quaestionibus », vel: « quaestionibus ad cleri informationem competentem atque aliquando suppletivam in rebus theologiae ac philosophiae ». Auditores laici hoc postularent. [10]

R. — In textu exprimuntur *principia generalia;* non proponuntur normae agendi.

AD NUMERUM 36

28 — Pag. 122, lin. 27: Proponunt 8 Patres ut, loco: « subiiciuntur », scribatur: « subiicienda sunt », quia propter peccata non omnia adhuc de facto Christo subiciuntur.

R. — Observatio videtur nimis subtilis.

29 — Pag. 122, linn. 30-31: Plures Patres observant dominium Christi participari non posse a fidelibus; Dominus illud exercet, ut fideles ad libertatem perveniant.

R. — Haec libertas est quaedam regalitas. Textus nititur in dictis Patrum. Cf. in Relatione, pag. 132, litt. B.

30 — Pag. 122, lin. 40: Proponunt 9 Patres ut post verba: « In quo Regno... », addatur: « *cum post resurrectionem carnis plenissime advenerit* ». [11]

R. — Processus ille liberationis iam aliquo modo incepit; in fine autem consummabitur. Pag. 123, lin. 1, verbum: « *liberabitur* », ponitur in futuro.

31 — Pag. 123, linn. 7-10: Proponunt 9 Patres ut ad verba: « Fideles... adiuvare debent », *addatur*: « *in laudem Dei ordinabilem et ordinandam* », necnon: « *sub influxu gratiae et caritatis* », ut repellatur error naturalismi.

R. — Additiones non sunt necessariae. Gratia Dei evidenter supponitur.

32 — Pag. 123, lin. 16: Unus Pater vult specificare hanc activitatem: agitur de industria, iustitia erga proximos, zelo pro bono communi, etc.

R. — Omnia concreta exempla enumerari nequeunt. Cf. ceterum lin. 12.

33 — Pag. 122, linn. 27-31: Aestimat unus Pater hic haberi *repetitionem* cum linn. 15-27.

R. — Hic agitur de activitate non individuali, ut antea, sed *de collectiva actione*.

34 — Pag. 123, linn. 31-36: Unus Pater confitetur se nescire: « quis-

[11] nam sit ille nuntius pacis qui videtur ex agro mundi in Ecclesiam introire ».

R. — Duplex adhibetur comparatio. Scribatur: « quibus *praeconium* pacis *in mundum* introeat ».

AD NUMERUM 37

35 — Pag. 124, lin. 17 (et 33): Proponit unus Pater ut *deleantur* verba: « sicut omnes fideles ».

R. — Res valet etiam de clericis et religiosis. Scribatur: « *christifideles* ».

36 — Pag. 124, linn. 21-26: Unus Pater proponit ut hae lineae *deleantur,* utpote « pastoribus offensivae ».

[12] R. — Optata et postulationes fidelium Pastores non offendunt, sed eis inserviunt.

37 — Pag. 124, lin. 17 ss.: Proponit unus Pater ut deleantur verba: « si casus ferat, per instituta ad hoc ab Ecclesia stabilita », et lin. 29 delere vult « *fortitudine* ».

R. — Non agitur de « institutis opinionis publicae» sed de regulari colloquio.

38 — Pag. 124, lin. 30 - pag. 125, lin. 3: Observat unus Pater quod in *Hebr.* 13, 17 agitur de oboedientia, non vero de precibus.

R. — Etiam textus schematis agit *de oboedientia.* Cf. lin. 36. Cum oboedientia connectuntur preces.

AD NUMERUM 38

39 — Pag. 125, lin. 29: Proponunt duo Patres ut, loco: « resurrectionis et vitae », ponatur, vel: « *mortis et resurrectionis* », vel: « *testis vitae et resurrectionis* ».

R. — Resurrectio supponit mortem et ducit ad novam vitam.

40 — Pag. 125, lin. 35: Proponit unus Pater ut addantur 15 lineae ex Encyclica *Mater et Magistra* (circa finem, n. 273).

R. — Non expedit.

CORRECTIONES ADMISSAE [13]

IN CAPITE IV

Num. 30

Pag. 117, linn. 11-12: Pastores enim sacri *probe norunt* quantum laici ad bonum totius Ecclesiae conferunt.

Num. 31

Pag. 118, linn. 15-17: *Laicorum est, ex vocatione propria,* res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, *regnum Dei quaerere.*

Num. 32

Pag. 118, linn. 21-26: Distinctio enim quam Dominus posuit inter sacros ministros et *reliquum populum Dei,* secum fert coniunctionem... Pastores Ecclesiae, exemplum Domini secuti, sibi invicem *aliisque fidelibus* ministrent...

Pag. 118, lin. 38 ss.: (Laici) fratres habent eos, qui in sacro ministerio positi, auctoritate Christi docendo, sanctificando *et regendo* familiam Dei ita pascunt...

Num. 33

Pag. 120, linn. 26-27: (Laicus) testis simul et vivum instrumentum missionis *ipsius* Ecclesiae existit.

Num. 34

Pag. 121, lin. 7 (in titulo): De participatione laicorum in sacerdotio *communi* et cultu.

Num. 36

Pag. 123, lin. 35: Ecclesiae latius patent portae, quibus *praeconium* pacis *in mundum* introeat.

Num. 37

Pag. 124, lin. 17 et lin. 33: Laici, sicut omnes *Christi*fideles, ...

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput IV respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[17] CAPUT V

DE UNIVERSALI VOCATIONE AD SANCTITATEM IN ECCLESIA

RELATIO GENERALIS

Die 30 septembris 1964 facta est suffragatio: « Utrum instituendum sit caput speciale de Religiosis ». Exitus fuit sequens:

Numerus votantium	2.210
Placet	1.505
Non placet	698
Vota nulla	7

Suffragatio de numeris 39-42, qui exinde Caput V constituunt, sequentem exitum habuit:

Numerus votantium	2.177
Placet	1.856
Non placet	17
Placet iuxta modum	302
Vota nulla	2

Integrum ergo Caput V, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali est approbatum.

Omnes Modi, a Patribus introducti, diligenter examinati sunt in Commissione technica, praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis Doctrinalis delegato, ab Exc.mo F. Šeper, fungente munere praesidis Subcommissionis pro hac parte, et a secretariis Commissionis Doctrinalis.

MODI GENERALES

1 — Tres Modi ordinis generalis propositi fuere. Quidam Patres rogant ut retineatur *unicum caput* et novum materiae ordinem proponunt. 584, e contra, Patres petunt ut totum caput *reponatur* post caput II *De Populo Dei.* Unus tandem Pater postulat ut e novo textu clarius appareat *Christum esse exemplar* et fontem sanctitatis pro omnibus, immo, accedente uno alio Patre, ut de altioribus vitae gratiae gradibus mentio fiat.

R. — *Prima* propositio decisioni Congregationis Generalis contradicit. Etiamsi rationes non spernendae afferuntur pro *secunda* propo-

sitione, ipsa tamen propter decisionem Congregationis Generalis [17]
et propter rationes practicas, urgente praesertim tempore, exse-
cutioni mandari nequit. Propositis in *tertio* Modo iam sufficien-
ter provisum est in textu: cf. v. gr. pag. 139, linn. 5 ss.; de altio- [18]
ribus autem vitae gratiae gradibus non est agendum.

Licet *Votum* a 584 Patribus introductum, die 15 septembris 1964, stricte loquendo « Modus » non sit, quia « votantes iuxta Modum », die 30 septembris erant 302 tantum, nihilominus Subcommissio technica omni qua par est cura documentum rationesque in eo expositas examinavit.

1) Post approbationem completam Capitis II, *De Populo Dei,* cum suis Emendationibus, a Congregatione Generali, die 30 octobris 1964, *mutationes* in eo introducere non amplius licet.

2) De *translatione* Capitis V immediate post Caput II supra iam dictum est. De rationibus autem pro ea invocatis liceat sequentes observationes proponere, ut petentibus pro posse satisfaciamus:

a) *Absolute omnes* in Ecclesia ad sanctitatem vocari, *explicite* dicitur in Prooemio huius Capitis V, nempe pag. 139, linn. 10-14, et deinde ex professo docetur in num. 40: « De *universali* ad sanctitatem vocatione ». Haec vocatio igitur apparere nequit quasi reservata Religiosis.

b) De *statu Religiosorum in Ecclesia,* spectato momento huius status, agitur in capite speciali et distincto, nempe VI.

c) Quamvis *ordo capitum,* qualiter nunc exstat, non sit sub omnibus aspectibus perfectus, iustificatur tamen considerationibus allatis in Relatione, pag. 178 s., ubi inducuntur etiam Documenta Pontificia.

3) Ad *particularia* quod attinet, i. a. de aspectu *ecclesiologico* Religiosorum, sedulo curam egimus, ut ex expensione Modorum adhuc clarius apparebit.

4) *Declarationes S. S. Pauli VI,* die 23 maii 1964, de valore perenni vitae religiosae, de consecratione eius specifica, de renovatione prudenter in ea inducenda, de relatione vitae interioris cum apostolatu, et de concordia cum Sacra Hierarchia, in decursu textus sedulo honorantur et adhibentur. Citationes autem longiores in textum inserere non concordat cum normis generalibus. Quapropter illae *Declarationes* in Notis accuratim referuntur.

[18]

RELATIO DE PARTICULARIBUS

AD NUMERUM 39

2 — Pag. 139, linn. 1-26: A pluribus Patribus rogatur quaedam *retractatio* Prooemii, quia: *a*) prooemium nimis adhuc pendet ab anteriore divisione; *b*) quia clarius exponenda esset idea directrix,
[19] scl. sanctitatem esse perfectionem caritatis; *c*) quia tota expositio nimis adhuc occupatur de consiliis.

R. — Ad *a*) Prooemium pro descriptione *sanctitatis in genere* certe valet; ad *b*) Proponit commissio ut linn. 18-19, loco: « qui in suo vitae ordine ad *fastigium* caritatis, aedificantes alios, *accedunt* », scribatur: « qui in suo vitae ordine ad *perfectionem* caritatis, aedificantes alios, *tendunt* »; de *caritate* insuper dicitur pag. 140, linn. 31-32 et pag. 144, linn. 2-5; ad *c*) *Consilia evangelica* etiam a non-religiosis observari possunt.

3 — Pag. 139, lin. 11: Proponit unus Pater ut loco: « *pascantur* », dicatur: « *ministrantur* », quia haec vox melius correspondet menti hodiernae hominum.

R. — Propositio non videtur fundata. Stet ergo textus.

4 — Pag. 139, lin. 12: Duo Patres proponunt ut post: « *sanctitatem* », *addatur*: « *seu caritatis perfectionem* ».

R. — Providetur in lin. 18 et rursus postea.

5 — Pag. 139, linn. 13-14: Unus Pater affirmat textum *1 Thess.* non esse ad rem. Alius proponit citare *Eph.* 1, 4-6 (« Elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate »), utpote mire exprimens omnia de sanctitate.

R. — Textus *1 Thess.* revera est ad rem. *Addatur* autem referentia ad *Eph.* 1, 4 (deletis tamen verbis « in caritate », quae ad v. 5 pertinent et cum sequentibus in textu ideis cohaerent).

6 — Pag. 139, linn. 14-17: 5 Patres rogant ut, propter ordinem logicum, linn. 14-17 ante linn. 10-14 ponantur, inducendo in textum quasdam modificationes.

R. — Haec modificatio non videtur ameliorare textum.

7 — Pag. 139, lin. 17: 5 Patres proponunt ut post: « manifestari debet », *addatur*: « *imprimis ope caritatis* », ut idea centralis totius capitis melius appareat.

R. — Huic petitioni providetur in linn. 18-19.

8 — Pag. 139, lin. 19: 10 Patres proponunt ut post verbum: « accedunt », *addatur*: « *inter media vero ad caritatem perfectam*

ordinata, peculiariter (vel, iuxta 3 Patres: " *proprio quodam* [19]
modo ") *numeratur observantia consiliorum quae evangelica ap-* [20]
pellari consueverunt ».

Ratio: Prooemium fere unice agit de consiliis, non de praeceptis, etc.

R. — Ratio allata non fundatur in textu. Admittitur, tamen, ut loco: « *peculiariter* », scribatur: « *proprio quodam modo* ».

9 — Pag. 139, lin. 20: 10 Patres petunt ut loco: « *praxi* », dicatur: « *observantia* », 6 autem ut scribatur: « *professio* ».

R. — *Prima* propositio non admittitur. « *Professio* » adhibetur tantum de religiosis; res intenta autem valet etiam de laicis.

10 — Pag. 139, lin. 23: 3 Patres rogant ut: « *a quibusdam* », *deleatur,* nam observantia consiliorum, iuxta ipsam Relationem, pag. 147-148, omnibus proponitur. Unus suggerit ut positivo modo dicatur: « *omnibus christianis proposita* », propter eandem rationem.

R. — Loco: « *quibusdam* », dicatur: « *multis* ». Quod consilia omnibus proponuntur, hic nullo modo negatur.

11 — Pag. 139, lin. 24: 10 Patres suggerunt ut loco: « *ab* Ecclesia », dicatur: « *in* Ecclesia », ut vox « Ecclesia » servet sensum quem habet lin. 10.

R. — Admittitur, ob rationes historicas.

AD NUMERUM 40

12 — Pag. 140, lin. 4: Textus biblicus, iuxta unum Patrem, non est ad rem: agit de caritate erga inimicos.

R. — Textus *Mt.* 5, 48 est summa totius sermonis praecedentis in *Mt.*

13 — Pag. 140, linn. 9-10: Proponunt 7 Patres ut loco: « et ut invicem diligant sicut et Christus dilexit nos », dicatur: « *et proximum diligant, ambulantes in dilectione sicut et Christus dilexit eos et tradidit semetipsum pro eis* (cf. *Eph.* 5, 2) ».

Ratio: ita melius exprimitur *amor proximi* et non *ad invicem.*

R. — Stet textus, qui fideliter verba Scripturae sequitur.

14 — Pag. 140, lin. 16: Unus Pater proponit ut loco: « *sanctificationem* », dicatur: « *sanctitatem* », vel: « *iustitiam* ».

R. — Nulla adest ratio mutandi textum.

15 — Pag. 140, lin. 28: Proponunt 4 Patres ut post citationem *Mt.* 6, [21]
12, *addatur*: « *et dignum fructum poenitentiae facere* ».

R. — Nulla adest ratio hoc addendi, quia idea iam est in textu.

[21] 16 — Pag. 140, lin. 33: Duo Patres rogant ut loco: « *altiora bona humaniori* modo promoventur », scribatur, claritatis et simplicitatis causa, « *modus vivendi humanior* ».

R. — Scribatur: « *humanior vivendi modus* promov*etur* ».

17 — Pag. 140, lin. 38: Unus Pater proponit ut post verba: « Eiusque imagini conformes effecti », addatur: « *in Eo incorporati* », ut alludatur semel ad hoc fundamentum obligationis ad sanctitatem.

R. — Nulla adest ratio hoc addendi.

AD NUMERUM 41

18 — Pag. 141, lin. 4: Unus Pater rogat ut post, « qui », *addatur*: « *Christo incorporati* ».

R. — Iam provisum in responso ad Modum 17.

19 — Pag. 141, lin. 24: 8 Patres rogant ut aliquid dicatur de sanctitate *personali* Episcoporum, et textum inserendum proponunt.

R. — Sufficienter dicitur sive in hac alinea (« Pastores », de quibus in lin. 12 agitur, sunt Episcopi), sive in n. 26, p. 70, linn. 37 ss.

20 — Pag. 141, lin. 27: Unus Pater rogat ut loco: « *sacerdotes* », dicatur: « *presbyteri* », quia hic de relatione presbyterorum ad Episcopos agitur.

R. — Haec propositio admittitur.

21 — Pag. 142, lin. 27: Proponit unus Pater ut *deleantur* verba: « *a Deo* electi... ».

R. — *Consulto* in textum inducta sunt; stet ergo textus.

22 — Pag. 142, linn. 31 ss.: 3 Patres rogant ut *amplificentur* ea quae *de coniugibus* dicuntur; unus Pater petit ut melius indicetur momentum *sacramenti* matrimonii in vita coniugum et sequentes mutationes proponit: *a*) lin. 32, loco: « *proprium iter* », dicatur: « proprium *donum* », vel: « propriam *vocationem* »; *b*) lin. 33, post « decursu », *addatur*: « *sicut in momento sacramentalis celebrationis matrimonii seipsos sanctificaverunt,* ita »; *c*) lin. 36,
[22] loco: « *indefessi* », dicatur: « *supernaturalis* »; *d*) lin. 40, post « *signum* », addatur: « *et participationem* ».

R. — *Primae* propositioni sufficienter provisum est in textu. Ad alteram autem quod attinet, aestimat Commissio mutationes et primam additionem propositas non esse necessarias. Loco tamen « proprium iter », scribatur *propriam viam*. Admittitur denique quod lin. 40, post: « signum », *addatur*: « *et participationem* ».

23 — Pag. 142, lin. 41 et ante lin. 42: Rogant 12 Patres ut mentio fiat de aliis adhuc categoriis christianorum, sive (*1 Pater*) de

institutoribus et institutricibus, sive (*11 Patres*) de innuptis et viduis. Relate ad has ultimas personas, sequens proponitur textus: « *Viduae autem et innuptae, in traditione christiana frequenter celebratae et etiam in praesenti operositate caritativa vel missionaria Ecclesiae tam efficaces, in conditione sua aspera, ad sanctitatem et operositatem in Ecclesia haud parum conferunt* ». [22]

R. — Non possumus de omnibus categoriis loqui. Admittitur tamen ut mentio fiat de viduis et innuptis, ob eorum numerum ingentem et locum in traditione christiana, sed abbreviando textum: « *Simile exemplum alio modo praebetur a viduis et innuptis, qui, ad sanctitatem et operositatem in Ecclesia et ipsi haud parum conferre possunt* ».

24 — Pag. 142, lin. 42: 4 Patres rogant ut scribatur: « Ii vero, qui *cuiusvis generis, praesertim autem* duris laboribus incumbunt », ne aliqui operarii excludi videantur, dum 2 alii Patres petunt ut etiam de artium liberalium cultoribus mentio fiat.

R. — Scribatur: « laboribus *saepe* duris incumbunt »; *additio* autem non admittitur, ne enumeratio nimis extendatur.

25 — Pag. 143, lin. 1: 3 Patres proponunt ut post: « humanis operibus », *addatur*: « *in caritate peractis* ».

R. — Repetitio inutilis.

26 — Pag. 143, lin. 19: Unus Pater rogat ut mentio fiat *de iuvenibus*.

R. — Providetur in *De Apostolatu Laicorum* et in Schemate 13.

27 — Pag. 143, lin. 22: 3 Patres petunt ut loco: « *sanctificabuntur* », dicatur: « *se sanctificari sciant* », quia melius et nervosius.

R. — Mutatio non videtur necessaria.

AD NUMERUM 42 [23]

28 — Pag. 143, lin. 41: Unus Pater rogat ut post: « suiipsius », *addatur*: « *imprimis suis adimplendo officiis* ».

R. — Additio non videtur necessaria.

29 — Pag. 144, lin. 2-5: 4 Patres conqueruntur de obscuritate illius pericopae, sequentemque proponunt *mutationem*: « Vinculum enim perfectionis est caritas *atque plenitudo novae legis* (cf. *Rom.* 13, 10; *Col.* 3, 14), quae omnia sanctificationis media regit, informat ad finemque perducit. *Unde caritate tum in Deum, tum in proximum signatur verus Christi discipulus* ».

R. — Admittuntur ideae in additionibus propositae; scribatur autem, ut textus Scripturae fidelius adhibeantur: « *Caritas enim ut* vincu-

[23] lum perfectionis *et plenitudo legis* (cf. *Col.* 3, 14; *Rom.* 13, 10), omnia sanctificationis media... perducit. *Unde caritate ... discipulus* ».

30 — Pag. 144, lin. 4: Unus Pater proponit ut loco: « *sanctificationis media* » dicatur: « *omnes virtutes* ».

R. — Talis mutatio non esset iustificata: in formula adhibita *omnia* sanctificationis media intelliguntur.

31 — Pag. 144, lin. 23: 4 Patres proponunt ut post: « sanctitas », *addatur*: « *et caritas* Ecclesiae ».

R. — Opportunum non est. Ergo stet textus.

32 — Pag. 144, linn. 23-25: Unus Pater petit ut *deleatur* tota incisa, quia confusionem gignit (praxis consiliorum, ait, non est universalis).

R. — Agitur de *omnibus* consiliis, et non tantummodo de castitate virginali, paupertate et oboedientia. Ergo stet textus.

33 — Pag. 144, lin. 24: 10 Patres rogant ut *deleatur* locutio: « *multiplicibus consiliis* », nam, aiunt, praeter tria classica omnia alia sunt de facto praecepta.

R. — Observatio non est recta. Ergo stet textus.

34 — Pag. 144, linn. 23-25: Plures Patres pro tota hac alinea *novum* textum proponunt.

R. — Propositio normis generalibus contradicit.

[24] 35 — Pag. 144, lin. 27: Unus Pater proponit ut *deleantur* verba: « *quod a Patre quibusdam datur* ».

R. — Locutio fundatur in textu Evangelii citato. Stet ergo textus.

36 — Pag. 144, lin. 36: 4 Patres petunt ut post verba: « *Ecclesia etiam* », *addatur*: « *monitum Domini in memoria tenens de maxima difficultate eorum qui pecunias habent introeundi Regnum Dei* (*Mc.* 10, 23) », ut melius introducatur materia de paupertate.

R. — Additio non est necessaria.

37 — Pag. 145, lin. 1: Unus Pater proponit ut post: « humilitatis », *addatur*: « *oboedientiae* », alius vero: « *paupertatis* ».

R. — Provisum iam est in lineis antecedentibus et providetur in immediate sequentibus.

38 — Pag. 145, linn. 7-11: 4 Patres pro hac pericopa sequentes *mutationes* proponunt (ut melius appareat differentia inter consilia paupertatis et oboedientiae): «... Dei libertate *pro conditione sua suscipiant. Domini tamen fideles, per professionem consiliorum illorum magis ac magis liberi, sentientes in se quod et in Christo Iesu, qui " semetipsum exinanivit formam servi acci-*

piens, ... factus oboediens usque ad mortem " (*Phil.* 2, 7-8), *pro-* [24]
priis voluntatibus in assidua legum praeceptorumque propriorum uniuscuiusque statum regentium abrenuntiare *satagant,* ut Christo oboedienti sese plenius conforment ».

R. — Haec mutatio, ceteroquin sat ampla, elementa proponit quae iam antea (pag. 144, linn. 39 ss.) in textum inducta sunt. Ergo stet textus.

39 — Pag. 145, lin. 9: Unus Pater proponit ut *deleantur* verba: « *in re perfectionis ultra mensuram praecepti* », quia essent inutilia.

R. — *Consulto* in textum inducta sunt, post longam disceptationem in Commissione.

40 — Pag. 145, lin. 13: Proponunt 4 Patres ut *addatur*: « prosequendam *sic invitantur* ».

R. — Scribatur: « Omnes *igitur* christifideles... ».

41 — Pag. 145, lin. 15: Proponitur ut addatur mentio de spiritu paupertatis.

R. — Scribatur: « ... ne usu rerum mundanarum *et adhaesione ad divitias contra spiritum paupertatis evangelicae* a caritate perfecta prosequenda impediantur, ... ».

CORRECTIONES ADMISSAE [25]

IN CAPITE V

Num. 39

Pag. 139, linn. 18-19: (Ecclesiae sanctitas) multiformiter exprimitur apud singulos, qui in suo vitae ordine, ad *perfectionem* caritatis, aedificantes alios, *tendunt.*

Pag. 139, lin. 14: (*1 Thess.* 4, 3; *Eph.* 1, 4).

Pag. 139, linn. 19-20: (Haec Ecclesiae sanctitas) *proprio quodam modo* apparet in praxi consiliorum.

Pag. 139, linn. 22-26: (Quae consiliorum praxis) a *multis* christianis assumpta, sive privatim sive in conditione vel statu *in* Ecclesia sancitis, praeclarum in mundo fert, et ferre oportet, eiusdem sanctitatis testimonium et exemplum.

Num. 40

Pag. 140, linn. 32-34: ... qua sanctitate, in societate quoque terrena, *humanior vivendi modus promovetur.*

[25] *Num. 41*

Pag. 141, lin. 27: *Presbyteri* in similitudinem ordinis Episcoporum... in Dei amore crescant.

Pag. 142, linn. 31-32: Coniuges autem parentesque christiani oportet ut *propriam viam* sequentes... se invicem in gratia sustineant...

Pag. 142, linn. 38-41: (Ita coniuges) foecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores existunt, in signum *et participationem* illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit. *Simile exemplum alio modo praebetur a viduis et innuptis, qui, ad sanctitatem et operositatem in Ecclesia, et ipsi haud parum conferre possunt.*

Pag. 142, lin. 42: Ii vero qui laboribus *saepe* duris incumbunt...

Num. 42

Pag. 144, linn. 2-5: Caritas enim, *ut* vinculum perfectionis *et plenitudo legis* (cf. *Col.* 3, 14; *Rom.* 13, 10), omnia sanctificationis
[26] media regit, informat ad finemque perducit. *Unde caritate tum in Deum tum in proximum signatur verus Christi discipulus.*

Pag. 145, lin. 13: Omnes *igitur* christifideles ad sanctitatem... tenentur.

Pag. 145, lin. 15: ... ne usu rerum mundanarum *et adhaesione ad divitias contra spiritum paupertatis evangelicae* a caritate perfecta prosequenda impediatur, ...

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos ad Caput V pertinentes, cum correctionibus supra indicatis?

CAPUT VI [3]

DE RELIGIOSIS *

RELATIO GENERALIS

In suffragatione de integro Capite VI Schematis *De Ecclesia,* die 30 septembris 1964, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2189
Placet	1736
Non placet	12
Placet iuxta modum	438
Vota nulla	3

Integrum ergo caput VI, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis Doctrinalis delegato, a Rev.mo P. Butler, loco Rev.mi P. Gut, Relatoris Capitis VI, qui his diebus impeditus fuit et a secretariis Commissionis Doctrinalis.

MODI GENERALES

1 — Pag. 155: De Titulo: Septem Patres movent difficultates de titulo capitis, quae oriuntur praesertim ex inconvenientia includendi Instituta saecularia sub nomine « religiosorum », et ex existentia formarum consecrationis quae sine votis perficiuntur (ex. gr. eremitae). 4 Patres proponunt tamquam titulum: « *De professione consiliorum evangelicorum in Ecclesia* », 2 vero: « *De consecratis* », vel: « *De fidelibus Deo consecratis* », alius: *De statu* (*particulari*) *evangelicae perfectionis in Ecclesia* », alius adhuc: « *De consiliis evangelicis* »; duo denique postulant ut omnino vitentur vocabula: « *Religiosi* » et « *Vita religiosa* ».

R. — A Commissione Doctrinali, consentiente Commissione de Religiosis, statutum est, terminum generalem *de Religiosis* adhibere, non intrando in ulteriores specificationes.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXXII, die 14 novembris 1964.

[3] 2 — Pag. 155 ss.: Unus Pater postulat ut integrum hoc caput amelioretur inducendo sententias praestantiores *allocutionis S. S. Pauli VI,* die 23 maii 1964.

R. — Citationes longiores induci nequeunt. Referentiae ad Alloc.
[4] S. S. Pauli VI in Notis accuratim referentur.

3 — Pag. 155 ss.: Unus Pater insistit in suggestionem iam scripto exhibitam circa relationes inter religiosos et Episcopum loci.

R. — Provisum in num. 28, pag. 73, linn. 39 ss. In quaestiones autem iuridicas intrare non possumus.

4 — Pag. 155 ss.: Unus Pater postulat ut *addatur* nova paragraphus de vita religiosa *in Missionibus,* eo sensu ut inculcetur necessitas efformandi clerum religiosum autochtonum.

R. — Hoc thema melius tractatur in Schemate *De Missionibus.*

5 — Pag. 155 ss.: Unus Pater proponit ut ea quae aspectum *ecclesiologicum* status perfectionis exprimunt (ex. gr. potior pars n. 43 et n. 47) transeant ad Cap. V; cetera vero Cap. VI sensu proprio ad Schema De Religiosis pertinent.

R. — Nova structura practice realisari nequit.

6 — Pag. 155 ss.: Duo Patres proponunt ut fere totum caput VI, simul cum cap. V, transferatur post cap. II, *De Populo Dei.* Hic autem non servarentur nisi illa quae pertinent ad structuram iuridicam status religiosi.

R. — Provisum est in responso ad Modum 5.

AD NUMERUM 43

7 — Pag. 155, linn. 1 ss.: Unus Pater quaerit cur iam ab initio Schema sese refert ad *consilia evangelica,* cum ratio ipsa primordialis status religiosi inveniatur in *consecratione ad Deum,* specialiter ab Ecclesia sancita.

R. — Manet textus. *De consecratione* explicite agitur in num. 44, p. 156, linn. 12 ss.

8 — Pag. 155, linn. 2-4: 3 Patres postulant ut *deleantur* verba: « castitatis Deo dicatae, paupertatis et oboedientiae », quia videntur excludere vitam eremiticam et novas formas vitae religiosae, quae oriri possunt in iunioribus Ecclesiis.

R. — Agitur de descriptione *generali.* Etiam *eremitae suo modo* consilia profitentur. De quibus explicite agitur in eadem pagina, lin. 14.

9 — Pag. 155, lin. 3: 2 Patres volunt ut loco: « castitatis Deo dicatae », scribatur: « caelibatum propter regnum caelorum ».

Priora verba non sunt biblica et insuper castitas tum solutorum tum in matrimonio viventium est etiam Deo dicata. Unus Pater proponit ut *addatur*: « castitatis virginalis ». [5]

R. — Propositiones non admittuntur.

10 — Pag. 155, lin. 9: Unus Pater proponit ut inseratur *definitio* vitae religiosae, quae omnia instituta perfectionis includit: « Status religiosus est vivendi modus ab Ecclesia recognitus quo fideles propriam vitam Deo speciali modo consecrant ad perfectionem caritatis prosequendam in servitio Ecclesiae ».

R. — Quia strictae « definitiones » difficillimae sunt, praesertim quando plura elementa adhuc controvertuntur, Commissio *consulto* a « definitionibus » abstinuit, tum pro Laicis, tum pro Religiosis.

11 — Pag. 155, linn. 9-11: 4 Patres proponunt ut loco: «Ad ipsum quoque... constituere», scribatur: «*Ecclesia vero hierarchica* eorum praxim *moderata est* et stabiles etiam inde vivendi formas *sancivit* », quia agitur de delineatione historica. Insuper interpretatio consiliorum saepe a fundatoribus facta est, moderante sane Hierarchia. Alius Pater postulat ut scribatur: « Ad Ecclesiae vero *magisterium* pertinet... », quia lin. 7, vox « Ecclesia » habet sensum universalem.

R. — Descriptio historica nonnisi lin. 11 incipit. Lin. 9 scribatur: Ipsa autem *auctoritas* Ecclesiae*, duce Spiritu Sancto,* ea interpretari *curavit,* eorum... ».

12 — Pag. 155, lin. 11: 7 Patres postulant additionem ex primo Schemate *De Ecclesia* desumptam (ed. 1962, cap. V, p. 32, linn. 29 ss.): « ... constituere. *Spiritus Sancti namque gratia multos fideles urgere numquam desinit, ut et vitam supernae Ierusalem, quantum in carne possibile est, inchoatam ducant, et propinquiorem Christi imitationem prosequantur.* Quo factum... ». Sic melius servatur nexus idearum et memoratur influxus Spiritus Sancti atque iam ab initio innuuntur aspectus eschatologicus et finis huius vocationis, scil. imitatio Christi.

R. — De Spiritu Sancto iam provisum est sub 11. Cetera elementa postea tractantur.

13 — Pag. 155, lin. 15: Unus Pater postulat ut post vocem « communis », *addatur*: « *vel in ipso saeculo professae* », vel aliquid simile, propter Instituta saecularia.

R. — Idea in textu non negatur. Explicite sermo fit de *variis formis.*

14 — Pag. 155, linn. 18-25: 5 Patres proponunt sat longam *amplificationem,* quae etiam de *vita communi in primitiva Ecclesia* agit. [6]

R. — Talis descriptio particularis non requiritur.

[6] 15 — Pag. 155, lin. 22: Unus Pater proponit ut loco: « libertatis per oboedientiam amplificatae », scribatur: « *multiplicis auxilii ex oboedientia provenientis* », 3 alii vero: « libertatis per oboedientiam *confirmatae* (vel: *roboratae*) », quia vox « *amplificata* » nimis subtilis videtur.

R. — Loco: « *amplificatae* », scribatur: « *roboratae* ».

16 — Pag. 155, lin. 22: 372 Patres volunt ut post verbum: « progrediantur », *addatur* sequens propositio ex Allocutione S. S. Pauli VI ad Religiosos, die 23 maii 1964: « *Status huiusmodi, qui e votorum evangelicorum professione indolem propriam accipit, est, secundum exemplum et doctrinam Iesu Christi, perfecta vivendi ratio, quippe quae eo spectet ut caritas augescat et ad absolutionem perducatur* ».

R. — Referentia ad Alloc. S. S. Pauli VI additur in Nota 2. Ideae autem in textu approbato iam indicatae sunt.

17 — Pag. 155, linn. 26-32: Unus Pater postulat ut tota haec alinea *deleatur*.

R. — Non concordat cum normis.

18 — Pag. 155, lin. 29: Unus Pater animadvertit quod raro clerici statum religiosum amplectuntur, nam res se habet potius viceversa. Ideoque proponit ut legatur: « *sed quidam christifideles, sive clericale servitium suscipiant, sive non, a Deo vocantur* ».

R. — Specificatio haec non est necessaria.

19 — Pag. 155: 2 Patres postulant ut huic numero *addatur nota*: « Quae in hoc capite dicuntur de exemplaritate vitae religiosae, assertive et non exclusive accipienda sunt », nam etiam sacerdotes et laici exemplum praebere possunt.

R. — Iam provisum est in Capite V.

AD NUMERUM 44

20 — Pag. 156, passim: 15 Patres rogant ut in toto numero 44 *terminologia mutetur,* non adhibendo solummodo vocem: « *vota* »,
[7] sed alternis vicibus dicendo sive: « *vincula* », sive: « *ligamina* », vel simpliciter ei substituendo: « *professio consiliorum evangelicorum* » (9 P.).

Ratio: Ne sodales Societatum *sine votis* sibi persuasum habeant se non esse implicatos in tota hac paragrapho.

R. — Scribatur lin. 2: « Per vota *aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata,* quibus *christifidelis* ad tria praedicta consilia evangelica se obligat, Deo summe dilecto totaliter manci-

patur, ita ut ipse ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo referatur... ». Lin. 10: « *Consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia,* liberari intendit... ». Lin. 13: deleatur « iisdem votis ». Lin. 15: « firmiora et stabiliora *vincula...* ». *Monitio,* quam plures hac de re in ipsum textum inserere vellent, non est necessaria. « Sacra vincula » quae suo modo votis assimilantur, est expressio etiam pro Orientalibus perspicua et ab eis applicabilis. [7]

21 — Pag. 156, lin. 3: Unus Pater, loco: « religiosus », scribere postulat: « *christifidelis* », quia ante professionem quis nondum est religiosus.

R. — Stet textus, qui adhibet modum loquendi normalem.

22 — Pag. 156, lin. 6: Unus Pater obiicit religiosum *votorum simplicium* proprietatem « omnium suorum (scil. bonorum) » retinere.

R. — Non agitur de *norma iuridica,* sed de consecratione.

23 — Pag. 156, linn. 11-12: Unus Pater, pro « cultus divini perfectione » postulat « *sacrae liturgiae* » vel: « *divinorum officiorum* perfectione », quia vox *cultus* est vitanda.

R. — « *Cultus* » consulto adhibetur cum addito: « *divinus* ».

24 — Pag. 156, lin. 13: Unus Pater observat vocem: « *consecrare* » indicare actionem divinam; pro actione humana dicendum est *devovere* vel *mancipare.*

R. — Textus novus est: « *per eadem vincula* divino obsequio intimius *consecratur* », sub forma passiva, subintelligendo « a Deo ».

25 — Pag. 156, linn. 14-17: Proponunt 6 Patres ut hae lineae *deleantur,* quia ambiguae.

R. — Maior perfectio affirmatur *de forma vitae,* non de *individuo,* qui eam observat.

26 — Pag. 156, linn. 14-17: 370 Patres proponunt ut, post verba: « intimius consecrantur », *addantur* verba excerpta ex solemni Allocutione Pauli VI ad religiosos, die 23 maii 1964: « *Professio votorum evangelicorum adiungitur proinde consecrationi, quae propria est baptismatis, et hanc quasi quaedam consecratio peculiaris complet, eo quod Christifidelis se Deo penitus committit ac devovet, totam vitam suam efficiens eius unius famulatum* ». [8]

R. — Iam provisum in Resp. ad Modum 2 et 16. Post verbum « consecratur » (lin. 16), inseritur referentia ad Notam 2.

27 — Pag. 156, linn. 18-29: Proponit unus Pater *novam structuram* pro tota paragrapho, ut ordo magis logicus obtineatur.

R. — Ordo in textu propositus servari potest.

28 — Pag. 156, linn. 27-29: Duo Patres proponunt ut *deleantur* hae

[8] lineae (quia Ecclesia de facto quaedam Instituta suppressit), dum alius, ut scribatur: «Unde et *in* Ecclesia propri*a* indole*s* variorum Institutorum *protegitur et fovetur* », ne vox *Ecclesia* adhibeatur de sola Hierarchia.

R. — Vox *Ecclesia* intelligitur de *tota* Ecclesia, scilicet de Pastoribus et fidelibus.

29 — Pag. 156, lin. 31: Proponit unus Pater ut post vocem: « professio », *addatur*: « *si sincere revera adimpleatur* ».

R. — Patet ex se.

30 — Pag. 156, lin. 37: Proponunt 3 Patres ut loco: « magis », scribatur: « *peculiariter* ».

R. — Textus stare potest.

31 — Pag. 156, lin. 36 necnon pag. 157, lin. 12: Proponunt 4 Patres ut loco « *status religiosus* », dicatur: « *consiliorum professio* ». Duo alii petunt ut pag. 157, linn. 12-14 verba: « Status religiosus ... inconcusse pertinet », *deleantur,* quia non sunt clara. Alius adhuc Pater ibidem proponit ut dicatur, sive: « licet ... non spectet, *nec unica sit via christianae perfectionis attingendae,* ad Ecclesi*ae* tamen... », sive: « ..., *nec tanquam unica attingendae perfectionis via habendus sit,* ad Ecclesi*ae* tamen... ».

R. — In textu non proponitur consiliorum professio ut *unica* via, sed ut *peculiaris* via. Pag. 156, lin. 36, servetur: « *status religiosus* »; pag. 157, lin. 12, scribatur: « Status ergo *qui professione consiliorum evangelicorum constituitur* ».

[9] 32 — Pag. 157, lin. 7: Proponit unus Pater ut post: « necessitudines », *addatur*: « *suo modo* ».

R. — Scribatur: « *peculiari modo* ».

33 — Pag. 157, lin. 14: Proponit unus Pater ut *deleatur*: « *inconcusse* », quia assertio est theologice et historice falsa.

R. — Affirmatio *de professione consiliorum,* quae statum in Ecclesia agnitum constituit, certe stare potest.

AD NUMERUM 45

34 — Pag. 157, linn. 15-16: Proponit unus Pater ut in titulo, loco: « Sub auctoritate Ecclesiae », dicatur: « Sub auctoritate Hierarchiae », ne vox « Ecclesia » de sola Hierarchia adhibeatur.

R. — Nulla possibilis aequivocatio.

35 — Pag. 157, linn. 18-22: Proponunt 5 Patres ut loco: « ad ipsam spectat ... moderari », dicatur: « ad ipsam spectat, evangelic*orum* consili*orum praxim et professionem,* votis firmatam, legibus suis

sapienter moderari ». Auctoritas enim non ipsa consilia sed eorum praxim moderatur. [9]

R. — Scribatur: « evangelic*orum* consili*orum praxim* », servatis tamen aliis verbis textus.

36 — Pag. 157, lin. 21: Proponit unus Pater ut dicatur, loco: « etiam votis firmatam », « etiam votis *vel quavis alia forma* firmatam ».

R. — Additio est inutilis.

37 — Pag. 157, linn. 23-26: Proponit unus Pater ut *deleantur* verba: « Ipsa etiam ... approbat », quia suggerunt Ecclesiam infallibilem esse in recognoscendis regulis.

R. — De infallibilitate nullus sermo fit. Maneat ergo textus.

38 — Pag. 157, linn. 26-28: Unus Pater proponit ut post verbum: « approbet », *addatur*: « *eas vitae Ecclesiae in dies aptando* ». Alius Pater rogat ut locutioni « *omni modo* », substituantur verba « *spiritui germano fundatorum semper fidelis* ».

R. — Primae petitioni providetur in Schemate *de Religiosis*. Scribatur « ut *secundum spiritum fundatorum* crescant atque floreant ».

39 — Pag. 157, lin. 29: Rogat unus Pater ut aliquid *addatur* ad *fovendas vocationes* ad statum religiosum. [10]

R. — Haec quaestio ad expositionem dogmaticam non pertinet.

40 — Pag. 157, lin. 30 - pag. 158, lin. 3: Omnes hi Modi tractant *de exemptione* religiosorum. *Prima* series est *ordinis generalis.* Unus Pater proponit ut tota pericopa *deleatur*; alius, notabilis saltem eius pars (linn. 30-38); tertius denique, novam totius paragraphi redactionem proponit, ne significatio exemptionis nimis urgeatur. 373 Patres, e contra, in eiusdem significationem instantes, *additionem* 12 linearum ex Allocutione ad Religiosos S. S. Pauli VI (23 maii 1964) proponunt.

Secunda series *de particularibus* agit. Tres Patres proponunt ut linn. 32-35, loco « ratione sui... possunt », dicatur « ratione sui... primatus *iurisdictionis,* intuitu boni communis, ab Ordinariorum loc*orum* iurisdictione eximi et *sibi* subiici possunt »; unus aestimat verba « ab Ordinariorum loci iurisdictione eximi » esse *delenda,* dum alius *suppressionem* incisae « intuitu utilitatis communis » postulat; alius adhuc, pro linn. 30-36, « Quo autem... subiici possunt », *novum* textum proponit. Tres denique Patres in alium sensum procedunt; primus proponit ut lin. 35, loco « soli », dicatur « *et collegio Episcoporum* »; secundus ut, lin. 37, post verba « auctoritatibus patriarchalibus », *addatur* « *vel territorialibus coetibus Episcoporum* »; tertius denique ut lin. 36, post « subiici possunt », *addatur* « *Attamen Sum-*

[10] *mus Pontifex hanc iurisdictionem ex ratione pastorali et propter bonum animarum in Ordinarium loci transferre potest*».

R. — Ad *primam* seriem: Propositiones cum normis generalibus non concordant. Ceterum textus approbatus est generalis et prudenter ac sine ulla intentione polemica conscriptus. De inducenda Allocutione S. S. Pauli VI iam provisum est supra; referentia in Nota 6 addetur.

Ad *alteram* seriem: Indicatio de primatu, ut iacet, sufficit. Dicatur autem, lin. 33: «ratione *ipsius* in universam Ecclesiam primatus». Ceterae ideae propositae, quoad rem, in textu probato iam enuntiantur vel ad particularitates iuridicas pertinent, in quas hic intrare non oportet.

41 — Pag. 157, linn. 38-41: Hi Modi potius de relatione inter Episcopos et Religiosos «exemptos» agunt. Unus Pater proponit ut, lin. 38, post: «committi», *addatur*: «*Cum vero Ecclesiam universalem non ingrediatur nisi per Ecclesiam localem, ipsi agnoscant se in Ecclesia locali partem habere et animatricem ipsius*
[11] *communitatis portionem constituere*»; alii tres proponunt ut, lin. 40, post «oboedientiam», *addatur* «*tamquam sacerdotes dioecesani, prompte et fideliter,* secundum canonicas leges...»; unus alius *addit* «*et maximam cooperationem* (*omittendo*: secundum canonicas leges) praestare debent... auctoritatem pastoralem *agnoscendam* et ob necessariam...».

Duo adhuc alii Patres in linn. 40-41, *omissionem* verborum «*secundum canonicas leges*» postulant, dum unus, post vocem: «Episcopi», in lin. 41, proponit ut *addatur*: «*et in omnibus quae attinent ad apostolatus exercitium Ordinario loci subiiciuntur,* ob ei*us* in Ecclesi*a particulari...* unitatem» (omittendo ergo in pag. 158, lin. 3: «*et concordiam*»).

R. — *Additiones* non sunt opportunae, quia de his ideis iam satis provisum est in textu. Ex altera parte, observatio: «*secundum leges canonicas*» est necessaria. Similiter idea *de concordia* requiritur. Stet ergo textus.

42 — Pag. 158, linn. 4-9: Unus Pater movet difficultatem contra vocem: «*Ecclesia*» in sensu Hierarchiae; contra vocem «*religiosam*», utpote nimis restrictam; contra vocem: «*consecratum*», quia latiore sensu sumptam; contra vocem: «*exhibet*», quia professio religiosa, secundum Const. De S. Liturgia est «sacramentale». Proponit sequentem emendationem: «*In* Ecclesia autem professio *consiliorum* non tantum *iuridica* sanctione ad status canonici dignitatem erigit*ur,* sed *ad* statum Deo conse-

cratum etiam actione liturgica *elevatur*. Ipsa enim Ecclesia, *per legitimos suos ministros,* profitentium vota suscipit ». Alio modo tres Patres proponunt: « ... sed eam ut statum *a* Deo consecratum etiam actione sua liturgica *efficit* ». [11]

R. — De usu vocabulorum iam provisum est supra. Vox: « *exhibet* » omnino de aliquo sacramentali dici potest. Parvae additiones non sunt necessariae. Stet ergo textus.

43 — Pag. 158, linn. 6-7: Petit unus Pater ut in nota dicatur « quod exemplaritas vitae religiosae debet declarari *assertive* non exclusive ».

R. — Iam provisum in praecedentibus. Cf. Modum 19.

AD NUMERUM 46 [12]

44 — Pag. 158, lin. 15: Aestimat unus Pater *titulum* emendatum proponi debere: « Aestimanda est *professio consiliorum evangelicorum* », propter rationes antea iam expositas.

R. — Admittitur.

45 — Pag. 158, lin. 16 (et lin. 40): Proponit unus Pater ut loco vocis « *religiosi* », terminus generalior adhibeatur, nempe « *consilia profitentes* », propter rationes iam allatas ad Modum 20.

R. — Iam provisum loco citato et alibi.

46 — Pag. 158, linn. 35-36: Proponunt 3 Patres ut loco: « praesertim ad genus vitae virginalis et pauperis », scribatur: « praesertim ad genus vitae virginalis, pauperis *et oboedientis* », quia in vita religiosa « oboedientia perfectius et plenius holocaustum ipsius hominis est ».

R. — Oboedientia non facit genus vitae speciale.

47 — Pag. 159, lin. 10: Unus Pater proponit ut post verba « vel in scholis », *addatur* « *vel in institutis socialibus* »; alius Pater proponit *additionem* sequentem: « Sorores, *quae et in patria et in missionibus, vel in scholis et nosocomiis, vel in monasteriis et in saeculo, vel quacumque activitate,* fideli et humili... ».

R. — Omnia enumerari nequeunt: quae proponuntur intelliguntur *exemplative,* non exclusive. Ceterum enumerantur potius varii *loci* quam variae *activitates.*

48 — Pag. 159, lin. 12: Quia non placent verba: « *consecrationis praxi* », proponit unus Pater ut dicatur: « *constanti et humili fidelitate in praedicta consecratione* ».

R. — Admittitur propositio.

[12] AD NUMERUM 47

49 — Pag. 159, linn. 15-22: Animadvertunt 6 Patres quod paragraphus illa potius est conclusio capitis V, « *De Vocatione ad sanctitatem* », quam cap. VI, « *De Religiosis* ». Tres proponunt aliam redactionem: « *Unusquisque igitur Religiosus* sedulo curet, ut in *propria vocatione permaneat, quam a Deo accepit, ut in eam*
[13] *excellere satagat, constanti et perfecta Constitutionum et Regularum sui Instituti observantia. Haec est enim pro Religiosis unica recta et secura via exsequendi divinam voluntatem,* ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem *patefaciendam, et* ad maiorem gloriam unius et individuae Trinitatis, quae in Christo et per Christum est omnis *hominum* sanctitatis fons et origo ».

R. — *Amplificatio* non est necessaria. Dicatur, lin. 16: « Unusquisque autem *ad professionem consiliorum vocatus sedulo* curet, ut in *quam* vocationem a Deo vocatus est, in ea permaneat ».

50 — Pag. 159, lin. 18: Observat unus Pater quod verba: « *ut in quamcumque vocationem a Deo vocatus est, in ea permaneat* », sunt forte nimis absoluta.

R. — Affirmatio est *generalis.*

CORRECTIONES ADMISSAE

IN CAPITE VI

Num. 43

Pag. 155, linn. 9-10: Ipsa autem *auctoritas* Ecclesiae, *duce Spiritu Sancto,* ea (Consilia evangelica) interpretari, eorum praxim moderari et etiam stabiles inde vivendi formas constituere *curavit.*

Pag. 155, lin. 22: ... libertatis per oboedientiam *roboratae,* ...

Num. 44

Pag. 156, lin. 2: Per vota *aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata,* quibus *christifidelis* ad tria praedicta consilia evangelica se obligat, Deo summe dilecto totaliter mancipatur, ita ut ipse ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo referatur... Lin. 10: *Consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia,* liberari intendit... Lin. 13: (retrahere possent,) et divino obsequio intimius consecratur... Lin. 15:

per firmiora et stabiliora *vincula* magis repraesentatur Christus... [13]

Pag. 157, linn. 5-7: Regni Dei... necessitudines *peculiari modo* patefacit.

Pag. 157, lin. 12, scribatur: « Status ergo *qui professione consiliorum evangelicorum constituitur,* licet...

Num. 45 [14]

Pag. 157, linn. 21-22: (Ad Hierarchiam spectat) *evangelicorum consiliorum praxim...* sapienter moderari.

Pag. 157, linn. 26-28: ...ut (instituta) *secundum spiritum fundatorum* crescant atque floreant...

Pag. 157, lin. 33: ...ratione *ipsius* (Summi Pontificis) in universam Ecclesiam primatus...

Num. 46

Pag. 158, lin. 15: [Aestimanda est *professio consiliorum evangelicorum*].

Pag. 159, lin. 12: (Fratres et Sorores) *constanti* et humili *fidelitate* in praedicta *consecratione* Sponsam Christi condecorant.

Num. 47

Pag. 159, lin. 16: *Unusquisque* autem *ad professionem consiliorum* vocatus sedulo curet, ut in *quam* vocationem a Deo vocatus est, in ea permaneat.

NOTAE

(1 bis) [remittendo ad pag. 157, in fine lin. 25] PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 566.
(2 bis) [remittendo ad pag. 156, lin. 14]: PAULUS VI, *l. c.,* p. 567.
6 [additio]: PAULUS VI, *l. c.,* pp. 570-571.

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput VI respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[3] CAPUT VII *

DE INDOLE ESCHATOLOGICA ECCLESIAE PEREGRINANTIS EIUSQUE UNIONE CUM ECCLESIA CAELESTI

RELATIO GENERALIS

Die 19 octobris 1964 factae sunt suffragationes in Aula de variis partibus Capitis VII schematis de Ecclesia, cum sequente exitu:

Prima suffragatio, de n. 48.

Votantes	2135
Placet	2099
Non placet	20
Vota nulla	16

Secunda suffragatio, de n. 49.

Votantes	2132
Placet	2121
Non placet	8
Vota nulla	3

Tertia suffragatio, de n. 50.

Votantes	2121
Placet	2104
Non placet	8
Vota nulla	9

Quarta suffragatio, de n. 51.

Votantes	2077
Placet	2067
Non placet	8
Vota nulla	2

Die 20 octobris 1964 facta est suffragatio *de integro textu* Capitis, cum sequente exitu:

Votantes	2184
Placet	1921

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXXII, die 14 novembris 1964.

Non placet	29	[3]
Placet iuxta modum	233	
Votum nullum	1	

Integrum ergo Caput cum omnibus suis partibus est a Congregatione generali approbatum. *Modi* autem propositi a Subcommissione Technica examinati sunt, praeside Exc. Charue, a Secretariis Commissionis Doctrinalis una cum R. P. Molinari, relatore pro hoc Capite. Ipsa Commissio sequentia Responsa statuit.

MODI [4]

AD CAPUT VII DE ECCLESIA

MODI GENERALES

1 — Unus Pater petit ut quando Ecclesia appellatur « Corpus Christi » dicatur semper « Corpus Christi *mysticum* » ad vitandam confusionem.

R. — Cum ex contextu in singulis locis ambiguitas tollatur, additio non videtur necessaria.

2 — Duo Patres putant textum citationibus scripturisticis nimis abundare.

R. — Indoles biblica saepenumero postulata fuit.

3 — Unus Pater addit textum triumphalismo laborare atque non esse sufficienter pastoralem.

R. — Observatio nimis vaga videtur. De charactere pastorali Schematis notetur ad finem capitis normas pastorales dari.

RELATE AD TITULUM

4 — Tres Patres proponunt: « De Ecclesiae peregrinantis unione cum Ecclesia caelesti ». Alius proponit: « De termino ultimo vocationis nostrae ad Ecclesiam caelestem et de nostra unione cum eadem »; et 42 Patres proponunt: « De Ecclesiae militantis unitate cum Ecclesia triumphante et purgante ».

R. — Maneat titulus sicuti est, cum post longas disputationes in Commissione admissus fuerit.

[4] ## RELATIO DE PARTICULARIBUS

AD NUMERUM 48

5 — Pag. 3, linn. 2-4: Plures Patres (68) petunt ut dicatur « *Sanctitas ad quam* in Christo Iesu vocamur omnes et quam gratia Dei in Ecclesia acquirimus », ut melior coniunctio cum praecedentibus
[5] fiat, et etiam quia non potest dici christianos vocari (in praesenti) ad Ecclesiam, in qua iam sunt.

R. — Maneat textus quia revera Deus omnes vocat ad Ecclesiam; « omnes » comprehendit etiam eos qui nondum in Ecclesia sunt.

6 — Pag. 3, lin. 4: Unus Pater vult ut loco « sanctitatem acquirimus » dicatur « *in sanctitate nascimur et progredimur* ».

R. — Non admittitur, quia non sufficienter tueri videtur doctrinam de peccato originali.

7 — Pag. 3, linn. 7-10: Unus Pater petit ut *supprimantur* verba « atque cum genere humano universus quoque mundus, qui intime cum homine coniungitur et per eum ad finem suum accedit perfecte in Christo instaurabitur ». Timor est ne haec verba sumantur ut affirmatio salutis [totius] generis humani cum universo mundo (quod est error Origenis). Eandem suppressionem petunt tres alii Patres quia exegesis de renovatione *physica* mundi non est certa.

R. — Textus retineatur 1) quia non loquitur de salute *totius* generis humani; 2) quia negari nequit mundum cum genere humano *connecti* et 3) quia *instauratio* non necessario est renovatio physica.

8 — Pag. 3, lin. 11: Unus Pater petit introductionem longae paragraphi pro extollenda indole *historica* eschatologiae christianae.

R. — Talis additio est contra normas generales.

9 — Pag. 3, lin. 11: Unus Pater proponit ut inter citationes etiam introducatur referentia ad *2 Petr.* 3, 10-13 ne citando unice *Eph.* 1, 10 et *Col.* 1, 20 videamur forsan favere opinioni eorum qui putant hunc mundum transiturum esse in gloriam qualis ab hominibus constitutus est.

R. — Referentia ad *2 Petr.* 3, 10-13 inseritur.

10 — Pag. 3, linn. 12-21: A 57 Patribus petitur suppressio verborum « Christus... participes », quia unitatem rumpunt, mere repetendo quae in capite 1° iam dicta sunt.

R. — Suppressio esset contra normas generales.

11 — Pag. 3, linn. 12-13: Duo Patres petunt ut loco « *omnia* traxit ad seipsum », dicatur « *omnes* traxit ». *Ratio*: sic sonat textus graecus. [5]

R. — In textu ponatur « *omnes* » et in citatione addatur *Gr.*

12 — Pag. 3, linn. 18-19: Unus Pater vult ut dicatur: « Ut homines *ad Ecclesiam perducat* arctius*que* per Ecclesiam *sibi* coniungat ». Solum hoc modo affirmatio textus est completa. [6]

R. — Modus admittitur; dicatur tamen « arctiusque per *eam* sibi coniungat ».

13 — Pag. 3, linn. 23-24: Unus Pater rogat ut dicatur: « provehitur in missione Spiritus Sancti et *per Ipsum* pergit in Ecclesia... ». *Ratio*: missio Spiritus Sancti non est mere eventus historicus sed constanter perdurat et agit in Ecclesia.

R. — Insertio admittitur quia ditat textum; sed loco « per Ipsum » dicatur « *per Eum* ».

14 — Pag. 3, lin. 25: Duo Patres petunt ut dicatur: « de sensu quoque *unicae* vitae nostrae temporalis edocemur », ut reincarnationismus damnetur.

R. — Providebitur in n. 30.

15 — Pag. 3, linn. 25-26: Unus Pater exoptat ut dicatur: « de sensu quoque vitae nostrae temporalis edocemur, dum *signa temporum perscrutantes...* ».

R. — Additio videtur superflua cum pluries hac de re alibi agatur.

16 — Pag. 4, linn. 1-2: Unus Pater timet ne verba « Iam ergo fines saeculorum ad nos pervenerunt » intelligantur tamquam prophetia *de imminenti fine mundi.*

R — Ex contextu clare patet hac de re non agi.

17 — Pag. 4, linn. 2-6: Unus Pater proponit substitutionem textus per alium a se elaboratum.

R. — Standum est textui secundum normas generales.

18 — Pag. 4, lin. 5: Unus Pater in sententia: « Ecclesia iam in terris vera sanctitate licet imperfecta insignitur », vult verba « *licet imperfecta* » supprimi. Imperfectio non ad Ecclesiam, sed ad fideles pertinet.

R. — Adhibendus est etiam in nostro Capite modus loquendi in Capitibus praecedentibus adhibitus. Maneat ergo textus sicuti est.

19 — Pag. 4, linn. 6-7: Duo Patres timent ne expressiones biblicae « novi caeli et nova terra, in quibus iustitia habitat » sensu nimis materiali intelligantur.

R. — Stet textus qui nonnisi verba S. Scripturae reproducit.

[7] 20 — Pag. 4, linn. 8-9: Unus Pater vult ut dicatur: « Ecclesia peregrinans in suis sacramentis, *ministeriis* et institutionibus » ne textus sapiat iuridismum.

R. — Non est cur « institutiones » solum sensu iuridico intelligantur.

21 — Pag. 4, linn. 8-14: Unus Pater proponit quaedam verba deleri et in novam formulam mutari.

R. — Longior substitutio contradicit normis generalibus.

22 — Pag. 4, linn. 9-10: 59 Patres petunt suppressionem verborum « *ad hoc aevum pertinentibus* », ne in una sententia, eadem idea tautologice ter repetatur.

R. — Textus remaneat quoad rem; legatur tamen « *quae ad hoc aevum pertinent* ».

23 — Pag. 4, linn. 8-13: Unus Pater petit ut haec verba tantum retineantur: « Ecclesia peregrinans in suis sacramentis et institutionibus ad hoc aevum pertinet ». *Ratio*: textus Epistulae ad Romanos non loquitur *de creaturis*, sed de universa creatione; neque illa quae a Paulo ibi dicuntur dici possunt *de Ecclesia*.

R. — Textus videtur retinendus, nam l. c. terminus paulinus « creatio » (ktisis) non significat actionem creativam sed *id quod creatum est;* terminus igitur bene potest verti in plurali. Neque apparet cur dici nequeat Ecclesiam *degere* inter creaturas.

24 — Pag. 4, linn. 12-13: Duo Patres volunt ut in textu supprimantur vel saltem explicentur verba « *et parturiunt usque adhuc* » (quia fidelibus male sonarent) et un loco verbi « revelationem » dicatur «*redemptionem* ».

R. — Non est cur a citatione biblica discedamus.

25 — Pag. 4, lin. 14: Unus Pater petit *insertionem* longae paragraphi sat complexae de novitate vitae quae per gratiam in nobis efficitur.

R. — Talis insertio non potest admitti propter normas generales.

26 — Pag. 4, linn. 25-29: Quattuor Patres proponunt *substitutionem* textus Schematis per textum ab illis elaboratum.

R. — Videantur ea quae sub numero praecedenti dicta sunt.

27 — Pag. 4, lin. 28: Unus Pater vult ut ad verba « Contendimus ergo in omnibus » *addatur* « in campo omnis activitatis humanae
[8] sive individualis aut familiaris sive socialis, oeconomicae aut civicae ».

R. — Non videtur necessarium: « In omnibus » significat « in omnibus », neque necessarium est ad particularia descendere de quibus in Schemate XIII agitur.

28 — Pag. 4, linn. 28-29: Tres Patres volunt ut loco « contendimus »

et « induimus » dicatur exhortative « *contendamus* » et « *induamus* ». [8]

R. — Forma exhortativa et paraenetica consulto evitata est.

29 — Pag. 4, lin. 33: Unus Pater proponit ut post verba « neque horam » fiat explicita mentio *mysterii paschalis.*

R. — Mentio mysterii paschalis non videtur necessaria, immo in contextu attentionem distraheret.

30 — Pag. 4, lin. 34: 123 Patres volunt ut post verba « vigilemus oportet ut » addatur: « *expleto unico terrestris huius vitae cursu* », ut affirmetur unicitas huius vitae terrestris contra reincarnationistas.

R. — Propter rationes pastorales modus admittitur, addita referentia ad *Hebr.* 9, 27 et deleta referentia ad *Mt.* 25, 1-13.

31 — Pag. 4, lin. 41: Unus Pater loco « Etenim antequam cum Christo Glorioso regnemus » vult dici « Etenim antequam cum Christo Glorioso *sancti conregnent* ». Ratio est, quia si supponitur nos (omnes) cum Christo regnaturos esse, absurde ponitur ad finem phrasis disiunctio « qui bona fecerunt » « qui vero mala egerunt ».

R. — Consulto in textu non dicitur « regnabimus », sed « *regnemus* »; sensus ergo obvius est: antequam possimus regnare, omnes manifestabimur.

32 — Pag. 5, lin. 3: Unus Pater post verba « sive bonum sive malum » vult addi: « *specialiter erga pauperes, esurientes, sitientes, ...* etc. (*Mt.* 25, 40 »).

R. — Additio conspicua pugnat cum normis generalibus.

33 — Pag. 5, lin. 4: Tres Patres suggerunt ut omittantur verba « *in fine mundi* » ne videatur doceri retributionem non esse immediate post mortem.

R. — De retributione immediate post mortem sermo est explicite in [9]
n. 49 Schematis. Verba « *in fine mundi* » sunt retinenda, ut clarius appareat retributionem consummatam etiam quoad corpus haberi in resurrectione, quae nonnisi in fine temporum erit.

AD NUMERUM 49

34 — Pag. 5, linn. 29-31: Unus Pater vult ut omittantur vel corrigantur verba « *Universi qui Christi sunt, Spiritum Eius habentes, in unam Ecclesiam coalescunt* », quia ipse putat talia verba non clare enuntiare doctrinam catholicam de membris Ecclesiae.

R. — Hic non agitur de dirimenda quaestione quid requiratur ut quis sit *membrum Ecclesiae.* Cf. n. 14. Maneat ergo textus.

[9] 35 — Pag. 5, lin. 32 ss.: Tres Patres volunt hic damnationem *evocationis spirituum* (spiritismi) immitti. Duo ex illis timent ne textus praesens huic errori ansam praebeat.

R. — In textu evidenter sermo est de supernaturali communione Sanctorum, non vero de evocatione illa qua cum spiritibus vel animabus separatis sensibilis communicatio humanis industriis provocari intenditur ad varias notitias variaque auxilia consequenda. Propter rationes pastorales addita est Nota (1-bis).

36 — Pag. 5, lin. 38: Tres Patres malunt ut loco « totum populum Dei », dicatur « *totam familiam Dei* ». *Ratio*: in contextu immediato sermo est de « fratribus », non de concivibus (linea 33); denominatio « populi Dei » in numero sequenti occurrit (pag. 7, linea 19).

R. — Aliquid veri in hac animadversione habetur; solutio tamen proponitur in Responso ad numerum sequentem.

37 — Pag. 5, lin. 39: Unus Pater censet ambiguam esse expressionem « cultum quem *ipse* (quis? Christus? populus?) offert »; proponit ergo ut dicatur « cultum quem populus offert ».

R. — Ad omnem ambiguitatem auferendam textus inde a linea 38 sic mutetur: « totam *Ecclesiam* in sanctitate firmius consolidant, cultum quem *ipsa hic in terris Deo exhibet* nobilitant ac multipliciter ad ampliorem *eius* aedificationem contribuunt ».

38 — Pag. 5, lin. 39: Alius Pater putans verbum « offert » ad Christum referri petit clausulam deleri vel corrigi, quia nulla creatura potest nobilitare cultum quem offert Christus.

[10] R. — Subiectum non est Christus sed *Ecclesia;* hoc modo quaelibet causa obscuritatis iam sublata est.

39 — Pag. 5, lin. 39: Unus Pater vult ut loco « cultum » dicatur « *sacram Liturgiam* ». Ipse enim putat verbum « cultus » non sublineare nisi aspectum latreuticum Liturgiae, non vero sacramentalem et sanctificantem.

R. — Non videtur admittenda ratio emendationis. Ipsa Constitutio de Sacra Liturgia expresse docet: « sacramenta ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, *ad cultum denique Deo reddendum ...* » (Constitutio de Sacra Liturgia, n. 59).

40 — Pag. 5: Unus Pater vult aliquam sententiam introduci ex qua appareat *reprobos de facto haberi* (ne damnatio ut mera hypothesis maneat).

R. — Propositum non quadrat cum hoc contextu. Ceterum in n. 48

Schematis citantur verba evangelica quibus Dominus ipse in forma grammaticaliter futura de reprobis loquitur. [10]

41 — Pag. 6, lin. 4: Unus Pater petit explicitam hic mentionem fieri de intercessione speciali *B. M. Virginis* et proponit introductionem alicuius longae paragraphi hac de re agentis.

R. — De hac materia opportunius agitur in Capite de Beata Maria Virgine.

42 — Pag. 6, linn. 7-9: Duo Patres proponunt mutationes grammaticales circa participia « servientes » « adimplentes »; unus ex illis vult praeterea ut expressio « *in omnibus* » supprimatur, quia non est vera, sicut ex experientia constat.

R. — Textus est clarus et grammaticaliter rectus. Expressio « *in omnibus* » non significat nisi servitium Dei *in omni campo vitae humanae* a Sanctis praestitum esse et non solum in adimpletione eorum quae desunt passionibus Christi.

AD NUMERUM 50

43 — Pag. 6, linn. 14-16: Unus Pater vult ut loco « Hanc communionem totius Iesu Christi mystici Corporis... » dicatur « Hanc communionem sanctorum... ». Ad idem plus minusve redit quaestio generica ab alio Patre facta.

R. — Standum est textui utpote claro ac recto. Extensio termini « *Communio Sanctorum* » controvertitur. [11]

44 — Pag. 6, linn. 21-22: Quattuor Patres volunt ut reditus fiat ad textum priorem ita ut post verba « suffragia pro illis obtulit » dicatur: « *vicissim se orationibus eorum sedulo commendando* », (vel: « commendavit »). Unus ex illis proponit ut loco « suffragia etiam » dicatur « *etiam suffragia* », quia grammaticaliter particula « etiam » debet afficere id quod immediate sequitur, non id quod praecedit.

R. — Haec ultima suggestio accipitur propter rationes grammaticales. Commissio iam antea suppressit incisum « vicissim se orationibus eorum sedulo commendavit (vel commendando) », ne quaestionem disputatam videretur derimere.

45 — Pag. 6, lin. 25: Unus Pater petit suppressionem verbi « *arctius* », ne affirmetur graduatio vel hierarchia unionis beatorum in caelo cum fidelibus adhuc in terra degentibus: apostoli et martyres, virgines et paupertate insignes, reliqui sancti Dei.

R. — Graduatio vel hierarchia, quae ibi supponitur descripta, in textu

[11] nec habetur nec intenditur. Adverbium « *arctius* », in textu ad omnes categorias Sanctorum applicatur.

46 — Pag. 6, lin. 31: Unus Pater vult supprimi verbum « *tandem* », ne videatur sanctitas eorum qui vivunt in matrimonio esse inferior.

R. — Stet textus, qui solum intendit describere ordinem historicum, iuxta quem cultus Sanctorum in Ecclesiam introductus est.

47 — Pag. 6, lin. 31: Unus Pater vult ut post « virginitatem et paupertatem » addatur « et *oboedientiam* ».

R. — Textus solum intendit describere *ordinem historicum* cultus sanctorum. Iamvero devotio historica erga sanctos in primis temporibus ad hunc aspectum non tantopere attendebat.

48 — Pag. 6, lin. 31: Tres Patres post verba « erant imitati » volunt *addi*: « atque plenius sui ipsorum holocaustum humilitate et oboedientia obtulerunt Deo, qui humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem (cf. *Lc.* 2, 51; *Phil.* 2, 8) ».

R — Etsi idea pulchra est, propositioni iam respondetur in n. 47.

[12] 49 — Pag. 6, lin. 37: Unus Pater vult ut loco « futuram » legatur « *venturam* ».

R. — Stet textus propter fidelitatem erga textum biblicum.

50 — Pag. 7, linn. 22-23: 64 Patres petunt ut loco « debitas *pro* ipsis *Deo* rependamus gratias » legatur « debitas *ipsis* rependamus gratias ». In ipso textu dicitur Sanctos esse benefactores nostros et ideo debemus gratias eis agere pro beneficiis quae ipsi, ratione suae unionis cum Christo, obtinuerunt pro nobis intercedendo.

R. — Retineatur textus qui desumitur ex Liturgia. Notetur tamen formulam liturgicam adhibitam in textu nullo modo excludere quod ipsis Sanctis gratias rependamus; immo, ex ipso textu in quo Sancti dicuntur esse nostri benefactores in Christo sequitur nos gratum animum etiam erga ipsos exhibere debere, ut correspondet traditioni et praxi Ecclesiae primaevae. Ad hunc finem addita est Nota (12-bis).

51 — Pag. 7, lin. 32: Unus Pater vult omitti verba « *qui est mirabilis in sanctis suis* », quia in *Ps.* 67, 36 illa verba non significant in personis sanctis, sed in rebus sanctis, id est, in sanctuario.

R. — In Relatione ad Schema emendatum iam dicebatur verba retenta esse quia in Liturgia adhibentur et in Nota omissam esse referentiam ad Psalmos 67, 36 et 88, 8.

52 — Pag. 7, linn. 36-37: 67 Patres petunt ut omittantur verba « dum virtus Spiritus Sancti *per signa sacramentalia* super nos agit », ne videatur omnis actio liturgica sacramentalis esse; alius idem

petit ne videatur dici Spiritum Sanctum solum *intra liturgiam* agere. Iterum alius Pater novam formulam proponit, ad vitandam primam difficultatem. [12]

R. — Ad vitandas difficultates mutetur textus sic: « Nobilissima vero ratione unio nostra cum Ecclesia caelesti actuatur, *cum,* praesertim in sacra Liturgia, *in qua* virtus Spiritus Sancti per signa sacramentalia super nos agit, divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus... ».

53 — Pag. 7, lin. 42 et pag. 8, lin. 1: Unus Pater vult, ut loco « Sanctissimam Trinitatem magnificamus », dicatur: « Deum *unum et trinum* magnificamus », ut locutio sit magis personalis.

R. — Placet suggestio.

54 — Pag. 8, linn. 2-3: Unus Pater, ubi dicitur « *cultui* Ecclesiae caelestis », dicendum praefert « *adorationi* » vel « *laudibus* », quia vox « cultus » in Vulgata et in traditione primi millennii, ubi agitur de latria christiana, vitatur. [13]

R. — Standum est textui. Verbum « cultus » sensu christiano est frequentissimum apud Patres latinos, in specie apud S. Augustinum.

55 — Pag. 8, lin. 3: Unus Pater vult ut loco vocis « caelestis », legatur « *triumphantis* » vel quid simile.

R. — Nulla videtur ratio pro hac mutatione.

56 — Pag. 8, lin. 6: Unus Pater petit ut post verba « et beati Ioseph » addatur « *eiusdem Virginis sponsi* », quia sic habetur in canone Missae. E contra alius Pater vult mentionem S. Ioseph supprimi.

R. — Verba Canonis Missae invocantur, quin complete citentur. Stet textus.

57 — Pag. 8, lin. 7: 40 Patres petunt post verba « et omnium sanctorum » introductionem cuiusdam paragraphi de efficacitate *suffragiorum* pro animabus defunctorum.

R. — De illis suffragiis agitur pag. 6, lin. 17 ss.

58 — Duo Patres volunt ut in hoc numero dicatur unicam viam ad communionem cum defunctis esse illam quam Ecclesia manifestat, ut saltem implicite *spiritismus* damnetur, ut etiam tres alii Patres (n. 35) petiverant.

R. — Stet textus, quia de hac re iam provisum est in n. 35.

AD NUMERUM 51

59 — Pag. 8, lin. 11: Unus Pater vult ut loco « qui in *caelis* sunt vel adhuc post mortem etc. », dicatur « qui in *gloria caelesti* sunt... », ut differentia magis in *statu* quam in *loco* ponatur.

[13] R. — Modus acceptatur, quia textum clariorem facit.

60 — Pag. 8, lin. 15: Unus Pater vult ut omittantur verba « *denuo confirmat* » et eorum loco dicatur « memorat », ne expressio sit nimis solemnis.

R. — Dicatur: « *rursus proponit* », sicuti iam antea in Capite III factum est.

[14] 61 — Pag. 8, lin. 20: Tres Patres post verbum « instaurent », volunt ut addatur: « nec pretextu cultus Sanctorum vel eorum festivitatum, *incitamenta peccati* promoveri sine damnatione patiantur ».

R. — Res est tam evidens ut mentione in textu non indigeat.

62 — Pag. 8, lin. 20: Post verbum « instaurent » unus Pater desiderat additionem novae paragraphi in qua legitima expositio ac veneratio *imaginum* Sanctorum commendetur.

R. — Sufficienter provisum est per explicitam mentionem Concilii Nicaeni II et decreti Concilii Tridentini, in linea 14-15.

63 — Pag. 8, lin. 21: Tres Patres petunt additionem incisi respicientis animas in Purgatorio detentas, ut etiam necessitates earum in exhortationibus pastoralibus congruum locum habeant.

R. — Iam provisum in numero 50, pag. 6, linn. 19-21.

64 — Pag. 8, lin. 23: Unus Pater loco « intensitate amoris » vult ut dicatur « *perfectio* amoris ». *Ratio*: intensitas amoris dicitur potius de actibus appetitus sensitivi.

R. — Non admittitur. « Intensitas » dicitur etiam de actibus appetitus intellectivi seu voluntatis; vox « perfectio amoris » nimium diceret.

65 — Pag. 8, linn. 23-24: Duo Patres volunt ut aperte dicatur in quo consistat « *amor iste actuosus* » et quod hoc fiat verbis ipsius liturgiae « ut imitemur quod colimus ».

R. — Iam habetur in textu, statim postea, per verba, ex ipsa liturgia desumpta (n. 51, pag. 8, linn. 24-27).

66 — Pag. 8, lin 28: Unus Pater aestimat dictionem claritate carere.

R. — Ad vitandas ambiguitates dicatur: « Ex altera vero parte *instruant fideles...* ».

67 — Pag. 8, lin. 31: Unus Pater loco « latreuticum cultum » vult dici « *adorationem et laudem* » ut locutio sit potius biblica quam scholastica.

R. — Locutio « latreuticum cultum » non est scholastica, sed technica et adhibetur iam a S. Augustino (cf. De Civitate Dei 10, 1, 2 et passim). Insuper hoc in loco requiritur ad vitandam ambiguitatem. Stet ergo textus.

68 — Pag. 8, linn. 36-37: Unus Pater praefert ut dicatur « *Dei unius et trini* » loco « sanctissimae Trinitatis », ut expressio sit magis personalis. [15]

R. — Stet textus.

69 — Pag. 8, linn. 40-41: Unus Pater vult ut loco « Quando *enim* Christus apparebit et *gloria mortuorum* resurrectio erit etc. », dicatur « Quando *autem* Christus apparebit et *corporum* mortuorum resurrectio erit... ». Pro reliqua parte pericopae ille Pater praefert verba in praesenti ne quis cogitet illam liturgiam nunc non haberi in caelo; loci ex Apoc. sunt in praesenti, non in futuro.

R. — Substitutio verbi « enim » per « autem » nexum logicum solveret. Verbum « gloriosa » retinendum est, quia in hoc contextu solum de resurrectione gloriosa sermo est; additio autem adiectivi « corporalis » est superflua. Pro reliqua parte pericopae verbum in futuro videtur retinendum; in contextu enim agitur de liturgia *consummatae* gloriae. Textus ex Apocalypsi, licet in praesenti, sensum habent propheticum, ideoque futurum. Ceterum iam aliis in locis in Schemate sermo fit de liturgia caelesti, quae *etiam nunc* habetur (v. g., n. 50, pag. 8, linn. 2-3).

70 — Pag. 9, lin. 1: Unus Pater vult ut loco « caelestem » dicatur « *gloriosam* » vel « *venturam* ». *Ratio*: vox caelestis ambigua est.

R. — Ambiguitas tollitur ex loco citato Apocalypsi, ubi expressio aequivalens invenitur: « descendentem de caelo » (*Apoc.* 21, 2; 21, 10).

EMENDATIONES ADMISSAE

SECUNDUM MODOS A PATRIBUS INTRODUCTOS

Num. 48

Pag. 3, lin. 11: [additur referentia ad] *2 Petr.* 3, 10-13.

Pag. 3, linn. 12-13: Christus quidem exaltatus a terra *omnes* traxit ad seipsum (cf. *Io.* 12, 32, *gr.*).

Pag. 3, linn. 18-19: ut homines *ad Ecclesiam perducat* arctius*que per eam sibi* coniungat.

Pag. 3, linn. 23-24: [Restitutio] provehitur in missione Spiritus Sancti et *per Eum* pergit in Ecclesia...

Pag. 4, linn. 9-10: Ecclesia peregrinans in suis sacramentis et institutionibus, *quae ad hoc aevum pertinent,* portat figuram huius saeculi ... [16]

[16] Pag. 4, linn. 34-36: ut, *expleto unico terrestris nostrae vitae cursu* (cf. *Hebr.* 9, 27) cum Ipso ad nuptias intrare et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46), ...

Num. 49

Pag. 5, lin. 36: additur nota (1-bis).
Pag. 5, linn. 38-41: *totam Ecclesiam* in sanctitate firmius consolidant, cultum quem *ipsa hic in terris Deo exhibet nobilitant* ac multipliciter ad ampliorem *eius* aedificationem contribuunt.

Num. 50

Pag. 6, lin. 21: *etiam suffragia* pro illis obtulit.
Pag. 7, lin. 23: additur nota (12-bis).
Pag. 7, linn. 34-39: Nobilissima vero ratione unio nostra cum Ecclesia caelesti actuatur, *cum,* praesertim in sacra Liturgia, *in qua* virtus Spiritus Sancti per signa sacramentalia super nos agit, divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus...
Pag. 7, lin. 42 et pag. 8, lin. 1: uno cantico laudis *Deum unum et trinum* magnificamus.

Num. 51

Pag. 8, lin. 11: qui in *gloria caelesti* sunt...
Pag. 8, lin. 15: [Decreta Sacrorum Conciliorum...] *rursus proponit.*
Pag. 8, lin. 28: Ex altera vero parte *instruant fideles*...

NOTAE

(1 bis) Praeter documenta antiquiora contra quamlibet formam evocationis spirituum inde ab ALEXANDRO IV (27 sept. 1258), cf. Encycl. S. C. S. OFFICII, *De magnetismi abusu,* 4 aug. 1856: *A.S.S.,* (1865), pp. 177-178, DENZ. 1653-1654 (2823-2825); responsionem S. C. S. OFFICII, 24 apr. 1917: *A.A.S.,* 9 (1917), p. 268, DENZ. 2182 (3642).

(12 bis) Quoad gratitudinem erga ipsos Sanctos, cf. E. DIEHL, *Inscriptiones latinae christianae veteres,* I, Berolini 1925, nn. 2008, 2382 et passim.

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos Caput VII respicientes, cum supradictis correctionibus?

CAPUT VIII * [3]

DE BEATA MARIA VIRGINE DEIPARA IN MYSTERIO CHRISTI ET ECCLESIAE

RELATIO GENERALIS

In suffragatione de integro Capite VIII Schematis De Ecclesia, die 29 octobris 1964, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2091
Placet	1559
Non placet	10
Placet iuxta modum	521
Votum nullum	1

Integrum ergo Caput VIII, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Commissione technica, praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis Doctrinalis delegato, ab Exc.mo Roy, Relatore huius Capitis, a Secretariis Commissionis Doctrinalis et a R. P. Balić.

MODI GENERALES

1 — Relate ad *materiae dispositionem*: 22 Patres rogant ut Caput VIII inseratur inter capita I et II.

R. — Totus ordo capitum est a Congregatione Generali approbatus, et etiam propter difficultates practicas mutari non potest.

2 — Relate ad *titulum*: Alii proponuntur tituli a 24 Patribus:
De Maria Matre Ecclesiae (6 Patres)
De B. M. V. Ecclesiae Matre (1 Pater)
De Beata Virgine Deipara et Matre Ecclesiae (1 Pater)
De B. M. V. Matre Christi et Matre Ecclesiae (3 Patres)
De B. M. V. Matre Ecclesiae (13 Patres).

R. — Titulus prout iacet, iterum iam approbatus, accuratim materiae expositae respondet. Non tantum de relatione B. Virginis ad *Ec-*

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXXII, die 14 novembris 1964.

[3] *clesiam* agitur, sed etiam de eius relatione ad *incarnationem Verbi.* Haec ultima relatio est fundamentum omnium ceterorum.

3 — Relate ad *usum textuum S. Scripturae,* rogat unus Pater ut versiones Vulgatae in unoquoque casu ad lucem scientiae philologicae recognoscantur.

R. — In singulis casibus providebitur.

[4] 4 — Relate ad quaedam *particularia*:

a) Unus Pater petit ut S. Pontifex renovet *consecrationem Russiae* et totius generis humani Cordi Immaculato Mariae;

b) Alius petit utrum melius sit dicere: « Gen*i*trix » an « Ge*ne*trix »?

c) Alius postulat ut pronomina pro B. M. Virgine adhibita non scribantur maiusculis;

d) Unus Pater petit ut saltem semel aliquis textus S. Ephraem adhibeatur;

e) Idem postulat ut semper idem dicendi modus adhibeatur in designandis baptizatis acatholicis (suggerit ipse: « fratres acatholici »).

R. — Ad *a*) Haec quaestio ad Commissionem Doctrinalem non spectat. - Ad *b*) et *c*) Hae observationes ad meram ortographiam spectant. Pronomina pro B. Virgine aliquando cum maiuscula scribuntur propter solam claritatem. - Ad *d*) Authenticitas textuum *S. Ephraem* apud plures adhuc controvertitur. Unde melius videtur a citationibus abstinere. - Ad *e*) Illa quae *iam antea approbata sunt,* non possumus mutare.

RELATIO DE PARTICULARIBUS

AD NUMERUM 52

5 — Pag. 3, lin. 3: Unus Pater postulat ut pro verbis « complere *volens* », dicatur: « *intendens* », quia Pater intendit, Filius vero Incarnatus complevit.

R. — Stet textus, quia « *volens* » est plus quam « *intendens* ».

6 — Pag. 3, linn. 9-11: Idem Pater postulat ut pro verbis: « Quod salutis ... in Ecclesia », scribatur: « *quod mysterium salutis per Ecclesiam ipsam Christus exsequi continuat. In Ecclesia porro fideles Christo Capiti adhaerent et cum omnibus sanctis communicantes, memoriam venerantur etc. ...* ».

Ratio: quia aliter periodus confusa esset.

R. — Textus approbatus est magis stringens.

AD NUMERUM 53 [5]

7 — Pag. 3, linn. 19-22: Idem Pater proponit ut pro verbis: « ... Maria ... honoratur », scribatur: « Maria, *cum* Angelo nuntiante Verbum Dei corde et corpore suscep*erit* et Vitam mundo protul*erit,* ut vera Mater... ». Sic evidentior esset nexus causalis.

R. — Iam sufficienter expressum in textu approbato.

8 — Pag. 3, linn. 22-23: 120 Patres postulant ut loco: « Filio suo », scribatur: « *A Patre intuitu meritorum Filii sui* sublimiore modo redempta »: Maria enim redempta fuit quando mater Christi nondum erat; ergo non potuit redimi *a Filio suo qua tali* (cf. *Ineffabilis Deus*).

R. — Scribatur: « *Intuitu meritorum Filii sui* sublimiore... ».

9 — Pag. 3, lin. 27: Unus Pater postulat ut *expungantur* verba: « quo eximio gratiae dono », quia sunt inintelligibilia; 92 Patres vero petunt ut dicatur: « quo *gratuito* dono ». Ratio est ut non confundatur donum divinae Maternitatis cum dono gratiae sanctificantis.

R. — Gratia de se est gratuita. Oportet insuper sublineare quod est *eximia,* sicut imponitur a contextu in fine phraseos.

10 — Pag. 4, lin. 2: Unus Pater proponit ut loco verborum: « simul autem... », dicatur: « *Quae porro...* », quia ad aliud transitus fit.

R. — « *Simul* » est necessarium: B. Virgo enim, licet longe excelsa sit super alios homines, *simul* tamen est coniuncta cum eis.

11 — Pag. 4, linn. 2-4: 19 Patres postulant ut loco verborum: « Simul autem ... fideles », scribatur: « *Maria* cum hominibus salvandis invenitur coniuncta, *quatenus* Adae *filia et a Christo redempta; sed insuper divinum adimplens propositum, ipsis qua mater* coniung*itur quia* cooperata est caritate ut fideles... ». Agentes enim, dicunt hi Patres, de relationibus Mariam inter et Ecclesiam, Eius significationem et munus in oeconomia salutis considerare debemus.

R. — Illud munus relate ad Ecclesiam in fine phraseos explicite indicatur. Stet ergo textus.

12 — Pag. 4, lin. 4: 102 Patres postulant ut non dicatur: « *immo* », sed: « *Spiritu plane Mater eorum, quia* cooperata est caritate... », secus enim non potest concludi cum: « quapropter » et ad mater- [6]
nitatem spiritualem; citatio ceterum S. Augustini in vera luce ponitur si modo magis completo exhibetur.

R. — Potest accipi. Scribatur ergo: « immo, plane mater membrorum (Christi), ... quia cooperata est... ».

[6] 13 — Pag. 4, linn. 6-12: Unus Pater proponit *inversionem* textus, quam a logica expostulari reputat: « *Quam ergo Catholica Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu tanquam Matrem amantissimam prosequitur eandemque ut supereminens ... salutat* ».

R. — Inversio sat complicata non videtur opportuna.

14 — Pag. 4, lin. 8: Dum unus Pater postulat ut post vocem: « fide », *addatur*: « *spe* », 108 Patres postulant ut *deleantur* verba: « *In fide et caritate* » quia non tantum in his virtutibus Maria est typus Ecclesiae.

R. — Exhibentur praeclarissima exempla, quae ceterum sensu non exclusivo proponuntur.

15 — Pag. 4, linn. 9-12: Modi circa has lineas propositi in oppositum sensum procedunt. Sunt enim, ex una parte, 11 Patres qui petunt ut B. M. Virgo *aperte* dicatur: « *Mater Ecclesiae* », *addendo,* sive in lin. 9, post « salutatur, verba: « *immo ut Mater Ecclesiae amantissima nominatur* » (1 P.), sive, lin. 11, « tamquam matrem *suam...* » (5 P.), sive: « tamquam *veram* Matrem... » (3 P.), sive, lin. 12, post « prosequitur », « *nam et dicitur et est vera Mater Ecclesiae* » (2 P.).

Alii, econtra, 22 Patres postulant ut textus tali modo *mutetur* ut clarius appareat Concilium *non adhibere formulam*: « *Mater Ecclesiae* » vel aliquid aequivalens. Unus Pater proponit ut textus prior restituatur (omittendo verba: « tamquam ... prosequitur »); 4 alii ut in phrasi sermo fiat non de *Ecclesia Catholica* sed de « *christifidelibus* » (1 P.) vel de: « *universae Catholicae Ecclesiae membris* » (3 P.); vel ut dicatur, secundum petitionem 7 aliorum Patrum, « *Ecclesia Catholica, id est universa membra Corporis Christi* », ad vitandam inconcinnitatem (Maria ut « singulare membrum Ecclesiae » non cum ipsa Ecclesia sed cum aliis vel universis membris Ecclesiae comparari debet) et ambiguitatem (ex omissione vocis: « suam »). Ob eodem motivo, proponit unus Pater ut scribatur: « tanquam matrem *omnium...* », vel: « tanquam matrem amantissimam *sive pastorum sive fidelium* », dum 9 alii suggerunt: « tanquam matrem amantissimam *omnium fidelium* ».

[7] R. — Coram illis postulatis, quae ad invicem opponuntur, stet textus, qui post longam de his omnibus rationibus disceptationem ita statutus est.

AD NUMERUM 54 [7]

16 — Pag. 4, linn. 13-16: 18 Patres postulant ut his lineis sequentia *substituantur*: « Ideo Sacrosancta Synodus, *Divinae innixa Revelationi atque Sacri Magisterii vestigia terens, postquam doctrinam de Ecclesia exposuerit,* sedulo iam illustrare intendit... ». Ratio est ut debitus rependatur honor S. Scripturae et Traditioni necnon normae proximae in catholica doctrina.

R. — Textus approbatus doctrinam de B. Virgine *melius connectit* cum doctrina de Ecclesia. Illa quae proponuntur ut addenda non sunt necessaria: valent enim de omni et tota declaratione conciliari. Scribatur autem: « *Sacrosancta Synodus* » (sine: « Generali »), secundum modum loquendi consuetum.

17 — Pag. 4, lin. 15: Unus Pater postulat ut hae lineae *expungantur,* utpote inutilis repetitio.

R. — Incisa non est inutilis, quia connectit B. Virginem cum toto mysterio redemptionis.

18 — Pag. 4, linn. 19-20: 16 Patres proponunt ut loco: « matrem fidelium », dicatur: « *Matrem Ecclesiae* », quia maternitas Mariae omnes complectitur, non tantum fideles, cum opus redemptionis a Filio eius consummatum *omnes homines* respiciat.

R. — Scribatur: « et matrem *hominum, maxime* fidelium ».

19 — Pag. 4, linn. 20-27: Unus Pater postulat ut *totus hic textus expungatur,* 4 ut *quaedam eius partes deleantur,* sive, linn. 21-23, verba: « neque quaestiones ... dirimere » (2 P.), quia, dicunt, aliter actum est in quaestione de collegialitate, sive, linn. 23-27, verba: « Servantur itaque in suo iure ... maxime propinquum » (quia ansam praebere possunt confusioni vel suspicionem inducere quasi omnia quae dicuntur de B. M. V. liberae controversiae obnoxiae essent). Tres autem Patres proponunt ut in initio linn. 23-27: *addatur*: « Itaque, *salva mente huius Constitutionis,* servantur... » (ad indicandum non parvi faciendum esse mentem huius Constitutionis).

R. — Notabiles expunctiones normis contradicunt. In textu approbato clare exponuntur « *dogmata* » de B. Virgine. Remanent tamen quaestiones quaedam *nondum plene maturae.* Similis distinctio in [8]
omnibus partibus Constitutionis observatur. Additio: « *salva mente...* » non est necessaria, quia res de se evidens est. Cf. insuper *Declaratio* Commissionis Doctrinalis, die 6 martii 1964, de qua in Cap. III, in responso ad Modum 10.

[8] AD NUMERUM 55

20 — Pag. 4, lin. 28 - pag. 5, lin. 8: 13 Patres novam redactionem proponunt quae parum differt a textu emendato: « Sacrae Litterae Veteris Testamenti, *si ut oportet, sub luce revelationis christianae considerantur, Librique* Novi Testamenti et veneranda Traditio munus Matris Salvatoris ... veluti conspiciendum proponunt, *et* quidem ab initio historiae salutis in libris V. T. descriptae, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, *et* clarius pedetentim in lucem profertur figura Mulieris, matris Redemptoris. Si primaeva documenta (...) leguntur qualiter in Ecclesia *semper lecta sunt, B. Virgo* iam adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gen.* 3, 15). Similiter, haec est Virgo quae concept*ura* et parit*ura* erat Filium, cuius nomen vocar*etur* Emmanuel ... ». Ratio: Hoc modo vitatur infelix confusio inter processum historicum divinae revelationis et illam pleniorem intelligentiam eiusdem revelationis, quam post Christum et praelucente Spiritu Sancto nunc habere possumus.

R. — Incisa de modo legendi veteres Scripturas collocetur in initio phraseos, hoc modo: « Sacrae Litterae ... proponunt. Libri quidem Veteris Testamenti historiam salutis, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur describunt. Quae primaeva documenta, qualiter in Ecclesia leguntur et sub luce ulterioris plenae revelationis *intelliguntur,* clarius pedetentim in lucem proferunt figuram Mulieris, matris Redemptoris. Ipsa, *sub hac luce,* iam prophetice adumbratur ... Similiter, haec est Virgo... ».

21 — Pag. 4, lin. 38: Tres Patres proponunt ut loco: « ut oportet », scribatur: « ut *in theologia* (vel: *in theologia catholica*) oportet ».

R. — Melius dicitur ut in textu iuxta Modum praecedentem correcto.

22 — Pag. 5, lin. 3: 144 Patres proponunt ut pro verbo « *adumbratur* », scribatur: « *designatur* », et provocant ad Bullam *Ineffabilis* Pii IX. E contra, 13 Patres petunt ut expressio *debilior* adhibeatur.

[9] R. — Consulto ponitur « *prophetico* adumbratur », quod accuratim respondet oraculo.

23 — Pag. 5, lin. 5: 34 Patres rogant ut textus de locis Veteris Testamenti *roboretur.* Tres rogant ut *deleatur* « *Similiter* », quia putant textum *Is.* 7, 14 explicite agere de Maria; quod certissimum est de *Mt.* 1, 22-23. Alius, loco « *Similiter* », proponit: « *Ita etiam* ».

R. — « *Similiter* » sese refert ad « *sub eadem luce* » sententiae praecedentis. De sensu citationis Isaiae in *Mt.* 1, 22-23 non est dubium. Sed exegetae de sensu *litterali* textuum Veteris Testamenti non plene concordant. Exinde, secundum desiderium 12 Patrum, referentiae ita indicantur: cf. *Is.* 7, 14; *Mich.* 5, 2-3; *Mt.* 1, 22-23. [9]

24 — Pag. 5, lin. 11: Unus Pater postulat ut post verba: « praecelsa filia Sion », *addatur*: « *Templum Dei et arca Novi Foederis* ».

R. — Non opportunum.

25 — Pag. 5, linn. 11-13: 12 Patres proponunt *additionem*: Cum ipsa tandem ... *eaque gratiae et divinae ordinationi cooperante* ... complentur tempora ». Alii 88 Patres: « Cum ipsa tamen praecelsa Filia Sion, *gratiae et divinae ordinationi cooperante,* post diuturnam exspectationem promissionis complentur tempora ». Ratio est quia B. Maria Virgo non se habuit quasi passive sed prorsus active in praebendo suo concursu.

R. — Haec omnia infra explicantur.

26 — Pag. 5, linn. 15-16: Proponunt duo Patres ut loco: « ut mysteriis... liberaret » scribatur: « ut *per passionem et mortem et resurrectionem a peccato hominem* liberaret ». Ratio est quia haec dicenda sunt in concreta definitaque sententia.

R. — Ut in Relatione p. 18 explicatur, adhibetur expressio: « *mysteria carnis suae* », ad insistendum super realitatem incarnationis ex Maria.

AD NUMERUM 56

27 — Pag. 5, lin. 19: Tres Patres proponunt ut post verba: « praedestinatae Mariae », *addatur*: « *tanti mysterii consciae* » (vel: consciae *et illuminatissimae*), ut vitetur suspicio de imperfecta incarnationis intellectione ex parte Beatae Mariae Virginis.

R. — Propositio non admittitur.

28 — Pag. 5, lin. 21: 106 Patres rogant ut in lin. 21 repetatur vox [10]
« *femina* », claritatis causa.

R. — Admittitur.

29 — Pag. 5, linn. 21-24: 13 Patres volunt explicitam enuntiationem de *Immaculata Conceptione.* Unus Pater, lin. 26, inserere postulat: « *et speciali Dei privilegio ab omni peccati labe praeservatam* immunem ». Duo Patres verba linearum 27-28: « quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam », transferre volunt in lin 22. Alii 5, lin. 23, loco: « ipsam Vitam », scribere volunt: « *Auctorem Vitae* », vel: « *Iesum, qui ipsa vita est* ».

[10] R. — De *Immaculata Conceptione* agitur pag. 7, linn. 32-34, cum verbis Pii IX. Haec verba Patribus Ecclesiae adscribi nequeunt. E contra verba: « a Spiritu plasmatam novamque creaturam formatam » ad Patres Ecclesiae pertinent. Unde *inversio* fieri nequit. Linea autem 23 scribitur: « *V*itam », cum maiuscula, ad indicandum Christum.

30 — Pag. 5, linn. 21-24: 109 Patres, loco: « *praecellentissime* » (lin. 22), proponunt: « *mirabiliter* in *dignissima* Matre Iesu ». Tres eorum postulant potius: « quod *perfecte* (vel: *plene*) adimpletur in Matre Iesu ».

R. — Expressiones illae minus praegnantes sunt quam: *praecellentissime.*

31 — Pag. 5, linn. 21-24: 101 Patres exprimere volunt *principium* quod « Maria habere debuit quidquid dignitatem Matris Dei decebat », addendo insuper: « *atque Heva secunda novi Adami constituta* ». Unus Pater proponit ut redeatur ad textum priorem.

R. — De *Nova Heva* infra fit sermo, p. 6, linn. 6-14. *Addatur* in lin. 24: « ... effudit, *et a Deo donis tanto munere dignis praedita est* ».

32 — Pag. 5, linn. 28-29: Rogant 12 Patres ut loco: « singularis prorsus sanctitatis splendoribus ditata », scribatur: « *singulari sanctitate ditata* », ut vitetur tonus panegyricus.

R. — Stet textus.

33 — Pag. 5, linn. 31-32: Relate ad verba: « kecharitomenè », Patres in diversas veniunt propositiones. Duo proponunt: « *gratia plenissima* », vel: « gratia *perfecte impleta* », vel: « gratia *perfecte in-*
[11] *formata* ». E contra, 22 alii Patres, proponunt ut pro « gratia plena » saltem tollatur referentia ad Evangelium Lucae. Denique 17 Patres postulant: « *Summe Deo grata seu* gratia plena ».

R. — Remittimus ad Relationem, pag. 18, ubi invocatur usus in Ecclesia maxime diffusus.

34 — Pag. 5, linn. 40-41: Proponunt 39 Patres ut loco: « mysterio redemptionis inserviens », dicatur: « mysterio redemptionis *consociata* inserviens », quia factum corredemptionis affirmandum est etsi eius modus non exprimatur.

R. — Idea satis clara. Stet ergo textus.

35 — Pag. 5, lin. 41: Rogant 32 Patres ut *deleantur* verba: « merito igitur », et ponatur: « *reapse* », ut magis eluceat nexus logicus affirmationis huiusmodi.

R. — Stet textus, quia satis clarus.

36 — Pag. 6, lin. 2: Rogant 33 Patres ut post verba: « libera fide et oboedientia » *addatur*: « *necnon actuosa participatione* », eo quod Maria Christo indissolubili vinculo unita est. [11]

R. — Provisum in Modo praecedenti.

37 — Pag. 6, lin. 3: Proponunt 33 Patres ut, loco: « censebant », dicatur: « *censuerunt* » vel: « *censent* »: ut affirmetur perennis valor doctrinae Patrum.

R. — Ponatur: « *censent* ».

AD NUMERUM 57

38 — Pag. 6, linn. 18-20: Dicatur, petunt 16 Patres: « Haec, *novae veluti Hevae cum novo Adam consociatio in redemptionis opere,* a tempore virginalis conceptionis », quia, aiunt, textus, data opera, silet de associatione Mariae in opere salutis.

R. — Esset repetitio praecedentium. Cf. etiam quae infra de associatione Mariae dicuntur.

39 — Pag. 6, lin. 23: Unus Pater rogat ut post « ab ea », *addatur*: « *ob electionem et dignitatem benedicta et* »; 12 alii Patres volunt *ordinem clausularum inversum*: primo signum gaudii Praecursoris, deinde salutationem ab Elisabeth.

R. — Textum biblicum fideliter sequimur.

40 — Pag. 6, lin. 25: Unus Pater rogat ut post « exultavit », *addatur*: « *Spiritu Sancto repletus* », propter *Lc.* 1, 15. [12]

R. — Inutilis additio.

41 — Pag. 6, linn. 30-33: Unus Pater petit ut addantur aliqua ad commemorandam *fugam in Aegyptum.*

R. — Non omnia possumus enumerare.

42 — Pag. 6, linn. 36 ss.: Quomodo, rogat unus Pater, agitur de « parentibus », cum antea nihil de S. Ioseph dictum est? Proponit ut addatur: « Maria *et Ioseph* ».

R. — Fideliter sequimur textum biblicum.

43 — Pag. 6, lin. 38: Unus Pater petit ut *deleatur* vox: « *occupatum* », propter incertitudinem de sensu *Lc.* 2, 49.

R. — Remaneat textus. Discussio exegetica non dirimitur.

44 — Pag. 6, lin. 38: Unus Pater rogat ut loco: « *Filii* » scribatur « *Eius* ».

R. — Scriptum est « Filii » ad claritatem.

45 — Pag. 6, lin. 38: Unus Pater petit ut loco: « verba », dicatur: « *verbum* », sicut in *Lc.* 2, 50.

[12] R. — Scribatur: *verbumque.*

46 — Pag. 6, lin. 39: Unus Pater petit ut aliquid dicatur de persecutione Herodis.

R. — Non omnia possunt dici.

AD NUMERUM 58

47 — Pag. 7, linn. 2-3: Unus Pater proponit ut *deleatur*: « *signanter* », quia novum est et Evangelica synoptica una sola vice mentionem Matris Iesu in vita publica Christi faciunt.

R. — Potest stare, spectato Evangelio *Io.*

48 — Pag. 7, lin. 4: Duo Patres rogant ut *deleantur* verba: « *misericordia permota* » quia gratuite dicitur.

R. — Maneat textus.

[13] 49 — Pag. 7, lin. 5: Observat unus Pater quod effusiones gratiae messianicae iam in vita Iesu infantis enarrantur.

R. — Scribatur: « *initium signorum Iesu Messiae* », secundum *Io.*, 2, 11.

50 — Pag. 7, lin. 6: Unus Pater rogat ut *deleatur*: « *intercessione sua* », ne dirimatur a Concilio quaestio ab exegetis libere disputata.

R. — Stet textus.

51 — Pag. 7, lin. 7: Unus Pater suggerit ut loco: « accepit » dicatur: « *suscepit* » quia melius exprimit actionem internae receptionis.

R. — Admittitur propositio.

52 — Pag. 7, linn. 12-14: 105 Patres petunt ut redeatur ad textum priorem, qui fuit lucidior et aptior; insuper expressio: « in peregrinatione fidei » est insolita, obscura et ambigua.

R. — Textus prior secundum indicationes Patrum mutatus est. « Peregrinari in fide » est expressio quae a Biblia inspiratur.

53 — Pag. 7, lin. 14: Unus Pater rogat ut loco « sustinuit », ponatur: « servavit ».

R. — Verbum « *sustinuit* » est magis expressivum.

54 — Pag. 7, lin. 19: 35 Patres rogant ut post « amanter consentiens », *addatur*: « *illamque ut pretium redemptionis nostrae, cum Ipso et per Ipsum magno animo offerens* », propter documenta Magisterii. Cf. LEO XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894; PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illius,* 2 febr. 1904; BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia,* 29 mart. 1918; PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 1943.

R. — Ad Encycl. *Mystici Corporis* refertur in Nota 11. Ad *S. Pium X* et *Pium XI,* in Nota 16. [13]

55 — Pag. 7, lin. 22: 12 Patres rogant ut *omittatur*: « *fidelium figurae* », quod non certo constat nec ex sacro textu nec ex documentis Traditionis. Unus Pater, ex alia parte, petit ut loco « data est », dicatur: « *declaratur* » vel « *proclamata est* ».

R. — Scribatur: « ... uti Mater discipulo *his verbis* data est: *Mulier ecce filius tuus!* » (cf. *Io.* 19, 26-27). « Data est » videtur locutio magis expressa et intimior.

AD NUMERUM 59 [14]

56 — Pag. 7, lin. 25: Unus Pater petit ut dicatur: « non ante *solemniter* manifestare »; quia iam per tres annos sacramentum salutis pluries manifestabatur.

R. — Admittitur propositio.

AD NUMERUM 60

57 — Pag. 8, lin. 1: Unus Pater petit ut in titulo, loco: « ancilla Domini », dicatur: « *alma socia Christi* ».

R. — Stet titulus.

AD NUMERUM 61

58 — Pag. 8, lin. 21: Proponit unus Pater ut deleantur vocabula: « *humilis* » et « *ancilla Domini* », quorum loco ponatur « *alma* »: in N. T. Maria dixit se esse ancillam non Verbi sed Patris. — Ibidem proponunt 120 Patres ut insuper sequentes emendationes introducantur: « Beata Virgo, ab aeterno ... tamquam Mater *Dei Salvatoris Nostri, superno* Providentiae consilio, his in terris *exstitit alma eiusdem Redemptoris mater,* humilis ancilla et singulariter prae aliis generosa socia », ne videatur divina praedestinatio ad maternitatem, in terris redacta ad simplicem famulatum.

R. — Scribatur: « his in terris *exsistit alma divini Redemptoris mater,* singulariter prae aliis generosa socia et humilis ancilla Domini ».

59 — Pag. 8, linn. 25-26: « Duo Patres rogant ut magis indicetur cooperatio ad Redemptionem, dicendo vel: « Maria Virgo *operi Redemptionis humani generis* cooperata est », vel: « operi Salvatoris *intime* et singulari modo *unita et associata est* » (1 P.). Alius vero proponit ut lin. post « Operi Salvatoris singulari modo cooperata est » *deleantur,* quia obscurant conceptum. 30 Pa-

[14] tres rogant ut post verba: « singulari prorsus modo », *addatur*: « *copulata* cooperata est ». Alius, e contra, minus urgere vult participationem Mariae in opere redemptionis et loco: « cooperata est », proponit: « *sociata est* ».

R. — Sufficit: « Operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est » (linn. 25-26).

[15] 60 — Pag. 8, lin. 27: Rogant 31 Patres ut post verba: « flagranti caritate », *addatur*: « *pleno intimoque consortio, etsi Christo Iesu subordinato* ».

R. — Additio non est utilis.

61 — Pag. 8, lin. 29: Proponit unus Pater ut, loco: « Mater nobis in ordine gratiae exsistit », dicatur: « Mater *est nostra* », quia textus indicare debet cooperationem Mariae ad Redemptionem non tantum *subiectivam* sed etiam *obiectivam*.

R. — In explicationes theologicas non intramus.

AD NUMERUM 62

62 — Pag. 8, linn. 35 ss.: In Modo aliquo generali, 10 Patres dicunt mediationem B. M. Virginis ad solam intercessionem reduci non debere; via aperta manere debet pro ampliori explicatione. Tres alii Patres dicunt quod non sufficit in Schemate « devotionem populi non reprobare » et aestimant restrictivum modum loquendi provenire ex falso oecumenismo.

R. — Modus loquendi non est restrictivus. Quae dicuntur, *assertive*, non exclusive proponuntur.

63 — Pag. 8, linn. 37-38: Proponunt duo Patres ut, loco: « multiplici intercessione », dicatur: « multiplici *interventu* », quia « interventus » latius patet quam « intercessio ».

R. — Textus *assertive* intelligendus est, et consulto sermo fit de *multiplici* intercessione.

64 — Pag. 8, linn. 37-38: Proponunt 37 Patres ut post verba: « donis nobis conciliandis », *addatur*: « *omnium gratiarum administra et dispensatrix* » (2 P.) vel: « *omnium gratiarum administra et dispensatrix, eo quod Christo sociata fuit in illis acquirendis* » (35 P.); haec dicunt pertinere ad communem doctrinam.

R. — Implicant tamen explicationes theologicas, de quibus textus non iudicat.

65 — Pag. 9, lin. 2: Proponit unus Pater ut loco « contra peccatum luctantibus », dicatur: « *peregrinantibus necnon in periculis et angustiis laborantibus* », vel: « *in periculo aeternae salutis adhuc*

versantibus », quia B. Virgo etiam de illis qui non luctant contra peccatum curat. [15]

R. — Scribatur: « peregrinantibus *necnon in periculis et angustiis versantibus* ».

66 — Pag. 9, linn. 3-8: Proponit unus Pater textum paululum emendatum, *cum additione*: « *Iesus, ut ait S. Ambrosius, non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore servavit* » et « *suscepit quidem affectum parentis, sed non quaesivit alterius auxilium* ». [16]

R. — Additio non est necessaria.

67 — Pag. 9, linn. 3-6: Sequuntur plurimi modi postulantes *magis completam et fortem affirmationem mediationis* (« *secunda Eva* », « *Mater Ecclesiae* », « *Mundi Regina* »), vel, e contra, postulantes *suppressionem* vocis « Mediatrix », vel *substitutionem* eius per aliam (sicut « *Sequestra* »), vel denique proponentes formulationes novas, quae melius in tuto ponerent unicam mediationem Christi. In particulari:

1) In sensu affirmationis *fortioris*: Proponunt 132 Patres ut, loco « Propterea B. Maria Virgo *in* Ecclesia », dicatur: « Propterea B. Maria Virgo *ab* Ecclesia », quia tituli isti, aiunt, frequentissime, etiam in documentis pontificiis occurrunt. Ex illis 132, 121 Patres proponunt insuper insistentiam: « Propterea B. M. V. *ab* Ecclesia *nedum* titulis Advocatae, Auxiliatricis et Adiutricis, *sed etiam titulo* Mediatricis merito (vel: *iuste et pie*) invocatur ». Iidem Patres proponunt *amplificationem*: « *Sancta* Ecclesia, *Dei genitricis gloriam ac Evae secundae munus considerans, Beatam Virginem Matrem Ecclesiae, auxilium christianorum, veram sub Christo mundi Reginam agnoscit* », ne textus immerito condescendat irenismo, et nimis timide procedat. Occurrunt locutiones variantes: « necnon *et Ecclesiae, seu totius populi Dei, Matris* », etc.

2) In sensu affirmativo pro mediatione, sed attendendo magis ad servandam unicam mediationem Christi, insimul considerando problema oecumenicum et exprimendo clarius quod intendebatur in « tertia solutione » (de qua in Relatione, pag. 32), proponunt 15 Patres: « *Quando* B. Virgo in Ecclesia titulis Advocatae, Auxiliatricis, Mediatricis invocatur, *hoc* ita intelligitur ut dignitati... ».

3) In sensu solutionis secundae rogant 61 Patres ut vox « *Mediatrix* » *deleatur,* quia ansam praebet aequivocationi circa

[16] unicam mediationem Christi et est lapis offensionis pro separatis ex Oriente et Occidente. Ab illo termino disputato, aiunt, in Concilio abstinendum omnino est.

Proponunt 8 Patres, ex sua parte, ut loco: « Mediatricis », dicatur: « *sequestrae* », quem terminum dicunt a Pio XII mutuatum.

[17] R. — Quia ex utraque parte moventur difficultates, apparet quod textus probatus revera *viam mediam* sequitur, et concludendum videtur solum textum illum solidam spem praebere, ut obtineatur concordia quae ab omnibus desideratur.

68 — Pag. 9, linn. 6-8: Plures Patres hanc sententiam *delere volunt,* quia opprobrium ingereret catholicis et scandalo esset Protestantibus. Vel *inserere* volunt: « *prout indesinenter tenuit et docuit Sancta Mater Ecclesia* ». Vel suggerunt ut dicatur: « Quod tamen ita intelligitur, ut unicae mediationi Christi nihil *in se* deroget, nihil superaddat ». Quia, dicunt, a sanctis et imprimis a B. Virgine, in mediatione Christi applicanda, aliquid *addi* potest. Vel dicunt: «Quod *evidenter* ita intelligitur, ut dignitati Christi nihil *possit derogare* aut superaddere ».

R. — *Suppressio* esset contra normas. *Additio* non est necessaria. Consideratio *de additione ad applicationem* mediationis est ad minus controversa et de additione quasi ab extrinseco admitti nequit. Ultima suggestio est sat *complicata.* Unde standum est textui.

69 — Pag. 9, lin. 9-22: Rogant 114 Patres ut *deleantur* lineae 9-17, vel totaliter vel quoad varias partes, quia haec explicatio esset superflua et materiam controversam attingeret. 8 Patres proponunt *aliam explicationem*: « *Mediatrix, quia cum Christo et sub Christo mediatore cooperata est redemptioni generis humani et coöperatur applicationi eiusdem* »: ita, aiunt, describitur *factum* mediationis B. Virginis et non *natura* facti. Unus Pater textum ad alium locum vellet *transferre,* v. gr. ad n. 60, pag. 8, linn. 1-17, ne videamur nos excusare de usu tituli Mediatricis.

R. — *Suppressio* esset contra normas. *Nova explicatio* non vitat disputationem. *Translatio* rem complicaret. Explicatio a Commissione *consulto* apposita est, nec in minimis quidem videtur mutanda, ne concordia in discrimen vocaretur.

70 — Pag. 9, lin. 10: Rogant 118 Patres ut, loco: « Nulla creatura cum Redemptore *connumerari potest* », scribatur: « *aequari* », quia nos creaturae inter Eius membra, vel inter Eius oves connumeramur.

R. — Rationes allatae non probant intentum.

71 — Pag. 9, lin. 17: Proponit unus Pater ut introducatur longa citatio *Pii XII* de Matre misericordiae, *A.A.S.*, 1946, pagg. 264, 266. [17]
R. — In Notis indicabitur.
72 — Pag. 9, lin. 18: Unus Pater hanc sententiam aestimat *nimis parum* de B. Virgine edicere. Alius delere vult vocem: « *subordinatum* », quasi iniuriosum pro ea. [18]
R. — Oppositio caret fundamento.

AD NUMERUM 64

73 — Pag. 10, lin. 7: Rogat unus Pater ut clarius explicetur quid verba: « *a baptismo* » exprimere velint.
R. — Est mendum typographicum pro: « *ac* baptismo ».
74 — Pag. 10, lin. 9: Rogat unus Pater ut vox: « *Generat* » *deleatur,* quia « generatio vitae supernaturalis habetur in baptismo; quae vita fovetur Eucharistia, praedicatione, etc. ».
R. — Textus stare potest. Addere aliquid est inutile.
75 — Pag. 10, lin. 11: Rogat unus Pater ut loco: « et imitans Domini sui Matrem, et virtute... », dicatur: « *et Domini Dei sui Matrem imitatur, virtute Spiritus Sancti* virginaliter servans... ».
R. — Scribatur: « Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso... *custodit,* et imitans Domini sui Matrem, virtute Spiritus Sancti virginaliter *servat* integram fidem... ».

AD NUMERUM 65

76 — Pag. 10, linn. 14 ss.: Proponunt 104 Patres ut « inter Mariae virtutes ab Ecclesia imitandas recenseantur *castitas* et *fortitudo* ».
R. — Non omnia enumerari possunt; principaliora, cum virtutibus theologicis, citantur in linn. 34-35.
77 — Pag. 10, lin. 15: Proponit unus Pater ut, loco: « Dum autem Ecclesia *in* Beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit », ponatur: « Dum autem Ecclesia *ut* B. Virgo... ».
R. — Sensus est: Ecclesia nondum glorificata iam pertingit in B. Virgine ad totalem perfectionem.
78 — Pag. 10, lin. 20: Proponit unus Pater ut *addantur*: « ... quae, *conditione vitae suae terrestris, nobis propinquissima,* toti electorum communitati... », quia multi fideles falsam et idealizatam de Mariae vita terrestri imaginem sibi efformant; verba ceteroquin [19]
similia adhibita sunt a Paulo VI in Alloc. die 4 dec. 1963.
R. — Huiusmodi plura addi possent.
79 — Pag. 10, linn. 36-39: Plures Patres petunt ut phrasis: « ... quae

[19] genuit... crescat», *deleatur* vel *corrigatur,* quia non est clara. Dicendum non esset conceptionem et nativitatem Filii Dei fieri ratione nativitatis Eius spiritualis in cordibus hominum.

R. — Idea est patristica. Pro claritate scribatur: «Unde etiam in opere suo apostolico *Ecclesia* ad Eam merito respicit, quae genuit Christum, ideo ... natum, ut *per Ecclesiam* in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat».

80 — Pag. 10, linn. 39-40: Duobus Patribus non placet, quod omnis activitas apostolica *materno affectu* dicatur animanda, praesertim quando agitur de viris. Petunt exinde ut, loco: «materno affectu», scribatur: «*eximiae illius caritatis*».

R. — *Maternus affectus* est velut apex sententiae. De viris non est difficultas ut patet ex modo loquendi S. Pauli. Cf. *Gal.* 4, 19.

81 — Pag. 10, lin. 40: Unus Pater proponit ut, post: «in vita exstitit», *addatur* «*quod perdurat,* materni illius affectus...», quia exemplum illius materni affectus est perpetuum.

R. — Additio non est necessaria.

82 — Pag. 11, linn. 1-3: Unus Pater proponit ut corrigatur mendum, ita: «quo *cunctos oportet...*».

R. — Scribatur potius: «cuncti... *animentur* oportet».

AD NUMERUM 66

83 — Pag. 11, linn. 6-7: Proponunt 96 Patres ut *addatur* vox: «*sanctissima*»: «utpote *sanctissima* Dei Mater», quia unum de praecipuis fundamentis cultus est sanctitas.

R. — Admittitur.

84 — Pag. 11, linn. 9-12: Proponit unus Pater ut formula ditior fiat per *additionem*: «Et sane ab antiquissimis temporibus B. Virgo sub titulo Deiparae colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis *et necessitatibus suis filiali fiducia* deprecantes confugiunt. *Quia Maria mater est misericordiae et, sicut* [20] *ait S. Bernardus, «omnipotentia supplex apud Iesum, Filium suum et Redemptorem* (vel: *Salvatorem*) *nostrum*».

R. — Admittitur *additio*: «*et necessitatibus suis*», ex prece «Sub tuum praesidium». Non introducitur citatio S. Bernardi.

85 — Pag. 11, lin. 14: Unus Pater proponit ut, loco: «mirabiliter *crebruit*», dicatur: «mirabiliter *crevit*», quod verbum facilius intelligitur.

R. — Admittitur propositio.

86 — Pag. 11, lin. 19: Proponunt duo Patres ut *inseratur* incisa:

« exstitit, *et aptissima est ad perfectionem christianam promovendam,* singularis... ». [20]

R. — Esset complicatio, quae phrasim interrumperet.

AD NUMERUM 67

87 — Pag. 12, lin. 3: Rogant 39 Patres ut mentio fiat *Rosarii,* addendo: « *quorum eminet Rosarium* » (vel: « *Rosarium cum meditatione mysteriorum vitae Christi et B. M. Virginis* »), quia Rosarium breviarium est pauperum et humilium.

R. — De Rosario dicitur in Relatione, pag. 25.

88 — Pag. 12, linn. 8-21: Plurimi Patres rogant ut hae lineae *deleantur* vel saltem notabilis earumdem pars (sive linn. 8-12, sive linn. 17-21). Alii *mutationes* in textu proponunt. Tres rogant ut, linn. 8-12, *invertatur ordo dicendi* de « angustia » et « superlatione ». 119 Patres rogant ut, linn. 12-13, *addatur*: « Studium Sacrae Scripturae, *sacrarum Orientis Occidentisque liturgiarum,* Sanctorum Patrum... », quia Liturgia est summa cultus expressio.

R. — *Suppressio* esset contra normas. *Inversio* non admittitur, quia phrasis exscripta est ex documento *Pii XII.* Scribatur: « ... Sanctorum Patrum et Doctorum, *Ecclesiaeque liturgiarum...* ».

89 — Pag. 12, lin. 19: Proponit unus Pater, ut loco: « fratres seiunctos aliosve » dicatur: « *homines in universum* ». 9 alii Patres *delere* postulant: « *vel aversionem* », vel ut dicatur: « Sedulo *curent ne* quaecumque *fiant* quae sive... ».

R. — Scribatur: « quaecumque... fratres seiunctos *vel alios quoscumque* in errorem *circa* veram Ecclesiam doctrinam inducere possent ».

90 — Pag. 12, linn. 21-27: In hac pericopa, 2 Patres rogant ut *deleantur* linn. 22-24 (« neque consistere sed »); 3 rogant ut loco verborum in lin. 22: « neque in sterili », dicatur: « neque in *solo sensibili* ». Lin. 26, proponunt 3 Patres ut *addatur*: « ad *firmum* et filialem ». [21]

R. — *Deletio* esset contra normas. Verba: « *sterili et transitorio* affectu » consulto apposita sunt. — Filialis affectus de se intelligitur ut *firmus.*

AD NUMERUM 68

91 — Pag. 12, lin. 34: Proponit unus Pater ut loco: « imago et initium est Ecclesiae », dicatur: « imago et *primitiae* Ecclesiae », quia verbum « initium » haud clarum est.

R. — « Primitiae » (quod in Scriptura de Christo dicitur), hic esset potius obscurum.

[21] AD NUMERUM 69

92 — Pag. 13, lin. 1: Animadvertit unus Pater quod loco: « *Generali* Synodo » dici deberet: « *Oecumenicae* Synodo ». Similiter in num. 54, lin. 14.

R. — Propositum: Ut antea dictum est, simpliciter scribatur: « Sacrosanctae huic Synodo ».

93. — Pag. 13, lin. 8: Rogant 4 Patres ut, post verba: « supplicationes instantes » dicatur: « *praesertim per Rosarium Marianum* ».

R. — Iam antea provisum.

94 — Pag. 13, linn. 10-12: Rogant 124 Patres ut, loco: « nunc quoque in omnium sanctorum communione... intercedat », scribatur: « Nunc quoque *in caelo, cum Filio regnans et super sanctos exaltata,* apud *Christum Dominum* intercedat ». Duo alii proponunt formulam Missae de Assumptione: « *exaltata super choros Angelorum ad caelestia regna* ».

R. — Scribatur: « nunc quoque, *in caelo super omnes beatos et angelos exaltata,* in omnium Sanctorum communione ... ».

95 — Pag. 13, lin. 13: Unus Pater proponit ut, loco: « sive christiano nomine decorantur, sive Salvatorem ... », scribatur: « sive *quae* ... sive *quae* ».

R. — Admitti potest.

[22] CORRECTIONES ADMISSAE

IN CAPITE VIII

Num. 53

Pag. 3, linn. 22-23: *Intuitu meritorum Filii sui,* sublimiore modo redempta Eique arcto ... vinculo unita.

Pag. 4, linn. 3-6: Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo « plane mater membrorum (Christi), ... quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, *quae illius* Capitis membra sunt ».

Num. 54

Pag. 4, linn. 13-14: Ideo Sacrosancta Synodus ...

Pag. 4, linn. 19-20: ... matrem Christi et matrem *hominum, maxime* fidelium.

Num. 55 [22]

Pag. 4, lin. 33 - pag. 5, lin. 3: «Libri quidem Veteris Testamenti historiam salutis, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, *describunt*. Quae primaeva documenta, qualiter in Ecclesia leguntur et sub luce ulterioris ac plenae revelationis *intelliguntur,* clarius pedetentim in lucem proferunt figuram mulieris, matris Redemptoris, Ipsa, *sub hac luce,* iam prophetice adumbratur...

Pag. 5, linn. 7-8: (Cf. *Is.* 7, 14; *Mich.* 5, 2-3; *Mt.* 1, 22-23).

Num. 56

Pag. 5, linn. 20-23: ...Quemadmodum femina contulit ad mortem, ita etiam *femina* conferret ad vitam. Quod praecellentissime valet de Matre Iesu, quae ipsam Vitam, omnia renovantem, mundo effudit, *et a Deo donis tanto munere dignis praedita est.*

Pag. 6, lin. 3: Merito igitur sancti Patres... *censent*...

Num. 57

Pag. 6, lin. 38: ... *verbumque* Filii non intellexerunt (parentes Eius).

Num. 58 [23]

Pag. 7, lin. 5: misericordia permota, *initium signorum Iesu Messiae* intercessione sua induxit.

Pag. 7, lin. 7: in decursu praedicationis Eius *suscepit* verba quibus Filius... beatos proclamavit.

Pag. 7, linn. 19-22: Ac demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente uti mater disciplo *his verbis* data est: *Mulier, ecce filius tuus!* (Cf. *Io.* 19, 26-27).

Num. 59

Pag. 7, lin. 25: Cum vero Deo placuerit humani salutis sacramentum non ante *sollemniter* manifestare, ...

Num. 61

Pag. 8, linn. 20-23: (Beata Virgo) his in terris exstitit *alma divini Redemptoris mater,* singulariter prae aliis generosa socia et humilis ancilla *Domini.*

[23] *Num. 62*

Pag. 9, lin. 2: Materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus *necnon in periculis et angustiis versantibus* curat...

Num. 64

Pag. 10, linn. 9-13: Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure *custodit,* et imitans Domini sui matrem, virtute Spiritus Sancti, virginaliter *servat* integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem.

Num. 65

Pag. 10, linn. 36-39: Unde etiam in opere suo apostolico *Ecclesia* ad eam merito respicit, quae genuit Christum, ideo ... ideo ... natum, ut *per Ecclesiam* in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat.

Pag. 11, linn. 1-3: ... Cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad regenerandos homines *animentur* oportet.

Num. 66

Pag. 11, linn. 6-7: (Maria) utpote *sanctissima Dei Mater,* ...

Pag. 11, linn. 10-12; ... sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis *et necessitatibus* suis deprecantes confugiunt.

[24] Pag. 11, linn. 13-15: cultus populi Dei erga Mariam mirabiliter *crevit* in veneratione et dilectione...

Num. 67

Pag. 12, linn. 12-14: Studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum et doctorum *Ecclesiaeque liturgiarum* sub ductu Magisterii excolentes...

Pag. 12, linn. 17-21: Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos *vel alios quoscumque* in errorem *circa* veram Ecclesiae doctrinam inducere possunt.

Num. 69

Pag. 13, lin. 1: Sacrosanctae huic Synodo...

Pag. 13, linn. 10-12: (Maria) nunc quoque *in caelo super omnes beatos et angelos exaltata,* in omnium sanctorum communione apud

Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive *quae* christiano nomine decorantur, sive *quae* Salvatorem suum adhuc ignorant ... congregentur. [24]

Ad Notam 16 [addendum] Pius XII, Nuntius Radioph., 13 maii 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), pag. 266.

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione doctrinali circa Modos, Caput VIII respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

Secretarius generalis: Nunc, Patres, procedamus ad I suffragationem faciendam quoad Modos qui respiciunt cap. 3 schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur *de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu.* Lego emendationes seu correctiones admissas. Videatis pag. 61. Sunt aliqui errores typographici, quos benigne velitis emendare dum ego lego textum correctionum admissarum [*cf. pag. 106*].

Iam vero, Patres Venerabiles, quaeritur a vobis: « an placeat expensio facta a Commissione doctrinali circa modos caput tertium respicientes cum supradictis correctionibus ». Responsio duplex tantum esto: *placet, non placet.*

PATRUM ORATIONES

(*De institutione sacerdotali*)

1

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE

Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres et Fratres,

Placet schema *de institutione sacerdotali.* Et apprime quidem ob *structuram suam*: manifestat enim voluntatem Concilii, et directiones imperative et efficaciter assignat in quas quaerenda erit applicatio doctrinae alibi, scil. in schemate *de Ecclesia,* traditae. Liceat dicere: utinam in pluribus aliis schematibus hoc clare perspectum fuisset! Evitatae fuissent difficultates *quasi*[1] insolubiles. Datis enim, ut nobis videtur, sche-

mate *de Ecclesia* necnon et schemate *de Ecclesia in mundo hodierno,* unum nobis restat inquirendum, *in*[2] unoquoque septo actionis Ecclesiae *de sacerdotibus, de laicis,*[3] etc.: quid inde agendum? Quid inde acturi sumus? Quod si non *dixerimus,*[4] media pars operis Concilii pendebit interrupta ...

Schema *de institutione sacerdotali* laudandum est quod hoc *bene*[5] perspexerit, et clare lineas agendi ponere intenderit. Inter quas laudandus *mihi videtur*[6] art. I, de quo pauca dicere liceat.

Articulus enim primus schematis peropportune « rationem studiorum » ad proprias concredit conferentias conficiendam, ut secundum veras necessitates institutio sacerdotum procuretur.

At inde consectarium deducendum videtur quoad organum centrale, Romae constitutum, de studiis et seminariis. Ex eo enim quod decentralizatio *quaedam*[7] ad perfectionem institutionis admittitur, aliquo modo *augetur sed etiam mutatur* Congregationis opus et officium.

Plus *enim*[8] quam prius confluens simul et fons fieri debet erga institutiones locales, nova autonomia iam fruentes. *Haec enim relativa autonomia non independentiam significat,* sed *collaborationem appellat* ex utraque ...[9] strictiorem.

Igitur, ad bonum Ecclesiae et profectum seminariorum, et ad hoc ut articulus supradictus *intentum suum bonum*[10] adipiscatur, optandum videtur ut renovetur *Congregatio in structura ut*[11] apta fiat: 1) ad novas percipiendas necessitates, et 2) ad progressus scientiarum iugiter percipiendos.

1. *Ad percipiendas necessitates.* Ex eo enim quod unaquaeque natio necessitates proprias discernere debeat quas quotidie experitur, simul potest et debet Congregatio capax fieri: problemata Ecclesiae exinde distincte percipere, quae in unaquaque natione iam discernenda erunt, ut propria « Ratio studiorum » recte conficiatur. Unde videntur duo deducenda:

1) Ut Congregatio iam *transcendere valeat campum intemporalem et potius negativum* in quo usque modo laborare solebat.

2) Ut organice religetur Congregatio de Studiis et Seminariis cum Congregatione quae de Sacerdotibus agit: ab ea enim cognosci possunt conditiones vivae vitae sacerdotalis ad quam iuvenes instituuntur.

Quae obtineri iam non videntur nisi *ad Congregationem vocentur* viri ex diversis mundi regionibus, experientiarum localium experti.

2. *Ad progressus percipiendos.* Ex nova dispositione rerum iam melius cognosci poterunt evolutiones et progressus specialiter scientiarum quae institutionem clericorum respiciunt.

Crescunt enim scientiae et *inter se arcte connectuntur*: tum scientiae theologicae et philosophicae, tum scientiae theologicae inter se, tum scientiae *istae* [12] ad scientias profanas.

Oportet igitur ut Congregatio ita renovetur ut viros peritos in omni gradu etiam superiori scientiarum, implicet, eiusdem saltem qualificationis scientificae quam isti qui in diversis regionibus ad institutionem sacerdotum operantur, *speciali modo gradu secundario et etiam superiori.*[13]

Accidere enim potest aliter ut non recte percipiatur proportio et hierarchia problematum, ...[14] ut problemata vera *quidem* [15] sed minora problematibus maioribus praeponantur — ut est integratio culturae modernae in institutione sacerdotis qui homines hodiernos edocturus est.

Ut igitur dispositio art. I effectus suos felices obtineat, mihi videtur isti articulo addendum quod sequitur: « Inde optanda est renovatio Congregationis de Studiis et Seminariis, ut iugiter et efficaciter cooperari cum institutionibus localibus possit, ad perspiciendas necessitates et conditiones rerum et progressus etiam scientificos perspiciendos:

1. Ad hanc igitur vocentur viri ex diversis mundi partibus scientiarum et conditionum socialium omnino periti.

2. Relatio organica instituatur vel etiam fusio fiat inter Congregationem de instituendis sacerdotibus et illam quae de ipsis sacerdotibus agit ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] de. [3] circa sacerdotes et laicos. [4] factum fuerit. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] etiam. [9] parte. [10] bonum intentum. [11] Congregationis structura et. [12] theologicae. [13] sive in gradu ut dicitur secundario sive in gradu superiore. [14] ita. [15] deest.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, transeamus ad cap. IV schematis *de Ecclesia*. Videatis fasciculum, qui continet modos respicientes capp. IV et V, pag. 13. *Correctiones admissae* in cap. IV ... [*cf. pag. 117*].

Quaeritur a Patribus: An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. IV respicientes, cum correctionibus supra indicatis. *Placet* an *non placet?*

2

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Propositiones quae prae manibus habemus longe superant priores propositiones et laude digna sunt quia conscientia problematum subintelligitur, remedia quaedam innuuntur; sed praesertim locus datur renovationi locali vel regionali necnon adaptationi.

Attamen in nonnullis valde negativae sunt et iuridicae, sed non immoror *in aliis* [1] cum assentiam, in linea generali, dictis card. Léger et Döpfner. *Sed* [2] in animo habeo attentionem vestram, venerabiles Fratres, ad paragraphum de castitate, quae expuncta a schemate a. 1963, noviter immutata subintroducitur sub n. 10.

Haec sunt capita doctrinae *ibi contentae* [3]: *a*) per modum unius tractatur quaestio de castitate matrimoniali et de castitate caelibatus; dicitur enim phrasi intellectu non facili, sacerdotes « secundum proprias variorum rituum leges » vi huius castitatis Deo inservire, impetrarique auxilium ad ministerium.

b) Castitas statim consideratur tamquam occasio periculorum, contra quae seminaristae praemuniri debent « aptis praesidiis » quin quae sint haec apta praesidia saltem insinuetur.

c) Dignitas et momentum matrimonii a seminaristis cognita esse debent;

d) ut possint praeferre indivisum Dei amorem;

e) et Regno Dei dilatando quoque semetipsos offerant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.

Nescio quo pacto, post hanc analysim huius brevis paragraphi possit sustineri hic afferri non « compromissum » quoddam, sed « organicam et vitalem synthesim » et « halitum vigorosae renovationis », sicut in relatione effertur.

Ambiguitas huius tractationis sensum responsabilitatis in excolenda castitate generare nequit in iuvenibus.

Radix huius ambiguitatis est psychologica, incertitudo nempe utrum de castitate loquendum esset necne. Incertitudo haec facile deducitur ex facto quod tam in propositionibus de sacerdotibus, quam in propositionibus de religiosis, quam in his de institutione vitae sacerdotali, prout supra notavimus, tractatio de castitate prius expungebatur et ite-

rum introducebatur, propter voces confusas (exposuit relator *de vita sacerdotali*) de possibili legis caelibatus abolitione.

Hoc « tabù » est ratio cur habeamus mancam et timidam expositionem, sine « synthesi », sine « halitu ».

Sed praeterea paupertas huius paragraphi procedit a mere iuridica consideratione « legis » caelibatus; ibi enim halitus revera invenitur, ubi sermo aliunde decurrit, prout habetur in n. 9 de religiosis, ubi, etsi confuse, biblica doctrina de virginitate extollitur.

Pro sacerdotibus dioecesanis, ideoque et pro sacrorum alumnis, perspicue exponenda esset doctrina S. Pauli de caelibatu, ita ut dicamus, « apostolico », qui ab apostolo commendatur liberae electioni hominum Deo mancipatorum ut perfectius vacare possint servitio in salutem hominum ut « tempus utile », « hora Dei » (kairòs), « urgens » in iis quae sunt ad Deum insumerent et proficerent. Hoc « tempus utile », « hora Dei » a Concilio quam maxime extolli posset quia revera signum maximum est huius temporis in quo ad tempora S. Pauli, i. e. ad Evangelium reverti volumus, invitationem Sancti Patris Ioannis XXIII amplectentes et vestigia eius sectantes. Sed sincere etiam docendum esset secundum doctrinam S. Pauli hanc abstinentiam a matrimonio ex se perpetuam non esse, sed sicut libere suscipi etiam libere relinqui posse, nam consilium est. Deinde etiam sincere et aperte exponendum esset praxim Ecclesiae pro sacerdotibus virginalem statum exigere, in quo unio inter Christum et Ecclesiam significata in matrimonio, realis efficitur, postquam culmen in B. M. Virgine attigit, et futura unio cum Deo in caelo « ubi neque nubent neque nubentur » ...[4] nuntiatur; status nempe in quo complementum personalitatis, quod est mulier in vita familiari, a solo Deo requiritur, etsi pondus naturale maneat, ideoque virginitas sacrificium Christi repraesentet, annuntiet et compleat. Status i. e. responsio libera, sed voto firmata.

Sed sincere etiam et fortiter docendum esset virginitatem esse donum Dei quod non valent intelligere nisi ii quibus datum est ...[5] a Deo, quod nonnisi « propter regnum caelorum » appetendum est ...[6], quod neque ab episcopo donari potest, sed a Deo impetrari debet.

Exinde sequitur semel pro semper finem imponendum esse disparitati in exponenda castitate sacerdotali et religiosa: sacerdotes omnes Ecclesiae Occidentalis *enim* [7] monaci de facto sumus. Haec unitaria, cohaerens, renovatrix et simul evangelica conceptio ad has consequentias practicas nos duceret:

1. Periculum maximum pro statu virginitatis est solitudo, tam frequens nostris diebus in quibusdam regionibus ob diminutum numerum sacerdotum. Remedium non est necessario vita stricte communis, sed

saltem commercium fraternum, usus loquelae apertae et veracis, adiutorium mutuum apostolicum inter sacerdotes.

2. Alia remedia praecipua sunt bona praeparatio et integratio personalitatis in dignitate et responsabilitate, enthusiasmum apostolicum, gaudium consecrationis sui ipsius et sine dubio modestia, mortificatio et oratio; sed praeterea

3. Liberatio ...[8] a possibili obsessione psychologica, evacuatio scil. antinomiae nunc insolubilis legis humanae caelibatus, de qua proprietates legis humanae praedicari nequeunt, per dispensationem opportunam iustam et aequam, sicut factum est pro religiosis, pro quibus a rigiditate primaeva absoluta ad legem ordinariam dispensationis deventum est. De hac lege ordinaria sacrorum alumni edocerentur et populus christianus certior fieret.

4. Episcopus, qui sacerdotes suos generavit, quos cooperatores vocavit non ut laqueum ipsis iniiceret ...[9], dispensare eos valeat a voto virginitatis cum reductione totali et perpetua ad statum laicalem confirmante quidem Romano Pontifice, ut negotium pro rei gravitate maturius expendatur.

5. Si in hac via progrederetur accederet emolumentum oecumenicum maximum, nam doctrina de caelibatu non amplius divideret Orientem ab Occidente.

6. Haec doctrina et haec praxis caelibatum non infirmaret, sed e contra puriorem redderet, luce clariori perfunderet, corda dilataret, pacem afferret, authenticitatem vitae manifestaret, vocationes multiplicaret.

7. Quaestiones vero anthropologicae, psychologicae, etc. demandentur commissioni de qua cardinalis Suenens locutus est, in Congregatione renovata secundum dicta *nunc*[10] ab episcopo Garrone, ut inter plura haec profundius investigentur: elementa integrationis personalitatis, valor et applicatio sic dictorum « test », valor et opportunitas methodorum analysis psychologicae, discordia inter evolutionem biologicam sexualitatis et evolutionem psychologicam, aetas et signa maturationis pubertatis ...[11]

Moderator: Doleo exc.me Pater, tempus tuum exaustum esse. Festina concludere.

Orator: *Conclusio*. Anxius et anceps sum, nam qualitates propositionum me movent ad *placet* proclamandum; sed defectus, necnon demandatio propositionum de vita sacerdotali ad commissionem, et praeterea cum in hac tertia Sessione hae propositiones approbari nequeant, haec

omnia me inducunt ad *non placet,* vel melius *placet ad modum* ...[12], et modus est: ut *iterum* [13] in proxima Sessione simul discutiantur in aula propositiones de vita sacerdotali et propositiones de institutione sacrorum alumnorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] (*Mt.* 22, 30). [5] (*Mt.* 19, 21). [6] (*Mt.* 12, 12). [7] deest. [8] ab ultimo « tabù » et. [9] (*1 Cor.* 7, 35). [10] deest. [11] 8. Inde educatio ad integrandam personalitatem et normae generales circa maturitatem psychologicam et affectivam eiusque probationem, etiam forsitan per vota temporalia, e. g. occasione Ordinum Minorum emittenda. [12] dicendum. [13] deest.

Secretarius generalis: Communico vobis Patribus exitum suffragationis circa Modos respicientes cap. III *de Ecclesia.*

Praesentes Votantes		2146
Dixerunt	*placet*	2099
	non placet	46
	placet iuxta modum	1

Nullum est suffragium *iuxta modum.* Ergo expensio modorum congregationi generali placuit. Antequam legam correctiones admissas circa cap. V, rogo vos Patres, ne assignatores locorum, praesertim his diebus, tabellonarios vestrarum epistolarum faciatis. Nam multus est labor, ut videtis, et urget nos, quapropter hic superadditus labor implicat etiam ipsas suffragationes quae sunt multi momenti. Gratias.

Ergo lego correctiones admissas quoad cap. V schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur *de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.* Videatis paginam 25 [*cf. pag. 125*]. Quaeritur Patres: An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos ad cap. V pertinentes, cum correctionibus supra indicatis. *Placet* an *non placet?*

3

Exc.mus P. D. IOSEPH REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Ex eis quae ad dicendum praeparavi haec eligo [1]: 1. In institutione sacerdotali alumni non solum, ut in schemate dicitur, n. 19, in cultu liturgico instrui debent, sed etiam sacrae liturgiae vis formans futuros

sacerdotes, quae magni habenda est, in schemate apto modo enuntietur iuxta constitutionem *de sacra liturgia.*

2. *Respectu eorum quae de caelibatu dicta sunt, magni momenti mihi esse videtur imprimis visio positiva caelibatus,*[2] quae in schemate quidem invenitur, sed amplius desideratur. Visio enim positiva caelibatus indispensabiliter necessaria est, ne caelibatus alumnis principaliter appareat ut renuntiatio et quasi charta permittens licentiam, ut ordinentur, charta licet per se ingrata, sed necessaria pro ordinatione accipienda. Sacerdotalis caelibatus propter regnum caelorum consistit fundamentaliter in speciali modo, quo homo vestigia Iesu Christi premens se totum Deo in Christo Iesu in ministerium hominum tradit sicut Ecclesia pro hominibus seipsam Christo devovet; matrimonio renuntiare signum constitutivum huius specialis deditionis est. Cura eorum, qui alumnis adsunt, *ergo*[3] id contendat, ut iuvenes bene instructi et plene sibi conscii, cui bono renuntiant, gratia Dei excitati et adiuti optione mature deliberata amore Dei et proximi Iesum Christum in caelibatu propter regnum caelorum magnanimiter et tamquam viri secuturi sint non obstante in omnem vitam acerba renuntiatione matrimonio.

3. et ultimo. In disceptatione huius schematis in hac aula dictum est superiores seminariorum desiderare singulariora praescripta et alumnos decretis generalibus formari non posse. Ut episcopus qui usque in hunc diem rector seminarii maioris est et quidem ab undeviginti annis dicere audeo: Nec alumni nec superiores amplo schemate, quo multa dicuntur, et regulis, quae omnia usque ad singularia etiam minima praescribere intendunt, vere adiuvantur. E contra opus est principiis fundamentalibus penitus in natura sacerdotii fundatis, ubique terrarum vigentibus, clare breviterque expressis, super quae accommodate ad diversas gentes, culturas, diversa loca nostraque tempora institutio sacerdotalis extrui possit. Propositiones nobis propositae certe non multa, sed multum dicentes et talia principia fundamentalia tum breviter tum profunde exhibent et in tota institutione sacerdotali — ut utar verbis exc.mi relatoris — « actionem unitariam » inspirant ideoque « quamcumque vivisectionem in universa activitate formativa » devitant. Si, venerabiles Patres, vestrum « Placet » cum aliquibus *non multis*[4] modis ornatis schemati donatis, ipsis alumnis et superioribus seminariorum donum datis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Nomine 127 Patrum, quorum subscriptiones die 14 nov. tradidi. Quamquam schema emendatum adhuc aliquibus — certo non multis — modis melius effici poterit, tamen schema ideo ut laudandum et acceptandum consideratur, quia, ut alia laudanda silentio praetereantur, haec tria sche-

mate proponuntur: 1. Sana decentralizatio totius institutionis sacerdotalis. Talis decentralisatio pro sincera et integra institutione sacerdotali decisivi momenti est, quia talis institutio et in principiis fundamentalibus ubique terrarum valentibus posita et ad locorum et gentium et culturarum necessitates accommodata esse debet. 2. Schema continet apta principia pro studiis certe necessario recognoscendis. Eminent haec principia eo quod suo sono enuntiant maiorem unitatem studiorum, quae omnia fundamento Sacrae Scripturae niti debere declarantur. 3. Valde placet ut novi accentus pro alumnorum formatione humana et spirituali — ab invicem non separanda! — ponantur. [2] Pro formatione humana et spirituali magni momenti visio positiva caelibatus est. [3] deest. [4] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis respicientis Modos cap. IV, *de Ecclesia,* uti patet:

Praesentes votantes	2144
Dixerunt *placet*	2135
non placet	8
Et suffragium nullum	1

Ergo etiam haec expensio placuit congregationi generali.

EXC.MUS P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

RELATIO CONCLUSIVA DISCEPTATIONIS

Venerandi Patres,

Laeto et sincero animo, totius commissionis certus interpres, plurimas gratias omnibus profero, qui in hac tam serena tamque constructiva disceptatione suis interventibus operam adiutricem nostris laboribus praestiterunt.

Haec disceptatio confirmavit, si opus esset, institutionem sacerdotalem et seminaria esse vere, hac quoque nostra aetate, episcoporum cor cordis quia omnes animadversiones, etiamsi discrepantes, lucidum testimonium ostendebant actuosae maternaeque sollicitudinis Ecclesiae seu pastorum, ut verbis Pii Pp. XI utar, pro idonea suorum conformatione sacerdotum.

Paucis verbis « ad modum conclusionis », ne synthetizari quidem possunt omnia quae dicta sunt: alia in laudem (et sit laus Deo), alia plura in emendationem et expolitionem; et alia, perpauca, ni fallor, in integram refectionem schematis. Omnia cooperantur in bonum quia omnes quaerimus bonum diligentes Deum.

Sodales commissionis laetanter animadverterunt quod per disceptationem ea mens confirmata et approbata est, quae commissioni fuit in apparandis propositionibus: scil. ut de institutione sacerdotali vel de sacrorum alumnis formandis altiora principia et normae, quae hodie magis urgentur et aptiora videntur in actualibus rebus adiunctis, secundum spiritum nostri Concilii et in stricta connexione cum ceteris documentis conciliaribus, melius in lucem ponerentur, et presso eloquio proclamarentur, ut essent quasi faces indicativae itineris percurrendi sive in laboribus postconciliaribus sive in conferentiis episcopalibus pro singulis regionibus et ab ipsis episcopis in sua quaque dioecesi.

Ad hunc finem propositiones nostrae, non genericae et incertae, sed potius flexibiles seu adaptabiles consulto factae sunt sicuti a pluribus Patribus laete agnitum est; ut ita viam pararent accommodationibus quae spectant ad conferentias episcopales secundum exigentias locorum et temporum.

Schema nostrum vestris animadversionibus, venerandi Patres, perficiendum et perpoliendum iam diximus in relatione introductoria.

Ea ergo omnia, sive emendationes sive vota et suggestiones, quae sapienter dicta sunt circa formationem humanam et supernaturalem, intellectualem et spiritualem, personalem et communitariam, culturalem et pastoralem non per partes divisas, seu ut mos est dicere dicothomice vel trichothomice sed organice et unitarie omnium moderatorum et docentium cordibus et viribus unitis promovendam, debitis adhibitis mediis et methodis hodiernae aetati magis consentaneis, commissio, maxima cum diligentia, perpendet et comparabit et seliget proferens de thesauro Ecclesiae nova et vetera.

Elementa a vobis praebita per interventus orales vel scriptos materiam sufficientem, ut mihi videtur, offerunt ad perficiendum schema iuxta placita Concilii eo magis quod per Patres qui nomine plurium locuti sunt plurimorum Patrum desideria et opiniones nobis nota sunt.

Venerandi Patres, pro certo habeatis quod « ne particula quidem boni doni a vobis praestiti nos praeteribit » ut hoc documentum conciliare in manibus vestris validum instrumentum eveniat ad fovendas et colendas vocationes, ad dignos Christi ministros et idoneos in vinea Domini operarios efformandos.

Nunc vestram sententiam expectamus, audentes confidere ne nostrae propositiones, ad suffragationem admissae (quod firmiter speramus) postea acervo modorum obruantur.

Spiritus Sancti gratia, quam imploramus per intercessionem B. Mariae Virginis, clericorum dulcissimae Matris, cuius nomen et cultum in textu inseremus sicut erat in priore schemate et iure expostulatum

est, dirigat corda nostra et intelligentias nostras necnon et calamos nostros magneticos, et omnibus nobis, sodalibus commissionis non exceptis consolationem afferat. Dixi. Gratias.

Moderator: Gratias plurimas agimus exc.mo relatori necnon omni commissioni. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur vobis, venerabiles Patres, hoc quaesitum (quod respicit schema mox disceptatum): « an placeat Patribus, ut post disceptationem schematis *de institutione sacerdotali,* transeatur ad suffragationem faciendam? ». Responsio duplex esse potest: *placet, non placet.* Respondeatis ergo.

Moderator: Nunc autem, antequam transitus fiat ad disceptationem « de declaratione circa educationem christianam », audiamus admodum R. D. Aloisium Marcos, parochum Sanctae Mariae a Doloribus Matriti, in Hispania.

ORATIO

Rev. D. ALOISII MARCOS

[*Nomine omnium parochorum Concilii Auditorum*]

Em.mi ac exc.mi Patres Conciliares, dilectissimi in Christo fratres, observatores, periti, auditrices et auditores, assignatores, invitati!

Cum *absoluta discussione de institutione sacerdotali, nobis*[1] parochis auditoribus Concilii Vaticani secundi in aula conciliari mea voce mentem suam aperire liceat, primum sit Sanctissimo Patri Paulo VI, quem Deus sospitem servet, testimonium offerre gratitudinis, amoris filialis, reverentiae et oboedientiae non tantum nostrae, sed etiam omnium parochorum et omnium sacerdotum totius mundi quos aliquo modo repraesentamus. Sit etiam vobis, venerabiles Patres, hoc nostrum obsequium propter magnam erga nos benevolentiam et ...[2] quia, remittendo schema *de vita et ministerio sacerdotali* ut denuo elaboretur, vestram voluntatem efficaciter ostendistis illud futurum esse completum sacerdotii et ministerii sacerdotalis expositionem.

Non sine speciali animi commotione legimus in schemate *de Ecclesia* presbyteros, ordinis episcopalis providos cooperatores, unum presbyterium constituere, munera et sollicitudinem episcopi cura quotidiana exercere, eosque propter hanc sacerdotii et missionis participationem episcopos ut patres agnituros et oboedituros et ab episcopis ut filios et amicos considerandos esse. Nos enim presbyteri medii stamus inter episcopum et laicos. Simul cum reliquis hominibus vestrae sumus sollicitu-

dini commendati. At, munus pastorale episcoporum participantes, vobis amici et cooperatores, atque fidelibus quoque et nos patres, magistri, pontifices et pastores efficimur. Occasione ergo huius nostrae publicae interventionis in Concilio, liceat nobis pauca recolere nostrae praeoccupationis pastoralis aut etiam nostrorum votorum quae humiliter vestrae subiicimus considerationi.

In votis nempe nobis est ut schema *de vita et ministerio sacerdotali* luculenter ostendat magnitudinem sacerdotii christiani in genere et in specie presbyterii dioecesani in uno eodemque sacerdotio cum episcopo communicantis; atque simul explicite declaret positionem cleri dioecesani relate ad statum perfectionis theologice consideratum. Hoc enim nostrae vitae et ministerio sacerdotali validissimum adiutorium erit utpote quod rationem ostendet nostrae Deo consecrationis et plenae nostrae deditionis in servitium Ecclesiae et animarum salutem atque nostrae specificae spiritualitatis cleri dioecesani. In luce horum principiorum *apparere debet* [3] iuridica structuratio presbyterii ut participis sacerdotii et magisterii et regiminis sui episcopi. Sic etiam ratio oboedientiae, motivum paupertatis, sensus castitatis sacerdotalis sunt theologice enucleanda, ne simpliciter ut officia iuridica imponantur sed ut intimae exigentiae *vel consequentiae* [4] nostri sacerdotii praeprimis ostendantur.

Et quia nos parochi electi sumus ad praesentiam in Concilio quasi germanam sacerdotum dioecesanorum repraesentationem, putamus, *et* [5] nos et omnes sacerdotes dioecesani, *in nobis*,[6] et ipsam institutionem paroecialem Romanus Pontifex et Concilium voluerint honorare. Unde etiam expectamus ut tum in Concilio tum postea aliquid in specie de paroecia declaretur; nempe de eius theologico fundamento, ut est communitas fidelium quae verbum Dei proclamat, Eucharistiam celebrat, ac ita divinam vitam diffundit et caritate Christi adunata peregrinatur in caelum. Quae ut melius a paroecia praestari possint, lineae fundamentales declarentur futurae ordinationis ad hodierni temporis conditionibus paroeciam accommodandam, quo ipsa ut cellula basica Corporis Christi mystici vere familiam filiorum Dei constituat.

Si aliquas adhuc animadversiones addere licet, nos libenter fatemur bene intelligere rationes quae inamovibilitatem in officio dissuadere videntur; at, ipso schemate conciliari dicente quamdam stabilitatem requiri ad bonum animarum, expectamus in novo iure canonico condendo huic stabilitati sufficienter provideri.

Praeterea *multis ex nobis opportunum visum fuit reverenter* [7] proponere ut ...[8] parochis permissum sit sacramentum confirmationis non tantum in mortis periculo administrare, sed quoties id, iudicio episcopi,

animarum saluti conveniat. Quod et praxis ecclesiarum orientalium, et opportunitas non nimis protrahendi huius sacramenti administrationem, et facilitas aptioris praeparationis pastoralis suadet. Sic etiam nostrum sacerdotium in bonum animarum plenius exercetur atque paroecia plenam vitam spiritualem fidelium ampliori efficacitate curat.

Pariter bonum animarum, occasione faciliorum communicationum, nobis suadere videtur ut in nova disciplina statuenda omnes sacerdotes, iuxta licentias sui episcopi, etiam extra dioecesim, saltem intra terminos eiusdem nationis, debitis conditionibus, confessiones audire possint.

Tandem, quia nos parochi in prima linea invenimur laboris pastoralis, populi sensus et vota et quaerimonias frequentius sentimus, unde noster spiritus sacerdotalis vivide excitatur. Populus nempe et christianus et infidelis, scienter necne, Christum quaerit qui est via, veritas et vita. Propter quod attente inspicit Concilium ut a vobis, venerabiles Patres, haec Christi imago in Ecclesia luculenter monstretur, *ut praesertim eius ministri* [9] in humilitate, in paupertate, in servitio, sicut Christus qui « descendit de caelis » et nos ad omnes homines descendamus... [10]

Haec quidem ratio praecipua fuit huius Concilii Vaticani II, pro pastorali scopo praesertim congregato. Propter quod populus christianus et universus mundus spectat, venerabiles Patres, ut haec linea pastoralis efficacitatis sollerter et plene ad finem usque perficiatur, iuxta mentem Summi Pontificis Pauli VI, qui gressus insequi voluit Sanctissimi Papae Ioannis XXIII, cuius etiam memoria a nobis parochis animi commotione honorari vult.

Ita nos cum universo populo christiano vobis libenter plaudimus pro vestro labore, vobiscum in Concilio et post Concilium adlaborare promittimus ut decreta et dispositiones conciliares iuxta ipsius mentem Concilii in praxim deducantur, ac tandem nostra omniumque sacerdotum et fidelium fervidas preces cum filiali amore nunc et pro semper obtestamur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] propter tot ac tanta quae de sacerdotio, de presbyteris et de presbyterio dioecesano dixistis, atque. [3] apparebit. [4] deest. [5] in. [6] deest. [7] reverenter audemus. [8] nobis. [9] Via nempe qua. [10] Veritas etiam, quam sincere in omni nostra vita et activitate praebeamus, testimonium Christi nostris operibus reddentes ut potius vita quam verbo evangelium praedicemus. Vita tandem est Christus quam nos omnibus hominibus communicare debemus; vita, qua filii Dei effecti, ut veri filii vivant, ac fraterna caritate totum mundum amplectentur, ad promotionem humanam hominum laborent, humanae personae dignitatem efficaciter affirment, libertatem defendant, pacem statuant, iustitiam foveant, solidaritatem inter populos consequantur, mundum denique Deo consecrando.

Moderator: Gratias agimus A. R. D. Aloisio Marcos necnon omnibus parochis quorum nomine nobis locutus est. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico, Patres, exitum suffragationis tertiae circa Modos respicientes cap. V *de Ecclesia.*

Praesentes votantes	. . . .	2.146
Dixerunt *placet*	. . . .	2.142
non placet	. . . .	4

et, mirum! nullum votum iuxta modum et nullum votum nullum! Patres venerabiles, audire velitis quomodo facienda sit suffragatio schematis *de libertate religiosa* feria quinta proxima. Erunt quatuor suffragationes circa singula puncta.

1ª respiciet nn. 1, 2, 3, nempe libertatis religiosae generalis ratio;

2ª respiciet nn. 4 et 5: doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta;

3ª respiciet nn. 6, 7, 8, 9; et sunt consequentiae practicae;

4ª respiciet nn. 10, 11, 12, 13, 14 nempe doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis.

Hae 4 suffragationes fient tantum per *placet* et *non placet.* Denique fiet suffragatio finalis complectens totum schema et haec suffragatio finalis fiet per triplicem formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Ergo feria V proxima, incipiemus has suffragationes.

Aliqui Patres petierunt utrum in sessione publica sabbati proximi, possent suum suffragium dare per alium Patrem. Respondetur: negative. Suffragium datur personaliter, si quis Pater est procurator alius, potest subsignare folia constitutionis forte approbatae. Sed non potest dare suffragium pro alio Patre.

Ergo intimantur omnes pro sessione publica sabbati proximi, quemadmodum iam non semel dictum est, votum est personale; non datur per delegationem. Gratias.

Moderator: Nunc autem fit transitus ad disceptationem circa relationem *de educatione christiana* et ante omnes, audiamus exc.mum D. Iulium Victorem Daem, ep. Antverpiensem, relatorem.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA PROPOSITIONUM DE SCHOLIS CATHOLICIS * [5]

1. *Prooemium.* Gravissima educationis et scholarum causa merito nostris diebus omnium mentes occupat, imprimis parentum et eorum qui supremum populorum principatum tenent vel rerum paedagogicarum periti sunt iuriumque humanae personae propugnatores.

Ecclesia Christi cuius est nuntium salutis mundo praedicare, parvipendere minime unquam potuit nec potest gravissimum momentum educationis, qua omnes humanae personae vires excoluntur, tota societas promovetur atque rerum universitas a Creatore hominis usui destinata perfectius cognoscitur. Ipsam igitur educationem Evangelii lumine penetrare atque nobilitare Ecclesia per omnem suae historiae decursum quam maxime studuit. Instrumentum vero huic fini praecipue aptum semper habuit scholam christianam, in omnibus eius formis et gradibus, ab inferioribus usque ad Universitates studiorum.

Censet igitur Sancta Synodus opus educationis inniti solido fundamento non posse, nisi, in bonum totius humanae communitatis, quaedam universaliora principia, educationem et scholam respicientia, sancte serventur. Educatio enim, ac proinde schola, totum hominem respiciat oportet, eius ad familiam, societatem et Deum relationes clare perspectas habeat, ultimumque finem assequendum consideret.

---

* *Initio huiusmodi fasciculi invenitur*:

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis posita, in redactione definitiva tollentur.

[5] *Principia*

2. Imprimis illud principium pro fundamento ponendum est, omnem hominem, utpote anima spirituali et immortali praeditum, dignitate pollere personae, ideoque iura et officia a sua ipsius natura profluentia inviolabilia esse.

Quae humanae personae dignitas ex veritatibus divinitus revelatis ex eo clarius effulget, quod homines superna gratia filii et amici Dei sunt facti, aeternaeque gloriae heredes constituti.

3. Ob hanc suam humanam dignitatem, homo, cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis, ius habet ad omnium facultatum adaequatam educationem, sicuti officio tenetur munera sibi imposita implendi et fines sibi proprios assequendi.

[6] 4. Cui humanae condicioni quaevis educationis instrumenta respondeant oportet. Finis igitur etiam scholae imprimis reponendus est in adaequata hominis educatione, cuius veluti centrum et anima est moralis et religiosa formatio.

5. Inde libertas tum condendi tum regendi scholas, quam, morali ordine communique omnium utilitate servatis, familia, Ecclesia, societates privatae itemque singuli homines iure merito postulant, non solum ad inalienabilia hominis iura pertinet, sed etiam necessaria est censenda ad rectam educationem et ad ipsum bonum commune tuenda. Ideoque quodvis scholae monopolium nativis personae humanae iuribus adversatur.

6. Iura parentum, iustitia distributiva et ipsum bonum societatis postulant ut communitatis pecunia eiusque media vel subsidia ad scholarum sustentationem destinata, in omnes scholas, quae bono communi nocivae non sint, erogentur, absque ulla personarum acceptione vel discrimine.

7. Parentum imprimis ius et officium est, a natura datum, educandi filios; deinde vero, titulis tamen diversis, Ecclesiae, Rei Publicae, ceterarumque humanarum consociationum. Omnes tamen in hoc iure et officio exercendo, concordi ratione procedere debent, prae oculis habentes unitatem hominis educandi, connexionem et subordinationem finium consequendorum, diversam naturam auctoritatis exercendae, et principium subsidiarietatis.

De Scholis Catholicis in genere

8. Ad educationis officium implendum Ecclesia catholica pluribus pollet mediis, inter quae recensenda est scholarum catholicarum insti-

tutio cuiusvis generis et gradus; ministerium autem quod in eis exercetur veri nominis apostolatum constituit, et quidem nostris temporibus maxime congruentem et necessarium. [6]

Schola catholica reapse adiuvat alumnos ut maturitatem assequantur per evolutionem humanam cum perfectione christiana coniunctam. Ipsa enim, non minus quam aliae scholae, fines culturales et sociales prosequatur oportet; ab aliis autem distinguitur spiritu quo animatur, sapientia christiana quam communicat, institutione religiosa quam impertit sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia.

9. Ecclesia, dum gratissimam se profitetur erga laicos, religiosos, [7] religiosas et sacerdotes, qui evangelica sui deditione, in immensum educationis et scholarum opus incumbunt, adhortatur iuvenes aptis dotibus praeditos, ut libenter operam praestent in scholis catholicis, quae hodie quam maxime indigent magistris tam religiosis quam laicis. Simulque parentes christianos commonefacit de officiis quae eis incumbunt, ad educationem quod attinet, peculiarique modo de officio concredendi liberos scholis catholicis, quantum fieri potest, atque cum magistris quibus educationis opus commiserunt, sociam praestandi operam, ope associationum et conventuum fovendam.

10. Ecclesia denique gravissimum persentit officium promovendi formationem religiosam suorum filiorum, qui in aliis scholis instituuntur, ac propterea illas auctoritates et communitates civiles dilaudat, quae ipsam in hoc munere explendo adiuvant.

De Catholicis studiorum Universitatibus

11. Universitates studiorum inter scholas speciali modo eminent et particulares fines habent. Cum summopere Ecclesia et proficiat et gaudeat, si uberiore polleat veritatis divinae et humanae cognitione, vehementer haec sacrosancta Synodus exoptat ut studiorum catholicae Universitates foveantur, in quibus et sacrae disciplinae, quae ad christianae religionis illustrationem directe pertinent, et etiam profanae, quae ad mundi hominisque cognitionem spectant, excolantur, ad testandam plenam illam fidei cum ratione concordiam, cuius magister exstitit S. Thomas Aquinas. Omni nisu in catholicis Universitatibus scientiae investigentur, eaedemque alte perspectae succrescenti iuventuti tradantur, atque illi homines docti efformentur, qui et gravioribus officiis in societate obeundis optime sint parati et testes fidei in Ecclesia et in mundo exsistant.

12. Universitates et Facultates catholicae ab omnibus christifidelibus viribus consociatis promovendae, potius quam numero, doctrinae

[7] studio eniteant. Commendat autem S. Synodus ut quaedam huiusmodi studiorum domicilia convenienti distributione, quam Ecclesiae utilitas iuxta locorum temporumque adiuncta postulat, in diversis terrae partibus habeantur.

Universitates et Facultates catholicae, ut ad scientiae profectum efficaciore usque ratione contribuant, peculiaria Instituta investigationi scientificae destinata maxima cura foveant.

[8] In omnibus Universitatibus catholicis habeatur Facultas S. Theologiae, quae totius Universitatis veluti centrum sit, aut saltem S. Theologiae Institutum vel Cathedra, in qua lectiones laicis quoque studentibus aptatae tradantur.

13. Universitatum catholicarum aditus alumnis dotibus congruis praeditis facile pateat, iis in primis qui maioris sunt spei, etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico excipiantur, qui aliis ex gentibus, praesertim ex novis nationibus veniunt; quibus etiam peculiaria subsidia praebeantur.

In Universitatibus catholicis praeter accuratam in variis disciplinis institutionem, alumnorum institutio religiosa, moralis ac socialis diligenter curanda est; illae quaestiones investigentur, quae a cultura proprii temporis christiano homini proponuntur.

Episcoporum est spirituali studentium bono convenienter prospicere, centra universitaria ac hospitia instituendo; quae spiritualia subsidia peculiari cura, congruo ad hoc deputato numero sacerdotum ex utroque clero nec non laicorum, parentur etiam pro studentibus, qui Universitates non catholicas frequentant.

14. Ecclesiae Pastores et Christifideles, sua cuiusque opera, altiora studia in bonum societatis et Religionis etiam extra Universitates catholicas promoveant.

Docti catholici veritati perscrutandae, sive investigationibus scientificis ac docendi munere etiam in Universitatibus et Institutis non catholicis, sive assiduo commercio cum viris doctrina egregiis, dent operam.

Universitates catholicae inter se et cum aliis Universitatibus coniunctae conferant operam ad scientiae progressum et ad alumnorum scientificam institutionem. Iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive aliarum Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores videantur, peculiari cura excolantur et ad magisteria suscipienda promoveantur.

15. Quam maxime exoptat Sancta Synodus ut in Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum sacrae scientiae et cum sacris connexae impensius promoveantur et ad altiores investigationes auditores instituantur, recentioribus methodis et auxiliis adhibitis.

[8] Rationes studiorum, a singulis Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis observandae, conficiatur, Sede Apostolica approbante, ad peculiares locorum conditiones accommodatae, in primis autem respectu habito ad Missiones et ad Ecclesiae Orientalis territoria.

[9] Distinguantur in sacris studiis cursus fundamentales a cursibus specializationis, quos vocant, in quibus singulae disciplinarum partes per congruum tempus pervestigentur.

Ordinarii quos ex clericis scientiis colendis aptiores et eximia pietate commendatos cognoverint, formandos committant Universitatibus et facultatibus catholicis, ubi adsint, praesertim studiorum ecclesiasticorum.

16. Ut in universa Ecclesia scientiae sacrae efficacius provehantur, Seminaria maiora et familiarum religiosarum domus studiorum, quae particulari institutione praecellunt, cum Universitatibus et Facultatibus affiliatione quam vocant utiliter consocientur.

17. *Conclusio.* Sancta Synodus omnibus populis declarare vult sinceram suam voluntatem adiutricem praestandi operam in universo educationis ac investigationis opere, ut uniuscuiusque populi filii educationem propriae indoli ac culturae patriisque traditionibus accommodatam recipiant, et ad altiorem veritatis naturalis et supernaturalis cognitionem perducantur.

Gratias deinde Ecclesia persolvit maximas iis magistris christianis, qui propria scientia et experientia auxilium praestant adolescentibus illarum Nationum, quae nuper plenam potestatem suis legibus vivendi adeptae sunt.

Denique Sancta Oecumenica Synodus pondus educationis considerans et prae oculis habens hodiernum scholae momentum tum paedagogicum, sociale, morale ac religiosum, tum pastorale ac missionarium, atque, ad Universitates quod attinet, etiam scientificum, exoptat ut etiam in Codice Iuris Canonici recognoscendo normae de scholis catholicis enucleatius tradantur.

[13]

APPENDIX

RELATIO

circa rationem qua « Propositiones de Scholis Catholicis » elaboratae sunt

I. De origine Documenti

Ex schemate *De Scholis Catholicis* a Commissione Praeparatoria « De Studiis et Seminariis » prius exarato, a Commissione Conciliari autem recognito et iussu Ioannis PP. XXIII f. r. mense maii 1963 Patribus transmisso, in praesenti documento quaedam principalia argumenta seliguntur et proponuntur. A Commissione de Concilii laboribus coordinandis, litteris diei 23 ianuarii 1964 haec norma data erat. « Lo schema *De Scholis Catholicis* sia ridotto ad un " voto ", il quale sottolinei l'importanza dell'educazione cattolica e della scuola, indichi i principi fondamentali ai quali l'educazione e l'insegnamento devono ispirarsi e, quindi, auspichi una adeguata legislazione nella prossima revisione del Codice ». Eadem autem Commissio in sessione diei 17 aprilis 1964 statuit ut schema formam « Propositionum » indueret.

Ut Propositionum momentum et fines clarius perspiciantur breviter Vobis exponendum est quodnam sit momentum argumenti tractati; qua ratione consideratum sit a Commissione Praeparatoria et a Commissione Conciliari; quaenam fuerit mens Commissionis in redigendis propositionibus.

II. Momentum argumenti

Peropportunum omnino videtur ut Concilium Oecumenicum Vaticanum II de educatione et scholis solemne edat documentum, ob tres praecipuas rationes:

a) maius culturae educationisque studium ubique fervidum ideoque latior campus pro apostolatu exercendo;

b) perniciosae doctrinae grassantes, quae liberum iurium exercitium impediunt;

c) ignorantia doctrinae, iurium et obligationum qua ipsi quoque christifideles afficiuntur.

Insuper haec quaestio apud omnes populos, ubique terrarum acriter agitatur; tot opiniones apud omnes coetus, iuxta diversas factiones politicas proferuntur; tanta est sententiarum discrepantia atque contentio inter ipsos quoque qui christiana professione censentur; tanta inimicorum oppugnatio; tot et tanta denique ipsi scholae catholicae imminent pericula, ut Ecclesia, in

Concilium Oecumenicum coadunata, de scholarum catholicarum conditione, iuribus, obligationibus silere nequeat. [13]

Huius rei scholasticae momentum ac periculum iam in Concilio Vaticano I ab Episcopo Sangallensi indicabantur: « Quaestionem de scholis rem gravissimam innuere ipsi religionis hostes nota ea sententia confitentur: cuius sunt [14]
scholae, ipsius sunt tempora futura ... ». De nostra autem aetate Pius XII docebat: « Mai come oggi la educazione giovanile ha assunto più decisa e vitale importanza ».

Ipsa igitur Commissio Centralis, cum Commissioni de Studiis thema *De Scholis Catholicis* concredidit, aperte adiungere voluit: « Huiusmodi argumentum ex integro pertractetur ». Ipse vero E.mus Cardinalis Carolus Confalonieri, in Commissione de Concilii laboribus coordinandis munere Relatoris functus, mense ianuarii 1963 haec de momento quaestionis scholarum edixit: « È tale l'importanza della scuola ai tempi nostri, sia nei paesi di così detta civiltà cristiana, come nei paesi da poco assurti a indipendenza nei vari continenti di diversa tradizione religiosa, che il Concilio stimerà utile, come è prevedibile, di affermare la dottrina e prendere posizione ».

III. Qua ratione schema elaboratum sit

1. *In Commissione Praeparatoria*

Schema Constitutionis in pluribus coetibus plenariis Commissionis discussum, sex habuit editiones, in dies emendatas. Singulae paragraphi vigilanti cura pluries exaratae sunt. Attamen nonnulla peculiari attentione tractata atque in coetibus plenariis ampliori discussioni subiecta sunt, cuiusmodi sunt natura publica scholarum ab auctoritate ecclesiastica conditarum necnon rationes quibus libertas scholae vindicatur.

Schema Constitutionis, mense martio 1962 a Commissione Praeparatoria unanimi suffragio approbatum, et typis impressum, post breve prooemium in septem dispertitur capita: quorum *primum* praecipua educationis principia exponit; *secundum* scholae catholicae momentum et dotes describit; *tertium* familiae et Ecclesiae iura circa scholas definit; *quartum* de magistrorum formatione, officiis et iuribus agit; *quintum* rationem ac necessitatem scholarum catholicarum fovendarum edocet; *sextum* media scholarum catholicarum sustentandarum recenset; *septimum* denique centralem ordinationem scholarum catholicarum et universalem omnium cooperationem in re scholastica auspicatur.

a) In hoc schemate non solum doctrina seu principia de educatione et schola atque de iuribus in hac materia unicuique propriis traduntur, sed tota Constitutio intendit esse revera dynamica, vult nempe ad actionem promptam ac efficacem mentes et voluntates compellere, ostendendo viam, coadunando vires, et demonstrando media.

Constitutio enim id praecipue studet:

[14] 1) ut omnes clare edoceantur de absoluta necessitate libertatis scholae, quae inter praecipuas libertates civiles est recensenda;

2) ut praecipue catholici doctrinam, iura et officia ad scholas quod attinet, probe noscant et ad iura propugnanda et ad officia adimplenda stimulentur;

[15] 3) ut subsidia oeconomica ad scholas catholicas sustentandas vindicentur;

4) ut schola functionem socialem educativam apoliticam exerceat;

5) ut denique ratio scholarum catholicarum completa ac bene ordinata, omnes scholas complectens, ubique promoveatur atque instauretur.

b) Praeterea hac in Constitutione elementa quaedam nova, vel saltem nova in forma proposita, reperiuntur:

1) *Statuitur imprimis* clara distinctio inter educationem et scholam sive quoad doctrinam sive quoad iura. Quamvis enim educatio et schola — uti finis et instrumentum — inter se arcte cohaereant, talis distinctio perutilis est ad iura eorumque fundamentum clare discernenda.

2) *Ob eandem rationem statuitur* clara distinctio inter utrumque munus scholae: *schola enim medium est et educationis impertiendae et communicandae veritatis.* Nam Ecclesia non solum quatenus ipsa est Mater et Magistra veritatum supernaturalium habet ius scholas condendi, sed etiam eo quod possidet veritates naturales et culturam ac scientiam catholicam, a catholicis catholice tradendas, habet ius scholas aperiendi et quidem ab omnibus libere frequentandas.

3) Ex quo iam quasi sponte sua oritur declaratio iurium quae ex ipsa lege naturae Ecclesiae competunt, sive quoad educationem, sive quoad scholas.

4) Neque silentio praetereundae sunt instantia *renovandae scholae catholicae* in suis methodis organisque non secus ac in suis magistris, et instantia *vindicandae iustitiae distributivae,* quae subsidia oeconomica scholis non statalibus concedenda postulat.

Specialem considerationem merentur: *Paragraphus 6,* in qua continetur declaratio iuridica scholas catholicas Ecclesiae esse natura sua scholas publicas eodem iure ac publicae sunt scholae Status, cum ambae a publica auctoritate conditae sint; et *paragraphus 8,* in qua nomine veritatis, educationis et conscientiae, libertas scholae vindicatur, quae tandem aliquando quasi nucleum totius quaestionis constituit et in hac Constitutione primas partes agit.

2. *In Commissione Centrali*

Pontificia Commissio Centralis schema *De Scholis Catholicis* disceptationi subiecit diebus 12 et 13 iunii 1962. Animadversionibus plurimis tunc factis Secreteria Commissionis « De Studiis et Seminariis » respondit die 9 iulii 1962, accipiendo plures ex emendationibus propositis et exhibendo quosdam textus notabiliter mutatos, imprimis ad Prooemium, necnon ad educatorum officia et iura (nr. 3) et libertatem scholae (nr. 8) quod attinet. Subcommissionem

vero Centralem « De schematibus emendandis » fere omnes has responsiones [15]
et emendationes ratas habuisse, Commissioni de Studiis et Seminariis significatum est die 15 decembris 1962. Textus Constitutionis *De Scholis Catholicis,* hac ratione emendatus et iterum typis impressus invenitur in collectione cui titulus *Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur,* Series IV, Typis Polyglottis Vaticanis 1963,
pagg. 279-343. Schema ibidem, additis quibusdam decretis quae prius separa- [16]
tim accurate confecta sunt, sequenti ordine disponitur:

Pars I: De Scholis Catholicis

Pars II: De Studiis Academicis

Pars III: De obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris.

3. *In Commissione Conciliari*

In sessione habita 3 decembris 1962 Commissio unanimi consensu censuit schematis Constitutionis tertiam partem, quae agit de obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris, melius in alio contextu (in Constitutionibus dogmaticis *De Ecclesia* et *De Fontibus Revelationis*) tractandam esse.

A) ELABORATIO SCHEMATIS *DE SCHOLIS CATHOLICIS* MENSE MAII 1963 PATRIBUS TRANSMISSI

Ratio laboris a Commissione praestandi circa schema *De Scholis Catholicis* a Commissione de Concilii laboribus coordinandis determinata est hoc modo (litteris d. d. 30 ian. 1963):

a) De hoc argumento redigatur schema breve, quod tamen late pateat, servato rerum ordine Codicis I. C., ita ut fundamentalia doctrinae principia enuntientur et normae pastorales de hac re impertiantur.

b) Quae in schemate primigenio pertinent ad practicam executionem et ad normas particulares, remittantur ad Instructiones de hac re auctoritate Concilii promulgandas.

c) Seligantur normae, quae potius pertinent ad materiam Codicis, ut eiusdem Codicis recognitioni inservire possint.

d) Materia, quae in fasciculo *De obsequio erga Ecclesiae Magisterium* continetur, ne tractetur in Concilio; de hac re sermo erit ad modum principii in schemate *De Ecclesia.*

Sub auspiciis harum normarum Commissio de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica, conventu habito a die 21 februarii ad diem 2 martii 1963 funditus recognovit schema a Commissione Praeparatoria exaratum. Schema recognitum die 25 martii 1963 examini Commissionis de Concilii laboribus coordinandis subiectum est; iuxta animadversiones ab illius Com-

[16] missionis Membris factas schema novo Prooemio instructum et in aliquibus paragraphis brevius redactum est, atque sic recognitum iterum typis impressum et mense maii 1963 iussu Ioannis PP. XXIII omnibus Patribus Conciliaribus transmissum est.

Notae huius schematis propriae sic perstringi possunt:

a) Novum schema in omnibus suis partibus redactum est modo magis concinno. Plures determinationes in praecedenti schemate magna cura redactae (e. gr. de compositione hierarchica scholarum, de mediis capessendi opinionem publicam, de coeducatione, de cursibus et gradibus in Facultatibus
[17] Studiorum ecclesiasticorum) e schemate ablatae et ad Instructiones remissae sunt. Id necessarium videbatur, et ut documenti brevitati consuleretur et ut, mente Patrum de principalioribus quaestionibus accuratius cognita, ulteriores determinationes perfectiore cum aequilibrio statui possent.

b) Schematis dispositio clarior effecta est:

In prima parte principia *de educatione* (iam in Litteris encyclicis *Divini Illius Magistri* luculenter exposita) paucis tantummodo perstringuntur ut habeatur fundamentum pro tota Constitutione.

In parte centrali quae *de scholis catholicis in genere* agit, attendenda est subdivisio:

A) Fundamentalia de scholis principia.

B) Peculiares de scholis catholicis normae.

Ex hac materiae distributione consequitur ut clara in luce ponatur amplus campus in quo doctrina Ecclesiae de schola concordat cum sententia plurimorum qui hodie defendunt iura scholae non-statalis.

Ipsa definitio *scholae catholicae* (in nr. 11, pag. 11, linn. 1-6) data forsitan nimis rigida apparet, consideratis circumstantiis peculiaribus in quibus non paucae scholae catholicae inveniuntur imprimis in Africa et Asia. In schemate a Commissione Praeparatoria exarato dictum erat: « Ea dumtaxat schola *perfecte* catholica est censenda etc. ». Sic insinuabatur non omnes scholas debere esse pari iure catholicas (cf. notam 22 schematis Commissionis Praeparatoriae).

In tertia parte considerantur *Universitates Catholicae* quippe quae peculiarem sollicitudinem Ecclesiae mereantur. Notatur in nova schematis redactione antecedentem separationem inter *Universitates Catholicas* et *Studiorum ecclesiasticorum Universitates* iam non vigere: ambae nunc comprehenduntur sub titulo communi *Universitates Catholicae.*

c) Commissio Conciliaris eo spectavit, ut etiam in hac materia tot controversiis obnoxia, in modo dicendi evitaretur omnis asperitas. Iura Ecclesiae statuuntur sine ulla ambiguitate sicut oportet, sed etiam nulla contentiosa et pugnaci oratione adhibita. Imprimis Prooemium ita redactum est ut Ecclesiae de scholis doctrina et actio non tam in luce iuris vindicandi, sed servitii in verum etiam consortii humani emolumentum appareret.

B) RECOGNITIO SCHEMATIS IUXTA ANIMADVERSIONES A PATRIBUS MISSAS [17]

Altera Concilii sessione, mensibus octobri et novembri 1963, Commissio Conciliaris iterum schema examinavit, habita ratione animadversionum, quas Patres Conciliares et Conferentiae Episcoporum ad Secretariam miserant. Plurimae instantiae ac postulata Patrum iterum atque iterum redibant ad quaestiones et doctrinas quae in prioribus schematis editionibus, praesertim in schemate a Commissione Praeparatoria approbato, iam consideratae erant, [18]
postea autem omissae sunt, eo quidem consilio ut schema brevius evaderet.
Animadversiones Patrum hoc modo comprehendi possunt:

a) *Animadversiones circa titulum, structuram, stylum.*

1) *De titulo.* Nonnullis Patribus titulus Schematis non placebat et alios substituendos proponebant, ex. gr. De educatione catholica vel De educatione catholica in scholis tradenda vel quid simile.

Quia reapse non agebatur de simplici ludu verborum, Subcommissio competens rem attente perpendit, ac tandem ad hanc conclusionem pervenit: inde ab initio argumentum huic schemati adsignatum respiciebat doctrinam et problemata cum *scholis* catholicis cohaerentia, quae per se argumentum sufficiens pro schemate, hodiernis praesertim temporibus, constituunt. Tamen in nova schematis recognitione plura de educatione quoque introducta sunt.

2) *De structura.* Circa structuram schematis non habebantur animadversiones vel propositiones maioris momenti. Commissioni structura cohaerens visa est ac proinde servanda.

3) *De stylo et indole.* Desideriis a pluribus Patribus expressis obsecuta, competens Subcommissio censuit stylum schematis esse recognoscendum ut magis pastoralis, minus iuridicus evaderet.

4) *De adnotationibus.* Plures animadversiones conquerebantur de defectu adnotationum. Subcommissio existimavit schema iterum notulis esse ornandum. Defectus enim notularum ipsi detrimentum attulit, nam multa quae in animadversionibus proponuntur, in notulis iam inveniebantur, et plurimis obiectionibus responsum quoque ibidem iam datum erat.

b) *Quaedam animadversiones maioris momenti.*

1) Animadversio praecipua, a nonnullis Patribus facta, et quae totum schema sumptum tangit, haec est: *Schema non placet, quia nihil novi affert; est nullius momenti, non constituit novam doctrinae catholicae elaborationem huius aetatis quaestionibus rerumque adiunctis accommodatam.*

Hoc iudicium negativum autem nullatenus exprimebat sententiam communem Patrum; imo multo plures Patres de schemate iudicia valde positiva protulerunt.

2) Plures Patres expetiverunt ut schema ampliorem tractationem conti-

[18] neret de educatione in genere, de educatione christiana et catholica in specie, de eius principiis ac methodis necnon de philosophia educationis.

3) Peculiares dein obiectiones movebantur:

a) contra prooemium (nn. 1-5) quod nimis longum iudicatur ut aliquantulum triumphalismum redolens;

b) contra n. 6, qui continere deberet definitionem educationis magis claram et distinctam;

c) contra n. 10 in quo agitur de sustentandis scholis et principium iustitiae distributivae propugnatur;

d) contra n. 11, in quo, potius quam definitio idealis et idealistica,
[19] danda esset amplior definitio scholae catholicae, quae omnes scholas, quocumque modo educationi catholicorum vel causae Ecclesiae deservientes, complectatur.

4) Tandem plures Patres quaedam addenda proponebant. Praeter iam commemorata Patres petiverunt:

a) ut definiretur in schemate finis specificus scholae catholicae;

b) ut expressa mentio fieret pauperum, puerorum catholicorum alias scholas frequentantium, eximii laboris magistrorum catholicorum in aliis scholis educationi operam navantium;

c) ut commendaretur erectio scholarum catholicarum pro formandis magistris.

Omnes istae animadversiones a competenti Subcommissione attento examini subiectae sunt. Immo, quia non omnium Patrum animadversiones prostabant, Commissio mense decembris 1963 exquisivit sententias ab illis Conferentiis episcopalibus, quae nondum mentem suam aperuerant. Omnibus perpensis, textus ita recognitus est ut Patrum optatis melius responderet. Qui textus in hac Relatione includitur ut Episcoporum coetibus plurimisque Patribus satisfiat qui suis animadversionibus ad eius emendationem non parum contribuerunt.

C) TEXTUS SCHEMATIS IUXTA PATRUM ANIMADVERSIONES RECOGNITI

Prooemium

1. Nostra aetate homines comperimus maxime laborantes ut veritas et scientia de rebus creatis in pleniorem omnium gentium fruitionem veniant; nationalibus atque internationalibus inceptis, ignorantiam simul et famem ac pauperiem vincere conantur; atque litterarum et artium cultum extollere; magis in dies rerum naturam perscrutantur et penetrant, vitam pluris faciunt eamque melius firmant et tuentur, atque socialem ordinem aptius ordinare student.

Quae omnia etsi ad personae humanae dignitatem plurimum conferant, non tamen sufficiunt. Divina enim providentia sic disponente, in praesenti

ordine salutis natura cum gratia ita copulatur ut in personae humanae integra perfectione educenda nullum humanum bonum praetermitti liceat, nullaque divina virtus aliena putanda sit. [19]

Iure merito, proinde sancta Christi Ecclesia in hac universali virium coniunctione suas partes habere debet: ipsa enim ex Divini Conditoris mandato « euntes ... docete » munus habet annuntiandi omnibus hominibus mysterium salutis, ipsaque sua apostolica et missionaria virtute indesinenter agitur ad omnia instauranda in Christo, hominum sanctificatione et mundi consecratione.

2. Unica via ad humanae personae dignitatem evehendam eiusque iura tuenda necnon ad bonum communitatis promovendum est educatio, quae integram hominis conformationem, tamquam metam assequendam, prosequitur. Scholae autem recenseri debent inter praecipua subsidia ad huiusmodi plenam educationem impertiendam. [20]

Nihil igitur mirandum si saeculorum decursu subsequentes hominum generationes, communitates humanae et ipsa Ecclesia tot scholarum genera totque educationis instituta erexerint ad parentes in educationis officio iuvandos et ad iuvenes instituendos et muneribus in societate exercendis praeparandos.

3. Cum autem huius nostrae aetatis signum et honor sit amplissima scholarum varietas, Sancta Mater Ecclesia, quae catholicas scholas existimat verum apostolatum sanctumque ministerium in Dei honorem hominumque servitium, educationis causam ad omnium populorum bonum promovere exoptans, et cum hominibus bonae voluntatis ad cooperandum semper parata, primaria de educatione et ampliora de scholis principia declaranda censuit.

I. De educatione

4. Quaevis recta educatio, ex qua ordinata hominis vita et socialis ordo pendent, ut perfecta dici possit, integra esse debet. Quare totum hominem ipsa complectatur oportet, ex anima spirituali et corpore coalescentem, in domestico consortio civilique et ecclesiastica societate vitam agentem, a Christo Domino redemptum et ad vitam supernaturalem vocatum.

Omnis enim homo, cuiusvis stirpis, sexus, aetatis, condicionis ethnicae, socialis vel oeconomicae, est sui iuris: ideoque iure primario et nativo gaudet ad illam plenam educationem, sine qua officia sibi imposita implere et fines sibi proprios assequi nequit. Constans igitur Ecclesiae doctrina magis in dies etiam in universalibus humanorum iurium declarationibus aperte agnoscitur.

5. Educationis impertiendae munus est officium societatis, a societate nempe et in societate exercendum, quod familiae, Ecclesiae, politicae Communitati, ceterisque humanis consociationibus, quamvis titulis et mensura diversis, competit; non quidem independenter et quasi ab invicem separatim, sed concordi et efficaci cooperatione executioni demandandum, habita ratione unitatis subiecti, subordinationis finium consequendorum, diversae auctoritatis exercendae et principii subsidiarietatis.

[20] *a*) Prae ceteris omnibus hoc munus ex lege naturali Familiae competit, quae verum germanumque educationis sacrarium efficit. Parentes enim, qui vi naturalis fecunditatis vitam filiis contulerunt, vi auctoritatis ex procreatione consequentis prolem educandi et gravissima obligatione tenentur et inviolabili ac inalienabili iure fruuntur, quae eas tantum patiuntur limitationes, quas ipsa lex naturalis vel divina positiva postulant. Quae educatio in sinu familiae a parentibus tradenda tanti ponderis est ut, ubi desit, vix aliter suppleri possit. Quod si parentes, iustis de causis, prolis educandae munus aliis commiserint, sibi tamen integrum officium educationis prolis incumbere sciant seque gravi
[21] obligatione semper teneri universum opus educationis vigilanti cura probandi et assiduo iuvandi concursu.

b) Singulari deinde ratione, hoc officium ad Ecclesiam spectat, cui ex positiva institutione divina concredita sunt spiritualis maternitatis munus atque infallibile et universale magisterium. Ei competit docere omnes homines in creaturis inspiciendum esse Creatorem, in ordine rerum divinam ordinationem percipiendam, atque omnes humanae vitae actus, etiam ad ordinem naturalem spectantes, spiritu christiano imbuendos ut fidem, spem et caritatem exprimere valeant.

Quapropter de filiorum suorum educatione, quomodocumque vel a quocumque impertienda, Ecclesia, Mater et Magistra, sollicita sit oportet.

Eis autem qui fidem nondum adepti sunt, Ecclesia, cum omnibus hominibus bonae voluntatis ad cooperandum parata, suam doctrinam experientiamque suam in hominum servitium non imponit, sed libenter proponit.

c) Neque sola familia et Ecclesia, quamvis titulis ac iure diversis, educandi officio tenentur, sed ceteris quoque humanis consociationibus, imprimisque ipsi Rei Publicae, uti instrumento civilis communitatis, officia et iura, ex natura et amplitudine proprii officii temporalis definienda, hac in re tribuenda sunt: proprium ac nativum circa ea quae hunc finem consequendum proprie respiciunt; subsidiarium vero quoad cetera omnia, iura nempe prolis, familiae et Ecclesiae tuendo; causam educationis et instructionis non solum negative, sed etiam positive, adhibitis quoque materialibus subsidiis, promovendo, inceptis familiae et Ecclesiae opitulando, ipsamque educationis operam, in defectu familiae et Ecclesiae perficiendo.

Cum autem haec triplicis ordinis munera ad idem subiectum referantur, familia, Ecclesia, Communitas civilis, ceteraeque humanae consociationes, in educatione impertienda, cooperentur oportet, peculiaribus quoque, si casus ferat, initis conventionibus.

II. De Scholis in genere

A) *Fundamentalia de omnibus scholis principia.*

6. Inter praecipua educationis subsidia agnoscitur schola, quippe quae, natura sua, efficax instrumentum sit cum veritatis communicandae tum educationis impertiendae.

Ipsius proinde finis neque in sola instructione, cognitione veritatis rerumque creatarum pervestigatione fovenda, positus est neque in solis viribus physicis, moderato corporis exercitio evolvendis, neque solum in artium dexteritate acquirenda, neque in sola humanarum virtutum praxi, sed in harmonica et integra totius hominis omniumque eius facultatum educatione consistit, ita ut probi efformentur homines qui proprii officii conscientia ducti, domesticam vitam et socialem actionem in bonum materiale et spirituale dirigere haud nesciant. [21]

Cum autem moralis ac religiosa hominis educatio formationem humanam potius quam complere intrinsece constituere videatur, et ad bonum commune dignitatemque humanam tantopere conferat, publicae auctoritatis est rerum adiuncta ita ordinare ut huiusmodi moralis ac religiosa educatio omnibus possibilis fiat. [22]

7. Cum veritas commune patrimonium sit et iura conscientiae numquam violari liceat, libertas scholae non secus ac ceterae humanae libertates ad inalienabilia hominis iura pertinet, dummodo in alumnorum vel boni communis detrimentum ne vertat, et salvo semper iure inspectionis ex parte auctoritatis civilis quoad conditiones materiales et hygienicas aedificiorum ceteraque legitima postulata iure civili requisita. Haec scholae libertas, quam Ecclesia, familiae, societates privatae itemque singuli homines iure meritoque exoptant atque auspicantur, respicit tam scholarum erectionem et rectam earum electionem quam ipsarum scholarum moderamen, magistrorum nominationem, discipulorum admissionem, instrumentorumque designationem et usum; atque necessaria quoque est censenda ad ipsius educationis libertatem, humanae personae dignitatem et libertatem religiosam tuendas.

Propterea publicae auctoritatis officium est res ita disponere ut ad ipsius boni communis emolumentum, parentes et cives in eligenda schola hac vera gaudeant libertate. Quare dum laudibus cumulatur Res Publica quae scholas multiplicat earumque progressum omni ope procurat, validum parentibus praestans auxilium ac bonum commune efficaciter promovens, scholae monopolium reprobatur, quippe quod ex errata iurium originis et naturae opinione procedat, legitimae conscientiae libertati obstet, ideoque in recentioribus quoque internationalibus conventionibus merito reicitur.

8. Ius ad scholae libertatem consequitur ius ad oeconomica subsidia recipienda ut omnes scholae omnibus, praesertim vero pauperibus, libere pateant, nullumque, ratione scholae, classium socialium discrimen habeatur.

Quapropter, quamvis sumptus scholis sustentandis suppeditare per se quidem parentum foret, tamen debitis per communitatem solutis taxis, id munus publico aerario imprimis attribuendum est, salva semper legitima scholae libertate et habita ratione numeri scholarum, alumnorum et professorum, naturae quoque ac gradus scholarum ceterarumque rerum quae ad scholas referuntur. Ipsa enim iustitia distributiva postulat ut in oneribus imponendis ac beneficiis distribuendis intra communitatem, necessitatum, meritorum ac facultatum uniuscuiusque civis et uniuscuiusque classis ratio habeatur. Ideo-

[22] que communitatis pecunia, pro scholarum sustentatione collecta, ad omnes pueros in Natione degentes educandos erogari debet, et quidem absque ulla personarum acceptione vel discriminatione, nulloque habito respectu ad fidem religiosam quam singuli profitentur.

B) *Peculiares de scholis catholicis normae.*

9. Scholae non ex una dumtaxat ratione catholicae dicuntur. Imprimis ea schola perfecte catholica censenda est in qua tota instructio ac doctrina, eius-
[23] que ordinatio tota christiano spiritu sint imbuta atque insuper religiosa sub Ecclesiae ductu instructio impertiatur.

Quae strictior scholae catholicae perfectio, ad quam omnes scholae catholicae adspirare debent, nullatenus impedit quominus catholicarum nomine merito decorentur, non solum scholae ab ipsis fidelibus eorumque associationibus conditae et directae, vel scholae in terris praesertim missionum exstantes, quamvis non omnes illas conditiones perfecte adimpleant et a pueris quoque infidelibus frequententur, sed etiam scholae a civili auctoritate conditae eique subiectae, in quibus filii catholicorum catholicam educationem recipiunt.

Illae vero scholae quae a publica ecclesiastica auctoritate approbantur vel eriguntur eique plene subsunt, sive ab auctoritate pontificia vel dioecesana directe et immediate, sive mediante auctoritate religiosis familiis aequiparatisque in iure societatibus praeposita hoc fiat, scholae iuris publici ecclesiastici sunt et stricto sensu Ecclesiae scholae vocantur.

10. Schola catholica infidelibus Ecclesiam Matrem et Magistram manifestat, et sic Evangelium proponit. In christianis autem, qui filii Dei nominantur et sunt, supernaturales virtutum et donorum divitias excolit, quin ipsi ullam perfectionem humanam amittant.

Schola catholica proinde minime contradicit principiis et finibus scholae qua talis, sed potius illis principiis et finibus utitur, ut ea perficiat et compleat atque, non secus ac naturam gratia, in altiorem ordinem deducat; et ita homines christianos efformare studeat, qui sibi et proximis sanctitatem, mundo vero consecrationem et humanis quaestionibus christianas solutiones praebere possint.

11. Cum scholae tantum momentum non solum paedagogicum, sociale, morale ac religiosum, sed etiam pastorale ac missionale habeant, Sancta Oecumenica Synodus summopere commendat ut pro rerum ac locorum adiunctis, habitoque respectu ad uniuscuiusque scholae momentum, scholae catholicae ubique impense foveantur. Quae specialis commendatio imprimis spectat ad omnes scholas inferioris ordinis et medias, ac in hodiernis praesertim societatis condicionibus, ad scholas quae professionales et technicae nuncupantur, aliaque instituta sive erudiendis adultis sive iis qui ob naturae defectum peculiari cura indigent, destinata.

Ne augendus scholarum numerus in earundem detrimentum cedat, diligenter invigilandum erit ut scholae catholicae eis condicionibus obsequantur, quae ad educandi munus rite obeundum omnino requiruntur, legitimisque auctoritatis civilis praescriptis accommodentur.

Schola catholica tunc erit perfecta si hominem et christianum perfectum, ad imaginem Christi conformaverit. Ad hanc autem perfectionem attingendam omnia subsidia adhibeantur omnesque adiutricem operam praestent. [23]

Sint ergo magistri scientia praediti, arte educandi et auctoritate ditati, caritate perfusi atque spiritu apostolico imbuti. Qui sociam cum aliis educatoribus, imprimis parentibus praestent operam, quaerant et seligant aptas methodos, didactica subsidia, disciplinae auxilia et si quae sint alia quae profectui cum intellectus tum indolis favere valeant.

Prae omnibus, autem, nostra aetate, mutuam alumnorum ipsorum operam suscitare satagant, ita ut isti per seipsos scientiam ardenter acquirere conentur, ad iudicia iusta proferenda se exerceant, edocta active discant, cogitata sincere exprimant, socialem vitam et amicalem cooperationem discant, et sic paulatim, sicut personae christianae plene sui iuris, proprio motu, in fide, spe et caritate sese gerere assuescant ad suam sanctitatem, omnium hominum salutem et regni Domini Iesu Christi instaurationem. [24]

12. Scholae superiores maximeque universitates, ob earum momentum tum paedagogicum tum praesertim ad doctrinae pervestigationem quod spectat, summopere commendantur et valde sanctificatrici Ecclesiae missioni congruunt. Ipsae enim perscrutatione rerum creatarum, quarum Deus est Auctor, scientiarum progressum promovere student, quarum Deus quoque est Dominus, et profundiore veritatum cognitione non solum concordiam inter rationem et fidem demonstrare et defendere possunt, sed etiam atheae materialismi interpretationi altiorem philosophicam ac theologicam scientiarum visionem opponere, et ita ipsius scientiae consecrationem eiusque in Christo instaurationem apparare.

13. Officium est eorum qui rei scholasticae praesunt diligenter providere accuratae magistrorum efformationi religiosae, scientificae et paedagogicae, etiam titulis academicis, si opus fuerit, comprobandae. Eidem auctoritati competit prospicere ut magistri sui status iuribus, imprimis quoad iustam suam mercedem et rectam veritatis profitendae libertatem, gaudeant. Magistri autem propriam formationem in dies perficere conentur ut susceptum opus perfectius exercere valeant, atque spiritu apostolico exornati et sincero erga discipulos amore, sensum Christi eiusque Ecclesiae cum iis communicare studeant eorumque socialem ac civicam formationem sedulo promoveant.

Peculiari vero cura religionis professores, sive sacerdotes sive religiosi vel religiosae, sive laici, tam pro scholis quam pro catechetica institutione tradenda, praeparentur; qui non secus ac ceterarum disciplinarum magistri, titulis academicis praediti sint oportet. Ad quam formationem in sacris disciplinis rite obtinendam, superiora instituta et facultates erigantur, quae iure concedendi titulos academicos seu didacticos, ab ipsa quoque auctoritate civili agnitos, polleant.

14. Sedulo doceantur parentes circa naturam et gravitatem obligationis, qua, attentis rerum adiunctis, tenentur liberos suos, si fieri potest, ad scholas catholicas mittere, vel eorundem formationem moralem et religiosam oppor-

[24] tune perficere. Curandum quoque ut parentum consilia et associationes constituantur, quibus mutuae familias inter et scholas operae faveatur.

Si vero parentes beneficio scholae catholicae renuntiare cogantur, sive ob defectum scholae catholicae sive ob alias graves rationes mature perpensas, lumine fidei et de consilio prudentis pastoris, invigilabunt, a pastoribus adiuti, ut nihil fidei liberorum suorum his in scholis adversetur; instructionem religiosam solidam alumni recipiant, vitae liturgicae, actionis apostolicae et spi-
[25] ritus missionalis Ecclesiae participes fiant, et rerum temporumque adiunctis Religioni propitiis domi fruantur.

15. Praeterea tota communitas christiana in variis regionibus momentum educationis christianae ac finem scholae catholicae discat et agnoscat oportet eaque ut rem gravissimi momenti tractet atque scholae libertatem et instructionem religiosam ac moralem cordi habens verbis factisque procuret.

16. Insuper haec Sancta Synodus peculiari sollicitudine et amore cunctos magistros catholicos prosequitur qui in quibusvis scholis docendi muneri incumbunt, eosque enixe hortatur, ut in tanto munere laudabiliter exequendo rectae educationi impertiendae indefatigabilem operam navent. Quod ut efficacius obtineatur, curent animarum pastores, ut ii magistri singulari adiumento spirituali fruantur, et, si casus ferat, in associationes capacitate iuridica etiam civili praeditas coalescant.

17. Cum illa cohaerentiae necessitas quae in rebus nationalibus et internationalibus altius in dies exprimitur, etiam in re scholastica sese manifestet, scholarum catholicarum coordinatio dioecesana et regionalis, nationalis et internationalis, omni ope curanda est ab episcopis et a coetibus episcopalibus, sub Apostolicae Sedis moderamine, ad scholarum aptationem et renovationem magnopere fovendam, propria tamen indole atque iuribus servatis scholarum tum episcopalium et religiosorum tum laicorum consociationum.

Quare clerus dioecesanus, familiae religiosae, parentes et magistri in educationis opere mutuum sibi adiutorium efficaciter praebeant, omnesque insuper una cum fidelibus, qui operibus apostolatus sese devovent, unanimiter procedant. Impense quoque foveatur cooperatio Auctoritatibus civilibus praestanda, atque cum illis institutis nationalibus et internationalibus, quae iura hominis, praecipue vero puerorum, defendere sincero animo conantur, amica habeatur necessitudo, ut ita non solum iniustae normae vel usurpationes efficacius praecaveantur, sed ipsa etiam christianae instructionis et educationis causa maius in dies capiat emolumentum.

III. De Universitatibus Catholicis

18. [*De momento superiorum studiorum in Ecclesia*]. Inter omnes scholas catholicas Ecclesia particulari cura prosequitur Universitates studiorum, in quibus non solum sacras disciplinas, quae ad fidei illustrationem directe pertinent, sed etiam profanas, quae ad mundi hominisque cognitionem spectant, impense colere nititur ad pleniorem veritatis inquisitionem, hominis perfec-

tionem ac societatis progressum. Sane quidem cum veritas veritati non opponatur, proprium est Universitatum catholicarum ea quae Deus sive per opera creationis sive per verbum revelationis manifestavit, omnibus viribus investigare discipulisque summa cura tradere, ita ut in Ecclesia et in mundo homines vere docti, ad propria officia optime praeparati et strenui fidei testes efficiantur. [25]

19. [*De studiorum Universitatum et Facultatum erectione*]. Studiorum Ecclesiasticorum Facultates erigere aut approbare unius est Apostolicae Sedis, quae sola quoque concedit facultatem gradus academicos, qui effectus cano- [26] nicos in universa Ecclesia habent, conferendi.

Universitates sive Facultates studiorum saecularium, ut nomine Universitatis aut Facultatis Catholicae nuncupari valeant, ab Apostolica Sede aut ab Episcoporum Conferentiis de consensu S. Sedis erigi aut approbari debent.

Sancta haec Synodus exoptat ut, quatenus id pro locorum ac temporum adiunctis expediat, in omnibus terrarum partibus Universitates vel Facultates catholicae habeantur, ut ita promoveatur illa rerum universarum recta inquisitio atque interpretatio, quae christianae revelationis quoque rationem habeat, variisque in disciplinis impertiatur institutio christiano spiritu repleta.

Enixe etiam Episcoporum sollicitudini ac favori commendat quae in civilibus Universitatibus quarundam nationum, cum consensu Auctoritatis Ecclesiasticae, debitis cautionibus datis, erectae sunt aut erigentur Facultates Studiorum Ecclesiasticorum, quippe quibus inter varias scientiae disciplinas ipsae scientiae sacrae debito honore habeantur.

Dum enixe gratiae aguntur singulis hominibus, consociationibus et Auctoritatibus civilibus quae subsidiis scientificis, auxiliis moralibus et pecuniariis Universitates catholicas iam adiuvant, haec Sancta Synodus mandat ut omnes christifideles de Universitatum Facultatumque summo momento plenius doceantur et catholicarum virium consociatio ad uberiora paranda pro studiis academicis subsidia quam maxime foveatur.

20. [*De Universitatibus et Facultatibus Studiorum Ecclesiasticorum*]. Imprimis Ecclesia promovet Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum, quippe quorum obiectum sint disciplinae sacrae necnon cum sacris connexae et quae praecipue a clericis celebrantur, qui destinantur ad magisterium in Seminariis et in Universitatibus exercendum, ad ipsas sacras disciplinas propria opera promovendas, ad peculiaria ecclesiastica munera obeunda.

Specialia pro his Universitatibus et Facultatibus habeantur statuta ab Apostolica Sede approbata, quibus tota ratio studiorum accurate determinetur; imprimis distinguantur cursus fundamentales a cursibus specialisationis quos vocant, in quibus singulae disciplinarum partes per congruum tempus altius pervestigentur; exercitationes inculcentur quibus alumni in opus scientificum moderantibus magistris gradatim inducantur.

Cum scientiarum progressus congruentem potissimum requirat rationem ac viam, eadem Sancta Synodus enixe hortatur ut omnes magistri cum in tradendis tum in investigandis disciplinis, propriae methodi quam accuratissime rationem habeant.

[26] 21. [*De Universitatibus et Facultatibus Studiorum saecularium*]. Universitates et Facultates Catholicae studiorum saecularium maxima quoque excolantur cura, proprium cuiusque obiectum scientifica ratione investigantes. Praeter accuratam in variis disciplinis institutionem, alumnorum formatio quoque religiosa necnon moralis ac socialis diligenter foveatur et illorum problematum investigatio promoveatur, de quibus et profanae et sacrae suo modo
[27] agunt scientiae, ita ut fidei cum ratione consensio eluceat. In omni Universitate Catholica habeatur Facultas S. Theologiae, quae totius Universitatis veluti centrum sit, aut saltem S. Theologiae Institutum vel Cathedra, in qua lectiones laicis discipulis quoque aptatae tradantur.

22. [*De Institutis investigationis scientificae*]. Cum scientiae per investigationes peculiares altioris scientifici momenti praecipue proficiant, in Universitatibus et Facultatibus catholicis instituta maxime foveantur, quae primariae investigationi scientificae promovendae inserviant. Hisce institutis praesto sint viri vere periti, opportuna subsidia, aptae cooperationis rationes, ita ut non solum altior veritatis cognitio obtineatur, sed etiam fructus uberes in utilitatem cum ipsius operae scientificae tum apostolatus percipiantur.

23. [*De Universitatum et Facultatum catholicarum frequentatione*]. Curent praeterea Ordinarii ut, quos ex clericis scientiis colendis aptiores cognoverint, eos formandos mittant ad Universitates et Facultates Catholicas, ubi adsint, praesertim Studiorum Ecclesiasticorum.

Pariter sedulo moneant fideles ut catholicas Universitates et Facultates, ubi exstant, frequentent. Earum aditus alumnis congruis dotibus praeditis facile pateat, iis imprimis qui maioris sunt spei etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico ac fraterno recipiantur qui aliis ex nationibus adveniunt, ita ut litteris scientiisque alte instituti ac simul religione moribusque convenienter formati, in patriam reversi, propriis rite fungantur muneribus ad maius cum Ecclesiae tum Societatis civilis bonum.

24. [*De socia Facultatum et Universitatum opera promovenda*]. In quavis Facultate diversae disciplinae, in omni autem Universitate variae Facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam. Immo ipsae Universitates mutua inter sese operae coniunctione conspirent, conventus internationales una simul promovendo, scientificas pervestigationes inter sese distribuendo, inventa ad invicem communicando ac magistros ad tempus inter se permutando et cetera quae ad maiorem adiutricem operam conferant provehendo.

25. [*De Universitatibus Catholicis supplendis ubi erigi nequeunt*]. In Urbibus universitariis animarum Pastores congruum procurent auxilium iis qui civiles Universitates frequentant, ac Centra universitaria instituant, quae spirituale auxilium praestent atque, hospitiis pro studiosa iuventute erectis, morale praesidium offerant, et disciplinarum studium promoveant congrua fidei et scientiae consensione, theologico quoque magisterio, ubi opportune fieri possit, in ipsa civili Universitate instituto.

26. [*De scientifica actione extra Universitates catholicas*]. Summopere

quoque Sancta Synodus commendat ut docti catholici etiam extra Universi- [27]
tates catholicas veritatem perscrutandam in bonum commune sedulo promoveant, cum investigatione scientifica et docendi munere in civilibus Universitatibus, tum constanti scientifico commercio cum viris scientia egregiis. Curandum quoque est ut iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive civilium Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores sint, peculiari cura excolantur et ad magisteria in Universitatibus suscipienda pro- [28]
moveantur, quo latius et penitius veritatis fructus praebere atque plurimos ad lucem quoque Evangelii accipiendam perducere valeant.

IV. Explicantur « propositiones de Scholis Catholicis »

Sicut in initio huius Relationis iam commemoratum est, Commissio de Concilii laboribus coordinandis litteris datis die 23 ianuarii 1964 statuit ut schema *De Scholis Catholicis* reduceretur ad formam alicuius « Voti » quo fundamentalia educationis et instructionis principia enuntiarentur; optandum vero ut eadem in Codice Iuris Canonici recognoscendo respiciantur.

Commissio igitur de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica in coetu plenario celebrato diebus 3-10 martii 1964 huiusmodi documentum exaravit, non sine quadam haesitatione. Difficultas exorta est eo quod opiniones circa naturam ipsius voti a Commissione proponendi in diversas partes abierunt. Quidam enim putabant naturam voti satis esse definitam in praelaudata epistola; in voto scilicet, praeter momentum educationis et scholae, principia declaranda esse, quibus utraque se aptare deberet, et expostulandam esse accuratam circa hoc argumentum legislationem in C.I.C. recognoscendo. Alii e contra existimabant votum potius continere debere quendam veluti nuntium circa educationem et scholam. Tandem non defuerunt qui defenderent in voto proponendum esse elenchum difficultatum, quae hodie in re paedagogica inveniuntur; deinde de diversis mediis ad eas solvendas atque de variis educationis instrumentis agendum esse.

Post plura tentamina et discrimina rerum, Commissio Conciliaris decrevit votum iuxta primam formulam esse conficiendum; agendum igitur esse magis proprie de educatione et scholis catholicis, de quibus in schemate iam sermo fuerat.

Quapropter visum est documentum exarandum sequentibus partibus constare debere:

— prooemio
— principiis generalibus de educatione et scholis
— principiis de scholis et universitatibus catholicis
— auspiciis votisque ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum quod attinet.

Ipsa vero Commissio de Concilii laboribus coordinandis in sessione habita die 17 aprilis 1964 censuit documentum de scholis Concilio exhibendum esse

[28] in forma « *Propositionum* »; id quod fit in textu supra posito qui modo saltem paucis illustrandus est.

Ad n. 1: In *Prooemio* breviter proclamatur tum momentum educationis, quae gravissimum problema hodiernum constituit, tum momentum scholae, quatenus educationis impertiendae instrumentum est.

Ad nn. 1-7: In *prima* propositionum parte perstringuntur *principia*, quae non solum ad scholas catholicas, sed ad scholae institutum in genere spectant;
[29] quae quidem arcte cohaerent cum principiis contentis in schemate de libertate religiosa, cuius libertas educationis et scholae est veluti postulatum vel, si ita praefertur, legitimum consectarium.

Ad nn. 8-10: *Secunda* pars propositionum paucis enuntiat quasdam praecipuas normas de educatione et de schola *catholica;* quae ut recte intelligantur, prae oculis habendae sunt graviores obiectiones quae hodie moventur contra operam quam schola catholica exercet. Dicitur enim:

a) ad Ecclesiam non pertinere, ut promoveat educationem in disciplinis profanis, cum eius mandatum ad praedicandum Evangelium restringatur;

b) Ecclesiam olim quidem in scholarum provincia utile praestitisse servitium, hodie autem idem servitium plene a Statu absolvi, cum quo Ecclesia competere nequeat;

c) Ecclesiam nimium virium in propriis scholis impendere eamque proinde imparem evadere aliis officiis maioris momenti explendis;

d) alumnos in scholis catholicis nullatenus melius institui quam discipulos aliarum scholarum, qui insuper instructionem catecheticam recipere possunt in familiis et in ecclesiis;

e) maiorem partem puerorum et iuvenum catholicorum de facto educari in scholis non catholicis.

Propositiones proinde:

— plene agnoscunt scholas catholicas non exhaurire operositatem quam Ecclesia in campo educationis praestat (nr. 8);

— defendunt autem particularem scholae catholicae efficacitatem moralem et spiritualem simulque eius officium fines culturales et sociales eadem perfectione ac aliae scholae prosequendi (nr. 8, in secunda paragrapho);

— vindicant ministerio in schola catholica, sicut oportet, exercito, indolem apostolatus veri nominis (nr. 8) et dilaudant quotquot hodie quoque huic ministerio evangelica deditione se devovent (nr. 9);

— declarant in numeris quarto, quinto et sexto principia quae hodie non a sola Ecclesia, sed magis in dies ab aliis quoque coetibus tenentur; inde spes arridet fore ut scholis catholicis maiora subsidia concedantur, sicut in pluribus nationibus reapse contigit;

— respiciunt illorum multitudinem qui in scholis non catholicis instituuntur et commonent ut eorum formationi religiosae et morali efficacius consulatur (nr. 9). Quod Universitates catholicas attinet, in tertia parte propositionum satis clare asseritur earum operositati in genere spectatae summum convenire momentum, eas autem non ubique aequa ratione esse necessarias; eo diligen-

tius esse providendum, ut Ecclesiae iuvenes Universitates non catholicas frequentantes congruum accipiant adiutorium intellectuale, morale et religiosum. [29]

Ne documentum longum fieret, plura de se utilia, sed magis particularia omissa sunt, cuiusmodi sunt: definitio catholicae ita determinanda, ut etiam scholas de educatione christiana imprimis in terris missionum optime meritas comprehendat; normae circa magistrorum accuratam formationem, iustam eorum mercedem atque rectam veritatis profitendae libertatem; officium scholae catholicae se adaptandi legitimis auctoritatis civilis praescriptis; [30]
creatio Institutorum superiorum in quibus scientiae sacrae pro laicis utriusque sexus traduntur, considerata etiam valde mutata condicione mulieris in recentiore societate.

Ad nn. 11-16: In *tertia* parte propositionum respiciuntur peculiari cura Universitates Catholicae, quippe quae inter scholas catholicas varios ob titulos emineant. Universitas Catholica enim stabilem ac universalem praesentiam mentis christianae in omnibus scientiae partibus efficit; necnon sive superiore iuvenum institutione spiritu christiano informata, sive penitiore doctrinarum pervestigatione, scientiarum ac litterarum diffusionem et progressum in fidei catholicae lumine promovet.

Commissio Praeparatoria « De Studiis et Seminariis » de quaestionibus Universitates respicientibus exaraverat schema particulare cui prius fuerat titulus *De Studiis Academicis ab Universitatibus tum catholicis tum Ecclesiasticis provehendis*. Post disceptationem a Pontificia Commissione Centrali institutam, illud schema, imprimis quod ad alterum eius caput *de Studiorum ecclesiasticorum Universitatibus* attinet, recognitum est et schemati Constitutionis *De Scholis Catholicis* insertum (cf. Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur, Series IV, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, pp. 307-325).

Commissio Conciliaris « De Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica » in conventu generali celebrato a 21 februarii ad 2 martii 1963, secundum normas a Commissione de Concilii laboribus coordinandis impertitas textum funditus recognovit, multa magis particularia ad futuras instructiones vel ad C.I.C. recognoscendum remisit necnon sub unico titulo *De Universitatibus Catholicis* tractavit tum de Universitatibus studiorum saecularium tum de Universitatibus ac Facultatibus studiorum ecclesiasticorum. (Cf. numeros 18-26 schematis *De Scholis Catholicis* quod mense maii 1963 iussu Ioannis PP. XXIII Patribus Conciliaribus transmissum est).

Secunda Concilii sessione (mensibus octobri et novembri 1963) Commissio hunc textum iuxta animadversiones a Patribus scripto transmissas novo examini subiecit et imprimis ea quae de studiorum Universitatum et Facultatum erectione agunt (cf. nr. 19) penitus recognovit. Ex textu sic emendato, qui supra in ipsa hac Relatione invenitur, quaedam maioris momenti asserta desumpta sunt in « Propositionibus ».

Ad n. 12: Ac primum quidem incrementum Universitatum Catholicarum omnibus Ecclesiae Membris commendatur. Propositiones autem insuper ca-

[30] vent ne in re tanti ponderis quae optimos magistros et ingentia quoque subsidia scientifica ac pecuniaria expostulat, inconsulto Universitatum vel Facultatum numero augendo magis prospiciatur quam studiorum perfectioni promovendae. Altera ex parte utilitas proclamatur curandi ut quaedam huiusmodi superiorum studiorum domicilia catholica habeantur in diversis mundi partibus, ponderato consilio disposita. Notandum est enim, Universitates Catholicas, in quibusdam nationibus nimis multiplicari, in aliis
[31] regionibus autem nimis pauca haberi; id quod de Africae regionibus potissimum asseverari potest.

Nostra aetate alicuius disciplinae cognitio per studia particularia in appositis Institutis scientiae pervestigationi destinatis maxime promoveri solet. In Ecclesia huiusmodi Instituta magna ex parte desiderabantur; altera ex parte constat ea difficulter tantum sustineri posse nisi sint cum Universitatibus et Facultatibus apte coniuncta.

Etsi optandum omnino est ut in magnis Catholicis Universitatibus Facultas theologica habeatur, hoc nequit omnibus imponi; exigi autem potest et debet ut aliquod Institutum vel saltem aliqua Cathedra Theologica constituatur. Eius structura non ulterius determinatur quia diversis condicionibus accommodari debebit.

Ad n. 13: Propositiones considerant grave problema iuvenum studentium ex regionibus Asiae, Africae, Americae Meridionalis ad Europae vel ad Americae Septemtrionalis Universitates venientium, attentis insidiis ab Ecclesiae inimicis his iuvenibus paratis.

Praecipue commendant formationem spiritualem, moralem et socialem studentium in Universitatibus sive catholicis sive non catholicis. Momentum huiusmodi apostolatus depromi potest ex verbis Summi Pontificis Pii XII: « La direzione della società di domani è principalmente riposta nella mente e nel cuore degli universitari di oggi » (sermo ad *Studium Urbis,* 15 iunii 1952).

Ad nn. 14 et 17: Schola catholica, dum promovere studet perfectam et completam educationem iuventutis ipsi concreditae totius quoque societatis servitium constituat oportet. Exinde exoptatur spiritus collaborationis non tantum inter ipsas scholas catholicas, sed etiam cum aliis scholis. Haec necessitas sociam cum aliis praestandi operam peculiari ratione urget in campo altiorum studiorum; eorum enim progressus hodie est tam grandis et tam velox, subsidia autem ad scientiae studia provehenda necessaria sunt tam ingentia, ut nonnisi sincera et generosa laboris praestandi consortione fructus obtineri possint. De se patet quanti momenti sit monitum, ut Ecclesiarum Pastores peculiarem curam gerant de iis iuvenibus qui ad magisteria academica obtinenda videantur aptiores. Dolendum sane esset si extra Ecclesiam particulare auxilium illis iuvenibus praestandum efficaciore modo praestaretur.

Ad n. 15: Inter Universitates Catholicas peculiari consideratione dignae sunt illae quae altiora studia sacra promovent. In propositionibus asseritur opportunitas recognoscendi Rationem studiorum in his Institutis vigentem, clariore inducta distinctione inter cursus fundamentales et cursus specializa-

tionis quos vocant; maiore etiam habito respectu ad particularia locorum adiuncta, imprimis ad Ecclesiae Orientalis et Ecclesiarum noviter conditarum territoria quod attinet. [31]

Ad n. 16: Ut multorum episcoporum optatis prospiciatur, propositiones expetunt ut aliae domus studiorum sacrorum, si perfectiore institutione praecellunt, cum Universitatibus et Facultatibus affiliatione quam vocant coniungantur, eo quidem consilio ut qualitas studiorum ecclesiasticorum [32]
etiam extra Facultates in dies elevetur.

Ad n. 17: Auspicium totum documentum concludens, quo congrua in re legislatio exoptatur, ad particularia non descendit, quia quaedam saltem res maioris momenti in ipso documento perstricta sunt, multo plura vero in Schemate continentur quod, secundum Patrum animadversiones recognitum, in hac Relatione iam exhibitum est.

2 – RELATIO

SUPER SCHEMA DECLARATIONIS

DE EDUCATIONE CHRISTIANA *

(OLIM SCHEMA PROPOSITIONUM DE SCHOLIS CATHOLICIS)

[5]

Venerabiles Patres,

Nostra aetate omnes nationes extraordinarios peragunt nisus in campo educationis et institutionis. Consciae necessitatis quae singulis hominibus incumbit perveniendi ad personalem formationem et ad propriae culturae bona participanda, variis utuntur mediis ut condiciones sociales et quae ad doctrinam pertinent progrediantur. Nationes insuper melius quam antea mutuam navant operam in ex omni natione institutis quae de educatione curam habent. Immo parentum et puerorum iura in documentis publicis consignaverunt.

Quibus bene perpensis, Concilium Oecumenicum Vaticanum II grave persentit officium quaedam de missione Ecclesiae in educationis et institutionis campo proferendi. Vera enim Mater est Ecclesia, quippe quae homines huius terrae ad vitam Civitatis Dei generet. Ipsa proprios filios mysterii salutis participes facit; omnibus hominibus « Panem veritatis » offert non solum ut homo de eo una cum aliis vivat sed ut sanctificationem mundi vitaeque perficiat. Haec sanctificatio supponit

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 104, die 19 octobris 1964.

[5] synthesim inter res humanas et divinas, quae in nostra aetate, scientiis et arte technica magis evoluta, omnibus et praecipue iunioribus praebetur. Cui grandi officio et immenso servitio, tota communitas ecclesialis, totus populus Dei, sub hierarchiae vigilantia, suam operam praestare debet.

I. Curnam schema propositionum « De scholis catholicis » mutatum sit in « Schema declarationis de educatione christiana ».

Ad *praesens documentum* quod attinet, imprimis animadvertendum est textum qui nunc Vestro iudicio submittitur, et quoad materiam et quoad titulum, quo inscribitur, differre a Propositionibus de Scholis Catholicis quae mense maii 1964 Vobis transmissae sunt.

Huius mutationis rationes sunt sequentes:

1. Argumentum vastissimum de Scholis Catholicis quod Commissioni Praeparatoriae funditus examinandum erat atque a Commissione
[6] Conciliari concinniore schemate pertractatum erat, iuxta mandatum Commissionis de Concilii laboribus coordinandis ad paucas propositiones restringendum erat. Data materiae amplitudine et condicionum varietate id fere impossibile visum est; attamen Commissio mandatum receptum ad effectum ducere conata est.

2. Sicut a Commissione iam provisum erat, plures Patres in propriis de illis Propositionibus commentis animadverterunt, thema de scholis catholicis examinandum esse una cum ampliore argumento de educatione christiana. Reapse tum Commissio Praeparatoria tum Commissio Conciliaris non paucas passae sunt difficultates quia studia ad solas scholas catholicas restringere debebant. Schola enim quae est quasi familiae continuatio et productio, non est unicum medium educationis, etsi efficacius; dantur enim alia media inter quae variae iuventutis associationes, societates ad ludicra corporis exercitia pertinentes (« sportive »), instrumenta communicationis socialis et alia huiusmodi. Commissio autem omnino admisit illam ampliorem rei visionem in paucis Propositionibus prius Vobis exhibitis digne exponi non potuisse.

3. Propterea Commissioni praeferendum esse videbatur quod Concilium daret mandatum ut res ab aliqua Commissione post-conciliari altius pertractaretur ita ut postea Episcoporum coetibus opportunae rerum et locorum adiunctis accommodationes concredi possent. Ad quam Commissionem etiam laici vere periti, praesertim ii qui in campo nationali et internationali de educatione et de scholis optime meriti sunt, cooptari poterunt.

4. Attento autem argumenti momento vitali, Commissioni opportunum videbatur quod ipsum Concilium concinnam saltem de educatione christiana declarationem ederet qua, quaedam primaria futurorum studiorum lineamenta statueret, parentibus imprimis catholicis sed et toti consortioni humanae suam collaborationem confirmaret, Ecclesiae autem filiis qui evangelica deditione in immensum educationis opus incumbunt, animum adderet. [6]

II. Rationes seu « Dimensiones » in novo documento prae oculis habitae.

Declarationis Prooemium insistit in condicionibus nostrae aetatis scientiarum disciplinis technicaeque inventis praestantis, quae aspectum oeconomicum, socialem et culturalem nostrae societatis urgent. In campo etiam educationis nova nostra tempora Ecclesiae novas offerunt quaestiones, cum spiritu iustitiae et caritatis examinandas. Quae quidem quaestiones oriuntur e novis operis educationis « dimensionibus » quae dicuntur. De iis igitur quaedam dicenda sunt, ut Vobis melius pateant [7]
rationes (« les perspectives ») quibus Declaratio apparata sit.

1. « *Dimensio* » *universalis educationis.*

Concilium Oecumenicum Vaticanum II, minime neglectis diversis condicionibus in variis mundi partibus, ita tractare debet de educatione ut revera formationi filiorum suorum in universo orbe degentium inservire possit.

Quaestio de educatione id genus est quod universam hominum consortionem respicit. Ingentes conatus populorum et Ecclesiae in rebus de educatione Concilium agnoscere decet. Ipsum conscium sit oportet immensae necessitatis hodiernae in campo educationis vigentis. Has illustrare liceat sequenti repertorio quod hausimus ex ephemeridibus « International Review of education » anni 1960.

Inter 860.000.000 iuvenum a 5° aetatis anno usque ad 19um, 30 pro centesima parte scholas primarias frequentant et 7 pro centesima parte scholas secundarias. De his 37 pro centesima parte iuvenum, 79 pro centesima parte scholas secundarias, 3 pro centesima parte scholas superiores frequentant. Saepe homines adhuc loquuntur de scandalo saeculi XIX, quod optime omnes cognoscimus; nonne pro nostra aetate loqui liceret de quodam scandalo saeculi XX? Nonne tristitia affligimur quoties in mentem revocamus tot iuvenes esse in mundo qui nullam vel fere nullam educationem aut instructionem recipiunt?

[7] Meminerimus insuper oportet in scholis catholicis a primariis usque ad Universitates, alumnorum numerum 10 ad 20 pro centesima parte iuniorum totius mundi attingere. Quod significat permultos iuvenes catholicos adire alias scholas publicas et privatas, atque speciale officium nobis incumbere ut de illis debitam curam christianam habeamus.

Quae omnia ostendunt permagnas atque graves esse necessitates hodiernas in provincia educationis christianae; necnon operae coniunctionem inter Ecclesiam et societates civiles hac in re magis ac magis fovendam esse atque ipsam ad mutuam inter societates civiles operam magnopere conferre.

2. « *Dimensiones* » *humanae et sociales.*

Nostrates, diversis opinionibus imbuti in societate pluralistica quam dicunt, vivunt et laborant; coadunantur in communitates nationales quarum moderatores, alii alio modo, missionem adimplent publica servitia ordinandi et omnium civium operam pro bono communi ad unitatem redigendi. In varios et multos coetus conveniunt qui ad ipsorum laborem vel culturam vel religionem ordinantur et diversis doctrinis et spiritu imbuuntur. Oportet tamen omnes homines mutuam ac pacificam
[8] consuetudinem habeant cum aliis et ad bonum omnium concivium conferant, propria adhibita opera.

Ecclesiae est adlaborare ut haec societas vere humana ideoque pacifica ad rem deducatur, ei praebendo nempe nuntium salutis Christi Redemptoris et vitae suae testimonium, colendo etiam omnem valorem humanum et divinum necnon probando omnes nisus validos a quacumque parte ipsi proveniant. Quae ut efficiat, Ecclesia educationem ordinat et provehit omniaque fovet media, quae veram humanitatem et rectum sensum socialem et christianum promovere valeant.

3. « *Dimensio* » *apostolica.*

Educatio quam Ecclesia filiis suis dare intendit eo spectat ut perfectos christianos efformet « in mensuram plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13) et ut iidem conscii fiant apostolatus in mundo explendi « in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

In opere apostolatus iam a teneris annis oportet iuvenes exerceantur. Ad quod autem requiritur, ut, quoad fieri possit, foveatur cooperatio inter familiam et instituta educationis necnon omnia adhibeantur media ad hoc obtinendum idonea.

Ecclesia exemplum Christi sequens, praedilectionem suam erga parvulos, iuvenes aberrantes, pauperes et aegrotos manifestare debet, eo-

rumdem educationem vigilando, atque curando ut omnes vocationis suae [8]
ad vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem conscii, corda actioni Spiritus Sancti aperiant.

4. « *Dimensio* » *iuridica.*

Hac nostra moderna aetate societates civiles saepius quam antea varia ac nova incepta in rebus educationis suscipiunt, quae boni communis gratia, tenentur non solum ad aestimanda et sustentanda parentum vel aliorum incepta, sed ad proprias etiam institutiones ita ordinandas ut revera educatio et institutio christiana perfici valeant.

Commissio nostra opportunum immo necessarium duxit, attentis nostri temporis adiunctis, officia et iura primaria ad educationem quod attinet affirmare. Enimvero historia nos docet quantum genus humanum plerumque passum sit vel patiatur aut ob tolerantiae defectum aut ob essentialium iurium despectum.

Concilio Oecumenico Vaticano II incumbere videtur onus, ad pacem in mundo fovendam et ad maximum bonum innumerae iuvenum multitudinis promovendum, in memoriam breviter revocare parentum et Ecclesiae ius inalienabile educandi et docendi atque scholas ad educationem et institutionem perficiendam condendi, servatis omnibus quae in ordine ad bonum commune ab ipsis societatibus civilibus statuta sunt; ius inalienabile liberorum ad integram formationem; ius parentum, in conscientia ipsius personae humanae fundatum, proprios liberos committendi [9]
scholis libere electis atque parentum christianorum officium liberos suos concredendi scholis catholicis, quando et ubi ipsi possint; officium societatum civilium, salvis iuribus propriis, parentibus in exercitio sui officii auxilium praestandi eisque subveniendi, attentis iustitiae distributivae necessitatibus.

III. Specialis commendatio operae ab Universitatibus Catholicis praestandae.

In phasi praeparatoria duo parata erant schemata de Universitatibus Catholicis et Ecclesiasticis agentia. Commissio nostra suadet ut Concilium Oecumenicum Vaticanum II saltem innuat peculiare *momentum Facultatum et Universitatum Catholicarum.*

In Universitatibus iam non agitur de simplici communicatione scientiae acquisitae sed de initiatione ad laborem personalem creativum et ad investigationem scientificam. Hoc studiorum genus ad finem suum deduci debet ope eruditionis vere qualificatae et ope qualificationis pro-

[9] fessionalis ipsius laboris, qui est ipse fons qualificationis investigationum. Agitur hic de investigatione veritatis et de investigatione in ordine ad cognoscendam cohaerentiam inter humana et divina.

Formatio universitaria obligat igitur universitatem catholicam ut se aperiat investigationi, obiectivationi et cooperationi intra ipsius institutionis septa atque cum tota societate in quam inserta est.

Haec formatio talis esse debet ut iuvenes ad communitati humanae plene inserviendum apti efficiantur.

Summus Pontifex Pius XII, f. r. — in congressu consociationis « Pax Romana », mense augusti 1950 — alumnis atque scientiarum cultoribus universi mundi has duas obligationes in memoriam revocavit: « présence à la pensée contemporaine, service de l'Eglise ». Quibus verbis addidit: « Oui, soyez partout présents à la pointe du combat de l'intelligence à l'heure où celle-ci s'efforce d'envisager les problemes de l'homme et de la nature aux dimensions nouvelles où ils se posent désormais ».

Peculiari cura facultates et universitates catholicas prosequitur Ecclesia quippe quae cordi habeat ut veritas melius cognoscatur et efformentur homines vere docti, vere testes fidei. Papa Paulus VI haec pulcherrima verba protulit in sua allocutione diei 6 octobris anni 1963 coram viris in arte medica peritissimis: « L'homme est pour Nous et pour vous, messieurs, dans le monde sensible, la valeur suprême ... le souci de l'Eglise pour le salut moral et spirituel de l'homme ne doit pas
[10] être considéré comme un obstacle, mais comme une protection, une garantie, une aide pour la conquête de ses fins ultimes ».

Haec Sancta Synodus fiduciam reponit non solum in scholarum, facultatum, universitatum catholicarum magistris, sed etiam in Ecclesiae filiis qui educationi, institutioni et investigationi se devovent in aliis scholis.

IV. Monitum universalis cooperationis promovendae

Declaratio denique momentum cooperationis et coordinationis in re scholastica urget in campo nationali et internationali. Educationis et institutionis enim progressus potissimum dependent a mutua opera et coordinatione, quippe quae experimentorum communicationem possibilem reddant nationalem et internationalem aptationi et renovationi educationis non parum inservientem. Insuper si Ecclesia praesens esse velit educationis officio, oportet, postquam in proprio ambitu mutuam operam perfecerit, cum aliis extra degentibus sincere et efficaciter suam operam praestet.

Venerabiles Patres, [10]

Sancta Synodus gratam se exhibet erga omnes qui in opus educationis et institutionis, scientiarum investigationis incumbunt et qui in optatis habent ut Ecclesia integrum suum munus absolvere valeat.

✠ Iulius Victor Daem
Episcopus Antverpiensis

3 – DECLARATIO [11]

DE EDUCATIONE CHRISTIANA [1]

(Olim Schema Propositionum De Scholis Catholicis)

[Prooemium].

Sancta Oecumenica Synodus attente perpendit gravissimum educationis momentum in vita hominis eiusque influxum semper maiorem in socialem mundi moderni evolutionem; etenim late multiplicantur scholae atque alia educationis instituta, celeriter crebrescit alumnorum numerus; simul vero miro modo evolvitur ars technica et scientifica inquisitio progreditur, ac generosi ubique conatus fiunt ad opus educationis magis magisque promovendum.

Cum vero Ecclesia vi divinae suae missionis mundi transformationi ac praesertim educationis evolutioni atque ampliationi opem ferre nunc quoque debeat, Sancta Synodus fundamentalia quaedam principia declarat, quae

---

[1] Nota introductiva: Cum maxima iuvenum pars non instituatur in scholis catholicis, opportunum visum est praecedentem titulum « *De scholis catholicis* » in novum titulum « *De educatione christiana* » mutare, ut de omnibus scholis ageretur, catholicis et non catholicis, neque negligerentur alia educationis media, etsi inter omnia peculiare semper momentum servat schola.

Ob materiae amplitudinem, praecipua tantum capita indicantur, fusiore tractatione remissa ad Commissionem postconciliarem, cuius erit argumentum digne evolvere et tractare, apta etiam habita consideratione condicionum in singulis regionibus vel nationibus sat variarum.

Etsi brevis, opportuna videtur Declaratio cum Concilium gravissimum educationis problema silentio praeterire nequeat, sed fovere debeat opus quod tota Ecclesia (id est totus populus Dei, tum Hierarchia tum Laici) praestat sive directe sive collaborando cum parentibus et societate civili.

In memoriam etiam revocare iuvat, quaedam ad educationem pertinentia in aliis quoque Concilii Decretis tractari, sicut in Decretis « De instrumentis communicationis socialis », « De apostolatu laicorum », « De Ecclesia in mundo huius temporis » et propterea repetenda non videntur.

[11] a speciali post Concilium Commissione fusius evolvenda erunt atque ab Episcoporum Coetibus ad diversas regionum condiciones applicanda.

1. [*De educationis christianae fine*]. Educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant ita ut,
[12] mysterio Christi Redemptoris participantes, salutem a Christo accipiant et, suae altioris vocationis conscii, consecrationi mundi collaborent, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum magnopere conferunt.

2. [*De Ecclesiae collaboratione in universo educationis campo*]. Quare Ecclesia omnibus populis confirmat sinceram suam voluntatem adiutricem praestandi operam in universo educationis campo, ut uniuscuiusque populi filii educationem propriae indoli ac culturae, patriisque traditionibus accommodatam recipiant et ad altiorem veritatis cognitionem perducantur. Omnibus enim hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus aequale est ius inalienabile ad adaequatam omnium facultatum educationem.

3. [*De variis educationis mediis*]. Ad hunc finem Ecclesia de omnibus educationis instrumentis quam maxime sollicita est sicuti sunt communicationis socialis media, iuvenum consociationes, multiplices corporis animique exercitationum coetus, quae ad animos excolendos hominesque formandos magnopere conferunt.

4. [*De scholae momento et de parentum iuribus*]. Cum vero inter omnis educationis instrumenta peculiare momentum habeat schola, Ecclesia libenter collaborationem iugiter praebet parentibus. His enim primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ideoque scholas libere condendi et eligendi, quovis scholae monopolio excluso, quod nativis personae humanae iuribus adversatur; necnon necessaria subsidia a societate civili obtinendi.

5. [*De cooperatione cum societate civili*]. Societati quoque civili ad cuius munera pertinet parentum officia et iura tueri eisque adiumentum praebere, educationis et scholarum opus promovendo, catholici collaborationem ultro praestare debent tum ad aptas educationis methodos studiorumque rationes inveniendas, tum ad magistros efformandos qui iuvenes recte educare valeant.

6. [*De educatione morali et religiosa*]. Gravissimum praeterea officium persentiens moralem et religiosam educationem suorum filiorum sedulo curandi, in quacumque instituantur schola, Ecclesia omnia media inquirere et adhibere intendit tum ad magistros praebendos, qui religionem doceant alumnos cuiusvis gradus scholarum, ratione aetati et adiunctis aptata, tum ad spirituale auxilium praestandum opportunis inceptis pro rerum temporumque condicione.

Parentibus autem sollemniter recolit grave officium quod eis competit omnia disponendi vel etiam exigendi ut filii sui illos magistros adire possint

et formatione christiana eodem gressu ac profana progrediantur. Propterea [12] illas auctoritates et societates civiles dilaudat, quae familias in hoc munere explendo adiuvant.

7. [*De scholis catholicis*]. Conscia quoque proprii iuris scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi, Ecclesia catholicas scholas, pro suis viribus et locorum adiunctis, impense fovet, in quibus alumni eam [13] perfectionem humanam simul et christianam assequantur qua exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur.

Quare hoc ministerium veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium, declarat, simulque verum servitium societati praestitum; et parentibus christianis officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis easque pro viribus sustinendi.

8. [*De variis scholarum catholicarum speciebus*]. Inter scholas catholicas eas studiose fovet Ecclesia quae inferioris et medii ordinis sunt atque educationis fundamentum constituunt; et in hodiernis praesertim societatis condicionibus scholas commendat quae professionales et technicae nuncupantur necnon instituta erudiendis adultis destinata et scholas in quibus educantur qui ob naturae defectum peculiari indigent cura.

9. [*De Facultatibus et Universitatibus Catholicis*]. Superiores pariter scholas, praesertim Facultates et Universitates Ecclesia sedula prosequitur cura, organica stabilique ratione intendens ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur ut profundior in dies humanarum divinarumque rerum intelligentia obtineatur, fidei cum ratione concordia; eaque alumnis ita tradantur ut homines vere docti formentur, gravioribus officiis in societate obeundis parati, atque fidei testes in mundo exsistant.

Quare Sancta Synodus valde commendat ut haec studiorum superiorum domicilia, in diversis terrae partibus convenienter distributa, promoveantur ac, potius quam numero, doctrinae studio eniteant, eorumque aditus facile pateat alumnis maioris spei, etsi tenuioris fortunae iis praesertim qui e novis adveniant nationibus.

10. [*De scientiarum sacrarum Facultatibus*]. Una cum scientiis profanis, scientias sacras et cum sacris connexas Ecclesia sibi carissimas habet, et vult ut ecclesiasticae Facultates et Universitates eas impense promoveant et ad altiores investigationes auditores instituant, recentioribus quoque methodis et auxiliis adhibitis, earumque legibus opportune recognitis.

A scientiarum sacrarum progressu multum exspectat Ecclesia, cum profundior Sacrae Revelationis cognitio uberes allatura sit fructus tam pro omnimodo apostolatu tam pro oecumenico dialogo.

11. [*De coordinatione in re scholastica fovenda*]. Cum cooperatio, quae in ordine nationali et internationali altius in dies exprimitur, etiam in re

[13] scholastica maxime sit necessaria, omni ope curanda est tum scholarum catholicarum coordinatio, tum earumdem cum omnibus aliis scholis, praesertim superioribus collaboratio, quam universae hominum communitatis bonum requirit.

[14] [CONCLUSIO].

Ecclesia, dum gratissimam se profitetur erga sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos, qui evangelica sui deditione in immensum educationis et scholarum cuiusvis generis et gradus opus incumbunt, eos vehementer hortatur ut in suscepto munere generose perseverent et tum in arte paedagogica tum in scientiarum studio ita excellere nitantur ut beneficam Ecclesiae praesentiam in mundo intellectuali moderno servent et augeant.

4 – RELATIO

EXC.MI P. D. IULII VICTORIS DAEM
Episcopi Antverpiensis

Venerabiles Patres,

Conscius sum ardui mei officii vobiscum agendi *de educatione christiana* et praesertim « de scholis et de universitatibus » in hac ultima hebdomada huius sessionis. Iam enim ex longo itinere conciliari defatigati sumus et oculos vertimus ad alias regiones quas oportet evangelizare, nempe dioeceses nostras. Quapropter non longum textum relationis quem ante oculos habetis legam sed modo magis concinno vos in declarationem commissionis nostrae introducam. Rogo tamen vos ut hanc patientiam erga me exercere velitis qua tantopere alios relatores honoravistis. Agitur enim hic de iuniorum educatione et institutione quae omnes homines tangunt et de servitio pastorali quod Ecclesia in his praestandum habet.

Claritatis causa, ponam quatuor quaestiones quibus brevi respondebo. Hae quaestiones sunt sequentes:

1. curnam schema propositionum « de scholis catholicis » mutatum sit in schema declarationis « de educatione christiana ».

2 quaestio: quaenam sunt elementa ut ita dicam constitutiva declarationis nostrae?

3 quaestio: quaenam sunt actualia in nostra declaratione?

4 quaestio: quaenam est propositio practica commissionis nostrae?

Ad 1 quaestionem: *Curnam schema propositionum de scholis catholicis mutatum sit in « schema declarationis »*.

a) Commissio praeparatoria, venerandi Patres, sat amplum schema « de scholis catholicis » elaboraverat quod tamen *postea*[1] refici debuit quia nimis staticum, nimis iuridicum, nimis Europeanum et nimis longum visum est.

b) Commissio conciliaris aliud schema magis concinnum elaboravit in quo rationem habuit de Patrum animadversionibus in scriptis nobis traditis.

c) Etiam hoc secundum schema, de mandato commissionis de Concilii laboribus ordinandis restringi debuit *ad aliquas propositiones* quas habetis in fasciculo vobis mense maio anno 1964 transmisso.

d) Plures Patres autem ad commissionem nostram novas animadversiones miserunt in quibus ampliorem visionem nobis proposuerunt. Aestimabant enim argumentum de scholis examinandum esse cum ampliore argumento de educatione christiana. Commissio hanc visionem admisit. Uti indicatur in relatione *nostra scripta*[2] pag. 6, n. 4, opportunum ei videbatur Concilio proponere *declarationem de re educativa et scholari* in qua

1) quaedam primaria futurorum studiorum linteamina statueret,

2) parentibus imprimis catholicis et toti communitati humanae suam collaborationem confirmaret,

3) Ecclesiae autem filiis qui evangelica deditione in immensum opus educationis incumbunt animum adderet.

2 quaestio: *Quaenam sunt elementa ut ita dicam constitutiva nostrae declarationis?*

a) In prooemio indicantur hodierna evolutio et ampliatio educationis quibus Ecclesia opem suae divinae missionis ferre debet.

b) In n. 1 describitur finis educationis christianae: perfectio humana simul ac religiosa, participatio mysterio Christi et praeparatio ad collaborationem consecrationi mundi.

c) In nn. 2, 3, 4 et 5 affirmatur sincera voluntas Ecclesiae praestandi operam in universo educationis campo atque insistitur in servitio quod Ecclesia offert 1) populis; 2) parentibus et 3) societati civili.

d) Ex n. 6 apparet quod Ecclesia curam habet de omnibus filiis suis, quoquo sint, sive in scholis catholicis sive non catholicis.

e) In n. 7 affirmatur quod scholarum catholicarum opus est *verus*[3] apostolatus Ecclesiae, apostolatus veri nominis et hoc debet, *ad nostrum sensum, hoc debet*[4] nostris diebus ...[5] atque iterum affirmari;

in n. 8 in luce ponitur cura specialis Ecclesiae pro iis scholis quae societatis hodiernae exigentiis maxime conveniunt.

f) In nn. 9 et 10. Facultates et Universitates catholicae speciatim tractantur praesertim quoad earum naturam et finem. In memoriam vestram revocare mihi liceat *venerandi Patres*,[6] verba Pii XII piissimae memoriae « Présence à la pensée contemporaine, service de l'Eglise... au moment où celle-ci s'efforce d'envisager les problèmes de l'homme et de la nature aux dimensions nouvelles où ils se posent désormais ».

g) In n. 11 exprimitur necessitas, *urgens necessitas*,[7] cooperationis scholarum catholicarum in campo nationali et internationali atque collaborationis in re educationis inter catholicos et non catholicos.

h) In n. 12 S. Synodus grato animo recordatur omnium qui operi educationis et scholarum cuiusve generis et gradus incumbunt et qui *ita* excellere nituntur ut beneficam Ecclesiae praesentiam in mundo servent et augeant.

i) Elementa iuridica (i. e. iura et officia parentum, societatum civilium et Ecclesiae) passim in memoriam vocantur *in declaratione nostra*[8] praesertim in nn. 2, 4, 5, 6, 7, ratione habita necessitatis temporis hodierni ad rem educationis et institutionis quod attinet.

3 quaestio: *Suntne quaedam actualia in nostra declaratione?* Responsio ad hanc quaestionem est affirmativa. Etenim

a) insistitur in praesentia Ecclesiae evolutioni et ampliationi educationis in mundo hodierno (cf. prooemium);

b) insistitur etiam in contributione educationis christianae ad praeparandos iuniores ut, facta eorum maturatione, consecrationem mundi huius temporis cordi habeant ...[9]

c) in luce ponitur cura Ecclesiae ut uniuscuiusque populi filii educationem altiorem accipiant, humanam ac religiosam, propriae indoli ac culturae patriisque traditionibus accommodatam ...[10]

d) insistitur in formatione morali et religiosa etiam in scholis non catholicis quas magistri Ecclesiae adire possunt ...[11]

e) indicatur momentum scholarum professionalium et technicarum et aliarum scholarum pro defectu naturae patientibus immo institutorum pro adultis ...[12]

f) declaratio affirmat urgentem collaborationem et coordinationem scholarum sub vigilantia *evidenter*[13] auctoritatum territorialium vel S. Sedis et in collaboratione Ecclesiae cum societatibus civilibus et cum institutionibus internationalibus (v. g. Unesco) ...[14]

g) declaratio sublineat triplicem missionem facultatum et Universitatum catholicarum, nempe: 1) formationem scientificam nitentem in libera investigatione huic formationi propria; 2) praeparationem ad

munus obeundum cum competentia et spiritu christiano; 3) formationem ad graviora officia in societate obeunda ...[15]

Si haec bene perpenditis, venerandi Patres, clare vobis apparet quod rationes seu « dimensiones », de quibus tractatur in relatione nostra pag. 6, 7, 8 et 9, revera in mente habebamus in elaboratione textus.

4 et ultima quaestio: *Propositio concreta nostrae commissionis.* Uti in pag. 6 relationis, in n. 3 legi potest, attento momento vitali argumenti educationis christianae et praesertim scholarum et universitatum, commissioni nostrae opportune videbatur quod Concilium daret mandatum ut res a nova aliqua *commissione postconciliari* altius pertractaretur ita ut postea episcoporum coetibus opportunae rerum et locorum adiunctis accommodationes concredi possent.

Ad hanc commissionem, quae quam primum erigi posset, quidam laici vere periti deberent cooptari, praesertim ii qui in campo internationali de educatione et de institutione optime meriti sunt, v. g. membra Foederationis Internationalis Scholarum Catholicarum (Office International de l'Enseignement Catholique) et Foederationis universitatum catholicarum (Fédération des Universités catholiques) et etiam membra officii quod gallice denominatur « Bureau international de l'Enfance ». Sunt inter membra harum foederationum quae revera statum educationis in familiis et in scholis in diversis mundi partibus optime cognoscunt et quae saepe participes fuerunt laborum institutionum internationalium, v. g. Unesco, Bureau International de l'Enseignement et ceterarum.

Rogo Vos, venerandi Patres, 1) ut hanc nostram concretam propositionem de nova commissione creanda accipere velitis. Commissio nostra aestimat quod nova commissio magnopere contribuere posset ad « aggiornamento » educationis christianae.

2) Rogo vos, Patres, ut suffragium vestrum sit positivum, ita ut secundum animadversiones vestras textus declarationis a nostra commissione compleri et expoliri possit et revera una cum schemate nostro mensis maii anni 1964 pro laboribus novae commissionis seria basis esse possit.

Venerabiles Fratres, multa omittendo quae in nostra relatione ...[16] quae certo iam legistis sic concludo. Commissioni imprimis id cordi fuit ut Concilium expectationi fidelium et totius mundi satisfaciens, saltem mandatum daret ut quaestiones de educatione, tam momentosae pro vita Ecclesiae et universae societatis, funditus examinarentur in luce hodiernarum societatum necessitatum in dies crescentium.

Velitis igitur hoc bene prae oculis habere: brevis haec *nostra*[17] declaratio non est documentum ...[18] quo Concilium integram suam doctrinam de educatione christiana suis filiis et mundo proclamaret. Decla-

ratione indicare tantum intendimus principalia themata quae in futuro documento quam accuratissime consideranda erunt.

Membra commissionis *nostrae*[19] essent felicissimi hominum, si humili suo labore aliquid contribuere possint ad certiorem reddendam totam communitatem christianam de sua gravissima responsabilitate in re educationis. Dixi. Gratias quam maximas.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] veri nominis. [4] deest. [5] iterum. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] (cf. n. 1). [10] (cf. n. 2). [11] (cf. n. 6). [12] (cf. n. 8). [13] deest. [14] (cf. n. 11). [15] (cf. n. 1 et n. 11). [16] sunt et. [17] deest. [18] ut ita dicam in se stans. [19] deest.

Moderator: Gratias agimus tibi, exc.me relator, et gratias agimus commissioni. Nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: En Patres venerabiles, exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de institutione sacerdotali*. Sed interea velitis omnes Patres ad vestra subsellia redire ita ut fieri possint commode suffragationes circa hoc schema.

Praesentes votantes	2.117
Dixerunt *placet*	2.076
non placet	41

Ergo potest fieri transitus ad suffragationes singulas. Et lego textum primae suffragationis, videatis fasciculum, pag. 11 a latere dextro [*cf. vol. III, pars VII, pag. 538-539*]. *Placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

PATRUM ORATIONES

(*de educatione christiana*)

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Attento fine huius schematis, ut in ipso prooemio notatur, nempe proponere « fundamentalia quaedam principia » de educatione christiana, debemus dicere commissionem quam optime hunc finem attigisse.

Propono unam emendationem circa verba, quibus schema utitur, ut intentio Concilii ex textu clarius appareat.

Intentio schematis est directa ad iura puerorum et eorum parentum affirmanda, non necessarie ad pecunias ex aerario publico pro ipsis scholis religiosis petenda. Pluribus in nationibus, propter rationes historicas, sociologicas necnon politicas, haec quaestio de subsidiis pro scholis est vere perdifficilis et involuta. Hac de causa propono emendationem sequentem ad n. 4 in pag. 12 addendam: « Parentes in elegendis scholis pro pueris suis vera libertate gaudere debent. Propter hanc electionem tamen iniusta onera oeconomica sustinere non debent quae hanc elegendi libertatem diminuerent. Cum sit munus potestatis publicae ad libertates civiles tuendas ac defendendas, iustitia aequitasque postulant ut aequa mensura subsidii publici sit parentibus ad scholas sustentandas quas pro pueris suis seligant.

« Si hae scholae, praeterea, finibus publicis educationis popularis inserviant, factum ipsum ut sint religiosae in earum orientatione eas ab aequa mensura subsidii publici excludere non debet ».

Hanc emendationem propono ut intentio Concilii clarius appareat; ideoque spero fore ut inutiles lites de schematis verbis in futuro vitentur.

Stat, tamen, quaestio magis fundamentalis. Estne possibile hoc Concilium vel aliquam commissionem post-conciliarem vel commissionem ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum tradere normas quae applicabunt principia fundamentalia huiusmodi ad omnia problemata actualia scholarum catholicarum et educationis christianae? Mea opinione, spectata varietate scholarum de loco in locum cum consequenti diversitate problematum, nulla commissio potest statuere omnes normas *particulares* per totum mundum vel definitive operam suam profiteri ad scholas omnium nationum eorumque difficultates.

Proinde, commissionem ad solutionem practicam in prooemio proponendam libenter commendo, nempe, ad specialem commissionem postconciliarem constituendam quae problemata involuta de educatione christiana exquirat. Quae commissio participantes non tantum ex regionibus principalibus mundi sed etiam vere expertos in omni parte educationis, laicis inclusis necnon sacerdotibus, religiosisque utriusque sexus annumerare debet. Commendatur etiam ac suadetur ut practica applicatio horum principiorum generalium in coetus episcoporum orbis terrarum competentia ponatur secundum Sanctae Sedis mandatum.

Haec declaratio, ergo, cum aliquibus emendationibus quoad modum expressionis, in mea opinione, suffragium « placet » merite digna est. Dixi.

5

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Schema declarationis *de educatione christiana* mihi valde placet. Multa de eo vere laudanda sunt, inter quae pauca sequentia commemorare velim.

1. *In genere.* Schema se restringit intra fines possibilitatis actualis. Sane educatio christiana, missioni Ecclesiae omnes gentes docendi tam intime associata, ampliorem et accuratiorem meretur considerationem. Quae tamen impossibilis videtur huic Concilio propter magnam subiecti implicationem. Educatio christiana, iam in seipsa omnibus aliis praeclusis, obiectum est perdifficile tractatu: siquidem requirit non solum educationis theologiam et philosophiam, sed etiam scientias artesque paedagogicas intellectas.

Circumstantiis huius temporis consideratis, labor evadit fere impossibilis. Discrepantia culturarum, varii divitiarum gradus, diversi vivendi modi, omnia haec, quae nationes ab invicem distinguunt, declarationi obstant quae principia educationis specifica contineat. Immensitas laboris etiam magis evidens fit quando consideramus diversitatem quae describit relationes inter Ecclesiam et Statum in singulis nationibus.

Iure meritoque ergo schema, facilem sed erroneam viam compromissionis fugens quae neminem adiuvaret, nemini prodesset, sed e contra ipsam libertatem periclitari posset, duo expostulat:

a) institutionem commissionis postconciliaris specialis quae, studiis necessariis et aptis peractis, principia pauca hic tradita evolvat et declarationem accuratiorem praeparet;

b) libertatem pro episcoporum coetibus ad res particulares determinandas.

2. Commemorare velim pauca quae, ut mihi videtur, laudem *specialem* merentur. Mihi valde placet novus titulus, quia sollicitudo Ecclesiae educativa multa alia comprehendit praeter scholas exstruendas et administrandas; se extendere debet etiam ad illos qui educationem quaerunt in scholis non catholicis. Proinde schema mentionem specialem debet facere omnium illorum qui, sive singillatim sive collective, se insumunt educationi christianae dandae illis qui extra scholas catholicas versantur.

Mihi placet quod schema libertates multimodis suadet in educationis campo. Tractando autem de parentum iure scholas libere eligendi, schema declarare debet etiam ius et officium parentum in scholarum administratione. Simili modo, quae dicuntur in par. 9 de inquisitionis scientificae libertate, schema debet magis clare et distincte urgere. Si enim Ecclesia docet veritatem unam esse, si credit omnem veritatem ad Deum ducere, et si profitetur veritatem homines facere liberos, scholae et universitates catholicae debent esse exemplaria illius libertatis germanae quae discipulis et magistris valde prodest.

In fine, propono ut schema magis explicite et late consideret naturam et fines scholarum catholicarum. Scholae nostrae non institutae sunt ut catholicos ab aliis separent vel ut nostros pueros puellasque a vita foroque publico custodiant; institutae sunt potius ut parentes, sacerdotes, religiosi, atque laici catholici, sua sponte magnoque cum sacrificio, tum Deo et generi humano, tum Ecclesiae et familiae, melius servirent. Etenim scholae catholicae debent magno usui esse communitatibus in quibus versantur et ipsae societati humanae. Aliter titulo « scholae *catholicae* » indignae essent.

Unde, Patres venerabiles, praesens schema ex imo corde commendo vestrae considerationi et acceptationi. Mihi placent tum principia generica in illo statuta tum propositum ad commissionem postconciliarem instituendam quae haec principia magis evolvat. Dixi.

6

Exc.mus P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Venerati Patres et dilecti Fratres,

Ut Concilium in futurum Ecclesiae influxum revere habeat, postconciliaris iuvenum educatio praeparanda est. Insufflari quidem debet Concilii spiritus in ipsa iuventutis educatione christiana.

Schema hoc infeliciter confectum est tempore quo ratio haberi non potuit eorum quae in Concilio dicta sunt, praesertim *de Ecclesia in mundo huius temporis, de apostolatu laicorum, de Oecumenismo, de libertate religiosa* et *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas*. Quamobrem, hoc sub aspectu, textus noster fere penitus recognoscendum videtur.

Ad meam partem quod attinet, tria animadversiones, inter alias, facere vellem.

1. *Introducendus est Concilii spiritus in ipso educationis christianae fine.* Concilium hoc oecumenicum non semel affirmavit absolutam necessitatem ut Ecclesia sit missionaria. Ex quo deducitur, educationem revera christianam esse non posse, nisi iuvenes ad hunc spiritum missionarium assequendum praeparet. Qui spiritus missionarius non consistit in quodam supplemento proselytismi, sed reapse significatur certa quadam fidei qualitate. Haec quidem fides non debet incitare iuvenes ut sese quasi abscondant, solo ducti praeservationis timore. Efformandi enim sunt iuvenes, ut vitam suam ducant in societate pluralistica et spiritu oecumenico imbuta. Ex eo, duo necessaria apparent:

Primo quidem: necesse est educatio ad fidem, cuius ipsi iuvenes erunt sponsores. Agitur ergo de fide quae non mera cognitione constat; quae non est simplex dispositio pietismo laborans; agitur de fide quae ut continuae conversionis fermentum operatur; de fide quidem quacum coniungitur responsabilitas integrae vitae personalis atque communitariae; agitur de fide etiam quam iuvenes aliis ipsi declarare valent ex quo eamdem profundius possideant atque opere proprio cognoscant.

Moderator: Velis excusare, exc.me Pater, loquitur nunc exc.mus D. Secretarius generalis.

Secretarius generalis: Propono textum II suffragationis quoad schema *de institutione sacerdotali.* Videatis pag. 12 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 539-540*]. *Placet, non placet,* an *placet iuxta modum.*

Moderator: Velit prosequi exc.mus D. Leo Elchinger!

Orator: Secunda conditio *ut introducatur Concilii spiritus in ipso educationis christianae fine*:[1] necessaria est fides quae ad dialogum transire potest: dialogum quidem, qui non tantum catholicorum problemata sed etiam non catholicorum, immo et non credentium, aggreditur. Qui dialogus, non disceptationis apologeticae formam induere debet quae forte triumphalismum sapiat, sed ad amicale colloquium deveniat oportet, in quo appareat tum cura mutuae cognitionis atque aestimationis, tum humile desiderium communicandi fidei et spei christianae gaudium. De his autem schema silet!

2. *Introducendus est Concilii spiritus in sollicitudine quam magistrorum omnium scholarum habere debemus.* Etenim, non tantum de iuvenibus, in educatione, pastoralem curam Ecclesia habeat oportet, sed ipsorum magistrorum. Horum, reapse, curam Ecclesia tantum habet quatenus in institutione religiosa partem habent. Et tamen, perpulchra et gravissima est eorum *omnium* vocatio, quippe quorum officium est

ut iuvenes ad veritatem ducant. Cum enim ad veritatis inquisitionem magistri vitam suam impendant, maiores respectu fidei persentient difficultates, quas ad solvendas minime sufficient simplices monitiones immo nec condemnationes; sed requiretur profundior eorumque mentis efformatio.

Propter eorumdem influxum, non tantum in ipsos iuvenes, sed et in alios magistros, immo et in totam nationem, adiuvandi sunt — non quidem spiritu dominationis sed spiritu servitii —, ut veri fieri valeant testes vitae christianae evangelice renovatae. De quibus schema iterum silet!

3. *Introducendus est Concilii spiritus in ipsa determinatione officiorum et iurium quae statui in materia educationis competunt.* Certe, nequeo in paucis momentis quaestionem tam complexam explanare. Itaque, nonnullas tantum rationes propono.

1) Responsabilitatem primariam educationis christianae assumunt parentes, et quidem erga Deum. Eis nulla unquam potestas humana hoc eorum officium denegare valet.

Cum autem institutio atque educatio inseparabiliter sunt coniuncti, ipsis parentibus christianis ius est, ut eligant pro eorumdem filiis scholas christianas, si quidem in adiunctis sociologicis institui valeant.

Quia autem nostris praesertim temporibus, iuvenum institutio onera secum ferat in dies crescentia, cumque multis in regionibus penes statum sint maximae divitiae, aequitati immo et iustitiae distributivae congruit ut status onera suscipiat etiam scholarum christianarum; quippe quae servitia publica constituant.

2) Cum vero status sit iura haec primaria parentum tueri, ipsius quoque erit, in scholis suis si quas habet, partim culturam religiosam fovere. Quo tamen nullum onus supplementarium parentibus, saltem pauperibus, imponi licitum est. Eadem ratione, parentum non credentium libertatem conscientiae societas politica tutari omnino debet.

3) Magistri quidem parentum locum tenent; sed non in omnibus ab ipsis mandatum accipiunt. Etiam magistri vices gerunt *societatis* i. e. communitatis humanae in quantum est heres hodiernus patrimonii culturalis quod generationes praeteritae accumulaverunt.

Insuper, ipsi statui, in omnibus scholis, et publicis et privatis, competit saltem ius intuendi rationem studiorum, in quantum necessarium est ut iuvenes ad officia vitae civilis sufficienter praeparentur.

4) Infantium aut iuvenum nemo est possessor: nec status, nec societas, nec Ecclesia, nec immo ipsi parentes. Omnes eisdem inservire debent, unusquisque pro suo cuiusque munere. Itaque status,

quatenus etiam scholas suas habet, iniuste ageret si in institutione scholari propriam imponeret ideologiam, quam quidem status tenere non potest, cum unice bono communi societatis i. e. communitatis inservire debet. Evangelii spiritus omnem totalitarismum damnat.

5 et ultimo. Quidquid sit de status officiis, minime licet parentibus, ut statui vel societati civili relinquant propriam quam habent responsabilitatem in materia educationis religiosae. Societas enim civilis aut status, nec parentum, nec Ecclesiae iurium inalienabilium locum tenere possunt.

Insuper, sub respectu paedagogico atque pastorali, erroneum esset, integram iuvenum religiosam institutionem relinquere organisationi scholari — etiam in scholis christianis —, quia si *cultura religiosa* cum disciplina scholari identificari possit, cum hac aequiparari non valet ipsa *fidei* educatio.

Etiam de his omnibus schema silet!

Conclusio. Non desunt, qui censuerunt nullius utilitatis esse hoc schema, aestimantes momentum non habere ut doctrina praeterita tam succincte reassumatur. Quinimmo omnino requiritur de educatione christiana schema, quippe quo futurum praeparari debeat, ut renovatio Ecclesiae in iuvenum mentibus ac moribus introducatur.

Quod si christiana educatio, sapienti audacia, profundius non reformetur, dici potest Concilium, utpote effectu debito carens, inutile fuisse. Quod Deus avertat!

Sed longa quidem nobis remanet via. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Secretarius generalis: Lego textum III suffragationis; videatis pag. 13, nn. 4-7 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 540-542*]. *Placet,* Patres venerabiles, *non placet* an *placet iuxta modum?* Et nunc communico exitum I suffragationis, particularis ut patet.

Praesentes votantes		1.857
Dixerunt	*placet*	1.731
	non placet	3
	placet iuxta modum	123

Ergo primus textus suffragandus placuit congregationi generali.

7

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON
Archiepiscopus Rhedonensis

Venerabiles Patres,

Praesens declaratio *de educatione christiana,* etsi ad aliquas lineas generales retractetur, *mihi placet saltem iuxta modum, cum voto commissionis post-conciliaris cuius hodie expresse locutus est exc.mus relator.*[1] Etenim si quis, cum cura, ipsissima verba sua examinat, videt ea esse plenissima quoad substantiam ...[2]. Potius quam declaratio consideret primo aspectu scholas, *considerat*[3] rationem superiorem educationis christianae quae debet respici in omnibus adiunctis. Sic declaratio memorat grave officium primorum educatorum naturalium qui sunt genitores ita ut filiis suis beneficium illius educationis praebeant. Non ignorat factum hodiernum multiplicationis alumnorum et scholarum. In campo ubi status rerum in concreto valde diversi sunt, sapienter relinquit conferentiis episcopalibus curam de minimis ordinandis. Attamen opportune in mentem revocat « parentibus christianis officium, concredendi liberos suos scholis catholicis, quando et ubi possunt ». Testimonium sic affert accommodationis et simul firmitatis.

His dictis, *nomine plurium loquor,*[4] mihi *et illis*[5] videtur *scopum* specificum educationis christianae, scil. *educationem fidei personalis,* non sufficienter expressum esse, nec *media* ad eum assequendum sat clare indicata esse. Hoc attentioni vestrae subiicere vellem ut reprobationes frequentes in educationem christianam et speciatim in scholas catholicas ad nihilum redigantur.

1) *Scopus educationis christianae.* Timendum est, ne multi ex illis qui educationi operam impendunt, non sese interrogaverint de modo, quo formandi sunt christiani hodierni. Mea sententia, non sufficit huiusmodi declaratio: « educatio christiana eo tendit, ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant ». Etenim, scopus essentialis educationis christianae est, ut imprimis fidem ad suam maturitatem perducat. Et sub nomine « fidei » intendo, non solum adhaesionem claram veritatibus a Christo et eius Ecclesia proclamatis, sed etiam fiduciam integram personae Christi exhibitam, generosam acceptationem eius legis amoris et principaliorum praeceptorum eiusdem legis, ut in Beatitudinibus summatim exprimuntur necnon dedicationem in servitium eius Ecclesiae, i. e., eius Corpus mysticum, per aposto-

latum quem adimplere debemus vi Baptismi nostri et Confirmationis. Ita ut christianus alter Christus efficiatur. Hic est modus verus, quo iuvenes christiani eodem tempore perfectionem humanam et religiosam assequi poterunt.

Ex hoc sequitur quod in textu nostro mentio explicita educationis in fide christiana deficit. Quaero ut talis mentio efficiatur. Christianus seipsum agnoscit, non in testimonio cuilibet sapientiae reddito, sed in eo quod « ex fide vivit ».

2) *Media educationis christianae.* Ipso facto, media quibus uti debet educatio christiana non sunt imitatio mechanica illorum, quae in usu sunt, ubi optima educatio ad mentem huius mundi edocetur. Mea sententia quattuor saltem sunt, extra necessariam et aptam institutionem catecheticam et biblicam.

1. *Educatio ad orationem personalem.* Sane, minime de hoc agitur, ut exercitia pietatis multiplicentur, quippe quae, nimis protracta et monotona, formalismum et fastidium producunt. Eo cito devenitur, ut oratio recitetur sicut scholae lectio, i. e., non revera Deus oratur. Incipiendum ergo esset cum educatione orationis, orationis scil. quae dialogus sit cum Deo, a quo venit semper responsio; debent genitores et magistri, cum suo exemplo, docere quomodo ad Deum orandum sit. Ipsa oratio conclusionem normalem habet in sacramentis poenitentiae et Eucharistiae.

Moderator: Velis excusare, exc.me Pater, loquitur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Antequam legam textum IV suffragationis, nomino nationes, quorum episcopatus coram admittentur a Summo Pontifice crastina, i. e. feria IV, hora 19.

Sunt episcopatus ex Germania, Austria, Svizzera, Danimarca, Finlandia, Norvegia, Svezia, Danzica.

Lego textum IV suffragationis; videatis pag. 14, nn. 8-12 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 542-544*]. *Placet*ne, Patres, *non placet,* an *placet iuxta modum?* Et haec est ultima suffragatio, pro hoc mane.

Orator: *Post hoc primum medium verae educationis christianae, cuius allocutus sum, educatio ad orationem personalem, venit secundum*[6]:

2. *Ambitus collectivus sinceritatis, fraternae caritatis.* Exemplum autem in educatione tunc valorem habet, et verum testimonium constituit, solummodo si ambitus familiae et scholae imbuitur halitu sin-

caritatis, laboris et gaudii; halitu praesertim caritatis fraternae. Cum iuvenis transit ex schola non religiosa ad institutionem catholicam, miratione plenus esse deberet, talem spiritum familiarem inveniendo. Quaevis schola christiana, quaevis sectio scholae, nuncupari deberet vera « fraternitas ».

3. *Ratio habenda modo peculiari personae alumni educandi.* Quia progressus fidei in unaquaque persona viam sequitur propriam (Spiritus ubi vult spirat), educatio christiana, tum in familia, tum in schola, salva semper vita communitaria necnon disciplina ei consentanea, etiam amore attento prosequitur personas ipsas, ad instar ipsius Domini Dei, qui nos singulatim diligit modo peculiari, et singulis impertitur per gratias actuales quidquid est necessarium.

4. *Iam a primordiis initiatio ad apostolatum.* Fides autem subsistere nequit sine dedicatione practica in servitium Dei et proximi. Ergo debent genitores et magistri christiani discipulos suos ita regere, ut propria experientia miseros adiuvent cum spiritu reapse evangelico. Proinde exhortandi sunt, ut Actioni Catholicae sese adscribant, quae aptissime iuvenes disponit ad apostolatum exercendum corde uno cum episcopis.

Huiusmodi educatio non sibi primo proponitur, ut discipuli efficiantur « viri clarissimi », sed imprimis ut sibi conscii sint missionis ab eis adimplendae, necnon vocationis ab eis sequendae. Mihi ergo gratum esset, si schema nostrum verbum faceret de mediis in educatione christiana utendis. Dum sic scopum suum plene intelligeret, et media specifica rite adhiberet, in casu particulari, scholae christianae ita ut « seminarium » efficeretur veri nominis christianorum, in quo etiam florescerent pulcherrimae vocationes ad sacerdotium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] placet. [2] et quod prudens est ea perpendere antequam reiiciantur. [3] consideret. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

8

Exc.mus P. D. IOANNES PATRICIUS CODY

Archiepiscopus tit. Bostrensis, coad. c.i.s. et adm. ap. Novae Aureliae

Venerabiles Fratres, dilectissimi observatores et auditores, parochi, fideles, solertissimi assignatores locorum,

Loquor nomine plurimorum episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, necnon nomine plurimorum exc.morum qui

in missionibus adlaborant, atque ut praeses Consociationis quae vulgo vocatur: National Catholic Educational Association.

Commissio de seminariis, studiis et educatione catholica, iuxta instructiones a commissione de Concilii laboribus coordinandis acceptas, schema sexdecim paginarum *de scholis catholicis* — episcopis missum *anno elapso* [1] iussu Summi Pontificis Ioannis XXIII ...[2], — denuo retractavit, illud ad nonnullas propositiones redigens, quae mense maio huius anni *vobis* [3] missae sunt.

E responsis ab exc.mis episcopis acceptis, perspicuum fuit praefatas propositiones episcopis generatim non placuisse; quare commissio ...[4], magno quidem labore, omnia consilia ab episcoporum coetibus, a singulis episcopis et a peritis prolata attente examinavit in plurimis conventibus initio praesentis sessionis conciliaris habitis.

Praesens documentum, nostro iudicio nunc submissum, i. e. declaratio *de educatione catholica,* tribus tandem constans paginis, clare demonstrat quantum commissio pro seminariis adlaboravit in eius munere absolvendo.

Cum autem quaestio de educatione catholica tam difficilis multiplexque sit, nostris praesertim temporibus, propter evolutionem quandam in methodis docendi — sive ex parte hominum, sive ex parte systematum technicorum — commissio optime suggerit quod, post acceptationem praesentis *declarationis,*[5] utpote « Magna Charta » christianae educationis, commissio post-conciliaris fusius accuratiusque examinet omnes aspectus problematis. Quod certe fieri non potest paucis hebdomadibus vel mensibus, neque id a commissione post-conciliari « a priori » faciendum est; sed antea in unaquaque Natione varia problemata ab episcoporum coetibus pertractanda erunt — adiuvantibus variis peritis sive religiosis sive laicis — qui programma quoddam exarent iuxta principia a declaratione statuta, submittendum postea commissioni post-conciliari, ad coordinationem habendam cum diversis programmatibus aliarum Nationum.

Mihi liceat asserere quod talis procedendi modus optimus videtur, sive propter praesentem angustiam temporis, sive propter complexitatem problematum, quae accurato *et diligente* [6] studio indigent. Quare declaratio, cum approbata sit *uti speramus,*[7] opportunitatem offert omnibus episcopis momentosum problema de educatione melius tranquilliusque examinandi in luce peculiaris condicionis propriae Nationis, ibique suggestiones dare quae utiliores videntur ad quaestiones solvendas, postea examinandas a commissione post-conciliari, quae omnes episcopatus repraesentabit.

Duae praesertim quaestiones mentes eorum qui supremum regimen

detinent occupatas *hodie* [8] tenent: defensio scil. et educatio. Ex una enim parte, semper timentes ne bellum exoriatur, innumeram pecuniam impendunt in constructione armorum; ex alia vero parte, cum incolae continuo crescant numero, a guberniis extruendae sunt, numero quotidie maiore, aulae scholares, universitates, etc. Ecclesia sane, exemplum Divini Fundatoris sequens, semper efficaciterque munus suum docendi exercuit; attamen nihil utilius mihi nunc videtur — praesertim si spiritum pastoralem atque oecumenicum Concilii attendamus — quam approbatio huius declarationis, quae fulgenter universo mundo demonstrat desiderium Ecclesiae cooperandi — sive nationali sive internationali modo — in solvendis tam gravibus problematibus nostri temporis. Solummodo enim si homines bene exculti sunt possunt difficultates aliorum intelligere, desideria et adspirationes populorum bene noscere, atque bonum proprium immo et societatis fovere, curare ac promovere.

Mea humili opinione [9] videtur insuper Concilium Vaticanum II non posse approbationem suam denegare huic declarationi, quae arcte nexa est cum aliis schematibus iam in hoc Concilio examinatis. Educatio enim intime nectitur cum schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis, de apostolatu laicorum, de activitate missionali Ecclesiae, de instrumentis communicationis socialis, de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* etc. Si Concilium non ageret de educatione catholica, non est dubium quin hoc causa sit magnae admirationis atque moeroris, cum principia ad educationem catholicam spectantia fundamentum sint praefatarum schematum, necnon ipsius missionis apostolicae et sanctificatricis Ecclesiae in mundo universo.

Liceat insuper adnotare quod si Concilium non ageret de educatione catholica, certe offensam gravem inferret innumerabilibus laicis catholicis, qui, non raro cum magno sacrificio, generose Ecclesiam sustentant in exercendo munere magisteriali sive in universitatibus catholicis, sive in scholis primariis — tum paroecialibus tum *privatis* [10] —, in scholis secundariis, in Collegiis, quae scholae saepe non sine lacrimis vel sanguine a christiano populo exstructae sunt.

Si de educatione catholica non loquimur, quomodo, venerabiles Patres, conferre nos possumus ad plurimos sacerdotes, religiosos, sorores, laicos, quotidie augescentes, qui vires suas generose pro educatione catholica impendunt? Declaratio nostra, accurate a commissione exarata, animos excitabit laicorum ad scholas catholicas adiuvandas ac defendendas; consolatione ac solacio erit sacerdotibus, religiosis, laicis, qui non raro cogitant eorum apostolatum non sufficienter aestimatum esse; incitamento erit magistris laicis, quorum auxilio magis ac magis in dies indigemus in scholis nostris; ac tandem declaratio erit sollemnis con-

firmatio Ecclesiam nostrae aetatis, forsitan magis quam antea, implere velle divinum mandatum: « Docete omnes gentes ».

Ignoscatis mihi, venerabiles Patres, si de Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus loqui audeo. Declaratio enim, a Concilio approbata, gaudium sincerum afferret nostris 45.000.000 catholicorum, qui 13.655 scholas catholicas sustentant excipientes 10.500.000 alumnos in omni gradu educationis, *istis scholis* [11] praesunt *191.000* [12] sacerdotes, fratres, sorores et magistri laici.

Declaratio tandem, quae institutionem scholarum catholicarum urget ubi possibile est, multum activitatem missionariam Ecclesiae adiuvabit. Magistri laici, quorum auxilio indigemus, ut plurimae nostrae scholae vivant et *florescant* [13] sacerdotes, fratres, sorores, sentirent se revera participes fieri missionis apostolicae Ecclesiae, atque providos cooperatores esse episcoporum, sicuti iam in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* dictum est ...[14]

Venerabiles fratres, auditis ab exc.mo relatore rationibus pro convenientia huiusmodi declarationis loco propositionum quae antea paratae fuerant; atque prae oculis habito momento quaestionis educationis catholicae in mundo nostrae aetatis, suggerere audeo ut declaratio a commissione *nunc exarata a vobis Patribus benigne* [15] acceptetur, cum solida basis appareat pro felici exercitio muneris pastoralis ab hoc Concilio saepe saepius exoptati. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] die 22 aprilis a. D. 1963. [2] immortalis memoriae. [3] episcopis. [4] pro seminariis. [5] schematis. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] mihi. [10] abbatialibus. [11] quibus. [12] 191.126. [13] floreant. [14] « Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere episcopi satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem et catechisticam institutionem, quae quidem semper principem tenet locum, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis ... etc. quibus ad Christi Evangelium nuntiandum omnino oportet ». [15] de seminariis, studiis et educatione catholica exarata a Patribus.

Secretarius generalis: Notum facio exitum II suffragationis *de institutione sacerdotali*:

Praesentes votantes		1.880
Dixerunt	*placet*	1.721
	non placet	10
	placet iuxta modum	149

ergo textus est a congregatione generali probatus.

En exitum III suffragationis:

Patres qui suffragium dederunt	. . . . . .	1.966
Dixerunt *placet*	. . . .	1.808
non placet	. . . .	4
placet iuxta modum	. . . . . .	154

etiam hic textus est a congregatione generali probatus. Satis.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, feria IV, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM
DE INSTITUTIONE SACERDOTALI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema propositionum De institutione sacerdotali *

1

Em.mus P. D. MICHAEL card. BROWNE

Momentum par. 15 praescribentis ut alumni formentur secundum principia philosophiae perennis (pag. 17, linn. 32-40) est valde magnum.

Si enim alumni formarentur secundum placita alicuius philosophiae quae non esset illa perennis, seu philosophia entis realis, formarentur vel ad skepsim, vel ad aliquam formam philosophiae meri phoenomeni vel ad aliquam formam philosophiae ipsius fieri seu fluxus universalis et continui seu evolutionis absolutae.

Unde expositi essent ad periculum errorum in sacra doctrina vel forte in fide ipsa.

Ex iudicio Summorum Pontificum, praecipue recentiorum (Leonis XIII, S. Pii X, Benedicti XV, Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII, Pauli VI), inter magistros philosophiae perennis summus est Angelicus Doctor a cuius doctrina, maxime in re metaphysica, valde periculosum est, recedere.

Ecclesia suo iure divinitus dato utitur quando in documentis Summorum Pontificum et in sacris canonibus praescribit sacros alumnos formandos esse a professoribus qui philosophiam « omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem doctrinam et principia, eaque sancte teneant » (can. 1367, § 2).

Quoad modum institutionis theologicae in par. 16 propositum, consentire non possum. Ibi dicitur « singuli tractatus dogmatici ita disponantur ut *ante omnia* ipsa themata biblica proponantur; quid Patres ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia ».

Ante omnia proponatur Ecclesiae doctrina, Magisterio hausta, eaque demonstretur ex S. Scriptura et ex S. Traditione, eaque tunc exponatur et penetretur ex doctrina Angelici Doctoris.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renunciaverunt, vel disceptatio interrupta est.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

In n. 16. « Manuducantur alumni ... seiunctae, *ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino nostro expostulatam* » (pag. 18, linn. 37-41).

« Introducantur etiam ... vulgatas, *quo melius id quod boni,* Deo disponente, *habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant* » (pag. 18, lin. 42 ad pag. 19, lin. 5).

Laudandi sunt auctores huius schematis eo quod multa proficientia et sana paucis paginis enucleent. Unicam emendationem, forsitan minorem, suggerere velim, scilicet de lineis citatis. In se et abstractive sumpta, illa quae dicuntur bona sunt; attamen, actis huius Concilii consideratis, modus dicendi aliqua ex parte videtur quoad spiritum oecumenicum deesse.

Proinde propono ut schema in his lineis loquatur magis de aestimatione et comprehensione mutua fovenda quam de erroribus refellendis, magis de cooperando cum aliis ad unitatem quam de aliis iuvandis.

Desiderandum est quod schema tum institutioni tum exercitio in Oecumenismo faveat pro alumnis in seminariis maioribus: activitas oecumenica enim partem haud minimam ministerii pastoralis his diebus constituit.

3

EXC.MUS P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

Quaestio gravissima. Insufficientia sacerdotum necnon vocationum sacerdotalium in non paucis sive Europae sive Americae nationibus est una ex gravissimis difficultatibus quae, nostris diebus, evangelicae praedicationi obstant.

In ipsa aula conciliari voces nonnullorum pastorum auditae sunt, quae, suos angores exponentes, auxilia ad solutionem huius difficultatis postulaverunt.

Ad Americam meridionalem quod attinet, ipsi Romani Pontifices, praesertim Pius XII et Ioannes XXIII, hispanicos episcopos saepius et instanter hortati sunt ad hoc ut illis nationibus tam intime, tum sanguine tum lingua, sibi unitis, subvenirent.

Solutiones propositae. Ad hanc tam gravissimam difficultatem solvendam, aliquae propositiones exaratae sunt, inter quas praecipuas in memoriam revocamus:

1. Ut diaconatus tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae institueretur ita ut, iuxta competentes varii generis territoriales Episcoporum coetus, etiam viris uxoratis conferri possit.

Quin immo, etiam qui mitigationem legis caelibatus pro ipsis presbyteris innuerint, non defuerunt.

2. Ut dioeceses qui in melioribus conditionibus se gerunt egentibus voluntaria generositate succurrerent.

3. Ut normae de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut cleri dioecesani distributio facilius et efficacius reddatur.

Haec omnia, etsi ad difficultates hodiernas aliquantulum mitigandas valida sint, ad plenam problematis solutionem insufficientia iudicamus.

Aliqua solutio historica. In decursu historiae Ecclesia similes difficultates, diversis tum temporibus tum regionibus, saepius experta est. Et ad has difficultates apte solvendas media et subsidia diversa usurpata sunt.

Iam vero, quoniam historia est « magistra vitae » perutile erit illas solutiones quae magnum successum habuerunt in mentem revocare.

Unam ex iis solutionibus illam esse censemus quae in Hispania, saeculis XVIII et XIX vertentibus adhibita est.

Imminutio vocationum sacerdotalium. In Hispania, in fine s. XVIII et toto s. XIX, magna egestas vocationum sacerdotalium et consequenter sacerdotum subsecuta est.

Ut praecipuae causae assignari possunt perniciosae ideae encyclopedistarum, undequaque pervasae, labor antireligiosus sectarum et alia facta universalia, quibus in Hispania aliae luctuosae circumstantiae addendae sunt, nempe: bellum contra invasores gallicos, bella interna, et atheistica legislatio guberniorum, quae usque ad diffamationem, immo et ad veram persecutionem necnon exclaustrationem religiosorum et seminariorum clausuram pervenerunt.

Solutiones transitoriae. Anno 1792, causa magnae perturbationis socialis in eorum natione ortae, sacerdotes gallici, numero tribus circiter millibus, Hispaniam ingressi sunt. Magna cum caritate ab episcopis suscepti et ad ministerium pastorale assumpti sunt. Horum quidem labore pastorali, insufficientia sacerdotum, quae tunc iam inceperat, aliquantulum mitigata est.

Anno 1836 generalis exclaustratio religiosorum eorumque domorum expoliatio a potestatibus civilibus decreta est. Etiam tunc religiosi exclaustrati ab episcopis accepti et in curam pastoralem et alia ecclesiastica ministeria assumpti sunt. Quo quidem etiam insufficientiae sacerdotum subvenitur.

Attamen huiusmodi auxilia fuerunt transitoriae tantum solutiones ad insufficientiam sacerdotum solvendam.

Ideo aliae solutiones magis idoneae cogitatae sunt.

Indefessus labor ad vocationes suscitandas. Praeter seminaria, alia instituta ad vocationes ecclesiasticas fovendas et seligendas, iuxta circumstantias temporum et locorum, erecta sunt. Cogitabatur enim insufficientiam sacer-

dotum in futurum solvi non posse, nisi abundantia et selectione vocationum. Et hae vocationes praecipue inter pauperes inventae sunt.

Collegia pro pauperibus. Inter haec instituta tunc temporis erecta, « collegia pro pauperibus » censenda sunt, in quibus sive gratuito sive modicissima pensione, iuvenes pauperes instituebantur. Ita viam ad sacerdotium apertam invenerunt illi omnes qui ex probatissimis familiis orti et ad ecclesiasticam vocationem inclinati, ob difficultates oeconomicas, ad sacerdotium numquam pervenirent.

Ceteroquin multi ex iis alumnis, qui ex operariis et agricolis familiis saepe originem ducebant, austeritate, humilitate et paupertate educati, tum laboriositatis, tum pastoralis abnegationis necnon et penetrationis socialis, eximia exempla devenerunt.

Praeceptoriae. Nomine « praeceptoriae » veniunt cathedrae in ruralibus paroeciis per territorium dioecesanum convenienter distributae et in quibus sub ductu et magisterio alicuius sacerdotis vel alicuius probatissimi saecularis viri, studia latinitatis et humanitatis praebebantur. Magistri, vulgo « praeceptores », simul cum vita culturali et morali, vocationem sacerdotalem inter pueros tum ingenio tum moribus praestantiores, fovere enixe curabant. Alumni quidem qui signa vocationis prae se ferebant, post unum alterumve annum studiorum in seminarium ingrediebantur ad ecclesiastica studia perficienda.

Huiusmodi methodus ut efficacissima ad vocationes excitandas et seligendas inventa est. Haec praeceptoriarum saecularis institutio, in septemtrionalibus Hispaniae dioecesibus, iis nempe, quae vocationibus ditiores sunt, adhuc existit, et ex eis magna pars alumnorum seminariorum minorum proveniunt.

Collegia mixta. Ita vocabantur instituta quaedam in quibus alumni conveniebant qui sive civilia sive ecclesiastica studia prosequi in animo habebant, ita ut simul, seu « mixte », institutionem humanisticam ab iisdem magistris impertitam recipiebant. Etiam in iis institutis, tum vita religiosa et morali accuratiori, tum exemplis alumnorum qui ad studia ecclesiastica contendebant, tum denique paternalibus consiliis magistrorum, semina vocationis sacerdotalis iaciebantur. Et revera, etiam in iis domibus, probatissimae vocationes non defuerunt.

Cursus brevis. Ut velut complementum, ut ita dicam, illorum institutorum ad vocationes fovendas et seligendas erectorum, cursus brevis studiorum ecclesiasticorum institutus est, tribus annis humanitatis, uno philosophiae et duobus theologiae constans.

Pro cursu brevi seligebantur alumni: *a*) qui maiore aetate divinam vocationem sequebantur, parva institutione praediti, sed probatissimis moribus ornati; *b*) alumni nonnulli ex collegiis pro pauperibus provenientes; *c*) alumni parvi ingenii, sed qui propter suam humilitatem, eximiam pietatem et bonitatem, ad ministerium sacerdotale subeundum ut digni deputati.

Hi alumni, libris vulgari sermone exaratis sed claritate et soliditate doctrinae praeditis, a praestantissimis magistris edocebantur.

Cultura humanistica et scientia theologica quae tali institutione assequebantur, fundamentalis et solida erat et sufficiens tum ad ministerium sacerdotale digne implendum tum maxime ad catecheticam institutionem impertiendam populo rurali, ad cuius curam pastoralem praecipue destinabantur.

Cursus brevis, Ecclesiae hispanae, in tam difficillimis circumstantiis tunc temporis constitutae, magnum numerum sacerdotum praebuit qui, humilitate ac simplicitate pleni, austeritate et paupertate vitae vere exemplares, populo proximiores et in huius catechetica institutione vere efficaces et ad arduiora denique ministeria semper dispositi, fuerunt veluti instrumenta providentialia ad vitam christianam alendam et ad vocationes ecclesiasticas fovendas et seligendas. Et non defuerunt ex iis sacerdotes nonnulli qui propter suam prudentiam et eximiam virtutem ad altiora munera implenda nuncupati sunt.

Conclusio. Sub luce huius solutionis historicae qua insufficientia vocationum in iis circumstantiis, magno quidem cum exitu, superata est, innuitur utrum in illis regionibus ubi sacerdotes numero sufficienti desunt, excogitari possit convenientia creationis institutorum similium — mutatis mutandis — apta ad vocationes efficacius fovendas et ad sacerdotes breviori tempore efformandos.

Petitur ergo, ut competentibus varii generis territorialibus episcoporum coetibus, facultas tribuatur ut, si necessitas ferat, similes solutiones in praxim deducere valeant.

4

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusius in Cypro

In textu, sub n. 2, ubi agitur *de Vocationibus Sacerdotalibus instantius fovendis,* in fine articuli legitur: « Opus fovendarum vocationum fines singularum dioecesium, nationum atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios ».

Visio seu perspectiva universalis huius formulae, in se, in abstracto, apparet optima, inquantum transcendit fines dioecesium, nationum et etiam rituum, quoad selectionem vocationum sacerdotalium. Haec bonitas tamen, in concreto, ex fructibus diiudicanda est. Transcendentia enim finium ritus cum magna cautela sumenda est.

Usus communis huius termini « Ritus », in documentis ecclesiasticis et hic in schematibus Concilii, secumfert duplicem sensum.

Quandoque significat complexum Liturgiae, administrationis sacramentorum et sacramentalium, Divini Officii proprii alicui Ecclesiae particulari. Hic est sensus proprius et strictus. Quandoque autem significat ipsam Ecclesiam particularem quae utitur hac Liturgia, quae habet etiam disciplinam et

spiritualitatem propriam et regitur sub ductu proprii Patriarchae. Ita saepe saepius quando agitur de Ecclesiis Orientalibus, vel etiam de Ecclesia Occidentali contradistincta per ritum proprium et disciplinam propriam, ab Orientali.

In textu praecitato certe sumitur « ritus » hoc ultimo sensu potius quam priore sensu.

Hac acceptione, visio illa universalis seu *dilatatio cordis* praefigurata in textu, potest evadere et evadit, absque dubio, nociva vitae ecclesiali et evolutioni Communitatum Ecclesiarum Orientis, nisi intelligatur *sensu unilaterali, non autem reciproco,* scl. vocationes conscribendae seu reclutandae sint, *sub hac visione universali,* inter fideles ritus Occidentis pro Oriente, mutatione ritus originis et debita formatione sacerdotali in ritu assumpto et submissione hierarchiae eiusdem Ecclesiae particularis cuius in vinea adlaborare debet.

Secus, admissa reciprocitate sive inter ritus ipsos orientales, sive inter aliquem ritum orientalem et latinum, effectus illius textus erit vel terminabitur per absorptionem debilioris a fortiori parte. Ratio cur S. Sedes tuita est iura et fines rituum hucusque.

Tanta liberalitas in hoc campo absque dubio inducit confusionem. Omnino est antioecumenica. Eo vel magis quod non paucae ex Communitatibus Orientalibus, iniuria temporum versantur in emigratione in regionibus Occidentis, ubi fortior adhuc est attractio. Adeo ut, si textus ille remanet prouti est, ipso facto creatur systema aliquod, quod vocarem italice *pompa aspirante,* qua pars debilior absorbetur a parte fortiori.

Quoniam textus intendit « illis regionibus auxilium afferre, ubi vinea Domini instantius advocat operarios », deberet potius creare pro Oriente systema *vasium communicantium;* vas quod plus possidet fidelium et vocationum, communicet alteri quod minus habet.

Conclusio: Aut supprimendus est a textu terminus « ritus », ita ut fines inter ritus quoad vocationes sacerdotales in statum pristinum restituatur iuris, iuxta disciplinam traditionalem Ecclesiae; aut, si haec abrogatio finium ritus remanebit in textu, applicetur exclusive pro solo ritu occidentali, omnino *unilaterali sensu.* Oriens Christianus, hodie et forsitan perdiu adhuc, manebit in conditione egestatis *Tertii Mundi* cui fraterne adiuvandum est; est de facto in conditione viduae unius numismatis, cui auferre illud unum quod possidet, nonne erit spoliatio authentica?

5

Exc.mus P. D. HENRICUS ANGELELLI CARLETTI

Episcopus tit. Lystrensis, aux. Cordubensis in Argentina

Argumentum *de Institutione sacerdotali,* est maximi momenti ut iam, pluries, dictum fuit in hac aula.

Etenim: 1) Si dicitur: « nihil sine Episcopo », etiam dicendum, nihil sine sacerdotibus, ut audivimus in hac aula.

2) Concredita est missio, etiam sacerdotibus, cum Episcopo et sub Episcopo, munerum: *docendi-sanctificandi-regendi* Populum Dei, et Praeconium Paschale nuntiandi Mundo Hodierno.

3) Constitutiones, Decreta et Determinationes Concilii, non solum Episcopis, sed etiam sacerdotibus, opus est in exsecutionem mandarent, ad hoc ut non fiant littera mortua, sed generent vitam et quidem abundantem.

4) Munus erit sacerdotum efformandi Communitates Christianas et laicos apostolicos et missionarios, testificantes vultum evangelicum Ecclesiae Christi. Ut sint vere praecones Evangelii Christi — homines Dei et homines hominum.

Sed quaeritur: Seminaria et Instituta Religiosorum efformandi sacerdotes, hodierna die, sunt, revera, apta, ad procurandos tales sacerdotes? Id est, sacerdotes Ecclesiae et Societatis Vaticani Secundi? Sincero animo, debemus dicere quod gravibus difficultatibus subiiciuntur in suis structuris et methodis.

Opus peractum a Concilio Tridentino, in suo Decreto *de Seminariis,* certe laudandum esset a nobis Patribus Conciliaribus. Sed conditiones temporum mutatae sunt. Requiruntur, hodie, Seminaria quae respondeant iis scopibus Concilii Vaticani, prae oculis habendo experientiam et sapientiam temporis elapsi, ut possimus esse fideles muneribus pastoralibus in mundo hodierno.

Aliquae considerationes et propositiones. 1) Seminarium efformare debet sacerdotem, in diversis aspectibus, humano, intellectuali, spirituali et pastorali, ita ut eius mentalitas et personalitas sacerdotalis efformetur, non a solis categoriis fundamentalibus valorum absolutorum, permanentium et aeternorum, sed etiam, a categoriis relativis, temporis et spatii, incarnationis, adaptationis et progressus. Ipsum Verbum Aeternum sese accommodavit etiam iis categoriis in Eius Incarnatione et in Opere Redemptionis. Concilium Vaticanum II, est verum testimonium de hac re, qui manifestare vult, Ecclesiam Aeternam, mundo hodierno sese accommodando ad intra et ad extra.

2) Loquimur frequentissime de dialogo. Sed valde difficilis est. Defectus dialogi in Ecclesia, habetur, multoties, ex ipsa formatione seminariorum et Institutorum Religiosorum. Datur efformatio satis individualistica, et in conceptione Ecclesiae et societatis, potius in aspectu statico quam dynamico fundata.

3) Hac de causa humiliter propono: si unum esset sacerdotium, qui exercendum erit in unitate actionis apostolicae unius Presbyterii, cum Episcopo, a seminaristis et alumnis religiosorum:

a) Praebere formationem, in conceptione *unitatis,* solidis fundamentis, fundatam a Scriptura Sacra, Patribus et Theologia. Creare verum et actuosum sensum Communitatis, humanae, christianae et sacerdotalis.

b) Fovere *conventus,* frequenter, inter seminaristas et alumnos religiosorum ita ut, ab annis formationis, vincula unitatis in caritate fundentur;

conscii sint, eumdemque sacerdotium adepturi, quamvis exercitium, diversis responsabilitatibus erit in Populo Dei. Initietur dialogus vere humanus, christianus et sacerdotalis, quia necessarium esset in vita apostolica.

c) Unitas formationis et orientationis in omnibus suis diversis aspectibus, fiat modo unitario a moderatoribus et professoribus, prae oculis habendo: Christus Pastor et Mediator inter Patrem et Homines.

d) Foveantur Conventus, et quidem frequenter, a moderatoribus et professoribus Seminariorum et Institutorum Religiosorum, ut intimius penetretur sensus ecclesialis et pastoralis vitae sacerdotalis in unico presbyterio. Vincula unitatis in caritate firmentur; criteria spiritualia, intellectualia, pastoralia et humana, elucidentur et uniformentur. Semper prae oculis habendo bonum totius Ecclesiae.

e) Necessaria est, ad optimum munus fungendum, praebere Seminaristis, testimonium permanens, viventis verae communitatis sacerdotalis, moderatorum et professorum. Seminaristae reclamant a suis moderatoribus, ut sint patres, amici. Fiducia apud illos clima familiae creari debet, vera consideratio earum personarum. Ne timeatur quod amittitur auctoritas, si fecunditas paternitatis elargiatur erga eos, et instauratur dialogus fecundus, sacerdotalis, intimus, patris cum filio, inter moderatores et seminaristas.

f) Tota Communitas Seminarii, centrum et fons unitatis in caritate inveniri debet in celebratione eucharistica, testificans, Seminario et Dioecesi, existentia autentica communitatis in Mysterio Paschali fundata. In hac viventia communitaria, efformarentur sacerdotes ad actuosam et veram unitatem Presbyterii in vita pastorali.

3) Firmetur criterium, ne erigantur seminaria maiora, ubi desunt copia moderatorum et numerus sufficiens seminaristarum, ad optimum munus fungendum. Curetur seligendi moderatores et professores ex optimis sacerdotibus, et si necessarium sit, ex diversis dioecesibus, quamvis relinquatur provisio alicuius officii ecclesiastici. Curetur eorum praeparatio sacerdotalis, intellectualis, pastoralis etc., in Institutis et Universitatibus, etiam statalibus.

4) Non invenitur integralis solutio problematum sacerdotum, praesertim iuniorum, *anno,* sic dicto, *pastorali*; requiritur tota efformatio sacerdotalis quae elargitur, habeat, modo immanenti, sensum pastoralem, in diversis suis aspectibus formationis, immo, ab initio philosophiae, ita ut vere Pastor Populi Dei efformetur.

5) Requiritur ut clarificetur melius finis Seminarii Minoris. Etenim, multoties, impostatio totius formationis fit, primarie, ex aspectu sacerdotali, secundarie, ex aspectibus humano et christiano. Frequenter, ex ista impostatione, oriuntur crisis in ipsis alumnis philosophiae et theologiae, quia deest maturitas humana et christiana. Immo, problemata in ipsa vita caelibataria sacerdotali oriuntur, ex defectu maturitatis et necessariae relationis humanae in ipso Seminario, et Minore et Maiore.

6) Schema deberet clariore modo praesentare omnia elementa formationis, in relatione ad Christum, ad Episcopum, ad Presbyterium, ad Populum

christianum, ad mundum hodiernum, ut inveniuntur in schemis *de Ecclesia, de Ecclesia et mundo hodierno,* in constitutione *de liturgia,* ut appareat, vere, Homo Dei et Homo Hominum.

7) Humiliter propono ut constituantur commissiones in unaquaque Conferentia Episcopali, ut sint auxiliares Episcoporum, circa institutiones sacerdotes efformandi. Adsint: Episcopi, Moderatores Seminariorum et Institutorum Religiosorum, theologi, sacerdotes ex vita pastorali degentes, iuristae, psychologi, sociologi, laici periti, et praesentia familiae.

Conclusio: Detur facultas conferentiis episcopalibus, ad experientias faciendas in earum seminariis, ita ut inveniri possint lineamenta et fundamentales orientationes seminariorum, quae requiruntur hodierna societate et Ecclesia Vaticani II; etiam extra structuras classicas.

6

EXC.MUS P. D. FERNANDUS AZCÁRATE DE ANDRADE

Episcopus tit. Cefalensis, aux. S. Christophori de Habana

Admodum placet quod in hoc schemate, sub numero 6, cum agitur de selectione candidatorum ad Sacerdotium, expressa mentio fiat de eorum necessaria *valetudine psychica.* Desideratur tamen, attento praesertim fine pastorali huius Sanctae Synodi, atque eius intentione procurandi illud quoddam sic dictum « aggiornamento », ut verbum quoque dicatur de mediis psychologicis ad idoneitatem psychicam discernendam. Liceat nobis, quaeso, de hac re agere, atque imprimis *de momento* idoneitatis psychicae in candidatis ad Sacerdotium, postea vero de ipsa investigatione psychologica, immo et psychiatrica ad illam discernendam.

Ad primum quod attinet, nemo est qui non videat momentum quaestionis. Sane scientia et experientia ducti affirmare non veremur, unam ex praecipuis causis tot a vocatione defectionum, tam tempore studiorum in Seminariis, quam post ipsas Ordines susceptas, — quod quidem multo magis dolendum est —, in eo reponendum esse, quod defuerit in candidatis illa idoneitas psychica, illud « aequilibrium emotionale », uti dicitur, quod in vocatione sacerdotali, magis quam in omni alia vocatione, exigendum videtur. Pro certo quidem habendum est, quod ii qui morbo laborant psychico cuiuscumque sit generis, sive « psychotico » — ut terminis utamur technicis —, sive « neurotico », immo et qui sic dictis « conflictis » laborant psychologicis, praesertim si sint indolis sexualis, omnino non sunt apti ad vitam sacerdotalem. Nemini autem fugit, quam late huiusmodi psychicae deordinationes nostris praecise temporibus pateant.

Quae cum ita sint, cur non accurrendum, venerabiles Patres, ad rite examinandas vocationes etiam sub luce modernarum scientiarum Psychologiae et Psychiatriae?, cur non investigatio vere scientifica ad idoneitatem psychicam candidatorum instituenda? Certe de hac re non semel Sancta Sedes

locuta est. At cum tot adhuc grassentur praeiudicia contra modernas illas scientias, verbum putamus de hac re in schemate nostro includendum esse.

Fatendum quidem est scientias illas esse novas, immo et periculis plenas, nisi ipsae caute et a viris vere peritis adhibeantur. Nemo autem qui eas revera calleat dicere auderet, non esse iam nunc temporis aptas ad auxilium nobis praebendum, et quidem maximum in hac re. Non utique quod per illos sic dictos « tests » psychologicos, vocationem « detectare » — sit venia verbo — possimus. Nemo sane est qui per illos « tests » vocationem ipsam « detectare » intendat. Vocatio enim sacerdotalis ad ordinem spectat supernaturalem. Attamen non adeo ut non simul importet elementum quoque naturale, idoneitatem scilicet physicam et psychicam. Quodsi ad discernendam idoneitatem physicam licet accurrere ad Medicum sic dictum Clinicum, seu in Medicina Generali peritum, et ad media et instrumenta Medicinae Organicae propria, cur non ad Psychologum et Psychiatram, si viri periti et honesti sint, immo melius et catholici, et ad media et instrumenta Psychologiae et Psychiatriae propria, ad discernendam idoneitatem psychicam candidatorum? Eo vel magis, quod ex illa investigatione pluries praeterea falsae subconsciae motivationes elucere possunt.

Sunt profecto qui dicant, quod per illos « tests » psychologi et psychiatrae eruere possunt, et nonnunquam de facto eruunt, quoscumque velint morbos, quascumque velint abnormalitates. Utique, Venerabiles Patres, non pauca peregrina ac disparata dicta et facta sunt nomine Psychologiae et Psychiatriae. At non a viris honestis et peritis. Utique « tests » illos quid obscurum apparent, ac difficilis interpretationis. At nonne idemque obscurum quid sunt, lucibus et umbris complexae, sic dictae « radiographiae ». Nemo tamen dicere auderet, istae « radiographiae » nullum reportare adiutorium sanae Medicinae. Iam vero, « tests » psychologici sunt ad Psychologiam et Psychiatriam, quod « radiographiae » ad Medicinam Clinicam: pro nobis quidem obscurum quid, pro peritis vero adeo clarum, ut ipsi ex illis diagnosticum exactum educere possint.

Venerabiles Patres, nolo interventioni meae finem imponere, quin verbum quoque dicam de momento harum scientiarum pro munere pastorali sacerdotum. Est qui iam in hac aula de hac re locutus sit. Sed momentum quaestionis nos urget, ut prout in nobis est, iterum de illa, etsi breviter, loquamur. Certo nos nullo pacto evenire debemus psychologi vel psychiatrae in iuvandis animis. Sacerdotes simus oportet, non aliud. Attamen callere quantum fieri potest has scientias, atque illis uti in directione spirituali animarum, nos procul dubio aptiores redderet ad nostrum munus pastorale exercendum, saltem ut casus normales a pathologicis distinguere, in iisque cum psychiatris cooperare, in normalibus denique efficacius procedere possimus. Ideo illas includi proponimus sub n. 20 nostri schematis, ubi agitur de disciplinis auxiliaribus ad institutionem pastoralem futurorum sacerdotum. Nec tantum disciplinam psychologicam, uti iam in textu apparet, verum etiam psychiatricam. Non quod munus pastorale reducere velimus ad com-

mentum quoddam mere naturalisticum. Certo certius primas partes in hac re semper habebunt principia supernaturalia nostrae Asceticae Christianae. At modernae illae disciplinae psychologicae et psychiatricae eousque evolutae iam sunt, ut auxilium efficax praestare possint sacerdotibus in directione spirituali animarum. Sic dicti « dynamismi » seu « mechanismi » psychici revera iidem sunt in casibus normalibus atque in abnormalibus, etsi modus illorum procedendi sit diversus. Scire ergo quomodo mechanismi illi procedant in casibus pathologicis, maximae utilitatis erit ad plene cognoscendos, et efficacius dirigendos, casus normales.

Conclusio: 1) In n. 6 schematis aliquomodo inseratur, suggerimus, paragraphus his vel similibus verbis exarata: « Ad hanc autem psychicam idoneitatem discernendam accurrere oportet, prout casus id exigat, ad psychologos et psychiatras, viros honestos, immo et si fieri potest catholicos, atque in eorum scientiis vere peritos ».

2) N. 20 sic redigi potest: « Subsidiis quoque uti edoceantur, quae disciplinae tum paedagogicae, tum psychologicae et psychiatricae, tum sociologicae, afferre valent ... », etc.

7

Exc.mus P. D. IOSEPH BÁNK

Episcopus tit. Materianensis, aux. Iaurinensis

Inde a 20 annis doceo in quadam Facultate Theologica, ideo ea quae dicturus sum, ex propria experientia hauriebam.

I. *Circa formam externam schematis.* Multi iam hac in aula dixerant quam necessarium sit educationem cleri iunioris innovare, immo reformare. Hae autem modestae propositiones quas prae manibus habemus, vix ad hunc finem assequendum sufficientes videntur. Neque obliviscendum est, executionem legum ab hoc Sacro Concilio latarum iuste meritoque a sacerdotibus iunioribus expectari. Ideo humillime propono, venerabiles Patres, ut unanimi voto decernatis — legislatores enim estis — ut *loco harum propositionum* Decretum speciale conficiatur a competenti commissione de institutione clericorum, seu nova quodammodo edatur constitutio seminariorum. Ita maiorem vim et auctoritatem habebunt ea, quae hac in re decernuntur.

II. *Circa materiam schematis haec sunt notanda.* Textus emendatus longe perfectior est quam primus, ideo Commissio laudem meretur. Tamen liceat quaedam addere.

Ad n. 2 de penuria vocationum. Nobis sciendum est, opus vocationum non tantum ad familias atque ad fideles nostros pertinere, verum nostrorum sacerdotum esse ut ita dicam munus sanctissimum atque personalissimum. Maximi ergo momenti esset, puto, si ex hoc Sacro Concilio motus quidam universalis seu aemulatio sancta ortum sumeret, secundum quem nemo sacerdos

ex seminario egressus suum locum ibidem vacuum relinquat, et semper se inquietum sentiat, quosque huic sacro officio satis non fecerit.

Si enim quilibet nostrum unum tantum iuvenem misisset in seminarium, non esset penuria clericorum. Haec sancta aemulatio et responsabilitas pro futura vocatione, iam ipsis seminaristis implantari debet.

Ad n. 5 de educandis educatoribus: schema optime dicit moderatores seminarii ex optimis viris ecclesiasticis seligendos et apte praeparandos esse. Sed non dicit quomodo. Iuvenes domum relinquentes paternam, in seminario vitam revera familiarem inveniant oportet, idque maxima ex parte ab ipsis educatoribus dependet. Sed ad hoc munus omnino speciale, ipsi educatores educandi sunt. Ergo humillime propono ut pro superioribus Seminarii imprimis vero pro *directore spirituali,* de quo schema proh dolor silet, speciales cursus instituantur, quibus absolutis, in theologia spiritualitatis, in psychologia, psychopatologia, paedagogia etc. documentum quoddam seu habilitatem obtinebunt ad munus directoris spiritus etc. exercendum. Electio ceterum superiorum methodo scientifica fiat. Maximi momenti est ut munus superioris non sit munus quoddam accidentale vel secundarium. Superiores ergo, qui in omnibus alumnis exemplo sint oportet, ab omnibus aliis muneribus releventur, ut se *totos et indivisos* seminaristis educandis tradere valeant. Sint praetera magis patres, quam domini eorum, caritate, humilitate spirituque sacrificii praediti, quorum in manibus alumni sine timore et tremore vitam suam plena fiducia ponere valeant. Sint praeterea inter se concordes, perpetuo novam, perfectiorem, efficacioremque educandi formam quaerentes, ut ad imaginem Christi revera zelosi sacerdotes educentur.

Ad n. 8 de institutione spirituali seu de pietate colenda.

Iuvenes ad sacerdotium vocati duabus vicibus mentis perturbationem, seu crisim quandam patiuntur. Primo ingredientes in seminarium, secundo egrediendo ex eodem. Superiores falso saepe supponunt, iuvenes ex familiis et circumstantiis christianis venire in seminarium et hac falsa suppositione ducti statim ad vitam supernaturalem aedificandam manus admovent. Venerabiles Patres veritas haec est. Pueri maxima ex parte inde a tenerrima aetate sub influxu modernae communicationis instrumentorum subiacent (vulgo radio, film, televisio, etc.) et ideo in eorum conscientia omnino specialis infrastructura oritur, eaque laicisata seu saecularisata. Seu radix ipsa in istis pueris non amplius christiana sed saecularisata est. Ergo in iuvenibus qui in seminarium ingrediuntur primo haec infrastructura transformanda est, seu humus pro fructibus praeparari debet. Ideo valde necessarium foret, sicut iam a quodam Patre insinuatum est, ut in quolibet seminario (vel pro pluribus unus) novitiatus quidem vel Introductio in vitam spiritualem per trimestre vel per semestre institueretur, ubi alumni ad vitam spiritualem praepararentur (oratio, meditatio, spiritualitas, ascetica etc.). In primis virtutes naturales excolendae essent, sicuti iam Beatissimus Pater edixerat; clericus sit primo *totus homo,* ut dein *totus sacerdos* fieri possit. Gratia enim supponit naturam et quidem sanam. « Honeste vivere, neminem laedere, suumque cuique

tribuere » etiam sacerdotibus necessarium fundamentum est ad supernaturale conficiendum.

Ad n. 8 de obedientia: Omnibus notum est, spiritum obedientiae et reverentiae in iuventute fere ubique terrarum valde desiderari. Iuventus independens, autonoma omnino fieri contendit. Hac occasione notare velim, mihi valde displicet ille sensus quidam anti-iuridicus, immo quandoque despectus iuris, qui in his ultimis annis proh dolor etiam a theologis haud parvi ponderis scripto et verbo praedicatur.

Hic modus agendi — nemo non videt — persaepe ad laxismum immo ad disciplinam ecclesiasticam labefactandum conducit. In novissima constitutione de Ecclesia recte extollitur indoles pneumatica et eschatologica Ecclesiae, sed obliviscendum non est, ius ad ipsam essentiam visibilitatis Ecclesiae pertinere, Ecclesiamque caritatis et iuris *eandem* esse Ecclesiam. Sine obedientia et disciplina nunquam erimus « acies bene ordinata ».

Hucusque dicta reassumendo: Seminarium modernum sit non hortus conclusus altissimis muris circumdatus, neque turris quaedam eburnea, sed revera domus paterna, ubi iuvenes mente et corpore sani a Deo vocati, in spiritu abnegationis et caritatis ad servitium populi Dei huius temporis aptissime praeparantur.

Ad nn. 14-17 de studiis theologicis. Propositiones humiles:

1. Recta sit proportio inter theologiam speculativam et positivam. Quaestiones hucusque traditae revideantur. Historia utique necessaria est, sed loco earum rerum, quae nonnisi reminiscentiae sunt anteactorum saeculorum fusius tractentur problemata huius temporis.

2. In omnibus disciplinis theologicis rite determinetur, quid sit necessarium seu essentiale, quid sit vero accidentale, neque alumni *superfluis* iniuste onerentur.

3. In disciplinis confinibus recta ratio adhibeatur. Sunt enim quaestiones quae nullibi, aliae vero tribus quoque in locis et quidem diverso modo, traduntur.

4. Etiam scientiae naturales quae cum theologia relationem habent, apte doceantur.

5. Praeter linguam latinam et graecam alumni unam saltem linguam vivam, praeter maternam modo obligatorio discant, ut scientias sacras colere et cum Ecclesiae diversis partibus communicare possint. Valde utile esset si inter diversarum nationum seminaria amicalis quaedam relatio foveretur et ad linguam discendam tempore vacationum alumni ad invicem mutuo mitterentur.

6. Theologia pastoralis ubique disciplina principalis evadat, in qua decreta huius Sacri Concilii et praesertim problemata huius temporis scientifice et practice docentur.

Eloquentia sacra seu Homiletica in quolibet Seminario principalem obtineat locum; in quolibet anno praelectiones et exercitationes sint ex hac materia, ita ut curriculo transacto Seminarii, iuvenes sacerdotes, non solum

disciplinis sed etiam arte loquendi optime praediti exire valeant. In hoc sollemni conventu id quoque nobis observandum est, verbi Dei praedicationem ubique terrarum in maximo discrimine versari, cum ratione formae, tum ratione materiae.

Coram Deo et hominibus responsabiles sumus ut verbi Dei praedicatio quae non semel maxima possibilitas fidem praedicandi existat, in pristinum splendorem restituatur, eo vel magis quia Constitutio de sacra Liturgia praescripsit ut homilia habeatur in qualibet missa. Conveniens igitur esset ut a S. Concilio vel alia auctoritate decretum quoddam ederetur de hac re maximi momenti. Id quoque inculcandum esset ut ordo quidem praedicandi in parochiis introduceretur, et transacto v. g. triennio principaliores doctrinae fidei et morum apte fidelibus traderentur.

Ad n. 22 « de institutione post seminarium »:

Iuvenes sacerdotes e seminario egressi ulterius curae episcoporum sint oportet, in vita spirituali et intellectuali.

a) *In vita spirituali:* In qualibet dioecesi constituatur director spiritus generalis, forsan a sacerdotibus ipsis libere electus et ab episcopo confirmatus, qui ter quaterve in anno visitabit iuvenes sacerdotes, cui ratio reddenda erit de vita spirituali (meditatio, confessio etc.). Huius directoris spiritus erit porro iuvenes in fluctibus vitae iactantes exhortari, fortificare, et consolari. Maximi est momenti ut iuvenes sacerdotes ne sentiant se esse solos et derelictos. Etiam episcopus semel saltem in anno personaliter loquatur cum illis tanquam pater cum filiis.

b) *In vita intellectuali:* Sacerdotes qui nondum quindecim annos ordinati sunt, quolibet *saltem* triennio cum sacris forsan exercitiis spiritualibus cursibus specialibus interesse debeant in quibus quaestiones recentissimae disciplinarum theologicarum earumque methodi novae atque litteratura necnon quaestiones pastorales et vitae spiritualis a competentibus magistris traduntur.

Concludo: Novus sacerdos, Ecclesiae sit revera missionarius pietate et scientiis bene praeditus. Nam scientia sine vita clericum arrogantem superbumque reddit, vita vero quandoque exemplaris sine scientia eundem inutilem facit.

8

Exc.mus P. D. ALFONSUS GERARDUS BANNWARTH
Episcopus Suessionensis

Propositiones de institutione sacerdotali in genere placent. Quamvis enim earum textus valde reductus sit, tangunt non solum ad quaestiones principales, sed et conceptae sunt in spiritu sat aperto et universali ut diversis conditionibus locorum et temporum accommodari valeant. Attamen, si in specie respiciantur, saepius apparent ut nimis generales, insufficienter fundatae et

aliquos aspectus vitales non satis in lucem ponentes. Quare debent, mea humili sententia, in pluribus compleri et perfici. Dum varias emendationes scripto tradam secretariatu, liceat mihi hic ad quatuor tantum puncta, maioris momenti, animum intendere.

1. *De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis.* Hic titulus paragraphi secundi apparet quidem ut valde conveniens, sed ipse textus eiusdem paragraphi, meo sensu, absolute insufficiens est. Nam quasi nihil habet de instanti necessitate vocationes sacerdotales fovendi nec sat ample et profunde de modo et mediis quibus promoveri debent loquitur. Et tamen agitur hic de quaestione urgentissima a cuius solutione progressus Ecclesiae in mundo maxime pendet. Nonne pluries audivimus in hac aula, in praesenti sessione sicut et in praecedentibus, quam parvus sit numerus sacerdotum tam in quibusdam partibus Europae quam praesertim in regionibus longinquis Africae, Asiae et Americae meridionalis? Nonne — quod prima vice tam clare docetur — episcopi vi suae consecrationis et insertionis in collegium episcopale responsabilitatem pastoralem habent non solum incrementi Ecclesiae in suo proprio territorio, sed et in universo mundo, ita ut solliciti esse debent, et quidem ex officio, non tantum de sufficienti numero vocationum sacerdotalium pro sua dioecesi, sed et pro tota Ecclesia? Nonne etiam scimus quod, etsi apostolatus laicorum totis viribus promovendus sit et nobis spem praebeat pretiosissimi auxilii, requiruntur tamen semper, et ad provectum huius apostolatus confirmandum, et ad opus salutiferum Ecclesiae complendum sacerdotes magis magisque numerosi? De facto omnia quae hucusque in nostro Concilio dicta sunt de missione Ecclesiae, de promotione laicatus christiani, de efficaci pastoratione dioecesium maxime pendent a numero et qualitate sacerdotum, et quidem ultimo a numero et qualitate vocationum sacerdotalium. Atqui hoc in nostra paragrapho secunda, tanquam ratio et incitamentum instantis et universalis conatus ad vocationes fovendas, explicite dici deberet.

Explicite etiam affirmandum esset quod, si missio a Christo Ecclesiae suae tradita tam arcte cum sacerdotio connectitur, Deus non potest in sua Providentia, saltem si res in universim consideratur, non praebere vocationes sacerdotales sat multas ut necessitatibus huius missionis efficaciter obveniri possit. Sub hoc respectu speciatim insistendum esset in eo quod, ex parte Dei, vocationes quidem adsunt plurimae, saltem in potentia, quae vero, ut in actum transeant vel ad suum finem perveniant, data debilitate humana et influxu mali, egent auxilio et sustentaculo Ecclesiae circumstantis.

Unde consequitur — et hic aspectus fortissime extollendus est — quod Ecclesia tam universalis quam dioecesana summe curare debet ut omnibus mediis conditiones optimae adimpleantur quae stimulent et adiuvent vocationes sic in germine existentes. Inter haec media imprimis notanda sunt: vitalitas profunda et irradians communitatum christianarum nostrarum — labor constans ut omnes christiani solliciti fiant de vocationibus fovendis, speciatim ii qui, sacerdotes, laici seu religiosi, in aliquo campo responsabili-

tatem apostolicam tenent — coniunctio simul et coordinatio omnium ministeriorum in dioecesi, sive quoad pueros et iuvenes, sive quoad adultos cuiuscumque status socialis, ut communi conatu provectus vocationum intendatur. Sed ut hoc fieri possit, requiritur in omnibus dioecesibus actio intensiva et systematica, in sana doctrina vocationum fundata et hanc ipsam doctrinam diffundens, qua tota pastoratio in omnibus suis gradibus et campis imbuenda est. Requiritur quod gallice dicitur: une pastorale des vocations. Quae vero vix institui potest sine aliquo organismo centrali, ut est v. g. commissio dioecesana vel centrum dioecesanum vocationum cui incumbat totam hanc actionem sustentare per universam dioecesim et omnia instituta pastorationis dioecesanae. In pluribus dioecesibus talis organismus iam existit, sed necesse esset in hoc schemate eius institutionem postulare pro Ecclesia universali.

Etiam quod dicitur in nostro textu de familia christiana et de testimonio sacerdotali, nimis generale et breve est. Deberet imprimis notari quod familia non solum spiritu christiano imbuenda est, sed et quod parentes officium habent pueros adiuvandi ut suam vocationem propriam, speciatim si adsint signa vocationis sacerdotalis, attingere possint. Et quoad testimonium sacerdotale insistendum esset ut quam optime puerorum et iuvenum profundissimis aspirationibus generositatis, doni totalis et vitae summe fructuosae respondeat.

Venerabiles Patres. In hac paragrapho se nobis offert occasio gratissima ut problema acutissimum de vocationibus sacerdotalibus fovendis — a quo, ut scimus, tanta pendent pro vita Ecclesiae — pressius et profundius consideretur. Sumatur proinde haec occasio et compleatur textus ita ut, expositione ampliore tam urgentiae quaestionis quam remediorum pro eius solutione, actioni universali ad vocationes fovendas novum et ingens stimulum dare valeat.

2. *In par. III, De Seminariorum maiorum ordinatione,* n. 4 bene evolvitur finis essentialiter pastoralis totius institutionis sacerdotalis. Attamen in duobus punctis numerus iste perficiendus videtur.

1) Ut finis pastoralis institutioni assignatus non appareat nimis theoreticus et abstractus, explicite affirmandum est — forse in fine numeri 4 — quod tota alumnorum formatio hic descripta debet intime esse coniuncta cum problematibus et necessitudinibus mundi et hominum quibus ut pastores mittendi sunt. Unde requiritur ut eis simul praebeatur cognitio sat lata et apta sive conditionum mundi sive mentalitatis hominum sui temporis.

2) Ipse modus loquendi in aliquibus perficiatur. Sed emendationes de hac re scripto secretariatui tradam.

3. *In eodem par. III, De Seminariorum maiorum ordinatione,* n. vero 5 ubi tractatur de moderatoribus et magistris, quaestio est tantummodo — et hoc modo valde brevi et generali — de eorum selectione et praeparatione. Ne verbum quidem invenitur — quod est valde mirum — de eorum functione et officio.

Nihil speciatim de eorum necessaria unanimitate, quoad lineas fundamentales, relate ad alumnorum formationem tam intellectualem quam spiritualem et pastoralem. Nihil de eorum communitate actionis et mutuae cooperationis — de coordinatione conatuum et activitatum uniuscuiusque ad communem finem assequendum.

Nec aliquid dicitur de necessitate et qualitate relationum — quae tamen maximi momenti sunt — inter moderatores seu directores et ipsos alumnos; nihil praesertim de modo et spiritu quibus isti ab illis adiri debent — omnino nihil de tam necessario dialogo.

Denique nec allusio quidem habetur — immo haec perspectiva totaliter a schemate abesse videtur — ad relationes quae omnino excoli debent inter seminarios eorumque moderatores et eos qui, sacerdotes seu laici, cum episcopo responsabilitatem pastoralem dioeceseos participant. Nam seminaria, quamvis certe adsint exigentiae studiorum et silentii, non possunt, praesertim hodierno tempore, esse instituta in se clausa et separata a vita vel activitate pastorali pro qua praecise in eis formatio valida et apta danda est.

Quomodo enim fieri posset ut, dum tam in schemate *de Ecclesia* quam in illo *de pastorali episcoporum munere* firmissime insistatur in necessitate laboris sacerdotalis communis, hic, ubi explicite tractatur de formatione futurorum sacerdotum, nihil dicatur de relationibus et labore communi, sive directorum Seminariorum inter se, sive cum aliis, sive etiam cum illis qui extra Seminarium responsabilitatem dioecesanam pastorationis portant!

4. *Agitur de art. IV: De institutione post seminarium perficienda.* Tangitur hic quaestio gravissima quae vero in nostro textu n. 22 duodecim dimidiatis lineis absolvitur: quod omnino insufficiens videtur.

Certe modi concreti quibus sacerdotalis institutio post seminarium perficienda est, secundum nationes vel regiones diversi erunt et, qua tales, ut recte dicitur, coetibus episcoporum determinandi relinquuntur. Sed sunt tamen quaedam communia de quibus in nostro textu longius et praecisius loquendum esset.

1) Deberentur, saltem summatim, indicari rationes principales cur, in recentioris societatis adiunctis, institutio sacerdotalis post seminarium tantum momentum habet: scilicet, mutatio civilisationis profundissima, transformatio generalis habitudinum hominum inter se et relate ad mundum, pondus materialismi simul ac saecularisatio magis magisque progrediens, mobilitas, instabilitas et insecurantia vitae hodiernae: quibus omnibus vita sacerdotalis non potest, saltem aliquomodo, non affici.

2) Quoad ipsam institutionem sacerdotalem post seminarium, tres aspectus, ut mihi videtur, considerandi sunt. Et de tribus aliquid in nostro textu, saltem breviter, dicendum esset. Nempe

a) De maxima sollicitudine qua provideri debet ut in primo munere ad quod neo-sacerdos nominatur, inveniat apud sacerdotem vel sacerdotes confratres sustentationem moralem et spiritualem quae ei transitum

inter seminarium et vitam pastoralem in mundo faciliorem et fecundiorem reddat.

b) De speciali complemento formationis quod magis magisque hodiernis temporibus ubique curandum est, sive pro neo-sacerdotibus et sacerdotibus iunioribus, sive pro adultioribus et aetate magis provectis.

c) Tandem non obliviscenda est formatio personalis in studio et meditatione aptis, sicut et illa quae obtinetur sive per ipsam apostolicam actionem (e. g. contactus et congregationes cum laicis), sive in ordinatis conventibus sacerdotalibus.

Conclusio. Si schema in sensu dicto completur et etiam quaedam aliae emendationes a nobis et ceteris patribus propositae in textum assumuntur, tunc spes erit ut iste, tanquam documentum Concilio Vaticano II dignum, suum finem obtinere possit: nempe ut simul actionem pro vocationibus sacerdotalibus efficaciter stimulet et ipsam renovationem institutionis sacerdotalis accurate et feliciter foveat.

9

Exc.mus P. D. ALOISIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

Concilia sunt veluti specula alicuius aetatis quorum peculiaria in singulis schematibus inveniuntur.

Nullo modo hoc in nostro schemate reperitur ubi nihil dicitur de problemate quod hodie tam acriter tangit et angit Ecclesiam nempe: de inopia ecclesiasticarum vocationum quae Ecclesiae vitalitatem in suo afficit fonte.

Deo gratiae sunt certe agendae si, secus ac heri, peculiaris hodie non adest reformationis necessitas; si Sacerdotium nullimode cursus bonorum et beneficiorum ianua aestimatur, sed preces permultae ad Deum sunt dirigendae si iuvenes non pauci, peculiariter a Deo dilecti, etsi non divites, divitem illum imitantur cui Christus dixerat: « Veni et sequere me ».

In huiusmodi problemate repetere iuvabit quod S. Thomas de filiis asserebat: 1° ut sint; 2° ut bene sint.

1. Ut sint. Clare ac perspicue in schemate hoc erit tractandum utpote radix ac condicio ut postea bene sint sacerdotali institutione. Ex parte Dei nullus est ambigendi locus. Qui enim homines salvos fecit humanam suscipiendo naturam, qui omnes homines vult salvos fieri, quique in redemptione applicanda hominibus egere voluit, hos homines, nempe Sacerdotes, abundanter semper suscitavit, suscitat et omni tempore suscitabit.

Non est Dominus bonorum distributor exiguus, neque in vita supernaturali procuranda donator avarus qui vitam naturalem tam largiter et ubique diffundit. « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant » (*Io* 6, 64).

Absque dubio Dominus dabit benignitatem, sed terra nostra fructum suum donet omnino oportebit. Quae *terra* non tantum constat christiana

communitate, familia, Sacerdotum exemplo et zelo, ut dicitur in schemate (pag. 12, linn. 6-9), sed Scholis etiam et Religiosorum familiis.

Scholis hoc munus peculiari ratione incumbit quippe quae saepe aequam, interdum etiam maiorem, ac familiae educatricem operam navant. « Quamobrem, ut pueri atque adulescentes aequam sacerdotalis vitae aestimationem faciant ac foveant, eorumque animi ad eam amplectendam sancto ardore incendantur, necesse est, ut idoneae ad id condiciones, *cum intra domesticas parietes tum in studiorum domiciliis, pariantur* » dixit S. Pont. Paulus VI f. r. in Ep. Catholica *Summi Dei Verbum*. Et alio in loco: « Quae cum ita sint, quomodo evenient, ut plurimi iuvenes, iidemque recta voluntate permoti, sacra capessendi propositum imbibant si *in domestico convictu, vel in scholis,* ubi adescunt, nonnisi profanarum artium praestantiam atque beneficia laudibus efferri audierint? »

Quod ad Religiosorum attinet opus, quid in eorum schemate circa vocationes continetur meminisse iuvabit (pag. 16, n. 20). « Sacerdotes, educatoresque christiani seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis novum detur incrementum. Etiam in praedicatione ordinaria saepius agatur ... de statu religioso amplectendo ».

Ratione reciprocitatis, immo et alicuius interni seu domestici oecumenismi, etiam Religiosi vocationibus sacerdotalibus studere debent.

Hisce rationibus instatur quia a sacerdotibus non tantum totius Ecclesiae pendet renovatio ut dicitur in prooemio schematis sed et totius mundi cum sal terrae, lux mundi et civitas supra montem posita esse debeant.

Arctam connexionem sacerdotes inter et mundi renovationem disertis significavit verbis S. P. Pius XI: « Quod ad salutem humani generis tam interest quam maxime; siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia ea non cum hominibus nisi per Ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei communicantur » (Ep. Ap. *Officiorum omnium,* 1922).

2. Ut bene sint. Optima et, ni fallor, principaliora omnia in schemate continentur, sed mihi liceat aliquam suggestionem manifestare ut aliquid de Seminariis, et de eorum momento in Ecclesia ex professo dicatur.

Nemo sane ignorat celeberrimum illud Decretum *De Reformatione* Tridentinae Synodus veluti quamdam consummationem sexdecim saeculorum Ecclesiae experientiae necnon cardinem praesentis ac futurae clericorum reformationis et institutionis extitisse.

Nemo pariter ignorat quae Patres postquam unanimibus suffragiis Decretum illud adprobaverunt, senserunt atque dixerunt: « Multi profiteri non dubitaverunt etiamsi nihil commodi praeter hoc e Concilio perceptum esset, ad ipsum satis omnium laboribus et curis respondisse; utpote ut tanquam instrumentum omnium praestantissimum esset habendum ad perditos mores corrigendos; siquidem in quavis republica hoc evenit communiter, ut tales habeamus cives, quales finxerimus (SFORZA-PALLAVICINO, *Istoria del Concilio di Trento*).

Ut Seminariorum momentum in schemate indicetur immo et extollatur nonne quarti centenarii, hoc anno recurrentis, primi Seminarii Mediolani a S. Carolo constituti, circumstantia nos impellit?

Immo qui in Decreto illo exarando indeque applicando tam impense ac generose adlaboravit ut omnium primus ab omnibus omnino habeatur, nonne dignus erit qui in schemate nostro indicetur et habeatur ut Seminariorum caelestis Protector? Est quod humiliter proponere audeo.

Ergo prius studendum omnino est ut, omnium consociata opera, quas Deus certe suscitat habeantur vocationes, nempe: ut sint - dein ut bene sint, aptam scilicet Sacerdotalem institutionem eis cotidie patienter impertiendo.

10

EXC.MUS P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Schema, in par. 2, aggreditur unum ex maximis problematibus Ecclesiae, vocationum nempe. Sed totam quaestionem paucis lineis absolvit, et quidem forma elementari.

Res est admodum implicata; ideo profundius agere fas est: ut orationi urgenti addatur labor adaequatus. Et sic fructum, cum vera fiducia in posterum, sperare poterimus.

I. Urgens est quod theologia vocationum, quae iam incepit structurari, ope omnium — theologorum, moralistarum, sociologiae — totaliter structuretur. Cathechesis vocationalis, quae non est nisi applicatio illius theologiae ad loca et diversas categorias personarum, est medium necessarium, conditio sine qua non. Et ideo debet pervenire ad Populum Dei in genere, et in concreto, ad paroecias, ad scholas, ad familias, ad individua. Nobis non licet loqui de aspirantibus ad sacerdotium, uti communiter fit diebus speciali modo Seminario dicatis: vel ad quaerendam pecuniam, primo; vel ad curandum tantum de nostris vocationibus, aut saecularibus aut religiosis; vel omittendo vel parvi pendendo quae ad vocationem in genere referuntur.

1) Prima veritas enuntianda est voluntas Dei salvifica, quae vitam et historiam populorum dirigit, in genere et in concreto.

2) Sicut Deus in Vetere Testamento populum sibi elegit, Israel nempe, ita hodie Ecclesia est populus Dei, communitas christiana. In qua, quia « divisiones gratiarum multae sunt », sunt multae vocationes communes, ut ita dicam, christianae. Quare nobis non licet vocationes illas temporales parvi pendere; immo, illas debemus considerare ut iter uniuscuiusque in Deum, in Ecclesia. Sic omnis vocatio maximum momentum habet, individualiter, socialiter, ecclesialiter.

3) In hoc contextu voluntatis salvificae divinae: dirigentis historiam, constituentis suum populum et generantis omnes vocationes temporales, ideoque christianas, collocanda est vocatio ad sacerdotium.

Rem tractare absque hoc nexu doctrinali: est loqui modo fragmentario et ideo inintelligibili; immo, est ansam praebere ut populus iudicet nobis non interesse nisi propria, scilicet vocationes sacerdotales vel religiosas.

II. Vocatione sacerdotali sic posita in toto suo contextu, de illa loquendum est doctrinaliter, et quidem sub triplici capite: theologia electionis divinae, theologia responsionis humanae, et theologia fidelitatis.

Sub quibus capitibus, exsistit problematum series, quae non possumus ignorare.

1) Omnes nos, saepe saepius, oppressi sumus his anxietatibus, quae ad theologiam electionis divinae referuntur: Deus vocat hodie ad sacerdotium ...? Magis vel minus quam temporibus praeteritis ...? Quando vel in qua aetate vocat ...? In adulescentia, vel potius in iuventute ...? Sacerdotes debent expectare ut pueri vel adulescentes se sponte offerant ...? Vel ipsi, cum debita prudentia, debent insinuare possibilem vocationem ...? Haec problematum series, eorumque solutio sub luce theologiae, in mente et in corde cuiuscumque sacerdotis praesens esse debet. Tantum sic, utpote apostoli vocationum, quaeremus amicitiam adulescentium et iuvenum, ut vocatio adumbretur, si forte sit.

2) Theologia responsionis. Non raro vocatio divina auditur, sed ab electo non acceptatur. Ex datis statisticis, in Hispania, in Gallia, in Belgio et in Hibernia habitis, constat: inter pueros, adulescentes et iuvenes, plus quam quinquaginta per centum de vocatione cogitavisse; nihilominus illam secuti non sunt. Sacerdotes, ante facta huius generis, levitate vel incomprehensione ducti, putant illos iuvenes defecisse defectu generositatis. Quod multoties falsum est omnino. Vocati, saepe, non possunt respondere favorabiliter: fortasse ex defectu condicionum idonearum propriae familiae vel societatis quam frequentant; sed praesertim ex ignorantia catechesis electionis divinae et propriae responsionis.

3) Theologia denique fidelitatis rectam ordinationem Seminarii respicit, ut copiosior perseverantia in vocatis habeatur.

Hoc problema fundamentale omnia alia problemata implicat. Et est ratio anxietatis Episcopi et Superiorum Seminarii.

Historia Seminariorum duplicem nobis dedit responsionem, quas oblivioni mandare non possumus, ob amorem erga primam dioecesanam institutionem: nonnulli, inordinato desiderio perseverantiae decepti, vitam seminarii fundarunt in relaxatione vitae intellectualis, socialis et, praesertim, spiritualis; alii, autem, et merito quidem, ducentes iuvenes levitas ad sacerdotii sublimitatem, vires suas roborarunt, studium, orationem et vitam huic maximo fini accommodantes. Iuvenes, enim, e Seminario expellit clima mediocritatis vitam nimis facilem reddens.

Loculentissime scripsit Pius XII pro Seminario Apuliae: seminarium ideale est illud cuius alumni, in sensu responsabilitatis efformati, omnes vires et facultates impendunt ut sublimitatem sacerdotii assequantur.

III. Et quando agitur de penuria sacerdotum, non possumus simpliciter dolere de illa situatione etiamsi extrema. Haec forma nos gerendi, negativa, nullum fructum affert.

Urgens est ut, simul cum catechesi, sociologiam religiosam nostrae dioecesis applicemus, ut causas illius situationis inveniamus.

1) Non possumus agere de insufficienti numero sacerdotum uti de re burocratica vel administrativa. Hoc erit prior error. Penuria vocationum non est simplex factum consignandum numeris. Est problema fecunditatis. Est factum internum, connotans levitatem vitae, vel melius, eius carentiam. Et hoc multiplici ex capite fortasse: paroeciarum, familiarum, scholarum etc.

2) Sed studium non potest esse tantum quantitativum, sed et qualitativum. Debet inquirere de forma sentiendi, loquendi et agendi fidelium. Ita ut studium sese extendat ad qualificandas minorias sociales et ecclesiales sui territorii.

Quibus attentis, rationes illius penuriae cognoscemus ut catechesim, postea et per gradus, applicare possimus.

IV. Quae omnia in praxim deducenda sunt, modo constanti et organizato, per validum subsidium, sic dictum « Opus Pontificium Vocationum Ecclesiasticarum » a Pio XII fundatum, Motu proprio « Cum Nobis », anno 1941, cuius erunt filialia opera dioecesana et paroecialia.

Venerabiles Patres, ex omnibus dictis, puto nos non posse exspectare solutionem huius maximi problematis vocationum, in tempore magis proximo vel remoto, si prius: *a*) doctrinaliter, theologia vocationum per catechesim non efformet novam mentalitatem circa sacerdotium et seminarium; *b*) practice, sociologiae religiosae studium — dioecesis in genere, territorii particularis et paroeciarum — non patefaciat causas et circumstantias illius status; *c*) et si, modo organico, coordinato et constanti, haec non fiant, ope subsidii sic dicti « Opus Vocationum Ecclesiasticarum ».

Ut conclusionem, sequentem proponimus correctionem schematis, in par. 2:

2. Vocationum theologia structurari debet ut catechesis medium sit re vera ad omnem conscientiam efformandam, et ut fovendarum vocationum opus ad totam christianam communitatem pertinere intelligatur, quae, vita plene christiana, precationibus, poenitentiae operibus aliisque subsidiis, vocatos iuvet ad audiendam vocem Dei vocare non desinentis. Tamen maxime in id conferant oportet tum familiae quae, suae dignitatis et missionis plene consciae, aptas pariant condiciones ad sacerdotalis vitae aestimationem fovendam, tum sacerdotum exemplum et apostolicus zelus.

Haec ... (sequitur textus, sicut in schemate) ... consecret. « Opus vero Vocationum Ecclesiasticarum », pontificio titulo ornatum, ope sociologiae religiosae adhibita, fines singularium dioecesium, nationum atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.

11

Exc.mus P. D. STANISLAUS HAMILCARUS BATTISTELLI

Episcopus Aprutinus et Hatriensis

In textu emendato *de institutione sacerdotali* cum de institutione spirituali impensius excolenda in seminariis, ne verbum quidem invenitur de devotione erga B. M. V. necnon erga Summum Pontificem et Apostolicam Sedem; Ss. Eucharistia vix nominatur.

Cum in praeparatione alumnorum ad sacerdotium haec omnia valde utilia sint, immo et necessaria, humillime proponere audeo ut ad cap. IV, n. 7, pag. 15, lin. 5 quae sequuntur addantur: « imprimis in Eucharistia, quae vere caelestis panis quotidianus pro alumnis habendus sit; in filiali amore erga B. Mariam Virginem Deiparam et nostram Matrem; in Summo Pontifice Christi Vicario; in episcopo etc. (ut in schemate).

12

Exc.mus P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Jotanus, aux. Tarnoviensis

Ad pag. 9, n. 19. Ecclesia, Mater providentissima et de omnibus sacerdotibus Christi multum sollicita, specialem tamen curam gerit presbyterorum, qui recens ordinati onus sacerdotii « ipsis angelicis humeris formidandum » susceperunt; non enim ignorat faustis et fortunatis ipsorum sacerdotalis vitae primordiis optimam spem fundari solidae virtutis et fructuosi in posterum laboris in vinea Domini; et — e contrario — praematuros eorum lapsus certos esse nuntios imminentis ruinae spiritualis. Ideo firmiter persuasum habeo multorum me votis satisfacere necnon plurium vulneribus salubre remedium parari, cum praesentibus scriptis duo proponere audeo:

1. ut pro hisce sacerdotibus, per primos quinque annos inde ab ordinatione in singulis dioecesibus institutum quoddam, ad instar Seminarii clericorum, constituatur, quod ipsos, in diversis locis dispersos, multis et quandoque gravissimis periculis expositos, in una congreget viva et organica societate iuridice formata, in una spirituali familia.

2. ut institutum hoc sequentes quinque normas ac obligationes his sacerdotibus imponat: *a*) occupationes pastorales notabiliter limitatas; *b*) moderamen spirituale; *c*) strictam observationem exercitiorum pietatis; *d*) studium quaestionum selectarum e s. theologia; *e*) curam infirmorum ac pauperum.

13

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS PASTOR BOGARIN ARGAÑA

Episcopus S. Ioannis Baptistae a Missionibus

In ultimis congregationibus generalibus grato audivimus animo, praeclara et practica ab em.mis card. Suenens, Döpfner, Léger, De Barros Câmara, Bueno Monreal, et ab exc.mis Colombo, Sauvage, Hurley, Schmitt, Benavent, et aliis ...

In his, enim, interventis clare apparuit quousque aurea novae renovationis a Spiritu proveniens novam Ecclesiae vitam indesinenter demonstret. Etenim, ad quid praeclarae Constitutiones approbatae aut approbandae inservirent, si neque laicos apostolos, neque sacerdotes, dioecesanos et religiosos, vere instructos, capaces, spiritu ferventes, dynamicos haberemus qui nobis adiutorio essent ad praxim optima Sacri Concilii statuta reducenda.

Plane adhaereo his quae a supralaudatis Patribus praeclare dicta sunt. Haec proprio nomine dixi.

Et nunc verbotenus legam ea, quibus subscripserunt 81 Patres ex diversis nationibus.

Schema de Institutione Sacerdotali placet, sequentes ob rationes:

1. quia breve, concisum, profundum atque ordinatum; prae oculis habet magna problemata pastoralia, paedagogica et psychologica nostrae aetatis, et in eorum luce proponit opportunam renovationem ipsius Instituti Seminariorum;

2. quia disponit ut quaerantur meliores methodi ad clerum dioecesanum efformandum et instituendum, secundum sat varias conditiones in mundo hodierno existentes;

3. quia praeterea clare exigit ut huiusmodi methodi certis temporibus recognoscantur; nam, hoc modo, evitari poterunt gravia incommoda quae Ecclesiae attulit pronitas rigide conservandi eas institutionis formas quae, etsi aliquando utiles, volventibus temporibus, iam minus aptae factae sunt;

4. quia in propositione prima Conferentiis Episcopalibus committitur munus exarandi peculiarem rationem institutionis sacerdotalis.

Ut hoc schema optimos fructus renovationis in Seminariis totius orbis producat, perutile videretur constitutio alicuius Commissionis Post-Conciliaris, Episcopis constitutae, qui non solum sublimitatem vocationis sacerdotalis plene perspectam habeant, sed etiam profunde calleant problemata educationis iuventutis hodiernae, psychologiam educationis et paedagogiam. Cui Commissioni opem ferre deberent homines periti in rebus paedagogicis, in psychologia educationis et in institutione vitae spiritualis et pastoralis mundo hodierno correspondentium, ex omnibus regionibus orbis electi.

Necessitas constitutionis huiusmodi Commissionis Post-Conciliaris eo magis patet, si consideretur in unaquaque natione non semper inveniri posse

viros in campo spirituali, pastorali, paedagogico et psychologico peritissimos.

In hoc munere explendo, Commissio Post-Conciliaris sequentia principia, meo iudicio maximi momenti, prae oculis habeat oportet:

a) illi qui sacerdotes dioecesani esse intendunt, instituendi sunt in ordine ad ambitum ubi proprium ministerium explere debent. Proinde seminarii ratio, quam maxime, conditionibus vitae in quibus sacerdotes agent, proxima sit, devitando omnino constitutionem ambientis artificialis;

b) determinato fine missionis et ministerii sacerdotii dioecesani, ea concreta media exquirantur quae huic fini aptius inserviunt;

c) imprimis inveniantur ea media quae adiuvant in vita spirituali sacerdotis dioecesani propria concilianda cum exercitio actionis pastoralis, totaliter populi Dei servitio deditae;

d) vita in seminario talis esse debet ut in ea seminarista fere impellatur: ad bonum suae voluntatis usum, intra sanam libertatem exercendum; ut Dei vir sit, plenae responsabilitatis in oneribus assumptus; ut plenus initiativa sit, speciali modo cum necesse erit se humili ceterorum servitio tradere; ut totam fiduciam in Dei Providentia ponat, atque etiam hominis voluntati, a gratia adiuti, confidat, specialiter si alicui nobili ideali serviendo se tradit; ut vitam dignam et virilem degat, ab omni mendicitatis spiritu alienam.

Conclusio: 1. Schema ut basis laboris acceptari potest. Ut competens autem Commissio modo concreto adlaborare possit, proponimus ut praesens schema, saltem per capita numeris romanis indicata, suffragationi Patrum subiciatur.

2. Commissio Post-Conciliaris constituatur modo dicto, cuius erit:

a) validissima renovationis principia, quae in schemate enucleata inveniuntur, ampliori et vividiori modo evolvere, praesertim in iis quae ad fundamentalia studia sacerdotalia et in iis quae ad quaestiones psychologicas et paedagogicas attinent;

b) haec principia iam explicitata ad concretas applicationes in efformatione sacerdotis dioecesani, prout hisce temporibus Ecclesia indiget, forma practica et organica adducere;

c) quae studia, Conferentiis Nationalibus Episcoporum uti pretiosa adiumenta offerre valeat (minime autem imponantur!). Episcoporum Coetus in ipsis inniti, rationem efformationis sacerdotalis pro uniuscuiusque nationis vel regionis exigentiis, quam optime aptatam, ita efficaciter applicare possent.

* * *

Peropportuna mihi videtur ea quae in prop. 10 dicuntur de genuina educatione ad caelibatum. Immo haec aliquatenus evolvi possent.

Corrigendus videtur modus quo in seminariis haud raro caelibatus proponitur et modus quo alumni instituuntur in ordine ad caelibatum. Formatio enim ad caelibatum servandum aliquando concipitur mere tamquam

educatio ad non peccandum contra castitatem. Ita autem suggeritur caelibatum consistere praesertim in aliqua *re negativa.* Tali modo procedendi praevalenter negativo iuvenes caelibatum de facili habent statum detruncatae perfectionis humanae. Iam tempore formationis communicanda est alumnis conceptio et habitudo genuina erga vires sexuales et alterum sexum. Sacerdotes quorum perseverantia postea in discrimen vocatur, non sine ulla ratione conqueruntur se ignorasse momentum vitale obligationis caelibatus, se fuisse quasi deceptos in statu caelibatus suscipiendo. Ut vis huiusmodi accurationis infirmetur, non sufficit eis in memoriam revocare iuramentum ante subdiaconatum praestitum de scientia habita obligationis caelibatus. Tales « solutiones » utpote mere formales ipsam quaestionem revera non solvunt nec multum conferunt ad crises posteriores praecavendas.

Sine dubio etiam aliae causae permultae concurrunt ad sacerdotem a recta via detrahendum; non potest tamen negari frequens influxus causae indicatae, id est defectus genuinae institutionis theoreticae et practicae in ordine ad caelibatum observandum.

Institutio theoretica sit immunis ab ideis, quae non sunt genuine christianae, sed sapiunt manichaeismum; initiatio potius inspiretur oportet vera anthropologia christiana, quae hominem totum cum omnibus viribus habet creatum a Deo, qui hominem creavit masculum et feminam. Sacra Scriptura de hac sphaera agit modo aperto, simplici. Nihil hic habetur devalutationis et habitudinis « complexus ».

Institutio practica inspirata sit principiis sanae psychologiae, momentum positivum virium sexualium pro fere tota vita humana, etiam et praesertim pro vita mentali-spirituali attendatur: perfectio personalis integrationem qualitatum exigit; polaritas sexuum natura et fine suo auxilium praestat ad qualitates humanas spirituales evolvendas ita, ut veram harmoniam constituant. Certo caelibatus excludit relationes familiaritatis cum personis alterius sexus; neque potest satis efferri necessitas sincerae renuntiationis hac in re. Eo magis autem caelibatus exigit habitudinem genuinam, scilicet simplicem, interne liberam, fundatam in veritate et coniunctam cum reverentia et disciplina suiipsius.

Caelibatus est et manet sacrificium perpetuum. Hoc sacrificium clare indicari debet instructione de bonis matrimonii, quae sunt vere talia pro homine. Attamen genuina institutione supposita sacrificium ponitur, ubi est; non iam ponitur ubi non est. Vere experientia teste talis modus rem considerandi iuvat ad libertatem internam efformandam et ita ad maiorem deditionem erga Deum habendam, in qua theologice est essentia caelibatus, de qua nunc aliqua dicenda sunt.

De finalitate theologica caelibatus efferenda. Clerici in sacris ordinibus constituti ad mentem Litt. Enc. Pii XII *Sacra Virginitas* in statu virginitatis versantur (*A.A.S.,* 46 [1954], p. 163); vere finis caelibatus — renuntiationis matrimonii — est virginitas tamquam deditio integra animae et corporis ad Dominum, quia sacerdotium exigit — etsi non absolute, tamen tamquam

statum summe convenientem — statum virginitatis seu « quoddam spiritualis matrimonii genus, quo animus Christo coniungitur » (*ibid.* 166).

Ipse can. 132 par. 1 C.I.C. hunc finem positivum caelibatus indicat tantum modo negativo, quatenus violationes castitatis habet sacrilegia. Forte convenit etiam in textu canonis hunc finem positivum caelibatus indicare.

Dato sacrificio, quod caelibatus exigit, candidati aperte instruendi sunt, quod quoad viam virginitatis agitur de consilio, non de praecepto, quod electio inter matrimonium et virginitatem est electio inter bonum et maius bonum, non autem inter bonum et malum; quod consequenter plena libertate personali hanc electionem facere possunt et debent; quod igitur libere sacros ordines declinare possunt, quin peccatum committant; quod autem ordinibus receptis obligationi admissae fideliter stare debent.

Caelibatus seu potius virginitas ita in luce posita etiam hodie allicit iuvenes bonae voluntatis, si elatio virginitatis non involvat devalutationem matrimonii, si aperte fiat sermo de sacrificio, sine quo caelibatus stare nequit, si appelletur ad generositatem, ad amorem generosum erga Dominum, quo hic status plena libertate est eligendus.

14

EXC.MUS P. D. PLACIDUS M. CAMBIAGHI
Episcopus Novariensis

Schema pro magna parte placet. Expedit tamen novas emendationes afferre ut quaedam huius schematis partes magis ac magis explicita fiant.

Ad pag. 12, lin. 8, addendum erit post verba « ... seminarium constituant »: « et scholae in quibus, ope Orientationis educationalis ac professionalis, vocationis germina invenienda sunt et mediante institutione spirituali colenda sive in privatum sive in parvis coetibus ut apta maturaque ad seminariorum ingressum inveniantur ».

Ad pag. 12, lin. 15, addendum erit post verba « ... signis agnitis »: « ope medicinae, psychologiae et, si casus quaerat, psychiatriae ».

Ib., post lin. 24, nova paragraphus addenda, et scil.: « Deus vult omnes homines salvos fieri et in universo mundo vocationis germina sufficientia ad perficiendum opus salvificum, a Filio suo Unigenito feliciter inceptum largitur. Hominum proprium autem est germina haec fideliter colere atque aequo modo in toto orbe distribuere. Sicut nationes et regiones ditiores auxilia pauperioribus praestare tenentur, eodem modo nationes et regiones, quae vocationum copia fruuntur, enixe pauperioribus oportet suppeditare. Quae omnia significant novam sacerdotum ac religiosorum virium in universo mundo distributionem instituere, inspectis imprimis plurium regionum necessitatibus, ut etiam pro hac parte inaequalitates exstinguantur.

Itaque hunc circulum vitiosum effugiemus, nempe: vocationum carentia e sacerdotum exiguitate, qui illas detegant et colant, originem trahit; pariter

sacerdotum exiguitas e vocationum carentia. Ut autem quam primum et efficaciori modo mundi necessitates sacerdotales attendamus, oportet non solum rectam sacerdotalium religiosarumque virium distributionem instituere, sed etiam condere " Pastorale d'insieme ", ad vocationes in omni paroecia et schola fovendas ».

Ibid. ad lin. 31, post verba « et sanae », addendum erit: « medicinae ... ».

Ibid. post lin. 37 nova paragraphus addenda erit, et scil.: « Seminariorum Minorum erectio iustificationem suam invenit eo tantum in casu, cum alumnorum familiae ad idoneam institutionem spiritualem et intellectualem conferendam mediis aptis careant. Quam ob rem seminaria hanc institutionem modo suppletivo exercent. Unde moderatores ne obliti sint, se ab alumnorum familiis tantum delegatos esse, quae ex legis naturae prioritate, ius liberos suos educandi servant. Curent moderatores in praedictis Institutis discipulis suis spiritum familiae colere et educationem integralem, scil. spiritualem et intellectualem, physicam, socialem et civicam praebere, ut in singulis discipulis integra personalitas efformetur et in communitate humana se inserere valeant ».

Ad pag. 17, lin. 20 addendum erit: « Ut efficacius hoc ministerium omnes clerici adimplere possint, totam studiorum et institutionis rationem a futuro munere pastorali specificetur ».

Ad pag. 16, post lin. 20, nova paragraphus addenda erit, scil.: « Peropportunum igitur videtur in decursu formationis, ac praesertim vacationum tempore, clericos in ministerio pastorali magnopere incumbere, duce presbytero laudata experientia praedito. Pro ministerio pastorali, hic intendimus opificum, agricolarum et puerorum adsistentiam et alia huiusmodi.

Finis autem huius experientiae erit, ut nostri alumni problemata temporis penitus ac vitaliter attingant; qua experientia edocti, discere possint quibus auxiliis indigeant, cum ad perficiendam suam formationem tum ad fidelium necessitates obeundas ».

15

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI
Episcopus Ilcinensis

Ego infrascriptus episcopus Ilcinensis mei officii conscius, quamvis longe a Roma detentus, nondum perfecte sanitate corporis restituta, potui tamen attente perlegere ac meditari schema de institutione sacerdotali quod ex toto corde probo sincero animo gratulans iis qui eius compositioni operam navarunt.

Cum totam paene vitam transegerim in educandis Seminarii Pistoriensis alumnis qua praeceptor, qua rector priusquam Episcopatus onus reciperem et post Episcopatum receptum qua studiorum Commissarius apud Pontificium Seminarium Regionale Senense, candide exponam diuturnam meam experientiam sive in Seminario regendo sive in Commissarii munere exercendo. Quod attinet ad Seminarii procurationem mihi maximae curae fuit

ut inde ab initio omnia spectarent ad vocationem sacerdotalem excolendam, pietas, disciplina, studia ipsa, removendo ea quae obsona essent ab hoc sanctissimo fine. Si quis dubiae erat vocationis mittebatur ad publicas scholas examen subeundi causa, non iam ceteri de quibus nullum aderat dubium. Hinc factum est ut perpauci Seminarium relinquerent et brevi tempore pium Institutum floresceret bonis vocationibus, et ad sacerdotium pervenirent non iam unus quarto vel quinto quoque anno sed decem vel quindecim singulis annis. Anno millesimo trigesimo nono plures quam viginti ordinati sunt sacerdotes, hodie decus et praesidium Dioecesis cum numero tum doctrina et animarum zelo, si duo excipias, non iam, ut reor, propter vocationis defectum, sed quia, statim post sacerdotium adeptum, in solitaria loca missi sunt ab omni remota possibili vigilantia et sine spirituali praesidio cuiuslibet directionis.

Huc redit, ut minus sapiens dico, vetus et semper novum argumentum de necessitate tirocinium instituendi, quo sacerdotes novensiles apte praeparentur ad sacrum ministerium exercendum viris peritissimis auctoribus experientia, doctrina, vitae integritate maxime commendatis, vel potius pro omnibus sacerdotibus vitam communem instaurandi qua multiplices partes ministerii pastoralis pro uniuscuiusque ingenio, viribus, facultatibus dividi, rectius spiritualibus necnon materialibus necessitatibus consuli possit, bonorum administratione honestis et peritis laicis commissa.

Quod attinet ad munus Commissarii haec potissimum animadverti: rationem studiorum nihil differre ab ea quae in scholis publicis viget, cum iidem sint libri, eaedem disciplinae, maxima cura, ne dicam unicam, examinis admissionis ad lycaeum vel maturitatis, ut aiunt, classicae, omni alia re quamvis magni momenti posthabita. Diplomata autem verum periculum arcessunt vocationibus, cum iuvenes haud raro quadam obsidione parentum premuntur stimulantium ad professiones laicales amplectendas utpote magis lucrosas.

Haud raro ad hos stimulos adduntur tentationes quas saeculi corrupti mores praebent iuvenibus iam spiritualiter profano genere studiorum debilitatis.

Ut finem hisce observationibus qualescumque sunt imponam profecto errarem si vocationum defectus vellem tantum causis supra allatis tribuere. Aliae causae adsunt inter quas praeter mores corruptos quos fovent hedonismus vitae, materialismus practicus, spectacula inhonesta praesertim cinematographica et actionis moralis ac religiosae Ecclesiae extenuatio.

Verum est Ecclesiae aditum in publicas scholas non negari, sed aditus efficacia minuitur pluribus ex causis, inter quas laicismus praeceptorum, permixtio masculorum et feminarum, athletismus. Quibus malis haud facile remedium afferri potest cum satis temporis iuvenibus non detur ut Ecclesiam frequentare possint.

Postremo mihi liceat parvae dioecesis Episcopo non sine anxietate aliqua considerare eius probabilem exstinctionem, non quod attinet ad meam humillimam personam sed ad bonum Ecclesiae. Fecunditas enim sacrarum vo-

cationum qua floruit praeteritis temporibus etiam hodie florescere pergit. Ut non loquar de vocationibus religiosis, vocationes cleri saecularis tales sunt ut nonnulli sacerdotes alibi exerceant sacrum ministerium: unus apud Seminarium Regionale, unus in dioecesi Faesulana, unus apud milites italicos, sub iurisdictione Ordinarii Castrensis, cuius cura frequentat Universitatem Studiorum Lutetiae Parisiorum, duos in dioecesi Liburnensi.

Quae de mea dioecesi exposui dicenda, credo, sunt de aliis parvis dioecesibus, cum parvae dioeceses, si opibus carent, facilius curari possint quam magnae quas nec invisere, ut par est, nec cognoscere possunt, etiamsi nec laboribus nec impensis parcant, Pastores.

Si Sanctus Alfonsus Maria de Ligorio affirmare solebat sibi videri in pectore portare tot montes quot essent paroeciae dioecesis, quid dicant Pastores magnarum dioecesium? Non omnes arbusta iuvant humilesque myricae, sed et ipsa iuvant homines sapientiores.

Et recte quidem. Est humilitas in hominibus et humilitas est in rebus. Utramque dilexit Christus, dilexit humiles corde, dilexit etiam Bethlehem, dilexit Nazareth.

Hisce de causis haud abs re erit putare eum diligere cum magnis etiam parvas dioeceses eis assignando specialem missionem curandi humiliores inter fideles, quos eo magis Deus respicit quo magis despiciunt superbi.

Summum igitur Pontificem qui vivam refert imaginem Divini Pastoris, etiamsi circumscriptiones dioecesium iure meritoque recensendas statuerit, enixe precor ut haec vota exaudiat quae sunt vota esurientium quos Deus, Virgine concinente Matre, bonis implevit.

16

Exc.mus P. D. ALFREDUS CIFUENTES GÓMEZ
Archiepiscopus Serenensis

Schema, generatim sumptum, placet, speciatim post emendationes allatas; amplius enim est et quasdam materias singularis momenti, ut sunt, verbi gratia, Seminaria Minora, pressius tractat.

Solummodo tres observationes humiliter verbis efferre audeo.

a) Ad pag. 12, n. 2: Ad fomentandas vocationes sacerdotales quod attinet, aestimo valde convenire quod commendetur modo speciali sic dictum « Opus Pontificium ad Vocationes Sacerdotales fovendas », ita ut opera detur eius institutione in omnibus dioecesibus, necnon eius organisatio etiam nationaliter, hoc est, totam aliquam nationem complectens, perficiatur. *Ratio* est: si non organisatur et coordinatur labor propagationis, cultionis et auxilii vocationum sacerdotalium, conatus particulares disperguntur, et multi christifideles, quamvis indubitanter ita prompti sint ut hoc grave problema eis curae et cordi esse possit, eiusque solutioni conferre possint, *de facto* ei *non* conferunt, quia « nemo eos conduxit », quia nemo eos invitavit.

Haec institutio dioecesana et organisatio nationalis Operis vocationum sacerdotalium, in multis fidelibus suscitabit cognitionem huius problematis simul ac sollicitudinem pro eius solutione, maxime in iis qui ei omni ope inniti possunt: in familiis, in paroeciis, in collegiis et scholis, in Actionis Catholicae associationibus, etc. Organisentur et ad effectum adducantur « Dies vocationum sacerdotalium » vel « biduum » aut « triduum », vel tota hebdomada vocationalis. Sed organisatio haec et ad effectum adductio solummodo possibilis est ope organisationis dioecesanae et nationalis. Experientia constat talem organisationem unitariam, dioecesanam et nationalem in omnibus partibus uberrimos solantesque fructus dedisse.

b) Ad pag. 16, n. 12. Fatendum est transitum abruptum a Seminario Maiori ad plenam activitatem apostolicam interdum sacerdotibus iuvenibus detrimento esse. Hoc specialiter evenit in America Latina aliisque regionibus, ubi, propter sacerdotum penuriam, episcopi necessitate coguntur ut nonnumquam sacerdotes nuper ordinatos, parochos constituant in locis remotis et separatis, ubi illis valde difficile, si non impossibile sit, cum episcopo et fratribus in sacerdotio communicare. Certum quidem est quod schema proponit intervallum — sed intra cursum theologicum — profundiori formationi spirituali dedicatum; sed nonne forsan melius esset, sicut fit in aliquibus partibus, approbante et fovente Sacra Congregatione pro Seminariis et Universitatibus Studiorum, cursui theologico *addere* aliud spatium temporis, nempe periodum aliquot mensium *post* quartum annum Theologiae peractum? Haec periodus tribus minoribus tractibus temporis absolvi posset: 1) formatione profundiore in vita spirituali; 2) cursu, breviter contracto, Theologiae, magis ad praxim ordinato, praesertim ad praedicationem et catechesim; 3) praxi pastorali in aliqua paroecia, sed conservando, pro parte, vitam communem Seminarii. Talis periodus aliquot mensium esset velut « novitiatus » qui impediret transitum violentum ad vitam ministerii pastoralis universe.

c) Ad pag. 18, n. 16. Optandum est ut in cursu Theologiae singulare momentum tribuatur studio Theologiae Asceticae et Mysticae, non solum pro ipsa vita spirituali futurorum sacerdotum, sed etiam ut postea directores animarum veri nominis esse possint. Magnum momentum datur — et iuste quidem — actioni pastorali in campo liturgico, catechetico, sociali, assistentiali, etc. Ea omnia magna ex parte tempus, cogitationem et animum sacerdotis occupant, sed quaeri potest num adsint multi directores spirituales, multi duces animarum? Forsitan habentur confessarii qui poenitentem auscultant, ei aliquod consilium generale dant deindeque absolvunt: hi sunt « datores absolutionum ». Sed nulla admonitio, nulla stimulatio, nulla exhortatio ad verum progressum, ad aspirationem ad perfectionem, ad sanctitatem, quod certo maximum est ministerium sacerdotale. Et animae permanent in eodem statu. In unaquaque paroecia, in unaquaque communitate sunt animae capaces maximae virtutis, immo et sanctitatis, sed dicentes cum paralytico Evangelii: « hominem non habeo ». Profecto, ad sanctitatem pertin-

gere est opus *Dei,* sed adiutores sunt et debent esse: sacerdotes. S. Theresia, S. Margarita-Maria, et multi alii et aliae habuerunt hos adiutores. Et revera, fermentum in Ecclesia, fermentum in societate sunt: sancti. Etiam nunc, in medio hodierno, pleno paganismi, laicismi, vanitatis et sensualitatis, sancti erunt verum et efficax fermentum et testes Ecclesiae in mundo huius temporis.

17

Exc.mus P. D. FRANCISCUS AEMILIUS M. CLÉRET DE LANGAVANT

Episcopus tit. Mactaritanus

Certe, quae in hoc schemate continentur sunt valde bona. In his paucis paginis tractatur de electione professorum, de formatione alumnorum, de formatione spirituali, de studiis apte disponendis, de coordinatione studiorum, de studiis philosophicis, de institutione theologica ... etc.

Attamen unum ibi deest et quidem aliquid essentiale. Nihil dicitur de formatione seu de initiatione clericorum *ad celebrationem Missae* et recitationem *divini Officii.* Haec omissio gravior apparet, praesertim quia eadem fuit in schemate de sacerdotibus.

Sacerdos constituitur in iis quae sunt ad Deum. Oportet sacerdos offerre sacrificium, Missasque celebrare. Functio primaria sacerdotii est adoratio Deo debita — cultus divinus — gloria Dei. Haec finis primaria obtinetur primum per sacrosanctum sacrificium Missae; etiam autem per Officium Divinum — quae sunt sicut anima vitae sacerdotalis. De his duobus nihil dicitur in schemate; ergo concludi potest quod nihil dicendum est per sex annos in seminario.

Et revera, quid fit, vel quid fiebat in multis seminariis? Materia studenda est ampla nimis; quotidie tempus stricte « minutatum » est et alumni quasi manu ducuntur ab ortu usque ad occasum solis ... et etiam corporum ... vox campanae vox Dei est ... nullum momentum remanet vacuum aut liberum.

Et sic progreditur usque ad ultimum annum cursus theologiae. Tunc omnes hortatur ut magis ac magis operam dento ad examina praeparanda.

Et in die ordinationis, subdiaconus recipit breviarium Divini Officii recitandi et simul iniunctionem illud recitandi omni die ... per totam vitam suam ... Quando? ... Quomodo? ... De hoc non curat Pontifex, nec Superior, nec professores.

Ita, hoc officium quod ardenter desiderabat subdiaconus et quod debebat esse gaudium et esca animae suae, fit, a prima hebdomada, causa anxietatis et onus exasperans. Et quot sunt sacerdotes qui per totam vitam suam patiuntur de hac obligatione.

Nostrum Concilium, Venerabiles Patres, potuit minuere psalmos, lectiones et etiam horas minores ... sed quid ad rem? ... minuimus tantum tempus paenitentiae.

Nonne vidistis aliquando sacerdotem quemdam qui volens orare claudit breviarium suum, iungit manus et iam non potest orare quia cor eius vacuum est, nescivit enim nutrire orationem suam in divina lectione.

Considerationes aliquae, vel lectiones de Liturgia aut de Scriptura Sacra non possunt sufficere ad rem mutandam — spiritus est qui mutandus est.

In seminario initiatus est olim subdiaconus ad suum Officium quam citius absolvendum. In seminario oportet nunc illum instruere tali modo ut in recitatione Officii inveniat fortitudinem, gaudium et pacem pro anima sua.

Quomodo fiet istud? 1) Ante omnia opus est ut haec recitatio habeat locum proprium in horario diei. Habetur etiam tempus ad surgendum e lecto, ad orationem mentalem, ad auditionem Missae, ad varias lectiones, et etiam ad manducandum. Cur non ad Officium divinum persolvendum?

2) Tempus *determinatum*. Quotidie per dimidiam horam, omnes debent in ecclesia absolvere Horas Matutinas; nihil proderit acceleratio recitationis, quia non exierunt, nisi post dimidiam horam peractam. (Ad coenam enim, si quis velociter manducat debet expectare finem coenae omnium aliorum). Idem erit pro aliis horis Officii et, quod valde importat, necesse est ut professores seminarii exemplum praebeant.

3) Pluries in hebdomada Officium in psalmodia recitetur, verbi gratia in dominicis et festis. Haec psalmodia dirigatur a quodam perito cuius officium sit vigilandi ad perfectionem executionis et simul explanandi pulchritudinem alicuius textus psalmorum, lectionum aut orationum.

4) Optandum est etiam ut psalmi magis ac magis integrentur in oratione personali, sive per meditationem psalmorum, sive per citationes multas in libris meditationis.

5) Tandem in Conferentiis et in tirociniis spiritualibus potissima pars dari debet ad obligationem adorationis Maiestatis divinae, ad commentaria precum Missae, ad proclamationem gloriae Dei quia ibi et non alibi sunt fontes primarii totius vitae sacerdotalis.

Ultima notatio. In genere, sacerdos est fidelis ad Officium divinum plus quam ad alia exercitia pietatis. Derelinquebit enim successive, examen, orationem mentalem, lectiones, coronam marialem, confessionem, non autem recitationem breviarii. In die autem quo hoc ultimum opus derelinquetur, vicina erit finis.

E contra si ille sacerdos didicisset secretum inveniendi in hac recitatione omne et omnia quae continentur in aliis exercitiis, tunc quantum essem securus de sua perseverantia!

Quae cum ita sint humiliter peto ut in proximo Directorio ad usum seminariorum inserantur haec quinque puncta supra citata.

Praeterea instanter etiam peto ut in hoc schemate de « institutione sacerdotali » una paragraphus inseratur quam sic propono: « Cum primum officium sacerdotis sit cultus Dei, curandum est ut in seminariis maxima solemnitas detur officiis liturgicis.

Qui ordinandi sunt ad presbyteratus ordinem, accurate initientur ad caeremonias rite persolvendas.

Initientur etiam subdiaconi ad Officium divinum " pie, attente ac devote " recitandum tali modo ut haec recitatio sit digna laus Dei et simul fons vitae et alimentum animabus suis.

Necesse est ut haec recitatio integretur in horario diei ita ut nulla habeatur tentatio praecipitationis inadequatae ».

18

EXC.MUS P. D. ALBERTUS COSME DO AMARAL

Episcopus tit. Tagariensis, aux. Portugallensis

Omnis ratio institutionis sacerdotalis deducitur in schemate ex solo ministerio exercendo et proinde sacerdos consideratur sub aspectu tantum functionali.

Verum est quod sacerdoti ministerium sacrum traditur: offerre S. Sacrificium, sacramenta ministrare, praedicare, etc. Attamen operibus praeponenda est persona sacerdotis. Primum quaerendum est quid sit sacerdos; deinde quid facturus sit.

Ratio institutionis sacerdotalis igitur deducenda est in primis ex ipsa natura sacerdotii. Sacerdos est ex hominibus assumptus, consecratus, distinctus ab omnibus. Per characterem sacerdos constituitur unicus inter omnes homines et etiam inter baptizatos; proinde in oeconomia supernaturali pertinet ad alium ordinem ontologicum. Quae differentiatio entitativa exigit differentiationem moralem et vitalem.

Ex hac radice eruendus est totus labor educationis in seminariis nostris. Si post ordinationem neosacerdos statim invalidus fieret ad ministerium exercendum nec eo minus sacerdos esset cum obligatione sanctitatis ex ipso sacerdotio decurrente. Institutio sacerdotalis igitur non tantum nec principaliter intendere debet necessitates pastorales, peculiaria locorum temporumque adiuncta sed etiam et in primis profundiores exigentias in qualibuscumque conditionibus prementes quaeque oriuntur ex ipsa natura sacerdotii. Exinde propono ut in textu alia propositio inseratur quae in ordine primum locum obtineat et in qua haec omnia dicantur.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH CSERHÁTI

Episcopus tit. Melzitanus, adm. ap. Quinque Ecclesiensis

Experientia in labore educationis atque instructionis theologicae clericorum per 20 annos maturata mihi persuadet ad schema de institutione sacerdotali sequentem animadversionem generalem quoad mentalitatem totius

schematis afferre. Cum secundum propositionem schematis in prooemio « optata Ecclesiae renovatio a sacerdotum ministerio magna ex parte pendeat », res a Concilio graviter ponderanda esset et assentiendo dictis exc. Colombo puto ante omnia linea vel idea centralis totius educationis clericalis declaranda esset. Velim hanc ideam cardinalem cum indole educationis familiaris indicare.

In schemate optima fundamenta totius institutionis sacerdotalis ponuntur, nempe Divini Pastoris exemplar et mysterium Ecclesiae. Haec quamvis non sint nova, tamen conceptibus populi Dei et mystici Corporis Christi a Concilio Vaticano II nova luce et vigore vitali instaurata fuerunt. Ita schema clare enuntiare potuerat praeter leges antiquas educationis et instructionis, praesertim a Conc. Tridentino inauguratas nova principia introducenda, quae a temporis nostri necessitatibus commendantur. In cap. IV, n. 11, legimus: « Christianae educationis normae sancte serventur et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur ». Ad haec addere liceat illa, quae a mentalitate totius humanitatis hodiernae optantur.

Quae cum ita statuta fuerint, liceat mihi totius educationis sacerdotalis animam vel indolem sub conceptu « educationis familiaris » resumere. In schemate expressio haec non invenitur. Putare velim introducendam esse. Quod enim dogmatice et biblice certum videtur et insuper adhuc experientia et scientia fulcitur atque ab idea aetatis nostrae expectatur, omnino acceptandum est.

Schema, dum principia generalia educationis sacerdotalis quaerat, non facit distinctionem inter saeculares et religiosos. Fateri debemus educationem religiosorum ideo saepe a saecularibus valde aestimari, immo admirari, quia omnia elementa educationis ad unum compactum vel complexum familiaritatis coalescere fecit.

Crisis, quae in educatione cleri saecularis iam a multis decenniis observatur, de qua multum loquitur et adhuc plus scribitur, secundum opinionem meam causam suam praecipue in omissione vel negligentia educationis familiaris habet. Educatio sic dicta conventionalis in seminariis erat vel nimis individualis i. e. sibi relinquens alumnum, vel superficialiter « conductio massae ». Aliquando seminarium non videbatur plus esse quam schola nuda aut asylum iuvenum sese ad officia clericalia praeparantium.

Argumentum pro educatione familiari ad verum apostolatum conducenti in seminariis statuenda sic sonat: mysterium Ecclesiae considerari debet tamquam continuatio incarnationis divinae. Deus autem incarnabatur, ut servitium Dei hominumque restauraret. Clerus in populo Dei ad munus Christi vocabatur et instituebatur. Dicit schema: « alumni seminarii veri animarum pastores formari debent », inde secundum cap. III, n. 4: « Omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc finem ordinentur ». Debent ergo clerici sane discere essentiam muneris vel vitae sacerdotalis in continuatione servitii Christi consistere. Ergo non sufficit tantum scire, quid sit illud servitium, sed vocati debent *animum ser-*

vitii exercendo sibi ad hodiernum apostolatum proprium facere, eodem modo, sicuti in seminario « consuescant caste vivere, vel fidem, spem et caritatem continuo exercitio sibi acquirere ».

Quod ex conceptibus populi Dei et mystici Corporis Christi dogmatice clare educitur, nempe quod vita nostra sacerdotalis tamquam servitium Dei et proximi concipienda sit, etiam scientiarum inventis necnon magisterio historiae evolutionis humanitatis hodiernae fulcitur. Tota humanitas ope progressus technici paulatim unicam familiam constituere videtur.

Psychologia et paedagogia hodierna nos edocent educationem familiarem continere omnia elementa, quae ad formationem hominis individualis et socialis necessaria sunt. Dein psychologice constat neminem sine familia, non quidem omnino materialiter sumpta, sed spiritualiter concepta, vivere non posse. Omnes desiderio intimo vel conscio vel inconscio ad aliquam communitatem pertinere protendimus. Cur non adhiberemus ergo structuram spiritualem vel forse psychologicam ipsius familiae ad nostram educationem in seminariis? Anima vel structura psychologica familiae consistit *in mutuo servitio vitae,* ideoque continet in se sensum communitatis, sensum obiectivitatis, aequalitatis et responsabilitatis. Haec omnia ad aliquam speciem caritatis naturalis proximorum non tantum ligamine sanguinis, sed etiam vinculo vocationis, laboris et finis communis coniunctorum reducuntur.

A schemate bene statuitur nucleum educationis sacerdotalis iam in familia christiana inveniri debere, cum familia veluti primum seminarium constituat. Si res ita se habet, tunc educatio seminaristica aestimanda est complementum et perfectio illorum quae in germine iam familia ipsa praestare valet.

In seminariis ergo requiritur vera educatio familiaris. Educatores non tantum sint idonei, id est perfecta scientia et optimo spiritualismo pleni, sed sint in sensu familiari servitii veri « charismatici », queant enim substituere patrem, matrem et fratres, vel aliter: evadant omnibus alumnis sine discrimine omnia, ut etiam hi postea christifidelibus omnia praestare possint. Vita communitatis cum spiritu servitii discenda est, sicuti quaevis praxis in munere sacerdotii. Sine exercitio ex charactere habitus vel virtus nunquam oriri potest.

Nunc ad conclusionem iterum revoco ad elementa constitutiva psychologiae familiae nempe ad sensum communitatis, obiectivitatis, aequalitatis et responsabilitatis. Haec omnia etsi implicite propria animae humanae sint, in educatione seminariorum studio atque exercitio evolvenda habeantur. Quot pericula et damna inhaerent subiectivismo et extravagantiae individuali aliquorum sacerdotum. Persuasio mea est, si in aliquo alumno non inveniretur indoles communitatis vel socialis, melius esset si ex seminario dimitteretur. Quomodo talis homo serviat aliis, quomodo se subiiciat legibus et auctoritati, quomodo evadat membrum familiae sacerdotalis et organum activum solidarismi christiani mystici? Tantum spiritu familiaritatis iterum atque iterum alumnis inculcato solutio saltem ex una parte facilitatur illius sic dictae « pugnae generationum », quae inter iuniores et seniores in clero

hodierno viget. Qui in seipso incapax probatur ad verificationem legem Christi, « alter alterius onera portate », quomodo ille hanc legem aliis praedicet. Ad hos fructus bonos obtinendos requiritur, ut coetus educatorum prius veram constituat familiam, « uno animo et corde » coadunatam, aliter enim familia sacerdotalis ad apostolatum hodiernum apta ex seminariis in vanum expectaretur.

[*Subscripserunt etiam*] José, arch. Fortaleza; José, ep. Penedo; B. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; M. Tavares de Araújo, ep. Caicó; M. Lisboa, ep. Nazaré; A. Carvalho, ep. Caruarú; M. Pereira, aux. Belém; A. Alves, ep. Palmares; A. Hàmvas, arch. Kalocsa; V. Kovacs, adm. ap. Vàc; P. Brezanoczy, ep. tit. Rotaia; J. Ijjas, adm. ap. Csanád; J. Winkler, ep. tit. Dadima; J. Bànk, ep. tit. Materiana; Helder Pessôa Câmara, arch. Olinda et Recife; Fernando, ep. Goiânia; José Vicente, arch. Aracajú; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide de Fenicia; L. Sartori, ep. S. Maria; J. Lopes de Castro Pinto; W. Battú Wichrowski, ep. tit. Felbes; B. da Mota e Albuquerque, arch. Vitória; E. Pereira da Costa; J. Costa Campos, ep. Valencia; V. Calheiros de Novais, aux. Rio.

20

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Schema bonum et pulchrum; sed, pro hodierna rei gravitate nimis remissum, debile, vagum.

Omnes nos Patres — et ego fui residentialis per duodeviginti annos — habemus in mente et in corde nostros sacerdotes: eorum labores, et munera, et pericula; ideas quandoque serpentes inter iuniores: sanctam eorum voluntatem; et problema tremendum de « lapsis », qui sunt — fere dicerem — in inferno viventes.

Videtur igitur cum apostolico vigore consulendum, inter cetera, de selectione et de formatione, praesertim spirituali, sacerdotum.

Duo facta meditanda. 1) Obligationes sacerdotum saecularium revera non sunt minores obligationibus religiosorum. Punctum centrale est caelibatus, idem utrisque. Atqui religiosi, licet tam valide muniti per regulam, vitam communem, amovibilitatem etc., insuper habent saltem annum integrum — non intro in iudicium num quandoque novitiatus fiat minus accurate vel aetate praematura — habent annum integrum ad ponenda fundamenta vitae spiritualis. Sacerdotes ne quidem mensem unum habent, cum illa continuitate et completa vacatione ab aliis curis, quibus quaevis anima — religiosi vel non — eget ad tale immane fundamentale opus. (Notandum quod novitiatus fit etiam, immo fortasse vel severius, a modernis institutis quorum vita tam similis est vitae sacerdotis saecularis; et nunquam efformatio novitiatus zelum apostolicum generosum impedivit vel irretivit aut deformavit in religiosis!).

2) S. Ignatius a Loyola, pro suis finibus apostolicis volens valde attenuare rigorem vitae communis, imposuit valde longiorem et severiorem efformationem, eam immo interrumpendo per aliquot annos, per experimenta cuiusvis generis (a docendo in scholis usque ad peregrinationes mendicando), ita ut sacerdotium attingatur non ante trigesimum annum. Et exitum videtur comprobare systema, quod vero alia grandia instituta gradatim faciunt suum.

An non oporteret aliquid simile *imponi* in institutione sacerdotum? Posset forsan prolungari periodus diaconatus. Nonne in paroeciis multa opera sunt quibus minime necessarium est character sacerdotalis, et quae opportune committi possent diaconibus, in providum auxilium sacerdotibus qui possint sic incumbere solis operibus stricte sacerdotalibus, in providum experimentum ex parte iuvenum et ex parte superiorum?

Aliud grave considerandum. Quandoque « lapsi » volentes se iustificare, dicunt: « Non cognoscebamus ea quibus per subdiaconatum renuntiavimus ». Ex parte credo; experientia constat hodie iuvenem viginti trium annorum, praesertim si educatum in seminario, esse omnino immaturum (et fortasse praesumptuosum). Sed vel potius dicere deberent: « Nesciebamus ea ad quae animae nostrae se pandebant per sacrum caelibatum; et nunc, facti carnales homines, nondum capaces sumus ut ea sapiamus ».

Sacrus caelibatus valde magis ostendendus est sub aspectu positivo et integro. Per eum, non nobis vetamus amorem! sed potius, praetermisso quolibet amore creato, licet bono sed semper inferiori et caduco et post peccatum periculoso (siquidem ipsi coniuges « in resurrectione » erunt sicut Angeli Dei qui non nubent - *Mt.* 22, 30), nos pandimus ad amorem omnino ardentiorem beatiorem fecundiorem, scl. ad perfectionem caritatis divinae, infusae.

Sacrus caelibatus praesupponit et exigit paupertatem; nisi enim vicerimus in exterioribus et facilioribus, non poterimus vincere in intimis et tam magis arduis. Et revera sacerdos, a Deo singulariter « vocatus » et « consecratus » ad opus supremum, ad dispensanda infinita merita Christi, debet se considerare totaliter mancipatum Deo; unde et sua bona debet considerare tamquam non suam proprietatem sed proprietatem Dei, a Deo sibi commissa pro sua sustentatione, suo ministerio, et pro satisfaciendo suis muneribus si forte revera coram Deo habeat v. g. erga familiam. En vera paupertas evangelica.

Item caelibatus, uti diximus, ordinatur ad perfectam caritatem (cf. Enc. *Sacra Virginitas*), quae ad effectum adducitur:

1) per oboedientiam (nam: « Si quis diligit Me, sermonem meum servabit »: qui « sermo » Christi invenitur in Episcopo de quo Christus loquendo Apostolis dixit: « Qui vos audit, Me audit »);

2) per orationem personalem, et intimam unionem cum Deo, ad quam accuratissime per totum tempus institutionis educandi sunt sacerdotes, et quae fiat revera vita intima sacerdotis et anima orationis liturgicae;

3) per zelum: zelum ardentem invincibilem; siquidem laboramus

propter amorem Dei tantum; zelum disponibilem et docilem: siquidem cooperamur Deo pro animabus quas ipse primario diligit, ubi quomodo et quando Deus a nobis postulat praesertim per oboedientiam; et ideo zelum supremae efficientiae supernaturalis.

Vix innui — sed spero non omnino insufficienter — ad ideale sacerdotale excelsum id est plenum; in quo radix solutionis omnium problematum vitae sacerdotalis etiam materialis; in quod — si bene attendatur — convergit universa institutio intellectualis, theologica, philosophica, psychologica, et vita intima et vita relationis sacerdotum. Ad hoc plenum ideale, omnimode continuo inculcatum opportune importune, oportet educare iuvenes per convenientem periodum formationis fundamentalis exclusive spiritualis, et per totum opus efformativum seminarii.

Ideale arduum; sed ad illud Deus vocat sacerdotes; pro illo igitur dat gratiam. Saltem nos Patres, audeo dicere, habeamus fidem! Quo sanctiores efformaverimus sacerdotes, eo abundantius fluet gratia, praesertim quoad vocationes. Ceteroquin iuvenes, natura generosi qui sunt, magis quam per ideale mediocre allicientur per ideale excelsum.

Nostrum schema — audeo ardenter rogare — non remaneat, uti est, pulchra sed, plus minusve, simplex pia adhortatio; sed pro gravitate huius temporis fiat revera documentum imperativum fundamentale, prout decet sollemnem circumstantiam, Concilium Oecumenicum!

21

REV.MUS P. D. ODEMARUS DEGRIJSE

Superior generalis C.I.C.M.

1. *Quoad prooemium.* Occasione itinerum meorum per orbem problematibus sacerdotis et eius institutione bene studere potui. Meo sensu profundo, hoc problema sacerdotis ex maximis et urgentissimis Ecclesiae hodiernae esse sentio.

Sors boni eventus Concilii et renovationis Ecclesiae in manibus sacerdotis ponitur. Sacerdotis est renovatio et aptatio doctrinae Ecclesiae, vitae christianae, liturgiae et catecheseos. Vivificatio apostolica laicorum necnon elaboratio doctrinae socialis Ecclesiae apud eum incipit. Plura Ecclesiae nocumenta imputari possunt deficientiae fidei, deficientiae zeli animarum et sensus Ecclesiae, necnon ignorantiae sacerdotum. Ista nocumenta sua vice imputari possunt institutioni sacerdotum.

Problema formationis sacerdotum futurorum mihi videtur unum ex maioribus problematibus Ecclesiae hodiernae. Haud oblivisci possumus magnum numerum sacerdotum nostri temporis, respectu renovationis pastoralis Ecclesiae — rem mere psychologice considerando — « inconvertibiles » esse.

Nullibi in schemate, neque in schemate de religiosis, sermo est de for-

matione sacerdotum-religiosorum. Cur in lin. 11 post verba « cuiusvis ritus » non addatur « sive dioecesanis, sive suo modo etiam religiosis necessaria est »?

2. Quamvis schema optima continet et uti magna evolutio haberi potest pro formatione seminaristica, mihi videtur deficere in elemento essentiali formationis sacerdotalis: formatione nempe apostolico-pastorali. Nimis timide hac in re sermo est. Ecclesiae renovatio, quae a sacerdotibus inspirari et dirigi debet, magna ex parte hoc elemento subest.

Formatio pastoralis, de qua sub VI pagg. 19-20 non magna convictione accipi videtur et sub praecedentibus numeris ex memoria deposita est. *Verbi gratia*:

1) Sub n. 3: Doctrina huius numeri in multis deficit. Experientia mea multorum seminariorum in multis regionibus mundi me convinxit maximam lacunam seminariorum minorum aeque ac maiorum esse: deficientia formationis apostolicae. Hoc factum magnum nocumentum fuit Ecclesiae. Formatio sese determinans formationi mere intellectuali (humanae) et spirituali, individualistica est, et efficit ut seminarista tantummodo propriam personam consideret. Discat sese aliis dare, hominibus obviam esse et indigentias Ecclesiae detegere: servitium Ecclesiae cum zelo animarum praecise essentia sacerdotii est! Oportet seminaristam sacerdotium detegere!

Sacerdos essentialiter apostolus est, et non fit apostolus theoria sed praxi. Quapropter necesse est spiritualitas seminarii minoris fiat spiritualitas apostolica et formatio apostolica sit tertium elementum essentiale formationis, aequo modo ac aspectus intellectualis et spiritualis.

Praxis apostolica, limitata, aptata et progressiva, realizata parvis in coetibus, in programmate seminarii inseratur et hoc, modo obligatorio pro omnibus.

Non inauditum est schema nihil dicere de apostolatu seminaristarum minorum, dum nos sacerdotes docere debemus omnem baptizatum ius munusque ad apostolatum habere et efficere ut iuvenes in aliis scholis sint veri apostoli! Etiam in plano formationis humanae iuventus debet habere possibilitatem sese animo generoso aliis dandi.

Multis in regionibus, praesertim in missionibus, necesse mihi videtur ad novum conceptum seminarii minoris veniatur; nominentur « scholae formationis apostolicae ». Data statistica patefaciunt quod plurimis in regionibus tantummodo 10% candidatorum ad sacerdotium perveniunt. Sequitur quod: dare istis iuvenibus praeparationem ad sacerdotium et spiritualitatem sacerdotalem est dare formationem falsam: maxima pars istorum iuvenum non est vocata ad sacerdotium. Cur non ab initio dicitur quod pauci solummodo ad sacerdotium vocati sunt, sed quod ex alia parte omnes ad apostolatum vocati sunt et quod ii qui exeunt ex seminario sequi debent vocationem suam apostoli laici. Formatio sit ergo apostolica et ecclesialis, fundata in sinceritate et veritate. Pro certo habeo quod tali modo plures iuvenes ad sacerdotium pervenirent. Valde dolendum est quod tanti ex-seminaristae exeunt e seminario, persuasi infideles esse vocationi, et quod praecise ex istis tanti catholici

tepidi fiunt et non veri apostoli, quamvis meliora elementa suae aetatis fuerunt. Sic Ecclesia, propter formationem deficientem magnum numerum apostolorum laicorum perdit.

Seminarium ulterius adiuvet istos « seminaristas » in formatione eorum apostolica.

Puto quod ista formula in linea doctrinae Concilii de populo sacerdotali Dei, composito e sacerdotibus et laicis, bene poni potest.

2) N. 4, pag. 13, lin. 23, post « intellectualis » addatur « apostolica ».

3) N. 8, pag. 15, linn. 8-12: « Dum enixe ... vivere ». Haec paragraphus vel clarius explicitetur, vel omittatur. Contra textum ut stat plures obiectiones moveri possent.

4) Nn. 16 et 17 pagg. 18-19: Videtur expositio esse nimis intellectualistica et non satis dynamica et pastoralis. Institutio theologica intendit formare futuros sacerdotes. Essentia vocationis sacerdotalis est ut sit pastor, apostolus, deputatus in servitium aliorum. Seminarista debet formari ad annuntiandum et communicandum ea in quibus instruitur.

3. *De institutione pastorali stricte dicta.* Meo sensu schema nimis timide et incomplete hac in re loquitur. Quod formatio pastoralis attinet hoc dicerem: praeter formationem intellectualem et spiritualem, institutio seminarii maioris tertium elementum continet quod aeque essentiale est: formationem nempe apostolicam, quae sic dirigitur ut seminarista et spiritum apostolicum et methodos apostolatus futuri acquirat. Hoc autem per expositiones theoreticas, praesertim autem per praxim sibi acquirat; aliquis enim fit apostolus efficiendo apostolatum.

Quod tamen sic intelligendum est: agitur tantummodo de initiatione (seu exercitio) limitata et aptata (ad aetatem et progressum in scientia v. g.), progressiva. Actio fiat organizata per parvos coetus et post actionem in coetu (sub ductu moderatoris ad hoc) fiat relatio et discussio. Supponitur moderatores et professores spiritum apostolicum habere et etiam ipsos in coetu consociatim agere ut activitatem apostolicam iuniorum inspirent et organizent.

Rationes: 1) Sacerdos, in servitium Ecclesiae demandatus, essentialiter apostolus est et ergo spiritu apostolico indiget. Ad hoc formari debeat annis formationis perdurantibus et non solummodo postea.

2) Non paucis in regionibus, speciatim in missionibus, animadversus sum quod non raro sacerdotes minimum zelum animarum habent, quod egent spiritu missionali et ecclesiali, quod parum curant coetum dechristianizatorum vel paganorum. Ratio primordialis mihi videtur magna lacuna in formatione seminarii minoris et maioris, de qua supra. Per 12 vel plures annos eis dedimus formationem individualisticam, docuimus eos tantummodo semetipsos curare sine aliqua donatione plena suiipsius in servitio aliorum. Quomodo isti, e seminario exeuntes, subito zelo animarum inflammarentur?

3) Concilium in schemate de Ecclesia docet omnem baptizatum vocationem et gratiam ad apostolatum habere. Quomodo theologice defendi potest

seminaristas per 12 annos ab hoc apostolatu excusari, dum iste apostolatus requiritur apud laicos eiusdem aetatis?

4) Labor pastoralis hodie coniunctim fieri debet, per coetus (pastorale d'ensemble, travail en équipe, teamwork): est exigentia nostri temporis, quia problemata pastoralia nimis multa et complicata, dum numerus sacerdotum simul decrescit. Renovatio Ecclesiae impossibilis videtur nisi sacerdotes ubique coniunctim operentur. Actio communitaria deinde exigitur ex natura communitaria Ecclesiae, sicut elucet e schemate *de Ecclesia.*

Mea convictio est quod « travail en équipe » est aliquid valde difficile; ad eum non sufficiet cohabitatio. Aliud est « con-vivere » aliud est « collaborare ». Collaboratio supponit ascesim specialem, ergo educationem specialem. Haec autem in seminario danda est activitate apostolica per coetus facta.

5) Magnus numerus sacerdotum tantummodo pro media parte in munere sacerdotali fructus faciunt, vel quia non cognoscunt methodos aptatas, vel quia quasdam categorias hominum timent (v. g. non cognoscentes psychologiam dialogi), vel simpliciter quia Ecclesiae indigentias totaliter ignorant. Culpa huius rei in formationem conferenda est.

6) Notum est quod spiritus criticismi et infantilismi periculum reale constituit pro omnibus communitatibus clausis. Contactus cum hominibus eorumque problematibus seminaristis sensum realismi et virilitatem dat.

7) Saepius apostolatus sacerdotum partim infructuosus est propter ignorantiam realitatis vitae humanae, propter formationem vitae normali extraneam. Apostolatus debet eis dare contactum cum realitatibus vitae.

8) Seminarista qui non didicit modum animandi et formandi laicos, fit sacerdos qui peccabit clericalismo. Ut supra dixi: apostolatus laicorum ab animatione sacerdotis pendet. Non esset aliqua contradictio si in schemate *de Ecclesia* diceretur quod omnes baptizati, omnia membra populi Dei, vocati sunt ad apostolatum, et in schemate *de Institutione sacerdotali* omitteretur quod omnes sacerdotes futuri animare debent istos laicos?

9) Si in seminario venia datur iuvenibus apostolatum faciendi et datur aliqua responsabilitas in hoc campo, et si ista activitas apostolica in coetibus (en équipe) examine subicitur, tunc seminarista indolem suam intimam melius manifestabit et sic multo melius iudicari poterit de eius aptitudine ad sacerdotium.

10) Experientia docet quod exercitium apostolicum, moderatum et controllizatum minime nocet vitae spirituali, sed e contra eam profundiorem et ditiorem reddit. Neque studiis nocet, quae e contra fructuosius assimilantur. Patet quod invigilatio (« control ») et organizatio semper necessariae sunt, secus et disciplinae et studiis damnum fiet.

4. *De Institutione post seminarium efficienda.* Omnino assentio cum his quae hic dicuntur. A multis annis curavi ut omnibus missionariis meis daretur haec ulterior formatio spiritualis et pastoralis, post 7 annos laboris missionalis.

Haec formatio utilissima est et optimos fructus habet pro renovatione laboris pastoralis et etiam pro renovatione vitae internae. Puto quod etiam valde utile est meliores sacerdotes, magnas responsabilitates habentes, liberari ad nova studia pastoralia in re catechetica, liturgica et sociali incipienda durante uno vel pluribus annis. Haec studia magis fructuosa videntur quam studia ante experientiam pastoralem facta.

Haec sufficiant ... velint Patres excusare meam prolixitatem.

22

Exc.mus P. D. ISIDORUS MARIUS EMANUEL

Episcopus Spirensis

Motu omnino proprio et nomine tantum meo animadversiones quasdam proferre velim, quas etiam aliis Patribus cordi esse opinor.

1. Schema placet imprimis, quia *nota pastoralis* nostri Concilii pervadere videtur istas propositiones. Sic legitur pag. 11, lin. 24: « ut sacerdotalis institutio semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum, in quibus ministerium exercendum est ». Pag. 17, linn. 20-26 postulatur cursus introductorius, in quo mysterium salutis ita proponatur candidatis, ut inde ab initio « sensum studiorum ecclesiasticorum eorumque finem pastoralem conspiciant ». Sequenti pag. 18 linn. 28 ss. exigitur, ut alumni doceantur mysteria salutis semper in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere. Denique pag. 19, linn. 25 ss. expresse dicitur, pastoralem illam sollicitudinem debere integram prorsus clericorum institutionem informare et numerantur in specie disciplinae pastorales, quibus alumni diligenter instruantur.

2. Placet hanc notam pastoralem etiam introductam esse in textum emendatum pag. 19, linn. 16 ss., ubi sermo est de « Episcoporum cura, ut iuvenes melioris indolis et ingenii ad peculiaria Instituta, *Facultates vel Universitates* mittantur ». Finis practicus horum studiorum peculiarium in textu sic enuntiatur: « Praeparentur sacerdotes altiore ratione scientifica instructi, qui variis apostolatus necessitatibus satisfacere valeant ». Ergo etiam studia altiora et specialia finibus pastoralibus moderantur.

Patet vero episcopos vel superiores ordinum, qui alumnos suos vel sacerdotes iuvenes ad tales Facultates et Universitates mittunt, pastoribus ordinariis necnon professoribus istorum institutorum magnam confidentiam praestare, quae etiam alteram partem nobili obligatione adstringit. Praesules alumnos suos selectos quasi in fideicommissum tradentes iure merito exspectant studia in illis Universitatibus et institutionem in collegiis ad mentem huius Concilii ita componi, ut candidati in patriam reduces exigentiis apostolatus nostri temporis vere pares esse valeant.

3. Plane liquet hoc exspectari quoque de studiis sacris in Universitatibus et Facultatibus huius almae Urbis peragendis. *Studia Romana* ipsa Ecclesia

semper magni fecit et commendavit. De facto episcopi et superiores religiosorum ex toto orbe terrarum alumnos bonae indolis et spei Romam mittunt ad institutionem ecclesiasticam quasi authenticam recipiendam. Nonne immensus fundus confidentiae totius Ecclesiae committitur Institutis Romanis in tot millenis clericis studiosis! Procul dubio rectores et professores sunt memores conditionis suae ac omnia impendunt, ut alumni ad ministerium apostolatus sacerdotalis quam optime praeparentur. Certo certius etiam curam habebunt, ut decreta et praecepta huius Concilii candidatis rite intimentur tum in ordine intentionis tum in ordine exsecutionis.

4. Patet reipsa rectores collegiorum et professores facultatum quoad institutionem practicam et pastoralem sicut ubique terrarum etiam hic Romae summopere indigere *adiumento parochorum aliorumque pastorum animarum*. Iuvenes theologi non tantum aures audiendi habent, ut audiant praelectiones, sed etiam utuntur oculis videndi et vident satis vigilanter, quae in ecclesiis publicis fiunt vel non fiunt et quomodo fiant. Prorsus legitime desiderant videre cultum divinum ad normas huius Concilii rite efformatum, scilicet cum viva illa et actuosa participatione populi Dei.

Nolunt candidati sanctuarii videre tantum « ecclesiam silentem » mere passivam. Ad superabundantiam autem viderunt diebus dominicis nuptias illas pomposas, quales iam in libro I Macchabaeorum (9, 37-39) describuntur ita: « ducunt sponsam ... cum ambitione magna ... et ecce tumultus et apparatus magnus ». Non fugit alumnos decreta Concilii data esse « Urbi et orbi » et vacationem legis brevi tantum tempore circumscribi. Sane non decet filios monere matrem. Hoc competit soli patri. Et pater optimus, Iohannes Papa XXIII s. m. animo candido hoc fecit, cum in Constitutione Apostolica de Prima Romana Synodo promulganda clero suo Romano in mentem revocaret verba illa gravia sancti Bernardi dicentis: « Primo quidem clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo praecipue in omnem Ecclesiam cleri forma processit » (*De consid.* lib. IV, cap. II).

Conclusio. Intime exoptant episcopi et superiores, ut hodie quoque alumni Romam missi formentur in Urbe principum Apostolorum genuino spiritu apostolico, ita ut in patriam reduces inveniantur non tardi frenatores, sed ferventes promotores renovationis christianae.

Faxit Deus, ut sicut nobis veteranis post decennia ministerii sacri in dissitis terrae partibus haec alma Roma etiam illis permanserit omnibus « parens, magistra, patria! ».

23

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis et episcopus Squillacensis

Licet maxima ratione synthetica noviter elaborata sint quae iam parata erant in praecedenti schemate, propositiones ita redactae in genere placent.

Exemplum Domini secuti, qui vitam publicam fere totam consumpsit in

electione et institutione Apostolorum, quam per Spiritus Sancti adventum complevit, etiam Concilium Oecumenicum pastorale in institutione sacerdotali totis viribus adlaborare debet, ut digni Ecclesiae ministri habeantur qui omnia impendant et semetipsos superimpendant pro animabus in viam salutis Christi adducendis.

Quaedam adnotare desidero ut profundiore luce perfundantur quae in prooemio et 19 numeris continentur.

1. Ad n. 2: Christus Dominus ante electionem Apostolorum « erat pernoctans in oratione Dei » (*Lc.* 6, 12). Tota Ecclesia, omnes sacerdotes et fideles numquam ab oratione cessent ut Ecclesia dignis et sanctis ministris fruatur. Aptius hoc officium, quo omnes tenentur, in textu inculcetur.

2. Ad n. 3: ne dedignentur episcopi et superiores seminariorum, hac nostra aetate, penitiore cura « de congrua valetudine physica et *psychica* » candidatorum considerationem habere. Gratia supponit naturam, eique inhaeret ipsam sanando et adiuvando: sed non omnis sanatio efficit subiectum aptum ministerio sacerdotali, quod est munus *publicum* in Ecclesia.

3. Ad n. 7: quae optime dicuntur in hoc numero de institutione spirituali impensius excolenda, applicanda sunt inde a vita candidatorum in seminariis minoribus, per rectam et convenientem *catecheticam instructionem* una cum initiatione ad historiam salutis — seu sacram — in Vetere et Novo Testamento contentam, et ad historiam Ecclesiae addiscendam.

4. Ad nn. 13-14: ampliori ratione proponatur, sive in studiis philosophicis, sive in theologicis, *necessitas* sequendi rationem et viam methodum S. Thomae, qui semper « studiorum Dux » agnoscitur in Ecclesia, salva reverentia in alios Doctores Ecclesiae catholicae.

Insuper desiderarem — quod iterum dico — ut qui studia theologica recte peregerint — quae, in comparatione cum studiis laicorum post scholas medias superiores curriculo universitario comparari iure possunt — sacerdotes effecti, donentur titulo academico quo iuxta statuta et consuetudines cuiusvis nationis decorantur quotquot universitates studiorum in aliqua facultate frequentant; salvo quod dicitur in n. 15 de studiis superioribus ecclesiasticis, ad quae mittendi sunt qui *Magistri* in universitatibus et in seminariis maioribus adscisci volunt.

5. Ad nn. 16-18. Probanda sunt omnia quae dicuntur in his numeris, *sed* vitentur exaggerationes, cum non sit possibile simul studiis theologicis *serio* incumbere, et dare operam actionibus pastoralibus. S. Paulus, antequam in ministerium apostolatus adnumeraretur, per multum temporis in deserto fuit (ipse enim ait: « sed abii in Arabiam: deinde *post annos tres* veni Ierosolymam videre Petrum... » *Gal.* 1, 17-18) ad meditandum in revelationibus et doctrina Domini: et postea factus est Gentium Apostolus. Ideoque, si quae exercitia pastoralia velut tyrocinium praestanda sunt a clericis, reserventur opportunis temporibus feriarum autumnalium, et in ultimis annis cursus theologici.

24

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNÁNDEZ
Magister generalis O.P.

Praeprimis magnopere gaudendum est de textu emendato istius schematis « Propositionum » nuper nobis distributo et qui exhibetur nunc in aula Concilii ad eius discussionem. Et sincere gratulandum est commissioni propter hunc optimum laborem refectionis reelaborationisque schematis, quam ipsa commissio perfecit « secundum facultatem ab auctoritatibus Concilio praesidentibus communi deliberatione concessam », ut ait nova Relatio.

Etenim nunc ultro fatendum est textum istum emendatum dignum esse qui a Concilio approbetur, additis quibusdam correctionibus. Sane prior textus « Propositionum » insufficiens plane iam primo fronte videbatur. Eius siquidem propositiones redactores excerptas collegerunt ex praecedenti schemate *De sacrorum alumnis formandis,* sed modo adeo summario et contracto ut summis tantum digitis et quantum ad generalia quaedam eius sensum quandoque reddebant. Deerant etiam quaedam fundamentalia in re tam maximi momenti pro bono Ecclesiae promovendo.

Immo quandoque propositio excerpta sensum reflectebat partim oppositum vero sensui qui in originali unde desumpta erat, nempe in schemate fusiori, tam recte continebatur. Ideo aliquae ex his propositionibus impressionem dabant quasi quaedam essentialia in institutione sacerdotum iam non amplius in vigore exstare.

Laetandum igitur quod commissio per textum emendatum plura restituat ex priori illo textu, et alia quoque summi momenti addat ex animadversionibus Patrum, ex quibus iam synthesis ac schema normarum magis cohaerens et aequilibris apparet. Nam scopus pastoralis atque renovationis et accommodationis ad hodierna tempora ita in omnibus extolluntur, ut tamen integre retineantur alia quae substantiam institutionis sacerdotum efficiunt, ut primatus valorum spiritualium atque exercitii vitae orationis et supernaturalium virtutum, completa efformatio intellectualis, etc.

1. Specialiter et grato ac laeto animo hoc comperimus in iis quae ad institutionem in scientiis sacris attinent. Nam in priori textu « Propositionum » ita truncate et vago modo quaedam excerpebantur ex optimo textu schematis constitutionis *De sacrorum alumnis formandis* (nn. 20-22), ut impressio relinquebatur quasi philosophiae perennis studium ad quaedam principia comparanda reduceretur, praeter accuratiorem notitiam systematum modernorum, theologiae vero universae ad quamdam contemplationem mysteriorum salutis in S. Scriptura.

Textus autem emendatus res denuo restituit ad substantialem sensum constitutionis anteactae, expresse declarans universae theologiae disciplinas materiam efficere sacerdotalis institutionis, et quidem intime penetrandas et cognoscendas ex fontibus Revelationis duce Magisterio Ecclesiae, n. 16.

2. Ad hoc ipsum paucis me permitto attentionem convertere. Nam textus retinet et reaffirmat institutionem theologicam quantum ad speculativam illustrationem atque intimiorem penetrationem dogmatum fieri debere « S. Thoma magistro ». Quae conciliaris agnitio magistralis ductus S. Thomae in re theologica approbat quidem saecularem Traditionem in Ecclesia voce unanimi Pontificum firmatam, et intimum gaudium nobis afferret.

Ut autem praedicta declaratio normativa non evadat inanis et reducatur ad vagam imitationem figurae exemplaris Angelici Doctoris, et non ad eius doctrinam apprime cognoscendam sequendamque etiam hodierno tempore, ut plures nunc ac saepius interpretari autumant, oportet atque postulatur enixe ut declaratio expressior fiat qualis integre habebatur in priori schemate *De sacrorum alumnis formandis,* et a quo illa verba desumpta sunt.

Enimvero ibi dicebatur, n. 20: « In cursu philosophico philosophia perennis, *secundum S. Thomae rationem, doctrinam et principia...* ita tradatur ut eius absolutam cohaerentemque synthesim alumni acquirant ». Et idipsum repetitur fieri debere in theologia ad « mysteria salutis quantum fieri potest illustranda » et penetranda « ope speculationis S. Thoma magistro, sicut de philosophia dictum est », n. 22.

Ex hac indubia ac perspecta assertione theologicae atque philosophicae auctoritatis S. Thomae proculdubio tota theologica sacerdotum institutio roboraretur atque ad solvenda problemata hodierni temporis magis apta redderetur.

3. Si vero non aestimaretur necessarium tam expressam iniunctionem addere, videtur adhuc opportunum retinendum et edendum illud antiquum schema constitutionis *De sacrorum alumnis formandis, ad modum officialis commentarii* actualis *Schematis Propositionum.* Hoc siquidem iustum et rationabile videtur, cum istae propositiones ex illius fusiori textu exscriptae sunt. Verum inde valor sensusque illarum propositionum sub luce ipsius contextus rectius perpenderetur. Nam schema constitutionis praedictum, quod ex plurimis animadversionibus Patrum fuerat recognitum, habere videtur veram auctoritatem textus conciliaris.

Et haec quidem methodus etiam commendanda videtur pro aliis schematibus quae, eadem gratia brevitatis, ad breviorem formam propositionum reducta sunt: notanter schemata *De religiosis, De activitate missionali Ecclesiae, De scholis catholicis, De matrimonii sacramento.* Cur enim solum schema *De Ecclesia in mundo huius temporis* editur ditatum fusis *Adnexis* ad commentarii officialis se habentibus, quae tamen non recipiunt discussionem in aula, sed solum animadversiones Patrum?

Hac igitur sola ratione dicta schemata, ad tam brevem modulum propositionum constricta, in sua plena doctrinae luce apparere possent.

25

Rev.mus P. D. IOANNES FERREIRA
Praefectus Apostolicus Guineae Lusitanae

1. Nostrum schema *exordiens a principio* quod magna ex parte *renovatio totius* Ecclesiae *a ministerio sacerdotis pendet,* proclamat, logice, institutionem sacerdotalem momentosissimam esse. Et quidem recte. Exinde, principiis ab experientia saeculorum traditis suffultus ac simul cum novis temporum exigentiis cohaerens, dicit hanc viam schema selegisse. Quod propositum clarissimus Relator, clare et methodice, sub pag. 7 suae relationis, confirmat.

2. Redactio tamen, forsan quia contra cursum programmatis initialis in propositiones reduci debuit, has exigentias propositas satisfactorie non attingit. Profecto, commissionis strenuo labore non obstante, Concilium lineas fundamentales et necessarias pro nova formatione clericorum promovenda prae manibus nondum habet.

3. Concilii programma est inter alia *actualizatio seu apertura mentis Ecclesiae* ad novos valores spirituales nostri temporis. Haec apertura datur *docendo et audiendo.* Si tamen Concilium decrevit de formatione clericorum loqui, non debet simpliciter ea quae historia temporis transacti tradit, retinere. Illa sunt iam bene codificata et expressa in documentis pontificiis, praecipue a Pio X usque ad Paulum VI.[1]

4. Quia res mere disciplinares et iuridicae vel a Summis Pontificibus dictae sunt vel ad Commissionem Revisionis Codicis Iuris Canonici remittendae sunt, videtur Concilium pro se reservare debere aliquid specifici, scil.: 1) *doctrina de vocatione sacerdotali*; 2) *doctrina de formatione sacerdotali*; 3) *doctrina de indole pastorali formationis clericalis.* Rationes sunt sequentes:

Sacerdos est homo Dei. Hoc theologice certum est. Et fideles id quaerunt ab eo. Sacerdos est ergo homo consecratus ad res divinas et his rebus spiritualiter inhaerens. Ex hoc, fundamentum conscientiae sacerdotalis, validis rationibus theologicis apud seminaristas importat instaurare. Optandum est proinde, ut schema declaret theologice, ecclesiastice et humane, *sensum concretum* huius vocationis, huius formationis et huius finis pastoralis pro seminaristis nostri temporis, consideratis principiis proprii individui necnon principiis socialibus in quibus eius *actio incarnatur,* in conditione humana. Adolescentes hodierni in seminariis commorantes mentalitatem activam habent. Loquuntur de actualizatione (« aggiornamento ») Ecclesiae, de dialogo, de oecumenismo, de evolutione et praesentia Ecclesiae in mundo, de novis

---

[1] Cf. Documenta et acta Summorum Pontificum. *Seminaria Ecclesiae Catholicae,* ed. Sacra Congr. de Seminariis; *L'Ordinamento dei Seminari da S. Pio X a Pio XII,* Vat. 1958; *Enchiridion Clericorum.*

formis humanismi et de efficaciori didactica et paedagogia. Illi sciunt quod sacerdos est filius Dei, vocatus ad sanctitatem; sed simul animadvertunt neminem eos dispensare de eius actione et apostolatu intra mundum, in circumstantiis duris et non raro heroicis. Sese interrogant quomodo compossibilis sit eorum vocatio, formatio necnon finis pastoralis eorum actionis. De hac re multa attendunt a Concilio.

Seminaristae hodierni aliam dimensionem mentalem habent quam in temporibus transactis. Hoc factum novas exigentias in aequilibranda personalitate sacerdotis nostrae aetatis supponit. Legunt et audiunt plura, praeter lectiones magistri et superioris, moderna instrumenta communicationis socialis de principalibus orientationibus in campo sive philosophico sive sociali, sive litterario sive artistico. Hoc non possumus ignorare. Illi sciunt quod Ecclesia valores humanos aestimat et de theologia realitatum terrestrium loquitur. Sciunt etiam quod inter doctrinam scholasticam et modernos errores, terra virgo adhuc exstat, ubi multae veritates continentur et ubi Christus adesse debet. Volunt seminaristae hodierni esse adulti tam in fide quam in consecratione, sacrificio et responsabilitate. Libenter ergo audiunt a Concilio quomodo testes, exempla, apostoli et dialogantes in Domino effici possunt. Quaerunt quomodo compositio inter fidem et rationem, inter evangelium et praxim terrestrem effici debeat. In quibusdam coetibus Ecclesiae adhuc notio statica, ingenua et mere ascetica vocationis est. Seminaristae anxie et in dubio vivent, et seminaria in crisi erunt dum quaedam methodus directionis spiritualis, quaedam principia formationis (scil. « deformationis ») et tales ac tales textus sic dicti manuales exstiterint.

Valores sacerdotales hi sunt indiscutibiles: 1) Christus et eius doctrina ut principium; 2) Liturgia ut expressio sensibilis relationis humano-divinae; 3) Caritas ut flamma pastoralis; 4) Exemplum vitae ut personalis argumentum.

Hanc quaestionis dimensionem hodie nemo ignorare potest.

Si tamen defectus permulti in institutione sacerdotali adsunt, concludere licet aliquid esse extra locum. Forsan quia non sufficienter magni fit formatio humana in experientiis vitalibus. Forsan quia indirecte fovetur ille typus educationis ubi sensus responsabilitatis ex abrupto oriri debet in die ordinationis sacerdotalis tanquam charisma e caelo depromptum.

Complere (non suspendere neque contrariare!) valores culturales et sociales in se bonos, est initium formationis moralis et exitus totius realizationis. Hoc sub respectu, promoveantur convivia cum sacerdotibus eiusdem dioeceseos vel cum sacerdotibus religiosis, ut cum eis seminaristae communicent experientias et meditationes habitas in activitate sacerdotali. Post ordinationem, ut bene recordatur sub propositione 19, habeantur cursus obligatorii et circuli activi de rebus pastoralibus, methodis aptis adhibitis, ita ut transitus seminarii ad vitam ministerialem ordinetur ad bonum individui et Ecclesiae.

Item desideratur ut Universitates et Instituta praesertim pontificia et catholica qui magistros seminaristarum efformant, praeter scientiam abstrac-

tam et schematicam, sensum problematum una cum methodo adlaborandi inter homines praebeant. Tandem, optamus ut in nullo casu seminarista sit in plano inferiori relate ad Status programma studiorum, sicut iam Pius XII in exhortatione *Menti nostrae* (23-IX-1950) memoravit.

5. Ad concludendum, carissimi Patres, dicam quod schema « initium itineris » (cf. relationem, p. 9 *c*) in aliquibus propositionibus praebere videtur. Non tamen volumus simplices propositiones ubi analysis nondum data fuit, sed solidum schema ubi doctrina theologica valida de vocatione sacerdotali, de eius nutritione seu formatione et de consequenti eius fine pastorali habeatur.

Nova visio Seminarii niti debet in dynamico conceptu Ecclesiae, quem Sancta Synodus in propria constitutione instauravit, et etiam in adnexis et congeminis decretibus Conciliaribus.

Aliquod adagium populare sic sonat: talis filius, talis pater. Hodie mundus iudicat Matrem Ecclesiam per suos filios. Profecto videatur forma qua seminarii efficaciores reddi possunt in unitate paedagogiae Christi pro nostro tempore.

[*Subscripserunt etiam*] A. Cardosa Cunha, ep. tit. Baris in Pisidia; Ioâo, ep. Lamego; Polycarpus, ep. Guarda; L. Yañez, ep. Los Angeles; J. Landreau, praef. ap. S. Louis du Sénégal; A. de Castro, ep. tit. Ombi; M. Gomez Frande, praef. ap. S. Miguel de Sucumbios.

26

Exc.mus P. D. IOANNES FERRO

Archiepiscopus Rheginensis

Dignum laude censeo propositum commissionis non omnia exponendi ad exhauriendum argumentum *De institutione sacerdotali* ut potius principia tantum essentialia stabiliantur, ex quibus normae in posterum sumantur, sive a commissionibus post-concil., sive a conferentiis episcoporum singularum Nationum et ab ipsa commissione Iuris Canonici recognoscendi.

Quod sane emolumentum non parvi ponderis etiam erit Sacrae Congregationi de Seminariis in moderandis iis quae ubique sunt seminaria pro clericis rite instituendis.

Quare adprobandum videtur hoc schema, quo nos, in Concilio congregati, complere et perficere quodammodo intendimus magnum illud opus pro Sanctuarii alumnis instituendis a Concilio Tridentino quattuor abhinc saecula feliciter inchoatum. Neminem fugit quot immensa beneficia in decursu quattuor saeculorum Ecclesiae Dei obvenerint, cum progredientibus annis fere ubique tot Summis Pontificibus, episcopis et sacerdotibus cooperantibus, Domino confirmante, seminaria, scientiae et sanctitatis coenacula facta sint, quorum splendor adhuc perseverat, umbras desiciens, si quae ortae sunt.

Quapropter in necessaria renovatione veterum seminariorum, et in novis instituendis pro Ecclesiis nuperrime fundatis, magna aestimatio facienda est de praeclaris gestis eorum, quos vere Patres appellare decet, atque eorumdem diligenter servanda exempla et dicta, immo et illae consuetudines, quae robur retinentes humani ac supernaturalis valoris, eo quod eos tam dignos habeant auctores, veram nobilissimam traditionem praeseferunt.

Ideo ad tantum bonum fideliter asservandum, atque ad decus Ecclesiae Dei augendum, scripto conserventur oportet memoriae tot illustrium virorum, e quibus alii seminaria fundaverunt, alii doctrina et sanctitate eadem ornaverunt.

Quae si generose peragentur, ut sperare licet, patrimonium pretiosissimum antiquae dioeceses Occidentis et Orientis inter se communicabunt, et ad Ecclesias nuper fundatas, fraterni amoris signum praebere gaudebunt.

Hoc mihi videtur faciendum, non tantum ad complenda quae iam peracta sunt in celebratione IV evoluti saeculi ab Institutione Seminariorum, sed ad id praecipue ut qui in illis educantur alumni sanctissima hortamenta et exempla haurire possint, quibus instructi vitam pietate et doctrina instituant, ad suam fratrumque animas Christo lucrifaciendas.

His breviter dictis proponere audeo ut ad ea quae in fine num. 16, pag. 18 optime dicuntur « manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorant etc. » addatur hortatio ut sanctae traditiones religiose serventur, maiorum vestigia fideliter prosequendo.

Praeterea verbum addendum censeo in schemate, ut ditissimum thesaurum Summorum Pontificum Magisterii omnes prae oculis habeant moderatores et alumni, in primis quae in pluribus documentis docuerunt de philosophicis disciplinis tradendis « Ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia » (*C.I.C.*, 1366, 2), ut appareat Ecclesiam de praecipuis veritatibus cum Revelatione arcte connexis idem semper sensisse.

Peropportunum videtur hac ratione modum servare illius rerum novarum studii, quod quidem insitum est humanae naturae ad scientiam acquirendam, sed periculum levitatis et erroris praeseferre solet omnibus hominibus hisce in terris peregrinantibus, praesertim iuvenibus experientia haud praeditis.

Non novitas est urgenda, sed potius veritas indefesso studio quaerenda, quae semper iuvenescit, veritas quae fructus in dies praebet dulciores cum caritate coniuncta, quaeque neque in falsi nominis scientia, neque in superbia vitae inveniri potest, sed in humilis spiritus libertate filiorum Dei; cuius fulgore iustorum corda illustrantur, ut opera lucis compleant ad omnium in ecclesiastica ac civili societate aedificationem.

Sane non parvi momenti fructus obtinebunt sui laboris moderatores et magistri, qui in Christo et in Ecclesia ad reverentiam et gratitudinem erga maiores et sanctiores viros, iuvenes sibi commissos educare contenderint.

Verumtamen quae de eximiis traditionibus particularis et universalis Ecclesiae firmiter servandis affirmamus, nullo modo intelligenda sunt ad omnia praeterita indiscriminatim extollenda et retinenda, more laudatorum tem-

poris acti, quin immo plurima obsoleta prorsus erunt relinquenda et abroganda etiam in seminariis, nec unquam minuenda actuosa voluntas in dies progrediendi, cum in divinarum humanarumque rerum scientia novisque rationibus earumdem tradendarum, tum praecipue in renovationis spiritualis studio, ut, gratia Dei cooperante, sapientibusque magistris moderantibus, strenui cooperatores episcopalis ordinis rite formentur. Sic nullo labori parcendum erit in optimis seligendis rerum spiritualium ceterarumque disciplinarum utriusque cleri magistris.

Etiam ex laicis doctis viris, praeclaris virtutibus praeditis, deficientibus sacerdotibus, nonnulli quandoque vocandi erunt ad quasdam disciplinas in seminariis docendas. Qui, absque dubio, dum suo munere egregie funguntur, Christo et Ecclesiae intimius adhaerent, ita ut aptiores evadant ad fidem inter homines profitendam et ad actuosum apostolatum exercendum.

Haec ne pigeat nos recolere et sine ambiguitate tradere iis, qui in seminariis instituuntur, ut permanentes in iis quae praedita sunt eis perfecti fiant Dei homines (cf. *2 Tim.* 3, 14, 17).

Ad n. 4, pag. 13, a lin. 15 ad 21, periodus melius videtur componenda: « Ut sciant omnium fieri servi, Christi vestigia sequentes, qui non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45; cf. *Io.* 13, 12-17).

Ad n. 13, pag. 17 quae dicuntur de lingua latina pro alumnis latini ritus, videntur dici posse de linguis orientalibus pro alumnis Ecclesiarum Orientalium, quae tot praeclara documenta Patrum possident.

27

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS FROTZ

Episcopus tit. Coradenus, aux. Coloniensis

Schema in genere placet. Liceat mihi, quae sequuntur, proponere:

I. Pag. 14, cap. III, n. 7 textus emendati, lin. 32, post verbum « provideatur » addatur: « indoles sociales magis excolantur et vera confraternitas exerceatur ». *Ratio*: 1. Non pauci alumni ex familia proveniunt, in qua sunt *unicus filius*. Qua de causa indoles socialis saepe non bene evoluta est. Dum in communitate magna isti alumni facile vitam suam privatam gerere possunt, in communitate parva ad indolem socialem evolvendam plus vel minus coguntur, quod necessarium est pro vita pastorali.

2. Confraternitas inter sacerdotes vere maximi momenti est. In communitate parva sese melius evolvit, sed exerceri debet.

1 et 2 pertinent quidem ad formationem personalem, de quo in textu, sed melius videtur, ut expresse dicatur, quod desideratur.

II. Pag. 17, cap. V, n. 13 textus emendati, lin. 9, post verbum « adhibere possint » addatur: « et insuper unam vel alteram linguam modernam ita di-

scant, ut in vita sacerdotali fidelibus etiam aliarum nationum inservire valeant ». *Ratio*: patet ex evolutione societatis modernae, quae homines omnium nationum et populorum diversis et multiplicibus rationibus per breve vel longius tempus in terras alienas adducit. Utile esset, si in textu schematis huic necessitati pastorali provideretur.

III. Pag. 19, cap. V, n. 16 novi textus emendati, lin. 45, post verba « communicare valeant » addatur: « Praeterea alumni conditiones vitae hominum, intime cum problemate infidelitatis modernae vel abstinentiae a vita ecclesiastica coniunctas, melius cognoscere discant, situationem Ecclesiae in mundo hodierni temporis eiusque missionem in eo profundius intellegant et hoc modo ad dialogum et auxilia necessaria proferenda magis idonei fiant ». *Ratio*: multi alumni cognitionem immediatam et practicam conditionum vitae hominum non habent vel habere non possunt. Ratio vitae in propria familia et in seminario saepe « unilateralis » est, ita ut, alumni non raro falsam opinionem de vitae conditionibus hominum habeant et sic in vita sacerdotali non bene procedunt. Proinde episcopis et moderatoribus seminarii directio saltem aliqua indicetur, ut vias aptas ad melius cognoscendas conditiones vitae, e. g. operariorum in officiis suis practice inveniant.

IV. Pag. 19, cap. V, n. 17. Nova alinea vel novus numerus addatur, qui hanc cogitationem continet: « Ad ambitum " visionis " alumnorum amplificandum, ad zelum studiorum vivificandum, ad communitatem fraternam interdioecesanam experiendam et colendam cursus theologici instituantur, quos alumni etiam aliarum dioecesium nationalium et internationalium necnon societatum religiosarum, missionalibus non exceptis, participant. Expedit, ut ad hos conventus etiam laici apti et periti invitantur. *Ratio*: Experientia docet, tales cursus multum ad formationem intellectualem et spiritualem alumnorum iuvare. Alumni hodierni temporis non minus quam studentes laici contactu vivo et vivificante cum aliis alumnis etiam aliorum populorum indigent.

28

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus null. Acrensis et Puruensis

I. *Animadversiones generales*. 1. Non est clarum an « Institutio » sacerdotes non tantum saeculares, sed et regulares respiciat: quod certe esse deberet, cum omnes aequaliter sint sacerdotes; ideoque, sub sacerdotali respectu, aequaliter aut valde similiter instituendi. Si ita est, aptari, scilicet compleri, debet textus Prologi et I.

2. Fortasse lugendum est Concilium nostrum ter saltem de sacerdotibus agere: in capite peculiari de Ecclesia, in « De sacerdotibus », hic in « De institutione sacerdotali ». Nonne melius fuisset aut esset, haec omnia accurate iterum perpendere atque forsitan ad unitatem, scilicet ad unum caput, re-

digere? Forsan vitarentur repetitiones et expositio magis completa et ordinata, ideoque et efficacior evaderet.

3. Fortasse, immo, non incongruum foret si tota haec de Presbyteris materia iterum consideretur, attentis Pii X, XI et XII documentis, ita ut in *unico* « de Presbyteris » capite, licet presse expressum, nihil desit ex iis quae sapienter ac practice illi Romani Pontifices protulerunt, inducto Spiritu quem in Concilium Ioannes XXIII immisit quemque Paulus VI servandum voluit, atque additis iis quae novissimorum quoque temporum verae scientiae et pastoralis experientia suggerunt.

4. Peculiari cura recognoscenda seu aptanda sunt quae hic de institutione philosophica ac theologica proferuntur.

5. Totus dein recognitionis labor, quocumque modo fiat, prae oculis iugiter habere debet schemata hucusque adprobata, ut omnia cum eis congruant, sive sub materiae sive sub spiritus respectu.

II. *Animadversiones particulares.* Pag. 11, lin. 1: in schematis initio, semper integre dicendum est, pro posteris, de qua agatur synodo. Unde scribendum videtur: « Sancta Synodus (Oecumenica) Vaticana Secunda ».

Pag. 11, lin. 11: nonne scribendum est: « omnibus sacerdotibus *sive saecularibus sive regularibus* cuiusvis ritus... », ob rationes supra dictas in Animadv. generali 1?

Pag. 11, lin. 19: consequenter ad supra indicata, addenda esset mentio superiorum maiorum religiosorum. Verbi gratia, ita: « ab episcoporum ac moderatorum coetibus concorditer statuenda... », vel meliori modo.

Pag. 12, lin. 2: post « pertinet » ponatur virgula.

Pag. 12, linn. 2-3: advertendum, vocem « christiana » bis repeti duabus alineis. Elegantiae causa, una ex his est per aliam commutanda. E. g. « *credentium* (ut in Actibus) communitatem ».

Pag. 12, linn. 1-24: tota huius numeri (2) materia forsan esset aliter disponenda et aliis concretis exemplis ditanda, ne unice quae omnes sciunt dicat.

Forsitan ergo, ob logicas rationes quae intuentibus apparent, ita textus iste disponi posset, ordine scilicet trium periodorum parumper mutato:

a) Actuosa ad vocationes ... consecret.

b) Opus vero ... operarios.

c) *Hoc autem* fovendarum vocationum opus ad totam quidem *credentium communitatem* pertinet, quae vita ... promovere debet.

d) Inter varia autem subsidia, profecto adnumerari queunt selectorum presbyterorum aliarumque personarum, ad vocationes quaerendas et congregandas, huc illucque accedentium, incessabilis auctuositas; librorum, ephemeridum, foliorumve, a praedictis aliisque peritis, per episcoporum superiorumque maiorum coetum deputatis, congrua praeparatio ac latissima pervulgatio; congressuum, ad causas penuriae vocationum investigandas atque ad aptiores eas suscitandi fovendique methodos statuendas inducendasque, adunatio; cinematographei et undarum electricarum ope, apta sermonum imaginumque

de re ad vocationes spectante, transmissio; Sacrarum Ordinationum, ad sacerdotium potissime, competenti praedicationis cursu praemisso, sollemnis collatio, diebus quibus fideles ad ecclesiam numerosiores confluere solent; ac tandem publica decoraque iubilaeorum sacerdotalium celebratio.

e) Tamen ad fovendarum vocationum opus maxime conferant oportet tum familiae ... tum sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus.

Pag. 13, lin. 26: Si haec Instructio, ut suo loco dictum est, ad religiosos quoque se extendit, textus ita complendus est: « ... episcopi *aut superioris maioris* auctoritati ... ».

Pag. 14, linn. 16-32: Si hoc de Institutione sacerdotali schema, religiosos quoque respiciat, utpote veros futuros sacerdotes, sacris quoque missionibus haud raro addicendos, pariter mutationes, iuxta ea quae supra protuli, essent inducendae. Idem dicendum quoad pag. 16, linn. 21-34.

Pag. 15, linn. 19-20: « illuminato ». Fortasse aptius dicitur: « illustrato ».

Pag. 16, lin. 34: hoc aliove aptiore loco, addendum est aliquid de alumnis non plane segregandis sed congrue manuducendis ad considerandum ea quae in posterum, etiam qua pastores, scire debebunt, quaeque ad rem socialem et politicam, nationalem et internationalem, ad spectacula et gymnicas similesque contentiones (sport) referuntur. Instituendi proinde, etiam his de rebus, ita erunt, ut eas non mundana mente communibusque oculis considerent, easve avide quaerant aut de iisdem ardenter disputent, sed ut, iuxta Apostoli hortamentum, quaecumque bona probent et opportune sectentur, de malis vero serene recteque iudicare addiscant, eisque remedium afferre optent, iamque fortasse, pro ipsorum modulo, de facto afferant.

Pag. 17, linn. 4-9: Si hoc quoque decretum *universam,* et non latinam dumtaxat, respicit Dei Ecclesiam, cur de uno *latino* idiomate sermo est? Et quidem tempore quo liturgici libri in vulgares vertuntur linguas? Ideo, consultum videtur, ut post « linguae latinae » (lin. 5) addatur: « et graecae atque hebraicae, ... quibus ... ».

Quibus positis, fortasse verba: « atque, si ... possint » (linn. 8-10) deleri possent; quod Oecumenismo prodesset, vel saltem aptari.

Pag. 17, linn. 21-29: bene perpendendum an illa Introductio necessaria aut utilis revera sit, ne disciplinae cursusque adhuc multiplicentur (cf. pag. 19, lin. 13).

Pag. 17, linn. 30-40: quae de philosophicis traduntur disciplinis, satis bene confecta videntur. Sed quia praevidendum est quosdam aut multos Patres conciliares (eorumve peritos) ad S. Thomam, sicut infra pro S. Theologia, appellaturos esse, in hac hypothesi non censeo ad I. C. aliasve documentorum iam latas leges simpliciter redeundum esse, at quae sequuntur, vel adhuc meliora, animadvertenda ac statuenda esse:

« Philosophia perennis ita tradatur ut alumni plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae instituantur. Ita autem in Angelici incumbendum erit philosophiam, ut quae, ob scientiarum progres-

sum, amplius teneri non possunt, reverenter seponantur; quae vero in ea desiderantur, sed ab aliis cuiusvis epochae sapienter prolata sunt, libenter assumantur.

Sed quia haec exigentia elementa quaedam seponendi aliaque assumendi necessitatem secumfert consuetam synthesim in quibusdam emendandi, in aliis perficiendi vel noviter conficiendi, ideo huic operi ita insudandum erit ut, iuxta Ecclesiae normas, quantum ad omnia, pro temporum et personarum adiunctis, quam maxime sit accommodatum.

Ex hoc autem doctrinae corpore diversa philosophorum, sive antiquorum sive recentiorum, systemata examinentur et diiudicentur ».

Pag. 18, linn. 1-36: Ea quae de scientia sacra dicuntur satis bona sunt, at indigent quodam complemento et quadam expolitione.

Indigent imprimis quodam complemento, quia, dum de S. Scriptura sermo est ac de tractatibus dogmaticis, nihil de Sacra Liturgia ut Traditionis teste, ideoque ut eorundem tractatuum fonte, et nihil de tractatibus moralibus; et fere nihil de re pastorali.

Indigent insuper quadam expolitione, sive quoad plura, sive praesertim quia ea quae de Sacra Scriptura, linn. 10-17, dicuntur, sunt quidem egregia in se, at quae aliqualiter nexum rumpunt inter ea quae linn. 4-10 (ex *Sedes Sapientiae,* art. 45, § 2, fere ad litteram deprompta) et quae linn. 17-36 traduntur.

Age nunc ad singula!

Lin. 7: loco « haustam », videtur dicendum (ut in *Sedes Sapientiae*) « hauriant ». Sicque legendum: « ... doctrinam catholicam accurate *hauriant,* profunde penetrent, ... ». Ita enim manifestius fit fundamentalem theologi operationem in hoc consistere ut ad Revelationem accedant et ex eadem abunde hauriant. Econtra dicendo: « ... doctrinam catholicam accurate *haustam* profunde *penetrent* ... », manifestius esset *praecipuam* theologi operationem in *speculatione* potissimum residere: quod certe alienum videtur a mente et agendi ratione Sacri huius Oecumenici Concilii.

Lin. 10: post « valeant » et ante « Sacrae Scripturae », nonne introduci deberet aliquid de ipso Ecclesiae Magisterio, quod universorum tractatuum catholicorum *lux et dux* esse debet vel deberet, aiente hoc eodem Concilio, linn. 4-5: « duce Ecclesiae Magisterio »? Agatur ergo de duce, antequam de ductis; ne, deficiente ducis luce, interpretantes in foveam cadant ...

Quoad Ecclesiae magisterium, ita aut meliori adhuc modo scribi posset: « Doctrina Magisterii ecclesiastici universalis sollemnis et ordinarii, allatis praecipuis documentis pro unoquoque tractatu dogmatico vel morali, aut saltem pro unaquaque ampliori quaestione, ita non fragmentarie at panoramice exhibeatur, ut catholicae fidei doctrinaeque et stabilitas pateat et iugis in explicatione progressus, ac proin determinetur quid, quove certitudinis gradu, *hodie* credendum, tenendum, docendum, defendendum et ad praxim traducendum sit.

(Sub luce autem ac ductu huius Magisterii Ecclesiae, docens atque alumni

S. Scripturam ac Traditionem adibunt, aliasque theologicas operationes peragent).

Quibus praestitis, ipsa divinae Revelationis themata biblica proponantur; quid *Sacrae Orientis Occidentisque Liturgiae,* quidve *maiores Patres Doctoresque* ad singulas eiusdem Revelationis veritates fideliter transmittendas atque enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia — considerata quoque ipsius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — alumnis aperiatur; deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda *ac vindicanda,* ea ope *perennis philosophiae, S. Thoma aliisve melioris notae magistris, necnon aliarum veri nominis scientiarum* (e. g.: biologiae, medicinae, etc.) [1] *secundum tractandarum rerum naturam,* intimius ... discant ».

Lin. 34: hic forte introducendum esset aliquid circa necessitatem tractatus theologicos, sive dogmaticos sive morales, sub luce Dei inquantum est Caritas seu Amor, instaurandos. Dici autem posset his quae sequuntur vel aliis aptioribus verbis: « Tractatus autem universi ita instaurentur ut pateat Deum Caritatem, seu Amorem esse; universaque Dei opera, Incarnationem, nempe, Redemptionem, Sancti Spiritus effusionem, ipsaque praecepta et sacramenta ex eodem caritatis fonte manasse atque ad caritatem, peccato amissam, restituendam adipiscendamque atque in perpetuum servandam divinitus ordinari ».[2]

Quibus dictis, huc transferrem ea quae de Bibliae studio, tamquam speciali materia, dicuntur linn. 10-17: ibi enim, ut dixi, nexum logicum aliquatenus rumpunt, fortasse.

Perpendendum autem puto an conveniat adhuc asserere (linn. 10-11) Sacram Scripturam esse debere universae Theologiae « animam »: nonne haec anima est *Revelatio divina* vel Spiritus Sanctus, quae sunt in Bibliis, at non tantum in eis sed et in tota Ecclesia?

Pag. 19, lin. 16: Si haec Instructio clericos quoque religiosos, ut a me supra dictum est, respicit, addatur, post « episcoporum »: « ac superiorum maiorum ». Idem addendum esset pag. 20, linn. 24-25. Non videtur enim cur « Institutio sacerdotalis » religiosos futuros sacerdotes respicere non deberet, scil. eos qui, magno numero, ad ipsum verissimum apostolatum destinabuntur in ipsis missionibus exercendum!

* * *

Schema in genere placet. Haec sunt elementa quae possent textum ditiorem reddere:

1. Habeatur diversa ratio agendi pro seminaristis minoribus et maioribus et pro saecularibus et religiosis.

2. In educatione seminaristica, ponere constanter seminaristas in statu

---

[1] Cf. quoad trivium et quadrivium, AUGUSTINUM, *De Doctrina Christiana,* HUGONEM DE S. VICTORE, etc.

[2] Ampliora videsis in: C. M. BERTI, O.S.M., *Methodologiae theologicae elementa,* Desclée, 1955, pp. 213-221, Scripta Professorum Facultatis Theologicae « Marianum ».

liberae electionis ita ut, si fieri posset, ne unus quidem proficiscatur ductus tantummodo ab impetu rerum (corrente o circostanze ambientali).

3. In educatione, ditare seminaristas, diversis in temporibus, spirituali formatione aetati congrua.

4. Seminaristas docere artem orandi ita ut orationes vivant et non tantum repetant! Unio cum Deo scilicet potius quam oratio est fovenda.

5. Educatio sexualis detur iuvenibus aetati propria et, si possibile, crisis excitetur ne vota fiant in tempore quietis et observanda sint in tempore tempestatis!

6. Educatio debet hominem, qua talem, aedificare, in corpore scilicet et anima. Proinde vitetur nimius angelismus et nimius materialismus. Quae bona sunt, pluries dictum est, nostra sunt; proinde non sunt simpliciter arcenda neque simpliciter amplectenda sed, in quantum bona et utilia ad finem, amplectenda (ita v. g. usus TV).

7. Mirum est nostri seminaristae non gaudere sufficienti fiducia ut saltem in quibusdam ministeriis ponantur quando *a*) coaetanei insumunt frequentissime onera graviora, v. g. in matrimonio, et adulti censentur; *b*) a laicis, quibus minus datur, magis exposcitur (cf. schema proprium!).

Uno verbo: ad maturitatem proveniunt seminaristae non ordinatione sed educatione: necessaria proinde est educatio ad responsabilitatem et responsabilitas est aliquid exquirendum exercitio non studio tantum!

8. Seminaristae maiores non debent tantummodo certiores fieri de problematibus nostri temporis et praesertim illius loci in quo suum ministerium exercebunt, sed ad ipsorum problematum solutionem, pro viribus, convocare.

9. Educatio debet esse positiva etsi negativa elementa non sint praetermittenda, ita ut seminaristae habeant fiduciam in Deo sed etiam in seipsis et videant suam vocationem potius ut totalem sui realizationem quam vitae renuntiationem!

10. Instruantur seminaristae in « dialogo » constanter habendo ita ut possint: *a*) quae bona sunt ubicumque sumere; *b*) quae mala vitare et damnare; *c*) in omnibus et ad omnes veritatis et caritatis lucem afferre.

11. Biennium post sacerdotium superfluum videtur si educatio datur iuvenibus ut in praecedentibus numeris adnotavi.

12. Expleto philosophiae curriculo, seminaristae possent, ad annum, varia munera exercere in seminariis minoribus vel in vita paroeciali.

Forsan utilius esset hic annus quam biennium post sacram ordinationem, tum quoad educationem in se tum quoad subsequentem educationis partem, nam collecta haberi possent elementa plurima ad ultima et decisiva conamina (« ritocchi »).

13. In educatione clerici religiosi, detur suum locum « professioni »; nam isti clerici fiunt, fere semper, prius religiosi et postea sacerdotes (ne amplius contingat quod professi laici, cito, ut religiosi veri nominis, ponantur in activitate, dum clerici qui plus acceperunt servantur in quiete formationis seminaristicae!).

14. Numerus seminaristarum in seminario non sit exaggeratus ita ut impossibile evadat contactus personalis cum superioribus. Extrema sunt vitanda: Antiqui: formatio individualis apud aliquem sacerdotem; Moderni: formatio « in serie » per paucos veros contactus cum formatoribus in amplissimis seminariis.

29

EXC.MUS P. D. CAROLUS VILLELMUS HARTL

Episcopus tit. Stratonicensis in Caria, vic .ap. Araucanieensis

Ad propositionem 13: Placet modus moderatus quo studium linguae latinae praecipiatur. In hac quaestione momentosa concedantur mihi quaedam verba circa Constitutionem Apostolicam *Veterum Sapientia,* quae tractat « de latinitatis studio provehendo » in clericorum formatione.

Ante omnia explicitis verbis declarare peropto, si adhuc opus esset, nos missionarios nihil antiquius habere quam in omnibus nostris laboribus arctissimam unionem conservare cum Summo Pontifice atque Romana Ecclesia. Quapropter ex animo approbamus finem quem Const. Apostol. *Veterum Sapientia* persequi intendit, cum et nobis omnino persuasum sit linguam latinam optimum ac efficax esse medium hanc unionem tuendi atque promovendi in illa parte Ecclesiae quae ritu latino utitur.

Nihilominus, nos missionarii, unice solliciti de vero bono Ecclesiae, haud dissimulare possumus ad plenam Constitutionis Apostolicae *Veterum Sapientia* eiusque Ordinationum exsecutionem gravissimas quasdam difficultates obstare. Hae autem difficultates, quas cum debita reverentia huic Sacrae Synodo perpendendas submittimus, sunt sequentes:

1. Postulata scientifica, quae in hac Constitutione ab *omnibus* alumnis promiscue exiguntur, tam alta sunt ut vires intellectuales illorum iuvenum, qui a cultura latina omnino sunt alieni, excedere reputari debeant. Et ideo, si integra et universalis huius Constitutionis eiusque Ordinationum exsecutio ubique est urgenda, plures, forsan multi ex istis alumnis, licet probi ac bonae indolis et magno animarum zelo praediti, a proposito suo desistere cogerentur. Ceterum, in ipsa prima propositione praescribitur, et rectissime quidem, « ut sacerdotalis institutio pastoralibus exigentiis, respondeat *illarum regionum in quibus ministerium exercendum est* ».

Nemo non videt quantopere talis rerum conditio commovere debeat animum eorum, qui in terris missionum, ipsa suprema auctoritate ecclesiastica recte omnino impellente, omnibus viribus ad hoc laborant ut Ecclesia ibidem clerum autochtonum obtineat.

Vis autem istius rationis adhuc melius perspicietur si quis perpendet quam gravissimum onus imponeretur clericis latinis, si addiscere deberent linguam sinensem, et quidem eodem modo ac nunc clerici sinenses linguam latinam sibi assimilare obligantur iuxta Ordinationes Const. Apost. *Veterum Sapientia.*

Et tamen obliviscendum non est regionem Sinarum occupare quartam partem mundi!

Hic etiam remitti liceat ad sapientissima verba quae de hoc gravi problemate profert in suo libro *Ultime Foglie* em. card. Celso Costantini, f. r., rerum missionalium, praesertim Sinensium, ex triginta annorum experientia quam peritissimus (cf. *Ultime Foglie,* Roma 1953, v. g. pp. 209-210, 228-230, 341, 376-380).

2. Plena ac fidelis Constitutionis *Veterum Sapientia* exsecutio ipsam quoque rationem studiorum tali modo aggravare censetur, ut parvum temporis spatium relinquatur ad addiscendum plures alias disciplinas etiam sacerdoti necessarias. De hisce disciplinis quoque agitur in hoc schemate, ubi candidatis ad sacerdotium ea instructio impertienda esse imponitur « qua iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent » (Propos. 13, pag. 17, linn. 2 s.).

Quapropter multi episcopi missionarii censent exigentias, ab Ordinationibus Const. Apost. *Veterum Sapientia* requisitas, clericis alius culturae ac latinae tam graves evadere ut integra huius Constitutionis exsecutio cum ratione studiorum pro eorum seminariis redacta vix componi posse dicenda sit, etiamsi adhibeantur « normae transitoriae » in eadem Constitutione suggestae.

Praetermittere hic non possum plures alios episcopos, operi missionali non addictos, manifestasse easdem rationes etiam valere pro suis regionibus.

Conclusio. Ob rationes supra expositas proponitur:

1) Concilium Vaticanum II quaestionem circa *modum* et *mensuram,* quibus haec Constitutio Apostolica « Veterum Sapientia » eiusque ordinationes in praxim reduci debeant, conferentiis episcopalibus relinquat determinandam.

2) Quaeritur ut huius notae mentio fiat in Actibus Concilii.

[*Subscripserunt etiam*] R. Bogarin, ep. S. Juan Bautista de las Misiones; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; M. Aurrecoechea, vic. ap. Machiques; E. S. Mari, vic. ap. Riohacha; C. Gómez Villa, vic. ap. Caroni; J. Coronado Caro, praef. ap. Ariari; A. Zambrano Palacios, vic. ap. Canelos.

30

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Interventio mea brevis pertinet ad partem VI, nn. 19 ad 21. Deesse mihi videtur explicita commemoratio institutionis ad opera socialia in Ecclesia promovenda. Commemoratio operum caritatis et apostolatus laicorum quidem habentur, sed haec sufficere non videtur. In Litteris Encyclicis, v. g. *Quadragesimo anno* talis institutio urgetur. Permulti episcopi desideraverant,

ut de hac parte formationis quaedam dicerentur in schemate *de apostolatu laicorum*. Res tamen ad praeiacens schema remissum est.

Haec commemoratio etiam ex ea ratione necessarium est, quia persaepe sacerdotes aliquam insecuritatem relate ad activitatem socialem Ecclesiae demonstrant. Haec insecuritas haud raro in eo fundatur, quod sacerdotes futuri suum apostolatum exercere debent in aliquo ambitu sociali, qui distinctus est ab eo, ex quo veniunt. Immo ipsa socialis condicio eorum per sacerdotium mutatur. Ergo sua institutione in seminario debent praeparari. Ex hac ratione etiam in ultimis decenniis in variis regionibus practicae exercitationes introductae sunt, ex quibus optimi fructus sperari possunt.

Quapropter non sufficit in textu dicere, finem talium exercitationum esse, ut apostolatus exercendi artem « practice addiscant et propria responsabilitate agere valeant », sed requiritur etiam, ut suas sociales responsabilitates assumant. Verum quidem est, tales exercitationes pro adiunctis locorum maxime varias esse posse, tamen utile esset, saltem principium aliquod commune ponere.

Propono igitur, ut in n. 19, lin. 32, dicatur: « *in actione sociali* et in operibus caritatis » et insuper in n. 21, lin. 13 post « responsabilitate » addatur: « et socialiter » vel simile quid.

31

Exc.mus P. D. IOSEPH HILTL

Episcopus tit. Constantiniensis, aux. Ratisbonensis

Si ego tamquam pristinus moderator seminarii maioris ad propositiones *de institutione sacerdotali* pauca verba profero, non fit intentione corrigendi aut emendandi has propositiones, quae cum summa diligentia et praecisione exaratae sunt.

Additamenta tantum duo liceat mihi proponere ad art. 2 « De vocationibus sacerdotalibus fovendis et augendis ».

Cum fovendarum vocationum opus ad totam christianam communitatem pertineat, reticeri non licet:

I. « Opus Pontificium vocationum sacerdotalium » a Papa Pio XII piae memoriae fundatum et commendatum « Motu proprio » die 4 nov. 1941.

Plena huius operis efficacia tum demum elucebit, cum in diversis dioecesibus, et quantum fieri potest, in quaque paroecia initiatum et bene organizatum fuerit.

Initio cuiusque mensis feria V vel sabbato (« Priestersamstag ») christifideles huic operi inscripti laudabiliter ad celebrandum Eucharistiae sacrificium conveniunt, brevi adhortatione de dignitate et vocatione sacerdotali audita, munera et eleemosynam pro seminariis et studiosis egentibus ad altare deponunt et post missam peculiares preces effundunt in litania pro sacerdotibus vocandis et sanctificandis.

Mira est plenitudo fructuum, quae ex hoc opere emanat ad impetrandas et augendas vocationes sacerdotales.

II. « Dies mundialis precum pro vocationibus ecclesiasticis ». Dies iste est exclusive dies precum, non collectionis pecuniae. Omnes christifideles sunt invocati et invitati in causa urgente Ecclesiae de vocatione ecclesiastica supplices preces Deo offerre. Dies iste promulgata est die 11 februarii anni millesimi nongentesimi sexagesimi tertii missis ad omnes dioeceses.

Dies iste est dies precum pro *omnibus* vocationibus ecclesiasticis, non solum sacerdotalibus.

Dies iste est dies dominica II post Pascha, dominica Boni Pastoris, ergo precationis pro omnibus, qui in Ecclesia munere pastoris fungi debent: sacerdotibus et diaconis, monachis et monialibus, sodalibus congregationum et instituti saecularis.

Quod si dies Boni Pastoris ut dies precum in sensu et intentione Summi Pontificis celebrabitur, multum afferret fructum ut oratio Domini Salvatoris impleatur: « Rogate Dominum messis ut operarios mittat in messem suam » (*Mt.* 9, 37).

Concludo: In propositione de institutione sacerdotali in art. II, lin. 25, addatur: Huic scopo magni momenti responderi potest in affirmatione: « Motu Proprio »: Operis Pontificii vocationum Papae Pii XII et institutionis diei mundialis precum pro vocationibus ecclesiasticis.

32

Exc.mus P. D. IOANNES KLOOSTER
Episcopus Surabaiensis

Nomine 30 episcoporum Indonesiae vellem proferre sequentia *de propositionibus de institutione sacerdotali.*

Multa, quae hic proponuntur, apta esse videntur ad renovandos seminariorum fructus.

Ita ratio institutionis sacerdotalis, tam pro seminariis dioecesanis quam regionalibus, recte demandatur statuenda conferentiis episcopalibus. Tali enim modo debite ratio haberi potest diversitatis gentium ac regionum.

Quoad seminaria minora prae oculis habetur, quod eorum alumni nondum evacuaverunt ea quae sunt adolescentis. Ideo sapienter statuitur educatio, quae correspondeat eorum aetati ac psychologiae. Item recte urgetur, ne vita in seminario alumnos alienet a rebus humanis et propria familia.

Suadentur tirocinium spirituale et pastorale.

Sacra Scriptura proponitur ut anima theologiae.

Formatio in seminario tam minore quam maiore ordinatur ad Iesum Christum, Divinum Pastorem et Sacerdotem.

Quae omnia putamus elementa, quae profutura sunt renovationi institutionis sacerdotalis.

Sequentia autem emendanda vel complenda esse videntur.

Ad n. 4, lin. 26. Verba « Episcopi auctoritati fideliter obsequentes » omittantur. Alibi enim iam satis de auctoritate nostra tractatur.

Praeterea ad eundem numerum, post ultimam alineam, addantur sequentia: « Ut ex una parte finis pastoralis securius obtineatur et institutioni personali melius provideatur, atque ne altera ex parte alumni alieni fiant a sua natione, urgetur, ut hi alumni studia, sacerdotio praevia, in propria natione absolvant et tunc solummodo, si casus fert, ad terras longinquas mittantur ».

Ad n. 6, lin. 12. Non auderemus affirmare id quod hic dicitur, nempe quod « Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinit, si digni promoveantur ». Haec sententia, quae sapit fiduciam temerariam, deleatur.

Ad n. 11, linn. 17 ss. Hae lineae omittantur, nam id quod in praecedentibus lineis evolvitur, iam sufficit.

Ad n. 13. In hoc numero pro alumnis maioris ingenii commendetur studium linguae etiam graecae, quippe quae conferat familiaritatem cum Novo Testamento.

Ad n. 15. Primum comma huius numeri scribatur ut sequitur: « Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni principia sanae philosophiae, tam veterum quam modernorum, clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim pro viribus acquirant ». Hoc proponimus eo fine:

1. Ut sana moderna systemata philosophica in suo valore agnoscantur.
2. Ne sacerdotes studio unilaterali philosophiae temporis acti retardentur neque alieni fiant a sana mente suae aetatis.

Hic liceat referre ad ea, quae em. card. Lercaro ad schema XIII in lucem posuit de Ecclesia et cultura.

Ad n. 16, linn. 24 ss. Loco huius commatis scribatur « Deinde mysteria salutis intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant, magistris S. Doctoribus tam orientalibus quam occidentalibus ». Rationes sunt: 1) Ne orientalibus, qui propriis gaudent Doctoribus, imponatur doctrina scholastica; 2) Ne ipsum Concilium praeferat S. Thomam prae e. g. S. Augustino et S. Bonaventura.

Ceteroquin propono, ut textus prior huius numeri restauretur utpote magis concinnus ac vigorosus; attamen in casu restaurationis addantur duae posteriores alineae textus emendati.

33

Exc.mus P. D. IGNATIUS KRAUSE

Episcopus Scioenteanus

Schema propositionum *de institutione sacerdotali* in genere placet; non obstante eius brevitate, ipsum normas summi momenti pro tota Ecclesia statuit, quae si in praxim deducentur, optimi fructus pro nostris seminariis exspectari poterunt.

Hodierna institutio seminaristica in duplici linea ordinanda est: ex una parte quam maxime expostulatur ut formatio seminaristica hodiernis rerum adiunctis sat mutatis aptetur; ex altera parte vero necessarium, immo indispensabile est ut iuvenes formentur veri pastores ad imaginem Christi.

Institutio sacerdotalis utique respicere debet « tantam nationum, culturarum, conditionum socialium, traditionum varietatem », sed hoc praeceptum, ut mihi videtur, intelligendum est tantum de methodo instituendi cleros, minime vero de ipsis principiis essentialibus institutionis. Ideoque clerici omnes, cuiuscumque nationis sint, ita institui debent ut rigida uniformitas in principiis essentialibus spiritus sacerdotalis semper in tuto ponatur.

Quae exigentia clara effulget ex ipsa Revelatione. Et quidem:

1. Dominus Iesus (*Io.* 17) Patrem suum instantissime orat, ut apostoli — ideoque et sacerdotes omnes — caritatis vinculo semper et ubique *unum sint,* tum ut personalem suam divinizationem — gratia adiuvante — adipiscantur, tum, ut Ecclesiae unitatem, Domino cooperante (*Mc.* 16, 20), et virtute Spiritus Sancti suffulti (*Acta,* 1, 8), causent atque tueantur (*Io.* 17, 12 et 20-21; etiam prooemium schematis).

2. Apostolus Paulus in Epistula ad Hebraeos, 7, indicat in rege et sacerdote Melchisedech, quatenus sine patre, sine matre, sine genealogia, typum Sacerdotis Aeterni Christi Domini, et propter hoc typum etiam sacerdotii Novae Legis. Praeterea in capite septimo eiusdem Epistulae ad Hebraeos Divus Paulus circumscribit naturam sacerdotii nostri in visione vere divina, nam:

a) significationem plenam dat suae de « sacerdote » definitioni: « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum » (*ibid.* 5, 1);

b) rationem assignat propriam praeclarae suae reclamationis ad Corinthios: « sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei ... » (*1 Cor.*, 4, 1);

c) argumentum revelat sui mandati ad Timotheum: « ... non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli » (*1 Tim.* 3, 6) et « Manus cito nemini imposueris » (*ibid.* 5, 22) quod paulinum mandatum sacrosanctum erat missionariis in sinensibus regionibus, quatenus ad presbyteratum non promovebantur nisi indigenae christiani tertiae generationis.

Ex quibus consequitur, ut mihi videtur, in bona et supernaturali logica, superandam omnino esse in institutione sacerdotali illam « tantam nationum, culturarum, condicionum et traditionum varietatem » (dicamus clarius: « diversitatem »). Utique huiusmodi varietas est condicio realis ex qua, scientia psychologica praeeunte, incipiamus oportet ut puer vel vir efficiatur sacerdos Christi, immo et alter Christus, immo et post Deum, terrenus Deus; at minime respici debet ut condicio necessaria et immutabilis, quae institutioni sacerdotali cohonestari et sacramento Ordinis consecrari debeat.

Quapropter iniustum videtur loqui de influxu latinitatis — clarius —

Ecclesiae latinae in institutionem sacerdotalem tamquam de *colonialismo ideologico,* ex altera vero parte evitandum est periculum nimii nationalismi. Proinde formatio sacerdotalis respondeat oportet et necessitatibus uniuscuiusque nationis et insimul principiis essentialibus ipsius institutionis sacerdotalis.

Quibus consideratis et expositis inter ea quae optime in schemate propositionum enumerantur et commendantur, duo mihi necessaria videntur, quae a Sacrosancta Synodo strictius et clarius et omnibus cuiuscumque nationis praecipiantur:

1. Linguae latinae cognitio quam perfectissima, non solum ob argumenta maximi ponderis in propositione decima tertia enumerata, sed etiam ut magis ac magis, linguae latinae usu faveatur illi humanae et supernaturali consuetudini inter sacerdotes, quae est argumentum revera pretiosum credibilitatis externae nostrae religionis; quod copiosissime ego ipse expertus sum in missionibus exteris (cf. *Io.* 17; Const. Apost. IOANNIS XXIII, *Veterum sapientia*).

2. Philosophia perennis secundum multa documenta pontificia ad mentem divi Thomae tradatur, ne clerici — cum Sacrae Theologiae studere incipiunt — potius quam ament, doctorem Angelicum irrideant.

Historia Ecclesiae perabundanter demonstrat haereses omnes originem duxisse ab institutione philosophica erronea vel ambigua. Ideoque alumni sacri tali Magistro indigent, qui eos doceat amorem illum in veritatem, qui viros humiles et prudentes gignit et facit. Et quidem doctor Angelicus vere dignior est, qui cleros catholicos et sacerdotes ipsos regat in sacram scientiam addiscendam et praedicandam.

Nos, venerabiles Patres, cum diaconos ad onus presbyterii ordinamus, ipsos sequentibus verbis alloquimur: « Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis; quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis ». Essentialis sacerdoti mortificatio ea est, qua nostrum intellectum nostramque voluntatem Sanctae Matris Ecclesiae voluntati subicimus; praeeunte Domino Iesu, qui exinanivit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem, ut semper et in omnibus voluntatem Patris faceret.

[*Subsignaverunt etiam*] J. L. Neves, ep. Assis; C. Boiardi, ep. Apuania; F. Janssen, vic. ap. Gimma; José García Villas, ep. S. Pedro Sula; E. Vallejo, praef. ap. Tierradentro; J. Klooster, ep. Surabaia; Tulio Botero Salazar; C. Rossi, ep. Biella; B. Dabrowski, ep. tit. Adrianotere; W. Wicisk, ep. tit. Cesarea di Numidia; J. Le Couëdic, ep. Troyes; P. Tobar Gonzáles, ep. Cuttack.

34

Exc.mus P. D. IOSEPH LAMARTINE SOARES

Episcopus tit. Fussalensis, aux. Olindensis et Recifensis

Quam summi momenti et omnino actualis sit quaestio de reformatione seminariorum, nemo est qui non videat. Quadringentos abhinc annos, Sacrosancta Tridentina Synodus ad necessitates pastorales tunc temporis rite implendas, specialem attentionem institutionibus sacerdotalibus dedit. Et optimos eius fructus ad nos usque pervenerunt.

Attamen iam tempus est ut ea omnia quae secundum mentem Tridentini statuta fuerunt, accuratae revisioni nunc subiciamus. Hoc autem, proh dolor non ab omnibus factum est. Experientiae enim in hoc sensu hinc illic exortae, particulares quidem sunt. Et quod est dolendum nec benigno animo laudatae fuerunt, nec adhuc minus incitamenta a competentibus auctoritatibus receperunt. Quaedam tamen existunt experimenta, ope quorum nunc iam exoptare possumus ut a nostro Concilio novae iam pandantur viae, quae legitimis aspirationibus eorum qui in seminariis laborant, respondere valeant.

Quae vobis nunc proponere audeo, non in abstracto excogitata sunt, sed experientiis innituntur maioris seminarii archidioecesis Olindensis et Recifensis.

Et ut modo ordinato procedam, loquar tantummodo de tribus quaestionibus, scil.: *a*) de exigentiis paedagogicis, *b*) de formatione spirituali et *c*) de exigentiis culturalibus, quae mihi maximi videntur momenti, et prae oculis semper habendae ab illis qui de ordinatione institutionis sacerdotalis disceptantur.

I. *De exigentiis paedagogicis.* Fatendum omnino est in hoc non paucas fuisse deficientias formationis nostrorum seminariorum. Desunt enim nobis accurata scientiae paedagogicae nec non et psychologicae principia, quae vere respondeant exigentiis genuinae formationis sacerdotalis. In seminariis enim multum quidem insistitur in efformanda intelligentia ac voluntate alumnorum; quod quidem omnino est laudandum. Attamen fere semper negligitur eorum *affectivitatis* accuratam formationem. Scimus autem maturitatem affectivam multum conferre pro aequilibrio psychologico et pro plena evolutione personalitatis, praesertim illorum qui, amore Christi et Eius Ecclesiae ducti, vitam Deo consecrare intendunt, imo et volunt.

Sed magis quam de deficientiis, hic loqui potius velim de iis, quae mihi et essentialia et maioris videntur momenti pro integra ac plena educatione personalitatis alumnorum. Inter quae (ceteris multis praetermissis) tria potius sunt notanda:

1) *De educatione sensus responsabilitatis.* Hoc est omnino quaerendum, ut alumni conscie et libere omnia criteria tum naturalia tum supernaturalia eorum activitatis in mundo et in Ecclesia assumere valeant. Totus enim edu-

cativus processus non *ab extra* imponendus, sed potius *ab intra* evolvendus est, ut processus quidam vitalis realizationis personae humanae. Sic omnino evitatur et vigilantia illa sic dicta « militaris » (vigilância policial) quae tot ac tantas nefastas consequentias secum fert, insuper et creatur nova quaedam atmosphera (clima) sinceritatis, qua et relationes inter alumnos et superiores et plena evolutio totius personalitatis intensius foventur.

2. *De spiritu communitario promovendo.* Etiam quoad hoc oportet fateri seminaria nostra in multis defecisse. Unde dolendus ille *spiritus individualisticus* qui fere semper in nostris institutionibus dominatur cum nefastis sequelis etiam pro vita pastorali. Nemo ignorare potest quam necessarium sit spiritum communitarium fovere, praesertim inter illos heroicos sacerdotes, qui in dissitis nec non et desertis laborant regionibus. Experientia enim teste, possumus sane affirmare longe maiorem partem defectionum e vita sacerdotali, carentiae istius vitae communitariae deberi, qua quidem sacerdotes non modo mutuo inter se adiuvantur sed etiam efficaciorem ac uberiorem activitatem pastoralem in Ecclesia exercere valent. Si hoc igitur tam raro in ministerio invenitur, certo certius existimandum est talem defectum deficientiis formationis in seminariis receptae imprimis tribuendum esse.

3. Spiritus ille communitarius videtur etiam exigere ut in seminariis magis ac magis contactus apostolici alumnos inter et laicos promoveantur, nec non et ipsorum alumnorum cum communitatibus humanis in quibus laborant, vel saltem in futuro ministerium suum adimpleturi erunt. Sacerdotes enim, modo semper originali ac novo, unicum ac aeternum Domini Nostri Iesu Christi Sacerdotium incarnare debent, in communitatibus humanis quibus destinantur. Hoc autem nullatenus fieri potest si sacerdotes ignorant communitates humanas ab ipsis evangelizandas. Nec labor iste improvisari potest. Oportet igitur ut seminaristae maiores, quam citius in istis contactibus humanis initientur, ut et ipsi paulatim cognoscere, comprehendere et praesertim amare discant omnes illos homines, qui postea pastoralibus eorum curis committentur.

II. *De formatione spirituali.* Quoad institutionem spiritualem excolendam pauca tantum dicam, cum schema, modo admirabili multa valde bona iam contineat. Peropportunum tamen mihi videtur insistendum esse in elaboratione *spiritualitatis* prorsus *activae,* quae vitam seminarii et fundari et vivificare queat. Talis enim spiritualitas, ut opinor, maioribus istis characteribus determinari posset:

a) Primo quidem *personalis cognitio ipsius Christi,* velut fundamentum totius vitae spiritualis et apostolicae. Sic fecerunt primi Apostoli ab ipso Christo selecti ac formati. Cognitio ista, ut omnes norunt, facilis quidem non est. Nec pro apostolis facilis quidem fuit. Ad illam igitur obtinendam

b) *Diuturnus ac constans contactus cum Evangelio* exigitur. Tunc tantum possibilis erit conformatio illa spiritualis cum ipso Christo sacerdote, ad quam obtinendam seminaristae omnes suas vires impendere debent.

c) Dein, in spiritualitate sacerdotali primatum teneat *caritas*, quae quidem perfectissima expressio totius vitae christianae est, quaeque sponte tum erga Deum (in cultu liturgico) tum erga homines (in vita apostolica) manifestatur.

d) Tandem, in spiritualitate ista excolenda oportet ut alumni magis ac magis verum habeant *sensum Ecclesiae*. Tota enim vita seminarii in rythmo pulsationis ipsius vitae Ecclesiae et sub luce eius Mysterii et firmanda et evolvenda erit.

III. *De exigentiis culturalibus*. Dialogus Ecclesiae cum mundo hodierno, qui magna exigentia pastoralis est Concilii Vaticani II, exigit ut studia seminariorum penitus reformentur, ut exigentiis culturalibus nostri temporis conformari valeant. Re enim vera, fere omnes sacerdotes dolent seminaria non rite eos paravisse ad munera pastoralia obeunda. Reapse studia nostra et philosophica et theologica fere reducuntur ad investigandas quaestiones olim a scholasticis excogitatas, quae quaestiones etiamsi praestantissimae sunt, tamen problematibus mundi hodierni non amplius respondent, immo nec respondere valent.

Quinimmo etiam quando agitur de quaestionibus illis essentialibus, quae quidem semper actuales sunt, modus scholasticus quo illae exponuntur haud raro dialogum cum hominibus nostri temporis omnino impossibile reddunt. Conamina multa summopere laudanda a viris nostris doctissimis (quorum magna pars hodie inter emeritos peritos nostri Concilii inveniuntur) multoties ut suspecta diudicata fuerunt, et haud raro eorum scripta alumnis nostris prohibita fuerunt. Quod sane omnino dolendum est. In studiis praesertim theologicis modus ille abstractus, theoreticus ac systematicus divortium perniciosissimum introduxit studia inter et vitam cum funestis consequentiis etiam pro vita pastorali sacerdotum.

Quare exoptandum est ut studia theologica pertractentur sub luce totius Historiae nostrae Salutis et cum eis ceterae omnes disciplinae cursus theologici ita coordinentur ut studium Sacrae Theologiae pars integralis evadat vitae illorum qui ad hoc ut Deum et quem Ipse misit Iesum Christum toto corde diligant, Eum magis ac magis intime cognoscere summopere iuvabit.

Concludo: Venerabiles Patres, sors Concilii Vaticani II magna ex parte invenitur in manibus illorum qui in institutionibus sacerdotalibus nunc parantur ad Ecclesiam Dei implantandam in mundo nostro hodierno, qui tot ac tantis revolvitur transformationibus. Si hodie longe maior pars sacerdotum dolent se non idonee paratos fuisse ad munera pastoralia in mundo obeunda, quid non erunt dicturi illi qui nunc in seminariis edocentur ad applicanda ea omnia quae a nobis in hoc Concilio approbantur; quid non erunt dicturi, inquam, si nos, cum prudentia utique sed etiam cum fortitudine, veram ac profundam reformationem seminariorum immediate non statuamus? Ne sub nomine prudentiae timiditatem excolamus, quia timiditas nostra non raro vera traditio est. Funditus igitur renoventur seminaria

si sacerdotes vere idoneos volumus ad praestantissimum opus Ecclesiae in mundo nostri temporis perficiendum.

[*Subscripserunt etiam*] J. V. Tavora, arch. Aracajú; D. Picao, coad. Santos; W. Teixeiras Vieira, ep. tit. Laranda; H. Pessôa Câmara, arch. Olinda et Recife; C. Padin, aux. Rio de Janeiro; B. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; F. Austregesilo Mesquita, ep. Afogados da Ingázeira; Severino Mariano, ep. Pesqueira; A. Carvalho, ep. Caruarú; E. Pereira Da Costa, ep. Campina Grande.

35

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

Schema nostrum in nn. 2 et 3 de vocationibus sacerdotalibus fovendis agit. Sine dubio ibi de re maximi momenti agitur. Nemini occultum est, quam valde nos hodie penuria vocationum sacerdotalium et etiam aliarum vocationum religiosarum premit. Omnes ergo iure exspectant, ut Concilium aliquam viam ex hac necessitate nobis pandat.

Quae in n. 2 dicuntur, certe bona et recta sunt. Sed ut mihi videtur, non satis conditiones hodierni temporis supponere videntur. Propono ergo, ut in nn. 2 et 3 non tantum hae rationes (nempe christiana communitas, familia et sacerdotes) nominentur, quae vocationes directe et proxime promovent, sed etiam illae, quae eas indirecte et remote praepediunt, aut, iis deficientibus, suo modo maxime fovent.

1. Inter primas talium rationum *spiritus hodierni temporis* ponendus est, qui se maxime materialismo et paganismo exprimit. Per se patet, talibus circumstantiis multas vocationes perire.

Verum est, saeculum nostrum infantis et iuventutis saeculum nominatum fuisse et saepe nominari. Permulta de facto pro infantibus et iuvenibus eiusque profectu corporali et spirituali facta sunt, quae iure recognosci debent. Sed proh dolor, forte etiam praesenti saeculo non pauciora, ut non dicam plura quam aliis saeculis delicta contra infantes et iuventutem perpetrata sunt. Quod tum de vita corporali cum etiam de vita spirituali valent. Quae omnia etiam non sine consequentiis pro vocationibus, maxime religiosis, remanere possunt.

2. *Minor in familiis numerus infantium* quam prioribus temporibus est alia ratio, propter quam vocationes magis magisque regrediuntur. Quot vocationes ecclesiasticae saepe in familiis cum multis infantibus inveniuntur, et quam raro tales in familiis cum uno aut forte duobus liberis sunt! Proh dolor tali aut talibus infantibus saepe minus recta educatio a suis parentibus praebetur. Amorem suum ita ostendendum esse putant, ut liberis suis omnia desideria, saepe ad eorum damnum, implent, pro quibus parentes non raro tantum ingratitudinem percipiunt.

3. *Renuntiatio et sacrificium,* sine quibus vocatio sacerdotalis impleri nequit, proh dolor saepe apud nos non hanc aestimationem habent, quae eis conveniat. Quia mundus haec verba non libenter audit, multi propagatores fidei de his nihil aut fere nihil loquuntur, ita ut videri possit, ac si vita christiana, praeprimis sacerdotalis, etiam his deficientibus possibilis esset, quod autem pro praesenti vita humana non valet.

4. Non sine consequentia pro eligenda vocatione remanere potest, ut *instituta publica* pro erudiendis iuvenibus magis magisque augescant. E. g. ante nonnullos annos in nostra dioecesi tantum 3 scholae mediae (una ex his pro seminaristis) fuerunt, intra breve tempus 7 erunt. Multi, qui usque adhuc in nostrum seminarium venerunt, pro futuro unam aut aliam ex his novis scholis frequentabunt et ita forte vocationem suam sacerdotalem aut perdent aut saltem in periculum ponent. Quia hoc incrementum scholarum mediarum problema genericum est, in futuro hac connexione videri debeat, ne etiam ita vocationes minuentur.

5. Qua in connexione etiam aliquod *phaenomenon psychologicum,* fere ubique valens, evehi debet, quod nempe decisiones in vocatione hodie non in aetate puerili, sed saepe in maiore aetate tantum fieri. Quae tam saepe fit, ut in nonnullis regionibus seminaria propria pro talibus vocationibus erecta aut erigenda sunt. Experientia docet, tales vocationes, quibus non raro difficiles conditiones vitae praeibant, saepe firmiores sunt, quam illae, quae in pueritia peractae sunt. Verum est, de his in nostro n. 3 tractari, sed per tangentem tantum, non cum hac gravitate, quae eis pro hodierno tempore conveniret.

Propono ergo in specie, ut textus noster sub his respectibus saltem suppleatur, et quidem ut schema nostrum

1. hac in connexione, de vocationibus sacerdotalibus fovendis, vocem suam pro infantibus et iuvenibus nostri temporis extollat et in omnibus adultis responsabilitatem revocet, a qua, impleta aut praetermissa, bonum futurum non tantum iuventutis futurae sacerdotalis, sed totius nostrae iuventutis dependeat,

2. se ad parentes convertat eosque ad amorem erga infantes incitet simulque eos ad rectam atque religiosam educationem liberorum suorum adhortetur,

3. ut renuntiationi et sacrificio hic valor denuo tribuatur, qui eis in vita christiana conveniat, et propagatores fidei sibi opem dent, eorum valorem etiam hodie verbis convenientibus suis auditoribus explanare et propriis factis comprobare, quod maxime ita fieri possit, ut munus suum sacerdotale ita vivant, quod iuvenem ad imitationem moveat et non forte, tamquam inconveniens pro hodierno tempore, ab eo deterreat,

4. ut iuxta seminaria, quae etiam pro nostro tempore in suo valore remanent, etiam alia instituta, uti sunt praeprimis scholae publicae, magis quam in nostro textu evehantur et denique,

5. ut vocationibus in maiore aetate maior textus quam praeiacens, forte sub proprio commate, tribuatur.

Pro novo textu (sublineato), qui certe adhuc non est optimus et completus, hunc propono:

N. 2 in primo commate sic sonet: Fovendarum vocationum opus ad totam quidem christianam communitatem pertinet quae vita plene christiana, precationibus, paenitentiae operibus aliisque *pro loco et tempore aptis conaminibus atque* subsidiis id promovere debet; tamen maxime in id conferant oportet tum familiae, quae suae dignitatis et missionis plene consciae *rectam atque religiosam educationem suis liberis praebeant et ita* veluti primum seminarium constituant, tum sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus, *quae apta sint, amorem erga gravem vitam sacerdotalem procreare et promovere.*

N. 3 ita suppleatur: In seminariis minoribus ... transeunt.

Iuxta alumnos in seminariis aut similibus institutis degentes satis provideantur etiam ii, qui alias scholas, aut publicas aut privatas, frequentant, nihilominus autem sacerdotium assequuntur. Parochus aut alius sacerdos competens curam pro his assumet iisque viam ad sacerdotium pandet.

Experientia docet, hodie plures pluresque in maiore aetate exstantes sacerdotium assequi. Pastores tales amore assumant eosque consilio suo iuvent. Peculiari cura *praeterea* foveantur instituta aliaque incepta pro eis qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem.

36

EXC.MUS P. D. LUCIANUS LEBRUN
Episcopus Augustodunensis

In textu emendato schematis *de institutione sacerdotali* asseritur (n. 2, p. 12), quod vocationes sacerdotales valde foventur in ambitu communitatis christianae, in familia, et per exemplum sacerdotum.

Liceat mihi adhuc clarius in lucem adducere missionem providentialem sacerdotis, in excitandis et colendis vocationibus inter iuniores christianos, suae curae pastorali concreditos.

Schema in mentem evocat, quod ipse Deus aliquas animas seligit, ut sacerdotii hierarchici Christi participes efficiantur. Hoc fit ex parte Dei per donum gratuitum illarum dispositionum necnon qualitatum, quae necessariae sunt; sed Deus committit Ecclesiae curam et responsabilitatem discernendi existentiam et genuinitatem horum signorum in animis.

Hoc in casu, per Ecclesiam intenditur, procul dubio, ipse episcopus, quatenus ei competit, post plurimos annos praeparationis, vocare et consecrare candidatos ad sacerdotium.

Sed quoad initium vocationis, per Ecclesiam intenditur ipse sacerdos, quatenus pater est animarum, quarum curam habet in sacro suo ministerio.

Saepe saepius, sacerdos apparet tanquam nuntius tacitus Dei, et etiam inconscius, ad vocationes excitandas, per exemplum totius suae vitae, gaudio supernaturali perfusae, bono animarum dedicatae. Quanti pueri, missae inservientes, seminarium adierunt, quia observare potuerunt, cum quali fide radiosa eorum parochus sanctum sacrificium offerebat!

Sed sacerdos debet adhuc magis facere. Forsan oblivioni tradidimus, quod Deus vult habitualiter causas secundas adhibere, ad quamlibet vocationem dirigendam.

Ideo, cum sacerdos aliquem iuvenem invenit, in quo refulget pietas profunda, inclinatio ad religionem, amor simplex et rectus Domini, sensus caritatis erga proximum, voluntas ambulandi in puritate vitae, certe debet sacerdos, modo delicato et opportuno, talem iuvenem edocere de via, per quam multi baptizati usque ad sacerdotium perveniunt.

Si revera, ut saepe accidit, iuvenis ille in corde suo habebat talem cogitationem, quam nemini audebat patefacere, omnis difficultas solvitur, et iuvenis in seminarium recipietur.

Eodem modo sacerdos poterit consilium dare iuveni christiano, de via seligenda praeoccupato, ut exercitia spiritualia generose faciat, ad voluntatem Dei agnoscendam. Quanti adolescentes, post talia exercitia, sibi conscii effecti sunt, lumine divino suffulti, quod omnibus donis praediti erant, quae ad sacerdotium praedestinant! Hoc in casu, solus influxus in eorum libertatem ille fuit ipsius gratiae divinae, sed invitatio ad exercitia occasio fuerat talem gratiam inveniendi.

Quod ex sacerdote exspectatur, est quod ex corde suo loquatur, secundum veritatem, ita ut omnes sciant quanta sit eius felicitas, in intimitate Christi totam suam vitam perducendi, omnibus omnia sese faciendi, et castitatem ita colendi, ut cor suum et brachia sua omnibus fratribus suis in Christo sint aperta, potiusquam restricta ad unam solam creaturam privilegiatam (ut mihi nuper dicebat unus ex amicis meis, qui membrum est communitatis in Taizé).

Non desunt vocationes. A Deo praeparantur in numero sufficienti ut necessitatibus Ecclesiae provideatur. Quanto maiores numero sunt laici in mundo huius temporis tanquam testes Christi, eo magis a nobis petunt, ut sacerdotes in eorum servitium designemus. Ut nuper aiebat exc.mus episcopus Lourdensis, quanto magis Ecclesiae suae missionali sese dedicaverit, eo magis sacerdotibus indigebit.

Ad sacerdotes hodiernos spectat, sacerdotes futuros praeparare, per fidelitatem muneri suo proprio, providentiali et a nemine substituendo, quod in eo consistit, ut vocationes excitent et foveant.

Exoptamus ut in schemate proclametur, verbis claris et concisis, haec gravis responsabilitas omnium sacerdotum Christi.

37

EXC.MUS P. D. IULIANUS LE COUËDIC

Episcopus Trecensis

Schema *de institutione sacerdotali* mihi firmissimum videtur quoad substantiam, etsi quoad expressionem reduci posset ad formam concisiorem.

Attamen duas observationes facere vellem circa duo puncta quae, mea sententia, gravis sunt momenti, et in textu omittuntur, n. 11 pag. 16 et n. 15, pag. sequenti.

Prima mea observatio respicit virtutes *naturales,* quae ab alumnis ecclesiasticis requiruntur, et quidem merito, quia virtutes supernaturales tanquam fundamentum necessarium habent naturam cum suis qualitatibus, ita ut si quis sacerdos excelleret, vel excellere putaret, in fide, spe et caritate, sed deficeret in sinceritate, in stricta iustitia vel in modestia (sicut, proh dolor! nonnunquam accidit), tunc mirationem et scandalum afferret fidelibus.

Bene ergo notaverunt redactores textus nostri virtutes fundamentales educationis in seminariis nostris, sed e contra omiserunt aliquas vere necessarias, ut sunt assiduitas et sensus et gustus in laborando, quas proinde hic illustrare vellem ob sequentes rationes.

1. Quod ab alumnis, maioribus vel minoribus, requiritur, non est primum mirabilis acies spiritus, nec fulgens facultas sentiendi, sed disciplina animi, attentio mentis, et abnegatio suiipsius in bonum aliorum.

Nunc autem, talis formatio moralis obtinetur solummodo ope intensae applicationis ad laborem, per quam integra natura hominis imbuitur, flectitur et ad bonum inducitur.

Notandum est aliunde, quod in officiis vitae civilis non sunt, salvis exceptionibus rarissimis, intelligentissimi viri qui ad functiones clarissimas perveniunt, sed illi qui labori sunt addictissimi, quia proprie per disciplinam methodicam adepti sunt prae omnibus aliis gradum superiorem experientiae.

2. Merito edicitur in numero decimo: *pericula quae eorum castitati in huius temporis societate occurrunt.* Talia pericula sane omni tempore inveniuntur, sed praesertim hisce nostris diebus, propter impetum actualem hedonismi et erotismi. Nunc autem, huiusmodi pericula devinci nequeunt, praesertim ratione habita naturae minus temperatae puerorum vel iuvenum hodiernorum, nisi modo habituali adest conatus ad seipsum dominandum, nisi modo normali et methodico tenditur per laborem ad scopum nostrum supremum. Hoc sane significatur in axiomate sapientiae antiquorum: « labor improbus omnia vincit ».

3. Hodie plus quam antea opinatur, hominem tunc tantum habere valorem, si ex omnibus viribus suis sese ad laborem dedicat. Olim admittebatur, iuxta falsam consuetudinem antiquitus receptam, quod aliqui ordines sociales otio secundum quid indulgere poterant. Nostro autem tempore minime

honorantur vel aestimantur illi, qui panem suum non obtinent in sudore vultus sui, et quasi invincibiliter enuntiatur verbum Pauli Apostoli: « qui non laborat nec manducet ».

Secunda mea observatio respicit n. 15 ubi agitur: « de studiis philosophicis recognoscendis ».

Mihi prudens videtur edicere et etiam instanter asserere quanti momenti sit cognitio systematum philosophiae hodiernae; attamen, hoc fieri debet magna cum prudentia, ob duas rationes:

1. Iuvenes, pondus sequentes propriae naturae, ad res novas inclinantur, et proinde tale pondus non accelerandum sed potius moderandum est.

2. Praesertim pro certo habere oportet, imprimis quando agitur de moderatoribus in seminariis (moderator etenim in antiqua lingua latina, v. g. apud Caesarem idem est ac superior) quod systemata opinionum, quae iam a Descartes viguerunt, spiritum quidem certissime ornaverunt, sed etiam turbaverunt, et per continuas mutationes necnon contradictiones, ipsam logicam menti nostrae inhaerentem diruperunt.

3. Aliunde, talia systemata transeunt, dum spiritus eo indiget quod permansurum est. Atqui, ut dixit Bergson, philosophia peripatetica, quam assecutus est Divus Thomas cum tanto vigore et tanto splendore, « immutabiles tractus intelligentiae humanae delineat ».

Primum ergo necessarium est philosophiam ad mentem sancti Thomae altius exponere, et deinde tantum phoenomenologiam, psychologiam experimentalem, etc. ut exigitur a scientiis hodiernis; sed eis non magis tempus concedatur (talia systemata sic extollendo, ut hodie saepius accidit), quam philosophiae traditionali, quae fundamentum remanet sicurissimum Metaphysicae et Theologiae speculativae.

Concludendo exoptarem: 1) Ut in n. 11, pag. 16, linn. 15-16, addatur virtutibus naturalibus enuntiatis « sensum specificum laboris », sine quo, ut dicit S. Matthaeus (25, 26 et 41) servi pigri « ibunt in ignem aeternum »; 2) Ut in n. 15 praecisius dicatur quod systemata philosophica transeunt, philosophia autem perennis in praesenti et in futurum permanebit.

38

Exc.mus P. D. NICOLAUS MARGIOTTA

Archiepiscopus Brundusinus

Loquor *de institutione sacerdotali* et praesertim « Ut formatio spiritualis solidiore ratione fundetur » de qua in cap. IV, in n. 12, pag. 16 praefati schematis.

In Ecclesiae vita alumnorum sacrorum formatio tanti momenti est ut ei diligenter provideri debeat. Sacerdos vere « Minister Christi et dispensator Mysteriorum Dei » (*1 Cor.* 4, 1) est; ac proinde necesse est praeditus

sit ea sanctitate quam singulis animis et Christi gregis parti sibi commissae exemplo esse possit.

Ex Concilii Tridentini temporibus Ecclesia semper suas vires sacerdotibus suis praebuit. Mutatis tamen temporibus, animi inclinationibus, moribus, cogitandi vivendique modo, in quo bona terrena priores partes habent in hominum actionibus, usque ad reiectionem sensus religionis et pietatis ab hominum societate, futurorum alumnorum sacrorum formatio singularem et novam sagacitatem postulat. Nam etiam si formatio alumnorum sacrorum pretiosa et minime substituibilis sit, perfecta tamen esse non potest, quia candidatus sacerdotio caret contactu vivo et immediato cum fidelibus, ex quo trahere debeat altas cogitationes erga futurum officium. Cognoscere etenim res humanas huius temporis, ut sunt revera, non sufficit. Praeterea habitus castitatis deest certa experientia psychologica, physiologica et sociali quae tantum in tardiore aetate et in adiunctis vitae pastoralis in mundo exsurgunt. Verum est quod in propositione emendata Episcopis datur facultas instaurandi « temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali, vel adaequatum tirocinium spirituale disponendi ut sacerdotii candidatorum probationis satius consulatur » vel « deliberandi de augenda aetate a iure communi pro sacris Ordinibus expostulata »; sed, si normae particulares a Concilio definirentur et in revisione Iuris Canonici statuerentur, multae difficultates eliminarentur, facilior esset munus episcoporum et plane ad effectum deduceretur.

Ideoque propono: *a*) Post curriculum studiorum et ante ordinationem sacerdotalem candidati ad sacerdotium, per duos saltem annos tamquam diaconi, curriculum exercitationis pastoralis perficiant, ad duos praesertim formationis defectus, de quo supra, eliminandos. *b*) Ut nullo modo aetatis dispensatio amplius concedenda sit.

Ex hoc quod proponitur, iure copiosi fructus sperantur (nam queritur nonnullos alumnorum sacrorum — et non sunt pauci! — contactu vivo cum coetu fidelium deficere a muneribus susceptis, praesertim a castitate).

Hoc modo omnibus subsidiis adiutus, de quibus in n. 22 schematis praefati disseritur, alumnus sacer altius perscrutari atque periclitari poterit suam vocationem. Si quis eam non probet, revertetur; adiuvabitur ipse, sed non erit sacerdos qui vestem tunicam abicere possit.

Illa auxilia, de quibus in praedicto numero vigesimo secundo schematis loquitur, utiliora efficacioraque erunt ante ordinationem sacerdotalem, diaconatus tempore, neque in posterum deserentur. Neque videtur validum esse argumentum quod adfirmet dilationem aetatis reddere difficilius prospicere necessitatibus populi, nostris quidem temporibus, quibus lamentamur exiguitatem cleri, sicut bene declaratur in cap. III in n. 6.

Qua ex re nos omnes confidimus fore ut sacerdotes non amittantur aut ab officio deficiant in eorum itinere; contra recte speramus nostros sacerdotes perfectiores, corroboratos futuros esse: scandala erroresque hoc tantum modo vitari poterunt.

39

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ

Archiepiscopus Angelorum

Ad puncta practica schematis nostri statim ut deveniam, ea quae sequuntur sapienti vestro iudicio subiicere intendo:

1. In hac sacrosancta Synodo episcoporum dignitas, auctoritas, potestas, in clariore luce magis magisque positae sunt. Et prima vice in Ecclesiae historia, conferentiis episcopalibus, praesertim nationalibus, facultates non parvae tribuuntur. Iamvero quando de futurorum sacerdotum institutione res agitur, quis non videt in tot tantisque populorum ac circumstantiarum diversitatibus maximam exsurgere difficultatem in legum ecclesiasticarum omnino aequali applicatione?

Unde cum gaudio salutamus propositionem primam schematis. Ut mihi videtur, res maximi momenti et nobilis innovatio proclamatur. Coetibus enim episcoporum (ideoque conferentiae nationales includuntur) facultas tribuitur rationem sacerdotalis institutionis conficiendi pro propria ditione, dein ab Apostolica Sede approbandam.

Leges etenim iam optimas habemus; plura Romanorum Pontificum documenta, sicuti Litterae Encyclicae exstant, Epistulae, Allocutiones; Sacrae Congregationis de seminariis habentur Instructiones, Ordinationes, etc. Ex alia vero parte, episcopales conferentiae, quae optime indolem, necessitates, adiuncta propriae nationis norunt, talem institutionis sacerdotalis rationem apprime conficere possunt iuxta praefata propria adiuncta, siquidem, uti iam latinus aiebat vates: « non omnis fert omnia tellus ».

Neque periculum adest gressus extra rectam viam faciendi, sive propter venerandam conferentiarum experientiam et prudentiam, sive praesertim quia omnia supremae Sanctae Sedis auctoritati eiusque approbationi subiicientur.

2. Saepe saepius, immo continuo, de sacrorum administrorum paucitate in multis regionibus conquerimus, vel de sacerdotum decrescenti numero. Unde Summorum Pontificum et episcoporum vox continuo levatur, ad necessitatem ostendendam augendi clerum seu ad vocationes sacerdotales ubique fovendas.

Opus sine dubio excellentissimum est ut dioeceses ac nationes quae maiorem copiam habent sacerdotum, catholica caritate permotae in adiutorium veniant earum quae exiguitate laborant. De illis, numquam sufficientes laudes et gratiarum actiones, sicuti nuperrime Ss.mus Pater Paulus Papa VI repetebat. Sed remedium hoc, etsi undequaque laudabile et pro nunc apprime necessarium, aliud supponit: laborem, inquam, indefessum in propria dioecesi ad vocationes suscitandas et fovendas. Laborem dico in quo tota dioecesis veluti in statu « generalis mobilizationis » (parcatis verbo) ponatur,

cum omnibus institutionibus eius et cum omnium mediorum supernaturalium et naturalium auxilio, ad vocationes sacerdotales suscitandas, et alendas.

Unde laudibus cumulanda est 2 schematis propositio (in pag. 12) in qua clare asseritur vocationum opus « ad totam christianam communitatem » pertinere. Haec verba, ni fallor, non tantum consociationes ad vocationes specifice promovendas includunt, sed omnes catholicas institutiones, immo et familias et personas.

Quantum, e. g., nostris in terris Americae Latinae benemerita Actio Catholica in vocationibus fovendis adiuvat et adlaborat! Quantum in hac re optima illa consociatio virorum, quae vulgo « Serra Club » seu « Serra International » appellatur, iuvamen in multis Americae dioecesibus pro vocationibus affert! Quantum — si de familia vere christiana agitur, prout in hac propositione asseritur — Ecclesia catholica exspectat a consociationibus pro vita christiana in familia roboranda, verbi causa a sic dicto hispanice « Movimiento Familiar Cristiano »!

Et quia vis unita fortior, utinam institutiones omnes quae in hoc tam sacro agro excolendo adlaborant, Operi Pontificio, a Sancta Sede creato, pro vocationibus, sese adhaereant!

3. In aliquibus orbis regionibus quaestio agitatur de seminariis minoribus. Sunt qui contra illa obiectiones moveant, immo aliquando radicaliter impetant. Iamvero multi episcopi testes sumus quomodo seminaria minora non tantum utilissima, sed necessaria in quamplurimis nationibus sint. Praesupposita enim familia christiana, immediatus fons ex quo maxima pars alumnorum qui seminarium maius ingreditur, seminarium minus exstat. Sic in Italia, Gallia, Hispania, et fere in omnibus Americae Latinae ditionibus. Quid, quaeso, contingeret si illis in regionibus seminaria minora tollerentur? Praeterea, in sat multis Bullis pro novis dioecesibus erigendis, Summus Pontifex iubet ut *Seminarium, saltem minus* quamprimum erigatur.

Placet ergo 3 schematis propositio, in qua seminariorum minorum existentia affirmatur et roboratur. Verum est, ut sapienter notabat em.mus card. Bueno Monreal, propositionem hanc adhuc perficiendam esse. Sed ut mihi videtur iam in ea summa principia (synthetico, utique, sed nervoso modo) statui pro nova seminariorum minorum ordinatione, ex quibus optima et maximi momenti consectaria erui debent.

In eis etenim non qualiscumque institutio fieri potest; secus minime a quocumque iuvenum saecularium seu laicorum catholico instituto distinguerentur. In eis particularis religiosa conformatio plane requiritur, ita ut iuvenes capaces sint sanctam vocationem sequendi.

Neque silentio praetereundum est in hac adulescentium efformatione *directionem spiritualem* principem obtinere locum. Scimus, enim, animam educationis christianae — magis adhuc ecclesiasticae formationis — directionem seu moderationem esse spiritualem. Quot, inquam, vocationes, adhuc in minoribus seminariis tenerae, salvarentur si inde ab initio accuratissimam et vere personalem directionem spiritualem habuissent! Quantum revera in

iuvenilibus animis prudens ac zelans moderator spiritus facere potest, donec in eis Christus Iesus, exemplar totius perfectionis, efformetur!

Non deest, praeterea, in schemate explicita mentio de sanae paedagogiae et psychologiae normis applicandis; de accurata consideratione aetatis, indolis et evolutionis tam mentis quam corporis alumnorum. Et ne transitus ex familia in seminarium ex abrupto fiat, prudens cum propria familia consuetudo affirmatur, immo et prudens rerum humanarum sana cognitio, ne iuvenes caeco modo versus sacerdotium iter arripiant, neque ullo modo, nec minimo, ad illud amplectendum cogantur, sed maxima omnino cum libertate propria et personali decisione procedant.

4. Quia iuvenilis aetas adhuc debilis est, et quia episcopus nemini manus cito imponere potest, vocationes sacerdotales probandae ac roborandae sunt. Ideo, inter alia adiumenta, hisce nostris temporibus saepe saepius de tirocinio aliquo ac de interruptione studiorum in seminario, ad vitam spiritualem magis magisque fovendam, atque ad vocationem firmandam, sermo factus est.

Iam non paucis abhinc annis in pluribus religiosorum institutis viget praxis haec de studiis interrumpendis ante theologiam, eo praesertim fine ut sodales, futuri sacerdotes, sese in magisterio excerceant. In aliquibus pariter dioecesibus non sine parvo fructu praxis illa introducta est. Inter alia bona, verae vocationes dignoscuntur et roborantur.

Sed in schemate nostro, in propositione 12 (pag. 16) alius praestantissimus et maximi momenti finis intenditur. Proponitur nempe studiorum interruptio, de iudicio episcopi, *ad vitam stricte spiritualem specialissime colendam*. De institutione enim spirituali sacerdotum, numquam satis. Quis non videt similitudinem cum religiosorum novitiatu, attamen sub luce spiritualitatis omnino propriae cleri diocesani? Si pro religiosis iuvenibus probationis tempus per duos integros annos protrahitur, cur pro clero dioecesano, qui in maioribus saepe periculis versatur et maioribus indiget auxiliis, aliquid simile fieri non posset? Si episcopo placuerit, intervallum illud e. g. per integrum annum haberi posset, sive immediate ante theologiam, sive immediate ante philosophiam. Intensior orationis studium et praxis, virtutum excercitium etiam cum pauperibus extra seminarium, aegrotis, indigentibus; amplior sacerdotii catholici cognitio; conspectus introductorius sive totius theologiae, sive totius philosophiae, methodo semper christocentrica; vocationis propriae probatio ac roboratio; et infusio illius ardentis amoris erga Iesum Christum, ex quo omnia alia pro futuro sacerdote facile consequentur.

Placent ergo valde ea quae in propositione 12 statuuntur, sive de iam dicto spirituali tirocinio, sive de alio ad pastoralem animum acquirendum, sive de facultate conferentiarum episcopalium (haec est innovatio summi momenti etiam) ad augendam aetatem requisitam pro sacris Ordinibus.

5. In dies magis magisque ubique persentitur necessitas novellis sacerdotibus paterne, pastoraliter, peramanter in eorum spirituali vita iuvandi.

Unde praeter ea quae iam optime dicta sunt, et circa ea quae in ultima propositione schematis huius valde bene, quamvis synthetice, statuuntur, in mentem revocare volo experimenta illa fructifera in aliquibus dioecesibus in usu: de cursibus dico per integrum mensem protractis, pro determinato numero sacerdotum, iuvenum praesertim. In eis, post exercitia spiritualia speciali cura peracta, diversae quaestiones pastorales pertractantur et vita spiritualis laeto animo in novo vigore roboratur et floret.

Scimus ex lugenda experientia quot crisis in iuvenibus sacerdotibus, non immediate post sacerdotalem ordinationem, sed generatim post tres vel quinque annos. Valde opportunum videtur illos iuvenes sacerdotes speciali modo iuvare. Quot beneficia in praefatis cursibus seu conventibus accipiunt! Quot mala peropportune praecaventur! Quantum vita vere sacerdotalis, pastoralis, apostolica, adaugetur!

Tacere, denique, non possum momentum quod pro omnibus sacerdotibus habent consociationes, praesertim pro vita spirituali alenda et semper roboranda. Recordamini, Patres venerabiles, quot laudibus et commendationibus S. Pius X aliique Pontifices, usque ad Ss.mum Patrem Nostrum Paulum VI, consociationibus sacerdotalibus pro vita spirituali fovenda cumulaverint. Utinam verbum aliquod de illis, pro institutione post seminarium perficienda, in schemate nostro adderetur!

Conclusio: Ex immo corde optamus ut Concilium hoc Vaticanum II iubeat ut *Directorium accuratissimum et valde practicum* conficiatur, in quo optimae propositiones huius schematis fusius evolvantur, quod valde utile erit non tantum pro seminariis ipsis, sed et pro conferentiis episcopalibus.

Schema hoc, etsi adhuc communi sollerti cooperatione fraterna perpoliendum, mihi valde laudandum et probandum videtur.

40

Exc.mus P. D. EDUARDUS MARTINEZ GONZÁLES
Episcopus Zamorensis

Quaestionem vitalem et practicam solutionem proponere intendo, maximi momenti et actualitatis in Ecclesia.

Non tantum in hoc schemate sub n. 2, sed et in schemate *De vita et ministerio sacerdotali* sub n. 7, et in schemate *De pastorali episcoporum munere in Ecclesia* sub n. 6, quam maxime urgetur et commendatur necessitas fovendi vocationes sacerdotales, easque efficaciter promovendi et accurate seligendi. Talis autem sollicitudo dicitur speciatim incumbere episcopis, sacerdotibus et familiis christianis. Ratio in aperto est et omnibus patet et probatur. Etenim via est et modus ordinarius seminaristas comparandi, qui tandem suo tempore sacerdotes evadant.

Insuper instantia haec tum Episcopis tum sacerdotibus proponitur fundata in sollicitudine omnium Ecclesiarum eis propria, quam adquirunt per

consecrationem episcopalem et per participationem in universalem et salvificam missionem sacerdotii Christi, vi ordinationis sacerdotalis.

Tandem consequentia practica et vitalis, quae ex praecedentibus deducitur, ea est, ut quisque pro sua possibilitate et modo satagat omnibus viribus curare sacerdotum distributionem apte et generose fovere, tum inter regiones cleri penuria laborantes, tum inter populos infideles quos per missionarios suos Ecclesia ad evangelii lumen, salutem et vitam trahere conatur.

Atque haec omnia apprime dicta et statuta omnes invenimus. Sed ut in praxim deduci possint, ratio agendi ordinate est componenda. Forte enim accidit ut aliqua dioecesis bonorum naturalium penuria laborans, tali vocationum numero et dono a Deo ditata sit, ut in seminario dioecesano propter capacitatis insufficientiam eas colligere nequeat. Unde fit ut singulis annis plures reiicere cogatur; immo ut nequidem intensum fomentum exercere audeat, eo ipso quod deinde eas reiicere compulsus inveniatur. Res quidem lugenda quum Ecclesia tanta sacerdotum penuria et necessitate laborat.

Quid ergo? Solutio prompta videtur apparere: extruantur novae aedes ampliores, quae capaces sint omnes vocatos colligendi. Sed undenam quaeso, pauper dioecesis, licet optima voluntate praedita, sumptus necessarios adeo ingentes obtinebit ad seminarium dilatandum? En grave et urgens problema solvendum. Neque enim dicere fas est: mittantur qui supersunt in alia seminaria. Eruntne seminaria alia in eadem natione quae eos capere possint? Quia quum de pueris agatur, qui vocationem formatam et firmam nondum habent, extemporaneum esset eos alibi mittere.

Quapropter, quum problema sit universam Ecclesiam afficiens, uno alterove modo omnium cooperatione et sacrificio solvi debet. Qua ratione? Unaquaeque dioecesis afferat quod habet et possit: quae vocationibus abundant, vocationes afferat; quae sumptibus materialibus fruuntur, eos tradant ut hac ratione opus commune perficiatur. Fatendum est non deficere quosdam qui exemplari generositate conantur tale problema mederi. At omnibus in animo sit, qui mediis pecuniariis cooperantur, sibimetipsis tandem aliquando dare, siquidem cum ingenti supernaturali lucro ea in sacerdotes conversa erunt accepturi.

Nisi huiusmodi cooperationem praestent quicumque possint, impossibile evadet sacerdotes tradere eis qui tanta cum angustia eos petunt, quia sacerdotes deficient. Haec, venerabiles Patres conciliares, attente consideremus ut solutionem inveniamus, eamque in aliquo ex schematibus in quibus de re tam gravi disseritur, clare et concrete consignemus ut in praxim deinde deducamus.

41

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

Sectio nostri schematis « de vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis » nullam facit mentionem duarum rerum, quae tamen ad materiam plurimum conferunt.

1. Quae iuvenes christiani de sacerdotio sentiunt, ea non habent ex quovis tractatu theologico, sed ex viva cognitione illorum sacerdotum quos ex occasionibus vitae suae frequentaverunt. Quibuscum conversantes, paulatim experiuntur quid sit sacerdotis munus sive erga populum christianum sive erga mundum evangelizandum. Vitam ergo concretam sacerdotum intuentes, paulatim intelligunt quo sensu sacerdos dici possit testis Dei et vir orationis et pastor et missionarius; coniiciunt etiam utrum adsit vera unitas inter diversas partes vitae cuiusdam sacerdotis, necnon utrum ille felicitatem et gaudium e sacerdotio suo hauriat.

Hodiernis autem temporibus plurimi ad sacerdotium vocati simul conscii sunt se ad missionem vocatos esse. Attamen saepe videtur operam vere missionariam de facto laicis magis quam sacerdotibus concreditum esse. Unde iuvenes christiani saepe vitam laicalem potius quam sacerdotalem amplecti cupient, quin illis desit quidquam sive generositatis sive fidelitatis erga Deum vocantem.

Qui vero ad missionem sunt vocati, sacerdotium amplectentur, cum omnibus clare apparebit sacerdotem revera et directe inter non-christianos opus missionarium exercere.

Ergo in mente habeamus hoc in fovendis vocationibus maximi ponderis esse: quaenam pars in opere evangelizationis ad sacerdotium de facto pertinet aut cras pertinebit?

2. Dominus ad sacerdotium vocat non solum quosdam iuvenes e christianis familiis vel coetibus, sed etiam quosdam pertinentes ad coetus vel populos vix imbutos evangelio, quales sunt praecipue in Occidente iuvenes ex opificum coetu.

Hodie autem impedimentum gravissimum obest itineri talium iuvenum, impedimentum quod in dies magis ac magis percipitur, scilicet quali cultura in sacerdotibus instituendis utamur. Quamdiu enim institutio philosophica vel theologica dari non poterit nisi iis qui antea imbuti sunt cultura humanistica et « classica », ut dicunt, tamdiu eligent tales iuvenes statum laici missionarii potius quam sacerdotis; timent enim ne paulatim, si seminarium ingressi fuerint, propriam suam culturam derelinquere cogantur, ita ut postea incapaces fiant evangelii apte praedicandi fratribus suis eiusdem originis.

Experientia constat iuvenes opifices — praesertim si iam sunt solidi ac virilis ingenii — obnoxios esse gravissimis difficultatibus et discriminibus,

ita ut saepe in via deficiant. Quod quidem accidit etiam in seminariis in quibus multa temporibus nostris aptata sunt. Talia enim saepe vidi in seminario « Missionis Galliae » quod iam plures annos auctoritati meae commissum est.

Nec levis est quaestio. Certo quidem curandum est ut accessus ad thesauros vivae traditionis Ecclesiae omnibus pateat, praesertim illis quibus labor missionarius exercendus erit; missio enim non fit nisi homines per eam inducantur in traditionem Ecclesiae. Attamen seminarium debet quoque iuvenes aptare ad Evangelium salutis hominibus sui temporis suaeque culturae annuntiandum.

Inde exoritur seminariorum instituto quaestio valde complexa, quae non solvetur immediate nec per paucas mutationes superficiales. Oportet autem sine intermissione quaerere quid sit mutandum et aptandum.

Cuius rei maximum est momentum. Hoc enim agitur: poteruntne plures iuvenes ad sacerdotium pervenire et fratribus suis ab evangelio maxime alienis verbum Dei nuntiare?

42

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

De novo numero addendo: De *usu* linguae latinae tanquam « *medium* » instructionis et linguae communicationis pro clero.

Timeo ne introductio linguarum vernacularum in Liturgia, uti sancitum a constitutione liturgica, facile cedat in damnum linguae latinae, quae ab alumnis sacris despicietur tanquam obsoleta et mortua, si eius studium immediate non fulciatur ut medium instructionis in seminariis et medium communicationis pro clero totius mundi.

Ad hoc malum vitandum mihi videtur necessarium esse ut in praesenti schemate aliquid ad hoc statuatur ex *Veterum Sapientia* Papae Ioannis XXIII desumpto.

Hoc fulcimentum linguae latinae, tria sequentia poterit includere:

1. Clare statuatur quod lingua latina adhuc permanet ut basis vitae liturgicae et praecipue ut « lingua franca » Ecclesiae ideoque necessariam esse clericis ut medium communicationis.

2. Fortiter innuatur quod methodus docendi latinum in seminariis est radicitus reformanda. Ratio est quia methodus in praesenti a plerisque adhibita est nimis antiqua, irrationalis et vera causa cur multi alumni avertantur ab amore discendi latinum.

3. Exhortentur omnes cultores clericos linguae latinae ut relinquant scriptores latinitatis paganae (Ciceronem, Horatium, Virgilium et ceteri) Academiis et Curiis, et sequantur pro alumnis seminariorum Patres Ecclesiae

Augustinum, Ambrosium, Leonem et Gregorium, pro latino faciliori et simpliciori, et ita « aggiornato » non verbis kilometricis ex Bacci desumptis sed verbis (parole) modernis cuiuscumque generis graeco vel latino declinatis vel etiam indeclinatis.

Rogo commissionem ne consideret has ideas velut nugas, cum agatur de re magni momenti, de medio scilicet communicationis pro clero totius mundi.

Mea sententia, hoc desiderium instaurandi latinum in Ecclesia, minime applicari debet studiis alumnorum Afro-Asiaticorum qui bene poterunt instrui lingua ipsis faciliori, sed latinum et ipsis inculcari debet pro illis qui ad facultates Academiarum et Universitatum accedunt et pro medio communicationis internationalis.

43

EXC.MUS P. D. EMMANUEL MOLL Y SALORD

Episcopus Dertosensis

Infrascriptus, Emmanuel Moll, ep. Dertosensis, in Hispania, qui per 36 annos incubuit in clericos efformandos in seminariis et in operibus pro vocationibus sacerdotalibus fovendis, sequentia demisse exponit:

Quidam Pater in aula conciliari, dum de schemate *de institutione sacerdotali* ageretur, proposuit ut e schemate expungerentur verba « vocationis signis agnitis », quae habentur in pag. 12, n. 2, lin. 15.

Meo autem iudicio praefata verba sunt omnino retinenda. Ut enim Ecclesia, nos scil. episcopi, tuta conscientia possimus ad Ordines vocare, debet nobis constare de idoneitate candidatorum, nempe, debemus prius agnoscere signa eorum vocationis. Signa, quae sunt eorum qualitates spirituales, morales, intellectivae. « Nemini manus *cito* imposueris », dicit divus Paulus.

Idem Pater dixit se non intelligere quid significetur per illa verba « germina vocationis », quae habentur in eadem pagina et eodem numero, linn. 25-26. Valde mirum! Haec germina sunt praecise illa signa quae notantur in pueris bonae indolis: pietas, puritas, docilitas, oboedientia, intelligentia, inclinatio ad res seu officia sacra, etc. Certe haec omnia non sunt vocatio; sed utique signa, germina vocationis, quae si foveantur et perficiantur, optimos candidatos ad sacerdotium efformare possunt ut ab Ecclesia *vocentur*.

Proponere, ut fecit idem Pater, praeferendas esse familias christianas seminariis minoribus, ut in illis efformentur et maturentur, ut dicitur, vocationes sacerdotales, est, salva reverentia, aliquid absurdum: certo certius amitteretur et disperderetur maxima vocationum pars.

Bonum est quidem ut foveatur vocatio sacerdotalis inter eos qui sunt maioris aetatis. Nullo autem modo spernatur, immo omnino praeferatur praxis illa suscitandi vocationes inter pueros, quae traditionalis est in Ecclesia et in documentis ecclesiasticis et in ipso Codice Iuris Canonici (can. 1353) enixe commendatur.

44

Exc.mus P. D. FRANCISCUS NUNES TEIXEIRA

Episcopus Quelimanensis

Ad n. 12, pag. 16. Mihi videtur maximi momenti ut candidati ad sacerdotium, post diaconatum, per integrum annum, sub cura sollicita et valde amorosa cuiusdam sacerdotis pii et zelo commendati, tirocinium pastorale pateretur et non antea.

En rationes. Ita diaconus, munera pastoralia exercens et cum christifidelibus tractans, facilius ostendere posset utrum sensu communi seu prudentia praeditus sit, utrum patiens et moderatus et moderator aliorum, mansuetus et obediens sit necne.

Si haec praxis pastoralis et praesertim hic contactus cum populo christiano non patiatur post diaconatum cum praeterea iam utilior esse possit parocho, candidatus, in quovis alio modo experientiae ante ordinationem, tantum aget quod ipsi iubeatur et cum superiore in passiva obtemperatione convivet sine coeptis personalibus et sine problematibus, quin sese videat irretitum his difficultatibus, quae frequenter in sacro ministerio inveniuntur.

In huiusmodi practico ministerio post diaconatum, facilius aestimari posset utrum candidatus ad sacerdotium illis dotibus voluntatis et intelligentiae quae requiruntur praeditus sit necne et habeat illam scientiam theologicam necessariam et capax sit eam in praxim deducere.

Integrum annum et non minus hoc tirocinium ita faciendum esset, ut habitus laboris ministerialis expeditum eum evadet et ostendat utrum progressus sit an contra manserit ut erat vel in peius detraxerit.

Si ita luculenter incapacitatem ad sacerdotium ostenderet, Apostolica Sedes, ut iam mos est ultimis temporibus, faciliter et opportune ab oneribus caelibatus et divini Officii candidatus ille, qui in illo experimento incapacem sese praebuit, dispensationem concederet.

45

Exc.mus P. D. IOSEPH PETRALIA

Episcopus Agrigentinus

Schema novum *de institutione sacerdotali,* si cum praecedenti schemate comparatur, proculdubio aptius finem suum assequitur et plenius varias argumenti partes adimplet. Aliqua tamen mihi videntur melius posse componi et alia necessaria adiungenda.

I. Bene n. 2 exprimitur necessitas vocationum sacerdotalium fovendarum opera praesertim familiarum et sacerdotum; quae opera divinae Providentiae actioni respondet, quosdam homines seligentis ad sacerdotium Christi

hierarchicum participandum. Et bene etiam dicitur Ecclesiae a Deo munus esse commissum signa vocationis agnoscendi et candidatos recta intentione praeditos et plena libertate fruentes vocandi et Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecrandi.

Sed haec, etsi pulchra, nonne sunt generaliora? Ad solemne documentum conciliare spectat, ut mihi videtur, definire — sub lumine recentioris psychologiae quae artis asceticae potest esse valida auxiliatrix — quae sint tandem aliquando hae dotes sive naturales sive supernaturales quae signa, ut ita dicam, vocationis subiectiva constituunt.

Nec satis est. Sed post tot doctas elucidationes problematis vocationis sacerdotalis necnon post claras declarationes pontificias, exspectandum est ab hac Sacrosancta Synodo ut, sua qua gaudet summa auctoritate, definire signa haec subiectiva non sufficere nisi accedat obiectiva episcopi vocatio, quae ultimo est ratio vere formalis ipsius vocationis ad sacerdotium.

II. Ad n. 4. Quae hoc numero continentur non suo loco posita videntur. Nam haec pars, vere fundamentalis, in qua agitur « de integra institutione sacerdotali fini pastorali aptanda » ponenda esset initio IV partis, videlicet ubi sermo est « de institutione spirituali impensius excolenda ».

Hinc ordo concinnior oriretur. Nam primum est ponendum principium et fundamentum, quod est: « Integra clericorum formatio prosequatur oportet ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum Magistrum, Sacerdotem et Pastorem, etc. ... ». Ab hoc principio descendit omnis forma institutionis spiritualis, quae nn. 8-12 describitur et inculcatur.

III. Quantum ad n. 10, liceat mihi animadvertere hic nimis iuridice et modo ut ita dicam frigido fieri sermonem de educatione ad castitatem. Bene describitur castitas ut integra animi et corporis deditio ad Domino inserviendum et, inferius, ut indivisus amor. Sed, meo pauperrimo iudicio, iuvenibus in sortem Domini vocatis castitas sacerdotalis describenda est etiam ut altissima et pulcherrima inter optiones quas iuvenes ipsi, ardentibus amoris stimulis perculsi, facere unquam possunt, scilicet ut responsio amoris ad Amorem, ut integra corporis et cordis et spiritus adhaesio Verbo humanitate induto, Christo nempe, qui non tantum est « speciosus prae filiis hominum », sed summum Bonum, suprema Bonitas, Lux vera, Pulchritudo ineffabilis, Amicus, ut David de Jonatha canit, redamandus super amorem omnium mulierum. Tantum huiusmodi institutione iuvenes clerici castitatem dulcissimo animi motu amplectentur nec retro amplius respicient ad caepas et allia Aegyptiorum.

IV. *Insistendo in castitatis argumento,* aliud problema mihi videtur esse ponendum: scilicet de periculis quae ex ipso convictu (convivenza) enasci possunt et reapse enascuntur. Vita communis, quam Tridentina Synodus instituit in Seminariis, absque dubio, uberrimos et dulcissimos sanctitatis sacerdotalis fructus, ubi alumni scientia et pietate apte et vigilanter instituuntur, per saecula produxit. Sed neminem latet, qui seminarii moderator fuerit, quam

saepe, ex hoc ipso convictu tot adulescentium passionibus ferventium et ebullientium, illae morbosae « amicitiae particulares » erumpant, quae, nisi attente detegantur et corrigantur, originem dare possunt teterrimis inversionibus et perversionibus, quas aliquoties lugemus in sacerdotibus.

Proinde nonne necesse est Sacrosanctam hanc Synodum decernere ut auctoritas competens in Ecclesia commissionem quamdam post-conciliarem instituat, viris in theologia morali et in scientiis psychologicis et physiologicis peritis efformatam, quae vitam communem in seminariis recognoscat et instruat eis modis eisque remediis quae harum pestium pericula avertere possint?

V. Ad n. 11, ubi fit sermo de christiana educatione et de inventis sanae psychologiae et paedagogiae applicandis, aliquid censeo inserendum de bona valetudine alumnorum Sanctuarii procuranda; nam saepe fit ut intensus labor cui ipsi subiiciuntur pro sua ipsorum spirituali et intellectuali formatione, non aequa reficiatur alimentatione et animorum relaxatione: unde presbyteri novelli ex seminariis exeunt fere omnes mala valetudine affecti. Seminariorum alumni ut filii carissimi sunt tractandi; et quidquid ab episcopo, a parochis, a sacerdotibus, a fidelibus omnibus pro ipsis expenditur nimium numquam dici potest. Praeter bonam alimentationem et relaxationem, quae etiam exercitationibus gymnicis multum adiuvatur, imponenda est visitatio medica ineunte anno scholari et periodice per annum; insuper instituendum est in omni seminario centrum psycho-paedagogicum, quod magnopere cum moderatoribus adlaborare potest non tantum in efformanda mente sana in corpore sano sed etiam in detegendis dotibus negativis vel positivis, nempe ad vocationes genuinas discernendas et ineptos reiciendos.

VI. Ultimo venio ad n. 22. Optimum hic enunciatur principium directivum, ut nempe « sacerdotalis institutio ... etiam post seminarium prosequenda atque perficienda sit », ad quem finem assequendum nonnulla media suggeruntur. Sed aptissimum medium esse puto creationem Collegii Ecclesiastici, in quo post ordinationem novi presbyteri suam formationem sub ductu peritissimorum magistrorum et optimorum moderatorum perficiant et gradatim ad apostolatum sacerdotalem se praeparent, varia ministeria, praesertim dominicis et festivis diebus, iuxta episcopi prudentiam, exercendo.

46

Exc.mus P. D. EDUARDUS PIRONIO

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

Quaestio haec primi momenti est in Concilio. Incipit enim nova « era » in Ecclesia. Incipere debet etiam nova era in formatione sacerdotum, cum maxima fidelitate Christo, Ecclesiae renovatae et mundo hodierno.

Quaestio momentosa propter tria: *a*) Essentialiter sacerdotium invenitur in corde ipso Ecclesiae; *b*) Sacerdotes — et seminaristae hodierni — exse-

cutioni mandabunt hoc Concilium. Ab ipsis praesertim pendet quod mundo praesentetur vultus Ecclesiae renovatae; *c*) Formatio laicorum, qui christiane debent animare mundum, pendet essentialiter a formatione sacerdotum. Schema 13 exigit a sacerdotibus comprehensionem et amorem redemptivum mundi hodierni.

Ex altera vero parte nemo est qui non videat actuales structuras seminariorum — quoad disciplinam, studia et vitam spiritualem — non amplius respondere necessitatibus mundi nec psychologiae iuvenum huius temporis. Plures defectiones, inter dilectos fratres nostros sacerdotes, debentur incompletae seu inadaequatae formationi in seminario. Et non solum defectiones maiores (vulgo « apostasiae »), sed et frequentes casus sacerdotum qui in mediocritate vivunt, aut in angustia et tristitia pondus sacerdotale potius sustinent quam vitam sacerdotalem ardenter diligant ac in gaudio et optimismo mysterium suae consecrationis evidenter manifestent. Haec est una ex principalioribus causis — quae in schemate non affirmatur — diminutionis vocationum sacerdotalium. Quid igitur faciendum?

I. *In genere*. Clima generale seminarii debet esse: serenitas, dialogus, fiducia.

Serenitas: vitentur tensiones inutiles (vel ob nimiam multiplicationem praeceptorum, vel ob inadaequatam expositionem spiritualitatis, vel ob encyclopedicam accumulationem studiorum).

Dialogus: in contacto directo et permanenti — sensu « paternali » sed non « paternalistico » — superior intime cognoscat suos alumnos, et libenter eos audiat, etiam quando ipsi dura aut inexacta quaedam proferunt. Ad hoc necessariae sunt parvae communitates in seminario.

Fiducia: foveatur sensus responsabilitatis et liberae initiativae. In communitate vere fraterna sese sentiant alumni dilecti et vere animati a superioribus. Moderatores sese praebeant magis « patres » quam « superiores ». Ipsi vero sese sentiant tranquilli et laeti in suo munere, polleant plena fiducia sui episcopi et ab eo frequenter animentur.

II. *In specie*. Concilium non potest nimias particularitates determinare. Hoc competere debet conferentiis episcopalibus aut episcopo locali. Attamen quaedam principia debent animare generalem et urgentem renovationem nostrorum seminariorum in clima totius Ecclesiae renovatae.

1. *Quoad seminaria minora*. Foveatur in ipsis fundamentalis evolutio *vocationis christianae*. Potius quam insistere in vocatione sacerdotali specifice tali insistendum est *in evolutione progressiva gratiae baptismatis et confirmationis*. Tradatur spiritualitas eminenter theologalis, christocentrica et liturgica. Formatio intellectualis sit solida et completa, sed non encyclopedica. Foveatur formatio humana integra (quoad affectivitatem praesertim) mediante *permanenti* contactu cum propria familia aut aliis familiis christianis. Non nimis separetur adulescens a mundo. Quin immo, opportunum est ut iuvenes scholas etiam publicas frequentent ad profana studia peragenda.

Peculiari modo colantur vocationes sic dictae « adultae ». Curetur ut breviori tempore formationem maturam assequantur, tum in ordine intellectuali tum praesertim in ordine spirituali et apostolico. Aliquando enim iuvenes — christiani exemplari et veri apostoli in mundo — in seminariis nostris infantilismum patiuntur et generosam energiam spiritualem amittunt.

2. *Quoad philosophiam.* In hoc tempore continuare debet *evolutio vocationis christianae,* in solida spiritualitate theologali, christocentrica et liturgica. Etiam plena formatio in virtutibus humanis: sensus responsabilitatis, fidelitatis, verae amicitiae, spiritus servitii, sinceritatis et veritatis. Quoad studia ipsa, non nimis separentur a theologia: inter philosophiam et theologiam continua intercommunicatio est iterum iterumque stabilienda. In penetratione intellectuali et spirituali Sacrae Scripturae, et in participatione activa in S. Liturgia, vere alumni sapide experiantur mysterium salutis. Ita et studia ipsa philosophiae impregnantur spiritu christiano et evangelico.

3. *Quoad theologiam.* Est momentum praecipuum in formatione sacerdotali. Quapropter — super solidam structuram humanam — construatur *unitas* inter solidam instructionem intellectualem, profundam vitam spiritualem et activam generositatem apostolicam.

Quoad instructionem intellectualem: sit revera theologia « sapida scientia ». Id est, penetratio viva et personalis in Verbum Dei revelatum (Sacra Scriptura et Patribus), immo non ipsissimam Personam Verbi Dei. Quin amittat proprium rigorem scientificum, sit revera theologia religiosa penetratio in realitatem vivam.

Quoad spiritualitatem. Debet centrari in Mysterio Paschali Christi. Sacerdos enim — in vita, opere et doctrina — continuo proclamat mortem et resurrectionem Domini Nostri Iesu Christi. Quapropter oportet ut spiritualitas sit biblica, theologica, liturgica. Locum praecipuum occupent virtutes theologales (continuo sacerdotium praesentetur ut mysterium fidei, spei et caritatis) vivide informatae donis Spiritus Sancti. Configuratio in Christum, ope virtutum castitatis, paupertatis et oboedientiae, tali modo praesentetur ut sit revera proclamatio Mysterii Paschalis Christi atque anticipatio eschatologiae. Tota denique spiritualitas spontanee profluat ex ipsissimis studiis theologicis et ardentem dimensionem apostolicam manifestet.

Quoad activitatem apostolicam. Sensus pastoralis invadere debet totam formationem — tum intellectualem, tum spiritualem — sacerdotum. In intima connexione cum episcopo et in continuo contacto cum toto populo Dei et mundo redimendo discant seminaristae cognoscere « signa temporum » et audire *vocem Spiritus* in Ecclesia et mundo loquentis. Tota enim formatio sacerdotalis, in annis praesertim theologiae, debet dari ex duplici perspectiva: *a*) perspectiva *aeterna*: penetratio intellectualis et spiritualis in Christum, in totam historiam salutis; *b*) perspectiva *temporalis*: intima cognitio mundi hodierni quem diligere debet amore essentialiter redemptivo.

Ita haberetur plena fidelitas Christo, Ecclesiae et mundo.

Conclusio: 1. *Novum* schema praeparetur iuxta praecedentes observationes. In commissione competenti admittantur periti qui sint actualiter moderatores et professores seminarii.

2. In novo schemate solummodo delineentur principia generaliora ad renovationem institutionis sacerdotalis, iuxta spiritum totius Ecclesiae renovatae.

3. Constituatur commissio post-conciliaris quae attente consideret profundiorem reformationem — ad modum « Consilii » pro re Liturgica — in tota institutione sacerdotali.

[*Subscripserunt etiam*] A. Devoto, ep. Goya; A. Quarracino, ep. Nueve de Julio; A. Aguirre, ep. S. Isidro; V. Zazpe, ep. Rafaela.

47

EXC.MUS P. D. IOSEPH PRONTI

Episcopus Nucerinus Todinensis

Schema quaestiones expendendas proponit, quae maxime omnes sacros Pastores sollicitos tenent. Propositiones elaboratae laude dignae videntur quoniam praesertim initium potius constituunt non brevis itineris, quod a commissionibus post-conciliaribus explendum erit, nec non a commissione Iuris Canonici et, in primis, a conferentiis episcopalibus in singulis Nationibus.

Normae quaedam summi momenti in iisdem continentur, quae ipsis finibus a Concilio intentis eiusque notis characteristicis congruunt, atque simul non parum uniformitati disciplinae conferunt in universa Ecclesia. *Hae praecipuae attendendae videntur.*

1. Munus sacerdotale iure merito tamquam *Ecclesiae servitium* configuratur, ideoque tota institutio *fini pastorali* cohaerenter aptatur, e. g., studiorum ratio, qua studia philosophica melius cum curriculo theologico coordinantur; ipsaque studia theologica intimius connectuntur cum alumnorum vita spirituali eorumque futuro munere pastorali; opportuna, si opus sit, studiorum interruptio.

2. Peculiaribus necessitatibus et locorum realitatibus in efformandis sacerdotii candidatis iure consulitur. Conferentiis enim episcopalibus datur facultas, immo mandatum, exarandi pro proprio territorio Rationem institutionis sacerdotalis. Ita ergo continuo attenditur ad laudabiles nationum, culturarum, traditionum varietates, ut rigida quaedam uniformitas omnino devitetur.

3. Propositiones non omnium certo optatis et placitis satisfacere possunt, et ob documenti brevitatem et ob conatum viam quandam mediam inveniendi, inter propensionem omnia fere mutandi et propensionem rigidas consuetudines conservandi. At haec *aequilibrata synthesis* procul dubio laudi ducitur

schemati proposito, praesertim si ad varia optata et Patrum opiniones attendatur. Pari modo et « passivismus », quem vocant, et « autonomia » vitatur, adeo ut in universa activitate formativa vera organica et vitalis synthesis habeatur.

4. In schemate, tamen, non omnes praecipui aspectus institutionis sacerdotalis adaequate attinguntur. Sacerdos, e. g., iure praedicatur et desideratur homo « pro hominibus constitutus », at non sufficienter homo « ex hominibus assumptus ». Ut ille « homo Dei » efformari queat, traditio ecclesiastica magis in dies docet quanti facienda sit spiritualis alumnorum institutio, praesertim spiritus mortificationis, humilitatis et oboedientiae. Et oboedientiae, dico; quae virtus apud nonnullos hodie non in debito honore colitur, velut si iuvenum personalitatem cohibeat atque coërceat.

Huc pertinent quae nostris temporibus palam proferuntur, variis quidem nominibus, doctrinae, quarum est tantum ferme cuiuslibet eruditionis fundamentum in eo ponere, ut pueris integrum sit sese informare, ipsoque ingenio atque arbitratu plane suo, vel repudiatis maiorum praeceptorumque consiliis (cf. Enc. *Divini Illius Magistri,* PII Pp. XI, pp. 69-70).

Quapropter, ab iis qui sacrorum alumnis erudiendis dant operam acri animo pericula perpendantur, quae artem educandi, in seminariorum usum nunc receptam, eiusque efficacitatem extenuare possunt. Illud imprimis incusandum est, vel minimos natu nullum ferre vinculum velle, sive a lege naturae sive ab auctoritatibus vel ecclesiasticis vel civilibus iniectum.

Quae praxis et doctrinae, nisi opportuno tempore reprehendantur, quis fore non prospiciat, ut iidem iuvenes in posterum multa quidem iura sibi vindicent, pauca vero officia recipiant?

Itaque, probe noscant sacrorum alumni sese Christo, *qui est sacerdos et hostia,* conformari debere; « Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt ... » (*Gal.* 5, 24). Ii quorum interest, proinde, nec quidquam de debita severitate remittant eo ducti metu, ne sacerdotum copia minuatur; « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni expellerentur » (*S. Thomas*).

5. Amplior, insuper, desideratur tractatio circa grave officium, quod omnibus sacerdotibus incumbit vocationibus sacerdotalibus fovendis, exemplo imprimis ac sollerti pastorali cura. Quomodo enim adulescentes, aequa aestimatione, sacerdotalis officii perpendant dignitatem, si in sacerdotes oculos conicientes, exinde perfecti exempli formam sumere nequeant quam imitentur? Non semel ipse sacrorum alumnos, et ex optimis quidem, dicentes audivi: « Recuso laborem, ne forte indignus sacerdotio fungar, sicut nonnulli quorum causa, malo fato, luget Mater Ecclesia! ».

Venerabiles Patres! Negotium de quo agimus communia consilia certo certius et sollicitudines totius Ecclesiae postulat, at procul dubio momentosae quaestiones, quae pressius vocationes spectant, hoc pacto tantummodo ad felicem exitum deducentur, si ex utroque clero sodales, exemplo suo impri-

mis, contendant ut iuvenes, ad sacerdotium inclinatos, et reperiant, et congregent et instituant.

Conclusio: Ex hucusque dictis, libenter voto iam ab aliis Patribus expresso adhaereo, ut scil. schema tamquam fundamentum laboris agnoscatur, et Patrum suffragationi submittatur.

48

EXC.MUS P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

Clarius et fortius exprimatur opportunitas interrumpendi studia quando proficuum videtur pro maturatione psychologica alumni in ordine ad electionem definitivam status sacerdotalis.

49

EXC.MUS P. D. VICTOR IOSEPH REED

Episcopus Oklahomensis et Tulsensis

1. Primo quidem has propositiones de institutione sacerdotali laudare vellem propter ipsarum tenorem propositionum et propter facultates amplissimas attributas conferentiis episcopalibus, ad futuros sacerdotes formandos quod attinet.

Huiusmodi norma permittit adaptationem opportunam ad varia locorum adiuncta necnon adaequata experimenta quibus ea subsidia et novae rationes innotescunt quae in seminariis renovandis meliores fructus ferre valeant.

2. Ante omnia autem commissioni competenti gratias agere vellem pro n. 3 de seminariis minoribus et similibus institutis. Immo vellem quaedam suggerere quibus textus huius numeri fortior et utilior reddatur. Pluribus ex rationibus Concilium de illo studio praeparatorio silere nequit:

a) Fere tres ex quattuor partibus omnium seminaristarum inveniuntur in seminariis minoribus vel in institutis similibus. In toto mundo, ne mi fallor, sunt plus quam duo centum triginta novem millia, dioecesanis et religiosis simul sumptis; sunt plus quam triginta tria millia in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

b) Nostris diebus iuvenes citius maturiores fiunt et rebus magis adultis immiscentur, non semper quidem sine periculo. Exinde oportet ut ipsi iam hoc tempore iuvenili invitationem Christi clare percipere valeant.

c) In seminariis minoribus iuvenes degunt illa vitae periodo qua peculiari modo aperti sunt erga directores spiritus et generosiore nisu ad sanctitatem aspirant. Sub apta directione et servatis normis psychologicis haec generositas ita excoli potest, ut firma et fortis voluntas apostolica efformetur.

d) Haec instituta Ecclesiae iam dederunt bonos sacerdotes et episcopos. Quod magni momenti videtur ut seminaria minora etiam nostris temporibus idonea effici possint ad fovendas vocationes ecclesiasticas. Dico « idonea effici possint » quia hoc automatice realizari nequit. Sicut omne humanum institutum ita etiam seminarium minus inefficax evadere posset si ab ipsa auctoritate ecclesiastica negligeretur. Propterea quaedam suggerere vellem circa moderatores, alumnos et ipsum curriculum seminarii minoris.

Moderatores et professores sint oportet viri in scientia et praxi pastorali experti, in scientia psychologiae vere periti, viri apti ad fovendum spiritum amoris Christi, viri qui vitae intellectuali impulsum dent et alumnos ad christianum apostolatum excitare valeant.

Alumni vero se exerceant oportet in personali initiativa et responsabilitate. Arcta etiam fiat cooperatio inter parochos, parentes et moderatores ut simul sumpti in formationem iuvenis christiani adlaborent. Alumni etiam sint sufficienti liberate praediti, et opportunitates in apostolatum sibi aptum habeant.

Curriculum studiorum aequale sit illi quod viget in melioribus scholis regionis. Optima bibliotheca inserviat oportet solidae institutioni in studiis humanisticis atque scientificis. Ubicumque respublica vel aliae organizationes tribuunt scholis « agnitionem » officialem, huiusmodi agnitio etiam a seminario acquirenda est.

Propterea propono ut optimus textus propositionis tertiae sequentibus animadversionibus perficiatur: 1. Professores debent esse optime praeparati et instructi competentibus titulis academicis; 2. Alumni ita instituendi sunt ut crescat in ipsis sensus personalis responsabilitatis, capacitas opera sponte suscipiendi (anglice, « spirit of initiative ») et spiritus apostolicus; 3. Studia in seminariis ita ordinentur ut ab auctoritate civili, ubi fieri potest, agnoscantur.

Venerabiles Patres, omnia a nobis facienda sunt in seminariis minoribus et similibus institutis ut formentur iuvenes in spiritu christiano radicati, competenti institutione intellectuali, sive humanistica sive scientifica, exculti. Formentur iuvenes aperti erga veros valores huius mundi; desiderio sint inflammati hos ipsos valores consecrandi in Regnum Christi.

Conclusio: Schema propositionum *De institutione sacerdotali* ut fundamentum laboris agnoscendum videtur et Patrum suffragationi submittendum, saltem secundum quinque argumenta principalia numeris romanis indicata, ita ut a commissione competenti modo concreto expoliri et emendari valeat.

50

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS RODRIGUEZ PARDO
Episcopus S. Crucis de Sierra

A) Attento momento primordiali quod institutioni sacerdotali opportune instaurandae omnino convenit, schema quadam laborat brevitate. Tamen propositiones generatim placent; immo quaedam valde placent.

1. Sine haesitatione proclamatur necessitas maioris accommodationis ad locorum temporumque adiuncta; quapropter conferentiis episcopalibus conceditur congrua libertas id praestandi; simul utiles hac in re suggestiones eis praebentur.

2. In re disciplinari praepropera omnia fere mutandi propensio non minus vitatur quam rigida traditarum consuetudinum conservatio; recte temperatur congrua cum familia et societate humana consuetudo atque necessaria a mundo separatio.

3. In studiis recognoscendis valde placent normae de Sacra Scriptura quae totam institutionem theologicam animare debet; de studiis philosophicis melius cum curriculo theologico coordinandis, de ipsis studiis theologicis intimius connectendis cum vita spirituali alumnorum et cum futuro munere pastorali; de recognoscendis methodis didacticis.

4. Omnino placet tandem sapiens moderatio quoad studium linguae latinae; non enim imponuntur onera quae portari a plurimis nequeant et tristem crisim oboedientiae ac sinceritatis provocarent; exempli gratia non exigitur, ut disciplinae philosophicae latino sermone doceri debeant; alia ex parte bonae dantur rationes, ne studium linguae latinae negligatur.

B) In schemate emendando tamen *desiderata* magni momenti remanent:

1. Explicite mentio fiat de aliqua *commissione post-conciliari* constituenda, cuius erit accuratius perpendere recognitionem studiorum atque totius formationis ecclesiasticorum, ita ut doctrina et spiritus Concilii Oecumenici quam citius et efficacius fructus ferat; adhibitis consiliis in re competentium ex toto orbe terrarum, ab ea, exempli gratia, evolvantur normae de singulis disciplinis aptius componendis, praeparentur subsidia vere apta ad cursum introductorium, de quo in propositione 14. Eiusdem commissionis erit, utilia coepta suggerere vel etiam disponere de moderatoribus melius suo muneri parandis; experimenta in diversis regionibus mundi bono cum fructu facta cum omnibus ita communicare, ut singulae conferentiae episcopales ea eligere valeant quae propriis conditionibus melius congruere videntur.

2. Considerato momento quod convenit constitutioni *de sacra Liturgia* ab hac Sancta Synodo promulgatae desiderari potest ut, quaedam quae in praecedentibus redactionibus schematis « de sacrorum alumnis formandis »

dicebantur de formatione liturgica vitae spiritualis clericorum, restituantur. Cum autem in Institutione nuperrime promulgata ad « executionem constitutionis de sacra Liturgia ordinandam » (cf. nn. 14-17) plura hac in re optime disponantur, sufficere potest brevis allusio, ex qua clare eluceat cum sacrosanctis Ecclesiae mysteriis communicationem non solum curriculum studiorum theologicorum sed totam formationem futurorum ministrorum sacrorum permeare debere.

3. In propositione 16 commendatur magisterium S. Thomae in penetratione speculativa mysteriorum salutis. Optime et grato animo Concilium recognoscit magna merita eximiamque exemplaritatem S. Thomae, sed difficile intelligitur quomodo in Synodo Oecumenica, quae praesertim de unitate omnium christianorum cogitat, clericis totius orbis terrarum ex diversis ritibus atque culturis et scholis, unicum magistrum commendet cum sint in Ecclesia alii doctores et magistri qui clarescunt et clarescere possunt cum nostro optimo ac veneratissimo magistro S. Thoma.

Proinde, dicatur in pag. 18, lin. 26: « magnis Ecclesiae Doctoribus magistris, praesertim S. Thoma et S. Augustino ».

51

Exc.mus P. D. MAXIMINUS ROMERO LEMA

Episcopus tit. Hortensis, aux. Matritensis

In schemate sunt plura quae omnino placent, et aliqua, quae ampliore tractatione indigent. Hoc votum, quod vestrae considerationi trado, respicit punctum fundamentale quod non satis clare apparet in schemate, id est distinctio essentialis inter formationem sacerdotalis vocationis, et ipsam formationem sacerdotalem stricte dictam. Quamvis in propositione tertia agi videatur de germinibus vocationis colendis et in aliis de formatione sacerdotali, schema tamen non superat veterem illam confusionem, quae ad normas ipsas et institutiones hodiernas formationis sacerdotalis sese extendit.

Aliud enim est colere germina vocationis, et aliud sacerdotem directe efformare. Ideoque duo momenta seu tempora distinguenda sunt, quorum unumquodque habet suum specificum finem, et quidem diversa media, quae in certis adiunctis sibi invicem adversari possint. Pauca igitur dicam de utroque momento.

1. *Primum momentum*: de germinibus vocationis colendis, i. e. tempus maturationis humanae et christianae candidati.

Vocatio normaliter est gratia quae lente maturescit, ut ait Summus Pontifex Paulus VI. Quando haec gratia in prima infantia apparet, eius evolutio accommodatur ad normalem evolutionem ipsius personalitatis humanae et christianae. Quum vero haec gratia in aetate maturiori apparet, indiget etiam

certo tempore et quibusdam auxiliis, praesertim ut ad maturitatem christianam perveniat.

A) Quod ad *maturitatem humanam* attinet, requiritur

— *maturitas psychologica,* scilicet iudicii, voluntatis, affectivitatis;

— *maturitas sociologica,* scilicet civilis, professionalis, culturalis: *civilis*: cultus humanarum virtutum quas hodie mundus magni aestimat, et responsabilis cognitio propriarum obligationum et iurium; *professionalis*: possessio artis seu muneris, quo quis libertate sociali gaudeat; *culturalis*: accommodata scilicet hominibus sui temporis et regionis.

Haec omnia faciunt ut ipse se sentiat partem illius communitatis humanae, cui serius Evangelium nuntiaturus est.

B) Nunc vero de *maturitate christiana.*

Gratia vocationis est gratia supernaturalis. Requiritur ergo maturitas christiana ut responsio vocationi divinae sit responsio ex fide et per fidem, et valeat percipere sensum vocationis divinae eiusque postulata. Haec maturitas christiana non obtinetur nisi iuvenis plene incorporetur suae communitati ecclesiali et Ecclesiae universali. Haec vero incorporatio certe includit spiritum apostolicum authenticum, in qualibet forma exercitum.

Ad hanc autem maturitatem christianam attingendam non est medium aptum anticipatio quaedam formationis stricte sacerdotalis, quae in hoc casu comparanda foret methodis adhibitis ut flores vel plantae artificiali modo praemature crescant; quod quidem praecipue timendum esset in formatione virtutis castitatis.

2. *Secundum momentum* seu tempus formationis stricte sacerdotalis. Ad formationem stricte sacerdotalem requiritur ut homo qui vocationem acceptat, iuxta exempla in Sacris Bibliis et traditione christiana tradita recedat ab humano consortio et Deo intime adhaereat. Hac de causa mihi videtur schema imperfectum esse, quoniam non satis patefacit hanc formationem exigere tempus minime breve meditationis et separationis a mundo, ut candidatus interioritatem religiosam adipiscatur et vere ad « ea quae sunt ad Deum » assuefiat.

In hoc sensu propositio 12 non bene distinguit inter formationem humanam et christianam, et formationem stricte sacerdotalem. Nam revera, si in primo momento colendae vocationi destinato, candidatus iam illam maturitatem humanam et christianam adeptus est, non videtur necessaria illa interruptio formationis stricte sacerdotalis, quae tota deberet esse intenta ad illam religiosam interioritatem.

Uno verbo: sacerdos est « homo Dei » « ex hominibus assumptus », ideoque eius spiritualitas inter hos duos polos continetur: Deus et homines. Relatio inter utrumque non est alternativa: « aut Deus aut homines », sed dialectica: « et Deus et homines ». Si ergo volumus ut sacerdos novi temporis profundius cum hominibus cohaereat, necesse est ut etiam profundius cum Deo vivat.

Ut vero haec synthesis attingatur, requiritur ut prius duo illa momenta analytice distinguantur: quorum primum potius destinetur humanae illi et christianae maturitati; secundum autem principalius intentum sit ad illam cum Deo et divinis intimitatem et familiaritatem obtinendam.

Hoc vero secum fert ut ordines sacri protrahantur.

52

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Les remarques qui suivent nous semblent d'autant plus importantes que le Schéma s'adresse à l'Eglise toute entière, dans le pluralisme de ses rites, et le pluralisme des cultures, des régions, des peuples dans lesquels elle s'insère pour y porter le Message du Christ dont l'objet est tout homme.

1. « *de studiis praeviis apte ordinandis* ». — « *Ac praeterea eam linguae latinae ...* ». Il faudrait ajouter: « praeterea optandum est ut non negligetur studium linguae graecae quae est lingua Novi Testamenti et Monumentorum antiquioris Traditionis Ecclesiae ».

Le grec reste la langue source non seulement des byzantins, mais aussi de tous les Orientaux et, pour la période primitive, de l'Eglise Occidentale elle-même.

En outre, nous proposons d'ajouter: « Dans les Séminaires des rites orientaux, une place de choix sera réservée à l'étude de la langue liturgique propre, tant pour une meilleure célébration des offices liturgiques que pour une mise en valeur plus grande, au profit de l'Eglise universelle, du patrimoine laissé par les Pères et les Ecrivains ecclésiastiques dans cette langue ».

2. « *Philosophia perennis* ». Pourquoi tenir toujours, surtout dans un document conciliaire, à cette distinction, sinon à cette opposition entre « *philosophia perennis* » et « *systemata philosophica, praesertim moderna* »?

La philosophie, comme toute science, est *une*. A partir de données fondamentales, elle évolue, elle ne cesse de s'enrichir par des apports nouveaux, mettant davantage en lumière tel ou tel aspect de l'être. Pourquoi accorder à la pensée philosophique scolastique toute cette place dans l'Eglise? Elle fut un stade dans l'évolution de la pensée philosophique, à une époque donnée et dans une civilisation, une culture donnée.

C'est pourquoi, on propose une rédaction qui serait dans ce sens: « Une formation philosophique aussi solide que vaste tant pour la culture, que pour une préparation plus profonde à l'ensemble des disciplines ecclésiastiques ainsi qu'à l'apologétique et à l'apostolat du prêtre dans le monde moderne ».

Enseignement de la Théologie:

a) « S. *Thoma Magistro ...* ». Dans l'Eglise, il existe de droit et de

fait plusieurs courants théologiques, sans préjudice de l'identité foncière du dogme. Plusieures manières d'exprimer humainement le même donné révélé. On ne peut limiter la Révélation divine, de soi universelle, à une pensée humaine, quels que soient son mérite et sa richesse, parce qu'elle est solidaire elle-même d'une civilisation particulière. Nous proposons donc de dire: « *Vestigia prementes illustrium Doctorum Ecclesiae aeque Orientalis ac Occidentalis* ».

b) Insistance sur l'Ecriture, la Théologie patristique, tant orientale qu'occidentale, ainsi que sur l'Histoire ecclésiastique: en raison de la notion même de *théologie*: donné *révélé, enseigné* et *vécu* par l'Eglise; raison œcuménique.

c) Connaissance des Eglises non-catholiques. Une connaissance plus grande, dans la charité du Christ, de nos frères qui ne sont pas en pleine communion avec le Siège de Rome, outre qu'elle nous enrichit des valeurs chrétiennes authentiques qu'ils portent, est à la base de toute estime et de toute action en vue de notre rencontre dans le Christ.

2. *Formation du clergé marié dans les rites orientaux.* Dans ce Schéma devrait figurer un paragraphe sur la formation du clergé marié, encore en vigueur dans les rites orientaux. Quoique depuis l'introduction de certaines réformes disciplinaires en Occident, surtout depuis le Concile de Trente, il répugne aux théologiens latins de parler de « clergé marié », l'institution traditionnelle de ce clergé en Orient est cependant une réalité canonique vivante, fort utile et que l'Orient, dans son ensemble n'est disposé à abandonner. C'est pourquoi, un paragraphe sur la formation de ce clergé marié devrait figurer dans ce Schéma. Nous proposons qu'il soit ainsi rédigé: « En proclamant la supériorité du conseil évangélique de la chasteté parfaite et la doctrine du célibat ecclésiastique, le Concile respecte la tradition des Eglises d'Orient, relativement à la promotion aux ordres sacrés d'hommes liés par le sacrement de mariage. Il ordonne, en outre, que le plus grand soin soit apporté à leur recrutement et à leur formation sacerdotale, tant durant leur séjour dans les séminaires appropriés à leur condition, qu'après leur ordination, conformément aux saints canons en vigueur dans les dites Eglises ».

53

Exc.mus P. D. VICTOR SARTRE

Archiepiscopus tit. Beroensis

Propositiones *de Institutione sacerdotali,* etsi nimis reductae, optima argumenta praebent circa formationem alumnorum in seminariis.

Speciatim delineatur introductio generalis ad studia ecclesiastica, qua alumni hodierni modo magis paedagogico ad arcana philosophiae vel theologiae adduci poterunt. Praescribitur etiam impensius tirocinium spirituale

in educandis candidatis ad sacerdotium. De hoc tirocinio, quod mihi videtur maximi momenti, tantum aliquas observationes proponere velim.

1. *De tempore tirocinii.* Meo humili sensu, melius coniungeretur tirocinium spirituale cum introductione ad studia ecclesiastica, durante primo anno seminarii maioris. Etenim, quando exponitur mysterium salutis ut alumni vocationem laeto animo amplectantur et studiorum sensum, ordinem et finem pastoralem plane perspiciant, nonne opportunum est ut simul rationes vitae spiritualis quae est propria sacerdotis addiscant et ad praxim vitae interioris assuefiant? Insuper in initio studiorum, cum novam viam aggrediuntur alumni aptiores sunt generatim ad altiorem spiritualitatem aggrediendam.

2. Quidquid sit de ordine rerum — nam diversae sunt conditiones hominum et educationis — formatio spiritualis debet locum omnino primum obtinere et servare. Agitur de formatione sacerdotali, de homine Dei et ministro Iesu Christi. Omnes scimus difficultates quae in apostolatu hodierno multiplicantur. Novimus etiam quod si vita interior est deficiens, multa periclitantur; si e contra est profunda atque constans, mirabiles fructus colliguntur. Propterea nihil carius, nihil utilius pro sacerdotibus quam consuetudo cum Deo et firmitas in eius voluntate implenda.

3. Quomodo magistri et moderatores possint communicare candidatis ad sacerdotium talem vitam interiorem? Haec est quaestio fundamentalis seu cardo totius educationis in seminariis, praesertim in seminariis maioribus.

Iuvat animadvertere quod problema ponitur sive in missionibus, sive in aliis territoriis. Sane iuxta conditiones locorum aliter se habent seminaristae, sed ob varias rationes, ubique requiruntur renovatio et adaptatio maior mediorum ad finem, magis ac magis urgere videtur institutio impensioris tirocinii spiritualis, ita ut sacerdotes fiant tamquam illa « arbor plantata iuxta rivos aquarum quae fructum praebet tempore suo » (*Ps.* 1).

Etenim secundum usum adhibitum in multis seminariis, formatio spiritualis continuatur, quasi eadem intensitate, per totum studiorum tempus, simul cum lectionibus philosophiae vel theologiae. Sane ac methodo alitur et augetur cognitio et doctrinae spiritualis et praxis vitae interioris, sed propter conatus in studiis ordinariis progressus spiritualis, secundum opinionem plurimorum et experientiam, retardatur et plus minusve impeditur. Consequenter radices vitae spiritualis non resultant sat profundae nec stabiles.

Oportet ergo ut spiritus Christi iam ab initio studiorum totam vitam alumnorum illuminare, penetrare, pervadere possit. Unde necessarium est determinare tempus conveniens scilicet per plures menses, aut per annum, in quo seminaristae methodice et intensive doctrinam spiritualem plenius addiscant circa vitam sacerdotalem et ita exerceantur ut perveniant ad orationem personalem, consuetudinem cum Christo, ad oblationem sui ipsius pro Ecclesiae servitio et animarum salute, seu aliis verbis, ad vitam vere in-

teriorem. Necesse est ut lectiones, exhortationes, exercitationes omnes ordinentur ad hunc finem assequendum. Per convergentiam aut concentrationem conatuum melius alumni vitam spiritualem intensiorem acquirere valent.

Ne dicat quis: tirocinium spirituale ad religiosos pertinet! Non est quaestio hic de comparatione inter vitam religiosam et sacerdotalem, sed de vita spirituali qua omnes sacerdotes et religiosi, etsi mediis forsan diversis, Christo conformes fieri debent et eius regnum promovere. Si Congregationes Religiosae docent absque mora suos candidatos mentem et praxim proprii Instituti, cur candidati ad sacerdotium non statim discerent in seminario maiore spiritualitatem vere sacerdotalem quae consistit essentialiter in cognitione personali et generosa imitatione Summi Sacerdotis Iesu Christi?

Conclusio. Instituatur quam primum impensius tirocinium spirituale quod seminaristis profundam vitam interiorem praebeat et ad fructum totius activitatis sacerdotalis permanenter inserviat.

54

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

1. Ad pag. 6, n. 4: Ubi id utiliter fieri potest, seminaria minora constent hospitiis tantum in quibus unus vel duo sacerdotes optimi eorum curam gerunt spiritualem. Attendant scholam mediam catholicam publicam.

Rationes: 1. Seminaristarum educatio fit magis aperta, minus ab aliis catholicis et mundo hodierno aliena, cum studia sint a republica agnita. Relationes retinent cum catholicis laicis educatis quod etiam in vita sacerdotali posteriore multum iuvare potest. 2. Probatio fit magis seria et tempestiva et profundior. 3. Expensa tum in sacerdotibus adhibitis tum in pecuniis valde minuuntur.

2. Ad pag. 7, n. 11: Studia latina in iis tantum terris omnibus seminaristis imponatur in quibus etiam in scholis publicis lingua latina adhuc docetur et in quibus cultura vel et lingua nationalis pro magna parte fundatur in latinitate ... In ceteris terris, praesertim autem in missionibus, lingua latina doceatur in academiis vel cursu speciali pro iis qui pro linguis adipiscendis maiorem aptitudinem et amorem habent.

Rationes: 1. Non solent sacerdotes legere textus latinos, sed refugium habent ad translationes. 2. Documenta Ecclesiae, quae valorem habent generaliorem, non tantum lingua latina, sed etiam linguis praecipuis modernis edantur. 3. Iam debent seminaristae in terris missionum unam, vel etiam duo, linguam exteram bene ediscere. Ii, qui non habent specialem aptitudinem et amorem pro linguis, tempus consumunt in adipiscenda lingua latina sine congruenti utilitate.

3. Ad pag. 8, nn. 13 et 14: Iam duo vel tres anni consumuntur in disciplinis philosophicis adipiscendis ... Ea problemata philosophica quae influxum

habent in homines hodiernos et quae valorem habent ad formandum opinionem rectam de mundo et homine (Weltanschauung) in unum cursum organicum componantur cum quaestionibus relatis dogmaticis. Cetera in academiis vel cursu speciali tractentur pro iis tantum seminaristis qui veram aptitudinem et amorem habent pro istis quaestionibus. Pro aliis sunt perditio temporis.

Sic multum tempus servatur pro disciplinis quae maius momentum practicum habent pro sacerdotibus nostri temporis.

55

Exc.mus P. D. ANTONIUS TEDDE

Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Mihi liceat amaritudinem meam aperto animo profiteri, cum renovatum schema *de institutione sacerdotali* perlegens nomen B. V. Mariae non invenerim.

Ne unum quidem verbum in toto nostro emendato schemate de institutione sacerdotali fit de Beatissima Virgine Maria, Ecclesiae et Cleri Matre amantissima omniumque christianorum Auxiliatrice patientissima.

Quam magni momenti et ponderis in dies institutio sacerdotalis habenda sit, difficillimis his temporibus, neminem fugit.

Quid, ergo, sine B. M. Virgine, Apostolorum Regina prudentissima, quam nobis Matrem Christus in Cruce dedit?

Bene et secure ambulat qui Mariam in corde portat et Iesum invenit et apud Iesum et in Iesu mansionem facit: per Mariam ad Iesum.

Quanto perfectioribus quis instat studiis et nobilioribus se subdit magistris.

Quae B. M. Virgine, divinitus facta Nazareth Christi Iesu Magistra sapientissima, nobilior cleri magistra?

Quod B. M. Virgine omnium virtutum et totius sanctitatis lumen nobilius? Peto, igitur, humillime ac instantissime ut saltem in n. 10, lin. 38 nostri schematis verbum fiat de B. M. Virgine hoc modo: Post verba « ad perfectam caritatem in ministerio exercendam » haec adiungantur verba: « ... adiuvante Beatissima Virgine Maria, Ecclesiae Matre et Cleri Regina ac Magistra amantissima, cuius materna caritate, in cotidianis periculis, mentes et corda alumnorum seminariorum fulciuntur ac suavissime roborantur ».

Sed et brevis paragraphus optatur in qua concinne dicatur *de necessitate sinceri cultus erga B. V. Mariam ad vocationem sacerdotalem efficaciter fovendam.*

56

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Schema propositionum in genere placet. Duo dumtaxat animadversiones facere sive puncta complementaria addere velim:

1. Schema istarum sat brevium propositionum cum altero schemate brevissimo et nimis contracto *de vita et ministerio sacerdotali* in unum redigatur forsan sub titulo: *de institutione, vita et ministerio sacerdotali,* vel potius *de presbyterorum institutione, vita et ministerio,* vel simpliciter *de sacerdotibus. Rationes sunt*:

a) Perplures iam Patres proprium schema de sacerdotibus iterum et iterum postulaverunt.

b) Ambo schemata quoad thema et finem intime sunt connexa, ut vel sint coniungenda vel pluria puncta in ambobus essent iteranda.

c) Tum pro cognitione intentionum huius Sacrae Synodi tum pro earum realisatione intima amborum schematum connexio est exoptanda nisi necessaria.

2. Pluribus in terris episcopi magna cum cura animadverterunt vocationes sacerdotales ad statum religiosum nimis incongruenter esse numerosiores quam vocationes ad presbyteratum dioecesanum, ita ut saepe saepius etiam hic in Europa sacerdotes religiosi, muneribus peculiaribus abalienati, paroecias et munera parochorum suscipere tenentur. Curiosum e. g. et etiam dolendum est, si in aliqua Congregatione sacerdotali pro missionibus fundata plus quam dimidium, immo duo fere ex tribus partibus certe variis ex causis, sed etiam propter deficientem numerum sacerdotum in patria manentes vocationem suam peculiarem et indolem propriam congregationis vel ordinis vix indirecte in actum deducere possunt. Rationes autem, cur vocationes pro clero saeculari relate ad clerum regularem decrescunt, certe sunt variae, una autem ex iis secundum multorum peritorum experientiam et persuasionem in eo exstat, quod nostris temporibus indoles et idea presbyteratus dioecesani propria et originalis minime est evoluta, vix conscia et relate ad spiritualitatem peculiarem sat imperfecte a moderatoribus et professoribus est culta.

Ideo nostro schemati addatur paragraphus, in qua de hac natura speciali presbyteratus dioecesani eiusque spiritualitate originali et peculiari tractetur. *Elementa principalia autem indolis et naturae propriae sacerdotii dioecesani,* e quibus et spiritualitas specialis emanare possit, inter alia esse videntur, quae sequuntur:

1) *Communio cum episcopo et participatio specialis missionis et munerum episcopi* per Ordinis gratiam, qua sacerdos dioecesanus immediate ad

episcopum suum est ordinatus; ideo in formatione spirituali sacerdotis mysterium Christi, in episcopo eiusque muneribus praesens, principalem locum obtinere debet. Paternitati episcopi pietas filialis sacerdotis et paternitas sua erga fideles correspondere debet. Haec communio et participatio per liturgiam, praesertim in celebratione eucharistiae realisatur, renovatur, repraesentatur. Ideo concelebratio episcopi cum presbyteris suis est significatio eminens huius communionis.

2) Participatio specialis missionis et munerum episcopi realisatur etiam *incardinatione in dioecesim* episcopi. Ordinatio sacerdotis dioecesani ergo non solum relationem personalem episcopum inter et sacerdotem secumfert, sed etiam dedicationem pro distincto territorio, id est pro ecclesia partiali utpote membri partialis totius Corporis Christi Mystici. Ergo momentum theologicum et pastorale huius incardinationis per professores et moderatores studiorum in clariorem lucem esset exponendum. Mea humili opinione e. g. incardinatione sacerdotis in distinctam dioecesim quaedam filialis, sed vere solidaris responsabilitas sacerdotum dioecesanorum cum episcopo pro territorio circumscripto exprimitur. Antiqua consuetudo Ecclesiae, nempe ut presbyteratus alicuius dioecesis in eligendo novo episcopo aliquo modo saltem per repraesentantes cooperet, in ista dedicatione et mancipatione sacerdotis dioecesani pro dioecesi sua fundamentum theologicum habet, et consuetudo ista, ubi non iam viget, instaurari optandum est. Certe nostris temporibus sacerdotes saepe saepius nimis se sentiunt ut cooperatores individuales vel solummodo ut instrumenta episcopi et quivis modus mere impersonalis inter episcopum et sacerdotes, necnon inter curiam episcopalem et pastores hanc notionem nimis angustam indolis sacerdotis dioecesani fovet.

3) *Presbyteratus ergo uniuscuiusque dioecesis sub episcopo et una cum episcopo in solidum responsabilitatem,* certe distinctam et iure ecclesiastico circumscriptam, pro tota Ecclesia dioecesis exercere debet. Ex ista communione cum episcopo et cum toto presbyterato — ergo ex fundamento theologico — novae formae et methodi actionis communis inveniri possunt. Conditio, sine qua non, pro talibus operibus solidarietatis et actionibus cooperativis in clero dioecesano haec est: ut in seminariis maioribus spiritus communitarius super hoc fundamento theologico excitetur et nutriatur. Spiritum fraternitatis in suo clero episcopus tum paternitate sua tum agnitione dignitatis et responsabilitatis presbyteratus in sua dioecesi fovere teneatur.

4) Denique sacerdos dioecesanus per communionem cum episcopo suo *paterno munere boni pastoris erga totum populum Dei in distincta regione gaudet.* Dum clerus regularis generatim apostolatum specialem colit, presbyter dioecesanus quasi universali modo pro omnibus indigentiis totius populi Dei fungitur. Iuvenes et senes, parentes et liberi, divites et pauperes, boni et mali, viri et feminae, homines cuiuslibet ambitus ei sunt commendati. Elementum speciale ergo spiritualitatis suae haec cura universalis et munus paternum boni pastoris esse debet, in quo munere paternitatem Dei et episcopi hominibus significat et praestat.

Conclusio: Breviter saltem in schemate nostro elementa principaliora indolis propriae et spiritualitatis peculiaris presbyteratus dioecesani enucleatur oportet, e. g. saltem hoc vel simili modo (forsan in propria paragrapho): Indoles propria et spiritualitas peculiaris presbyteratus dioecesani fundatur in speciali communione cum episcopo et participatione missionis eius, in incardinatione in Ecclesiam dioecesanam, in fraterna responsabilitate cum presbyteratu dioecesano, in paterno et universali munere pastorali pro toto populo Dei in regione sibi commissa.

57

Exc.mus P. D. IOSEPH THURLER

Episcopus tit. Capitoliensis, coad. c.i.s. Sorocabanus

Schema *de institutione sacerdotali,* quod nunc emendatum nobis disceptationibus proponitur in genere placet quia accurato modo de iis omnibus agit quae essentialia sunt ad veram formationem sacerdotalem.

Attamen, quaedam et notanda et corrigenda proponere velim, ut ea quae bona iam sunt meliora evadant et efficaciorem faciant necessariam nostrorum seminariorum reformationem. Ita

1. iam in prooemio peropportunum mihi videtur explicite asserere primaria illa principia reformationis secundum mentem et *spiritum Concilii Vaticani II* esse tradenda ut in moderandis nostris alumnis semper prae oculis habeamus ea omnia quae in hoc Concilio et declarata et approbata fuerunt.

Quinimmo auderem etiam proponere quod sicut fuit in potestate Concilii Tridentini seminaria instituere ad pastorales necessitates tunc temporis vigentes rite satisfaciendas, ita et nunc in potestate immo et in officio Vaticani II sit non solum seminaria reformare sed etiam, ubi necessitas ferat, inspicere utrum forsitan aliquid aliud a seminario diversum et magis necessitatibus nostri temporis accommodatum, excogitari possit.

Velim etiam ut ea quae in schemate dicuntur, congrua congruis referendo, *religiosis* etiam seminaristis applicarentur, cum perplurimi sint religiosi qui in paroeciis laborant quique una cum episcopo aliisque sacerdotibus dioeceseos unum efformant collegium presbyterale.

2. Quoad ea quae « de sacerdotalis institutionis ratione in singulis nationibus ineunda » optime dicta sunt in schemate unum tantum animadvertere velim, scil.: ut ratio ab episcoporum coetibus statuta, certis temporibus recognoscenda, *ne a solis episcopis elaboretur,* sed in ea etiam partes habeant et moderatores seminariorum, et sacerdotes munere pastorali fungentes, immo et laici. Oportet enim ut omnes qui portionem illam dioecesanam populi Dei constituunt, sciant responsabilitatem quoque habere in tota formatione sacerdotum.

3. Quoad seminaria minora attinet, ut omnes norunt, eorum necessitas

non ab omnibus episcopis recognoscitur. In aliquibus regionibus Europae seminaria illa non exsistunt. Nec desunt etiam in America Latina qui existimant seminaria minora non amplius esse necessaria. Ne igitur in textu conciliari claudatur via eorum experientiis, quae fructuosissimae videntur. Ubi autem eorum necessitas ac utilitas ab episcopis agnoscatur, curent moderatores ut alumni, magis ac magis conscii exigentiarum tum Baptismatis tum Confirmationis, *veri efformentur christiani* qui generoso ac apostolico animo ad Christum sequendum componantur. Peropportunum igitur erit moderatores istorum seminariorum prae oculis semper habere finem praecipuum eorum esse etiam veros christianos formare et quidem spiritu apostolico ita imbutos ut quaecumque sit via ab ipsis postea ingredienda semper et ubique ut veri christifideles vivere ac laborare valeant.

4. Quoad *seminariorum maiorum* ordinationem quod attinet haec mihi videntur animadvertenda:

a) moderatorum magistrorumque seminariorum est totas suas vires impendere et sedulo curare ut in suo modo vivendi veram ac *sacerdotalem communitatem efforment,* memorantes Sacras Litteras docere « fratrem qui a fratre adiuvatur tamquam civitas firmari ». Quot fructus ex hac ratione vivendi orituri sunt in bonum totius seminarii, nemo est qui non videat. Alumni enim verum spiritum communitarium, quod quidem omnino est desiderandum, eo tantum acquirent, quando in ratione vivendi suorum superiorum hoc exemplum nitide perspexerint. Verba enim volant. Exempla vero trahunt;

b) respectu eorum quae de institutione spirituali impensius excolenda rite asseruntur quaedam adhuc mihi videntur explicitanda melius esse: ita tota ratio seminarii luce *futurae missionis pastoralis* perfundari oportet ita ut integra clericorum institutio eo tendat ut alumni veri animarum pastores formentur. Hoc melius in priori textu affirmabatur.

Nova propositio desideranda est quae melius de *spiritu paupertatis* in seminario excolendo loquatur. Etenim fatendum est in hoc seminaria nostra multum deficere. Praeterea si seminaria spiritu Vaticani II volumus in hoc erit magis insistendum ut alumni verum ac evangelicum spiritum paupertatis acquirant, eo vel magis quia hoc erit unum ex praecipuis testimoniis Ecclesiae in mundo nostri temporis, ut saepe iam dictum est in hac aula conciliari.

In edocendo alumnos ad sacerdotalem castitatem curent moderatores *ne modo nimis negativo* procedant (ut proh dolor haud raro evenit) et memores etiam sint non sufficere monere ut vitentur pericula, nec castitas ita praesentetur perinde ac si esset conditio imposita sacerdotibus, sed potius ita edoceantur alumni ut in castitate ipsi discernant liberum testimonium amoris eorum qui totaliter emancipatos volunt ad servitium Dei et Ecclesiae. Sola caritas ostendit verum sensum et valorem castitatis et tantummodo sic castitas non iugum sed liberatio et gaudium spiritus erit.

c) quoad studia vero ecclesiastica, propositiones schematis, meo iudicio, funditus sunt reformandae et reficiendae. Etenim: Quoad studia philo-

sophica, ea quae in schemate praebentur nullatenus ostendunt verum momentum studii philosophici nec eius necessitatem tum pro ipsa formatione humana nostrorum seminaristarum tum pro exigentiis pastoralibus *dialogi cum mundo hodierno* instituendi. Re enim vera omnino non sufficit ut alumni synthesim tantum philosophiae perennis acquirant. Quamquam principia essentialia philosophiae scholasticae sint servanda, tamen cursus philosophiae in seminariis funditus renovandus est.

Praeterea in iis omnibus quae studia scholastica respiciunt mentem prorsus quam litteram scholasticorum et praesertim S. Thomae sequamur, non obliviscentes S. Thomam, in adiunctis vere difficilibus sui temporis, traditionalem doctrinam a maioribus transmissam et renovare et reformare studuisset. In hoc igitur *veri discipuli Sancti Thomae* erimus, si nos etiam exemplum suum sequentes sincerum dialogum cum philosophia moderna facere non timeamus, ut ea omnia et bona et vera quae in illa inveniuntur sedulo perpendamus memorantes quod « verum a quocumque dicatur, semper a Spiritu Sancto est ».

Advertamus etiam *methodum docendi* in nostris seminariis, ubi longe maior pars alumnorum vocationem potius pastoralem quam proprie intellectualem habent, ita disponi debere ut quaestiones illae pure speculativae et nimis abstractae quam possibile sit vitentur, et sedulo methodus adhibeatur in qua nexus ostendatur inter problemata philosophica et problemata realia ipsius vitae. Hoc omnino est faciendum ne studia philosophica inutilia prorsus videantur.

Denique, *quoad studia vero theologica,* unum tantum animadvertere velim, scil.: optima illa quae in numero decimo sexto schematis exoptantur, nempe: « in cursu theologico scientia sacra ... ita tradatur ut alumni doctrinam catholicam ex divina revelatione haustam profunde penetrent, propriae vitae spiritualis reddant alimentum, atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant »; optima ista, inquam, eo tantum mihi videntur possibilia, si methodus illa traditionalis *expositionis systematicae,* quae usque nunc fere in omnibus seminariis adhibetur, methodo potius *historico-biblica* substituatur. Sic tota theologia sub lumine historiae ipsius salutis exponi potest.

Venerabiles Patres, hae sunt considerationes quas vestro iudicio subiicere volebam. Existimo me essentialia saltem dixisse quae omnino confirmant necessitatem reformandi ac renovandi nostra seminaria. Hoc a nobis episcopis in hoc Concilio omnino est statuendum ut idoneos habeamus sacerdotes qui mysteria Dei in Christo hominibus revelata mundo nostro hodierno et annuntiare et dispensare valeant.

58

Exc.mus P. D. DINUS TOMASSINI
Episcopus Isclanus

Si disceptatio in aula conciliari fiet supra schema propositionum *de institutione sacerdotali, peto loqui de n. 4 eiusdem schematis,* scil. de melius seligendis et efficacius praeparandis seminariorum moderatoribus et magistris. Textus mei interventus sequens est:

In omnibus disceptationibus usque nunc habitis in tribus sessionibus Concilii, directe vel indirecte dictum aut suppositum est episcopos et sacerdotes oportere praeditos esse et sanctitate et virtutibus et scientia et experientia et zelo et multiplici atque actuosa pastoralitate ut moderna societas, sese velociter evolvens, evangelizari et salvari possit. Unde sequitur fere omnia practice pendere a valore episcoporum et sacerdotum.

Sed ubi episcopi et sacerdotes propriae formationis spiritualis, doctrinalis et pastoralis fundamentum accipiunt? Nonne in seminariis? Et in seminariis a quibus? A superioribus et magistris, qui exemplis, consiliis, exhortationibus, lectionibus et multiplicibus aliis incitamentis quotidie, per plurimos annos, formationis sacerdotalis principia donant et incrementum dant ut in spem Ecclesiae iuvenes levitae accrescant.

Sed quae institutiones, quae adiumenta hodie, concrete, praestantur his qui ad arduum ministerium moderatorum et magistrorum advocantur in seminariis? Homines et mulieres, qui in scholis publicis prima elementa pueris tradunt, scientia paedagogica et didactica imbuti sunt et debitas exercitationes, suo tempore, fecerunt. Quas paedagogicas et didacticas scientias apprehenderunt, quas et quantas exercitationes fecerunt qui non primas notiones pueris sed artem ministrandi Deo, regendi Ecclesiam, evangelizandi mundum, salvandi homines edocere debent eos qui locum Christi coram caelo et terra tenebunt? Est haec lacuna gravissima in Ecclesia divini magistri!

Varie conquesti sumus in hac aula de defectibus nostrae vitae, nostrae evangelizationis, nostrae relationis cum mundo hodierno, nostrae actionis pastoralis. Sed quomodo, a quibus, qua arte formati sumus? Multi sancti superiores et magistri fuerunt et sunt in seminariis, sed quanti veri educatores? Quanti vere periti in cognoscendis iuvenum animis, in dirigendis vocatis a Domino, in dignoscendis veris a falsis vocationibus, in organizanda, vivificanda et dynamicizanda monotona seminariorum vita, in servandis iuvenibus a vitae conclusae complexibus, in trahenda doctrina quae vera sit scientia et verum fermentum pastorale? Quanti qui noscant exigentias temporis et praevideant exigentias temporis futuri ut praeparare valeant sacerdotes secundum obiectivas necessitates locorum et aetatum quibus a Divina Providentia destinantur?

Deberet ergo esse magna et urgens in Ecclesia sollicitudo de reperiendis et efformandis sapientibus, prudentibus et efficacibus moderatoribus et ma-

gistris seminariorum, qui vere idonei evadant ad educandos sacerdotes sub quocumque respectu optimos pro suis temporibus.

Concilii Oecumenici fructus, ex maxima parte, pendent ab actione quae in seminariis, proximis annis, fiet: episcopi et sacerdotes, qui Concilii constitutiones veluti fermentum in mundum immittere debent ut mundus supernaturaliter vivificetur et salvetur, nunc iam parantur et sequentibus annis parabuntur in seminariis: necesse est ut sapientissime et opportunissime efformentur ut valeant profundam et amplissimam renovationem a Spiritu Sancto per Concilium inceptam in portum optatum adducere.

Concilium Tridentinum donum incomparabile Ecclesiae dedit quando praecepit seminaria: demus complementum valde perfectivum dono Concilii Tridentini, scilicet ordinamentum excellentissimum et efficacissimum per quod omne seminarium habere possit optimum collegium moderatorum et magistrorum: foret donum magnum, forsitan maximum huius Concilii pro Ecclesia sancta Dei.

Humili meo iudicio quae statuuntur in numero quarto schematis propositionum de institutione sacerdotali, non sufficiunt. Statuere oporteret ut omnes qui ad officium moderatorum vel magistrorum in seminariis destinari videntur, rite praeparentur saltem per regulares cursus pluriennales in opportunioribus anni temporibus dispositos. Simplices periodici conventus, a numero quarto admissi una cum institutis paedagogicis, omnino insufficientes retinentur: utiles esse possent tantum pro « aggiornamento ». Propterea propono ut numerus quartus schematis sic aut similiter, a lin. 5 in pag. 6, mutetur et compleatur: « Instituta ergo et pluriennales organici cursus, in convenientibus anni temporibus pro participantium utilitate indicendi ad hunc finem promoveantur et obligatoria reddantur saltem pro his qui ad principaliores responsabilitates sive in dirigendo sive in docendo ascendere debent. Pro iis autem, qui instituta vel cursus debite frequentarunt, periodici conventus, pro " aggiornamento ", teneantur ».

59

Exc.mus P. D. ERNESTUS UNTERKOEFLER
Episcopus tit. Latopolitanus, aux. Richmondiensis

A memorandum on Minor Seminaries in the United States.

In the current discussion of seminaries it may be of help to review some facts regarding Minor Seminaries in the United States so that all the elements and circumstances may be known and the potentialities of these institutions fully explored.

1. *Age of entering students.* In the United States the boys are not received until they have completed eight years of elementary schooling; this means, generally, that they are in their fourteenth year. It is my understanding that this would correspond to the 3rd or 4th year of the European gymnasium.

2. *Division of students.* Whereas minor seminaries in the United States used to follow the European system of grouping the entire six years under one discipline and program of studies, today they generally divide the group in accordance with our American school system into four years, corresponding to our "High Schools" and a two year period, corresponding with our "Junior Colleges". More and more these last two years are joined with the two Philosophy years of the Major Seminary so as to form a four year college, thus better fitting our national education pattern. This would result in what is called a 4-4-4 system, four years of high school, four of college (including philosophy) and four of theology. Otherwise Minor Seminaries generally follow a 4-2 pattern.

3. *Residence.* United States minor seminaries almost universally give the students a three months summer vacation at home with the family, and also vacations of one or two weeks at Christmas and Easter, and other days at home throughout the year. Thus even in seminaries where students are full time boarders they spend about four months or 1/3 of each year at home with the family. In the high school years (the first four which correspond to the 4-8 of the gymnasium) many dioceses have the arrangement whereby boys live at home and come to the seminary each day for classes; where this is not the case, they provide for frequent visits home and for the parents of the boys to visit the seminary frequently—all of this in addition to the vacations mentioned above. In the college years the students generally live in the seminary, this is a situation closely corresponding with the condition of students at secular colleges.

4. *Numbers of students and seminaries.* In the United States there are more than 33,000 students in the minor seminary years; this figure includes about 19,000 diocesan students and about 14,000 religious students. These are in the 4 years of high school and 2 years of junior college. There are some 60 diocesan minor seminaries and some 139 religious order minor seminaries. Many of these diocesan seminaries have been founded since World War II; they represent a considerable amount of financial sacrifice on the part of the people and the conviction of many bishops and vocation workers that such institutions are necessary in our situation.

5. *Way of life of the students.* United States seminary authorities are increasingly aware of the psychological dimensions of their work in minor seminaries. There is a careful avoidance of making the students into "little priests"; rather the emphasis is on the development of the whole man, a balanced, well-rounded youth in whom there is developed a loving and generous desire to serve Christ in His people. Personal initiative and the development of a sense of responsibility are goals much sought for in the many experimental programs currently being developed in the U.S. Minor Seminaries.

6. *Relation to family.* These seminaries do not operate on the principle that the boy's family is "bad", "secular" or a source of disturbance to his

vocation. If such were the case, the boy would very likely not be accepted for reason of his poor background. On the contrary our minor seminary authorities try to work with the family, to introduce fruitful areas of seminary-family relationships. Indeed because of the smaller numbers involved in the seminaries, parent-teacher-student relationships are frequently much closer than in many large high schools which the students would otherwise attend. We regard the Christian family as indispensable tool in the formation of the future priest.

7. *Patterns of education in the United States.* In many parts of the country Catholic high school education is co-educational, and universally throughout the country public (state) education is co-educational. Even in areas where separate high schools for boys are available, the mores of the prevalent co-educational system pattern are dominant. Such mores include a great independence of the home, school activities consume most of the day—generally the boy is gone from home from 8 in the morning until 5 in the afternoon, and frequently evenings are taken with athletics, school parties, activities of one kind or another. Early dating with girls is the rule; steady dating (i. e. with one exclusive girl friend) is almost a norm in many sections of the country, and this from the second or third year of high school. In many public high schools free and easy attitude toward sex obtains; indecent literature is easily available, and the development of Christian purity becomes extremely difficult. This attitude, although to a lesser degree is not absent from our Catholic youth even in Catholic schools. Important also is the concept of discipline prevalent in so much of public education today. The emphasis is on self-determination, freedom with little responsibility, a determination not to "bruise the psyche" of the student. This makes for an attitude toward authority that frequently bears bad fruit. Certainly such an attitude is harmful to a developing personality, and, unfortunately, it is not uncommon even in many Catholic high schools.

8. *Academic subiects.* The educational pattern in our non-seminary high schools, especially in many public (state) schools is increasingly pupil-centered; insufficient attention is given to such subjects as Latin which is taught often in a minimal way or not at all. It frequently happens that good study habits are not developed. The schools attempt to have most of the studying done in the school itself; if assignments are given at home, the student must contend with the radio and television which frequently occupy much of his time at home.

9. *Standards in Minor Seminaries.* For many years the Minor Seminaries have been working to improve the quality of their studies. More and more seminaries receive "accreditation" from the public or professional agencies which handle these matters in the United States. In not a few minor seminaries the accrediting rating is higher than that of many Catholic high schools which they would otherwise be attending. Certainly it does not happen that young men continue in the Minor Seminary because they cannot

transfer to another high school. Annual meetings of Minor Seminary authorities discuss ways and means of constantly improving the seminary curriculum and of having it best correspond to the needs of future priests. Criticism levelled against Minor Seminary studies is frequently based on the experience of some fifteen or twenty years ago before the special work undertaken by the Catholic University.

10. *Necessity of a Minor Seminary system in the United States.* Many bishops, vocation directors and seminary authorities believe minor seminaries are a necessity for the following reasons:

a) These years of the boy's life (14-20) are years of *special formation as to character, spiritual attitude, and choice of a life vocation.* Without separating the boys from their families any more than necessary, it is important to give the students the needed spiritual and psychological guidance without which they would so easily become involved in the predominant secularism, hedonism and materialism of our prevailing mores. This is especially the case in our public (state) schools where so many of our seminary candidates would have to go unless we had minor seminaries. To a degree disappointing to admit, this is also the case with many Catholic high schools which the boys would otherwise frequent.

b) If a boy is to be prepared in the *academic subjects* needed for the study of philosophy and theology, with special emphasis on Latin, it is almost impossible to educate him except in a minor seminary high school.

c) Training in the minor seminary gives a special opportunity for a sane and fundamental *spiritual direction* suited to a boy's needs and temperament and at a time when he is most susceptible to a direction, before he has acquired a certain sophistication and reserve.

d) If the Church in the United States were to rely only on graduates from non-seminary high schools, the vocation outlook would be very dark indeed. Even with the help of a strong Catholic family, the fact remains that *he is largely outside the influence of that family once he enters high school.* Whereas European mores may tend to keep the teen-age boy more largely at home, the way of life in the United States increasingly surrenders him to the influence of the school and of his companions there. The school influence and companions in secular life are seldom such as to foster a vocation. For that reason American bishops and vocation directors have been stressing the minor seminary.

e) Later vocations have always been a source for the clergy, and we are enlarging efforts to receive them. But any large increase can scarcely be hoped for in view of the formation which so many receive in their adolescent years.

11. *Some admitted problems in Minor Seminary work.* Minor Seminary authorities are well aware of the potential dangers in the system if it is not well conducted. Among such dangers are: *a*) over-withdrawal and too

great isolation from the world; *b*) unnecessary separation from family life; *c*) ignorance of the necessities of the world of work; *d*) an unwholesome introspection and fear of sexuality that may warp their priestly and Christian outlook. These and other problems can be mentioned. But the vast majority of seminaries are much aware of these and are taking means to counteract them. Everything possible is being done to strengthen the boy-family relationship. Frequent opportunities are being given to seminarians to mingle with boys and girls of their own age and to work with them in meaningful and challenging relationships. Jobs during the summer vacations are encouraged and give many chances to learn the realities and difficulties of life. A growing body of institutes, meetings, and literature provides seminary authorities and especially spiritual directors with psychological guidelines suited to combat the problems.

12. *Experimentation.* Many present critics of seminaries appear to reject all seminary "structures" in proposing theoretical solutions to the question of training young men for the priesthood. It is to be hoped that, using the authority of local Episcopal Conferences, there may be a series of truly scientific experiments in the field of such education. Scientific controls, similar to those employed in other educational projects should be employed, and, over the years, a body of real facts developed. It is to be feared that untried theories seek to substitute themselves without such previous experimentation. Such a course seems dangerous and immature.

13. *Present state of the clergy.* Without denying any faults, it must still be admitted that the clergy of the United States, so many of whom were trained in the Minor Seminaries, are not inferior to those in parts of the world where minor seminary training does not obtain.

In summary may I offer these points:

1) Minor seminaries are by no means the same all over the world. The troubles and difficulties assigned to them in those countries are not necessarily the fault of all minor seminaries but rather the result of the way in which some such institutions were administered.

2) Minor seminaries are not opposed to healthy, warm family relationship.

3) In the United States minor seminaries are increasingly recognized by the bishops and vocation directors as a real necessity, especially in view of current and foreseeable school conditions.

4) Criticism of minor seminaries without making distinction of countries, systems and divergence of administration is to criticize without taking into account all the elements of the situation. General criticism which does not make the necessary distinctions can inflict much harm on many institutions which are doing a good job in training young men for the priesthood of Christ.

60

Exc.mus P. D. ALFONSUS URIBE JARAMILLO

Episcopus tit. Aureliopolitanus in Asia, aux. Carthaginensis in Columbia

Schema propositionum de sacerdotali institutione nobis traditum, perplura sapienter cogitata et utilia continet.

Recte, inter alia, peculiaris sacerdotalis institutionis ratio, ab episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, indicitur.

Media et criteria ad vocationes sacerdotales instantius fovendas et seligendas necessaria et utilia commendantur.

Institutionem alumnorum, tum in maioribus, tum in minoribus seminariis, ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendere, affirmatur.

Integram clericorum institutionem eo tendere debere ut alumni veri animarum pastores formentur, et ad hoc obtinendum, spiritualem institutionem cum pastorali et doctrinali arcte connectendam, merito dicitur.

Et sic etiam de studiis ecclesiasticis recognoscendis, iterum de institutione stricte pastorali promovenda et de institutione post seminarium perficienda, multa recte asseruntur.

Liceat mihi tamen quaedam pauca indicare quae utilia ad scopum attingendum puto.

1. In seminaristarum educatione et in eorum efformatione, tam intellectuali quam pastorali, omnino necessarium est non oblivisci quam pauci alumni sacerdotium attingunt. Ut tam ingens labor, et seminariorum et seminaristarum non sit casus illis accuratiorem efformationem intellectualem praebere debemus, simulque eos ad apostolatum, iam inde ab initio, aptos et capaces efficere. Vitandum est ut seminaristae, sacerdotali vocatione carentes, fraudati se sentiant quando e seminariis egrediuntur. Sed contra, tempus commorationis in seminario ad authenticam et solidam formationem et praeparationem ut veri sint Christi apostoli in mundo avide proficiendum est. Hucusque sane, proh dolor ingens ex seminaristarum numerus optime qualificatus, fere nihil profuit Ecclesiae quia unica meta seminariorum sacerdotium fuit.

Utinam omnes seminaristae, etsi non sacerdotes, veri apostoli devenirent. Tunc iam umquam labor seminariorum tamquam inanis haberetur.

2. Experientia in seminaristarum efformatione, praesertim in seminario pro adultis (vulgo vocaciones tardías) me docuit, initiationem pastoralem, recte orientatam et paulatim in praxim ductam, esse, non solum perutile medium ad futuros sacerdotes in re pastorali efformandos, sed etiam aptissimum elementum ad ipsam vocationem tuendam et alliciendam, necnon et ad illam agnoscendam, nam pastoralis praxis recte adhibita et vividum amorem erga sacerdotium, et stimulus est ad virtutes et qualitates proprias sacerdotii adipiscendas.

3. Omnes noscunt urgentem necessitatem Ecclesiae esse erectionem institutorum specialium pro formatione superiorum, professorumque seminariorum, speciatim directorum spiritualium. Haec erectio solutio esset multorum problematum actualis disciplinae seminariorum.

4. Etiam dicere audeo, vobis omnibus, venerabiles patres consentientibus, paucissimis exceptionibus non omissis, usque nunc debitam attentionem presbyterorum post eorumdem sacram ordinationem valde neglectam fuisse. Magnus error esset credere institutionem seminaristicam, etsi optimam, pro tota vita sacerdotali sufficere. Apostolatus enim sacerdotalis cautelis et debitis adiumentis orbatus, saepe saepius in ruinam sacerdotis convertitur.

Utinam ergo, inter media tam sapienter in schemate commendata, includeretur praxis revisionis vitae spiritualis et pastoralis sacerdotum, commendaretur labor in communi (vulgo trabajo en equipo) et vitaretur quod sacerdotes recenter ordinati, et vivant et adlaborent in solitudine.

61

Exc.mus P. D. HENRICUS VION
Episcopus Pictaviensis

Schema *de institutione sacerdotali* laudandum, et a congregatione conciliari sane comprobandum est. Quinque puncta quae in relatione praeannuntiata sunt, non theoretica permanserunt, sed vere in rem transierunt. Textus aequilibrio pollet, et etiam amplitudine.

Mihi speciatim opportunum videtur *momentum pastorale* schematis.

Attamen, emendatio aliqua mihi videtur necessaria, salva substantia schematis, propter characterem ut ita dicam « intemporalem » in titulo sexto magis visibilem, sed etiam integrum textum obnubilantem. Certe, intentio redactorum erat, ut formarentur pastores, sed non sufficienter eo tendebat, ut formarentur *pastores hodierni ex alumnis hodiernis*. Et sic omissae sunt, vel saltem non satis clare exprimuntur aliquae exigentiae magni momenti hac nostra aetate, necnon forsan omni tempore.

I. Titulus VI: *de institutione stricte pastorali promovenda,* de quo locuturus sum, non plane negativus est.

Iam in par. 19 exigitur « ut alumni diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant »; in par. 20 instanter quaeritur, ut formatio sit practica et non solum theoretica.

Dolendum est attamen, quod non indicantur tres aspectus qui necessarii sunt, mea sententia, ad formationem hodierni sacerdotis, scilicet: 1) dispositio ad dialogum; 2) educatio ad vitam cum aliis, ut gallice dicitur: « la vie d'équipe »; 3) contactus arctior cum vita laicorum.

1. *Dispositio ad dialogum.* Quod pastor huius temporis ad dialogum promptissimus esse debeat, evidentissime innotescit ex exhortationibus En-

cyclicae « Ecclesiam suam », necnon ex iis omnibus quae in hac aula dicta sunt, et proinde hac in re non est insistendum.

Nunc autem, dialogus aliud non est quam fructus ex spiritu profundo maturescens, et etiam ars quaedam. Timeo ergo ne sacerdos, cum ad ministerium accedit, non praeparatus sit ad talem artem exercendam, si iam in seminario non sese formaverit normali modo ad dialogum cum co-alumnis, vel cum ipsis moderatoribus, vel etiam cum laicis et cum episcopo. Mirandum ergo mihi est, quod sive in titulo sexto, sive per decursum schematis, nec nominetur quidem talis dialogus.

2. *Pastor hodiernus vocatur etiam ad vitam cum aliis.* Hoc respondet suis propriis inclinationibus, sicut et inclinationibus hominum huius aetatis; exigitur etiam ratione muneris pastoralis, magis magisque complicati hisce nostris diebus.

Nunc autem, in vita cum aliis, scilicet in coetu confratrum suorum, sacerdos invenit, non imprimis medium quoddam salutis (ne dicam refugium pro sua pigritia vel sua incapacitate), sed potius verum instrumentum apostolatus, sicut fornacem in qua efformatur apostolus per orationem et reflexionem communem, per revisionem in communi factam vitae pastoralis uniuscuiusque, ita ut labor denuo assumatur insimul et consociatis viribus.

Sic intellecta, illa vita fraterna cum aliis, illa « vie d'équipe », apparet tanquam maturatio ad quam generatim accedere possunt solummodo ii, qui ad eam exercitati sunt a iuventute sua.

Mihi ergo iterum mirationi est, quod in capite VI ne uno quidem verbo nominetur huiusmodi vita cum aliis fraterne condivisa, quae etiam multum conferre posset formationi generali futuri sacerdotis, et ipsi institutioni alumnorum in seminariis.

Hoc mihi confessi sunt multi sacerdotes iam ministerio pastorali fungentes: in seminario minime efformati sumus ad vitam et activitatem cum aliis perducendam, et nunc tardius est. Difficultates, quibus obnoxia est actio pastoralis communis proveniunt praesertim ex tali forma mentis, non aptata vitae cum aliis in coetu fraterno.

3. *Pastor hodiernus,* plus quam antea, praesertim si curam habet laicorum qui operam impendunt motibus apostolatus, omnes fideles suos, imprimis militantes, ad fidem educare debet ratione habita eorum vitae concretae; et proinde eos attente cognoscere debet prout reapse vivunt in eorum ambitu sociali et in eorum genere activitatis personalis; hac nostra aetate urget nos instantius exemplum Christi Domini: « Ego sum Pastor bonus et cognosco oves meas » (*Io.* 10, 14).

Nunc autem plurimi sacerdotes novelli perturbantur propter exigentias huiusmodi educationis in ipsa vita concreta suorum fidelium, quia dum in seminario efformabantur ad ministerium sacerdotale, minime instructi sunt ad vitam realem sub hoc respectu practico considerandam.

Libenter admitto, quod impossibile et etiam inopportunum esset omnia facere in seminario; attamen ibi oportet fundamenta ponere, ibi oportet

animum excitare, spiritum promovere, ita ut postea experientia possit complementum necessarium afferre.

Haec quaestio gravis, et magni momenti, certe non deest in intentione nostri schematis, ut videtur ex aliquibus suggestionibus in paragraphis 11, 12, 21. Sed timidae mihi videntur tales suggestiones, et fugaces, et ad rem non plene pertinentes; exercitationes pastorales alumnorum in parochiis, contactus diversi cum motibus apostolicis, non parvi pendendi sunt; in multis casibus, iudicio episcopi et moderatorum seminarii, et sub horum ultimorum ductu, procurandus est futuris sacerdotibus arctior contactus cum personis ex eorum ambitu vitae et laboris.

II. *Character pastoralis schematis in genere.* Deficientia prospectivae in titulo sexto necessario influxum habuit in totum ipsum schema; etenim, secundum id quod legitur in n. 19: « Pastoralis sollicitudo integram clericorum institutionem informare debet ». Hoc patet dum considerantur, etiam per modum rapidi conspectus, propositiones quae spectant ad formationem spiritualem et intellectualem, ad vitam in communi, ad ingressum progressivum in ministerium pastorale.

1. *Titulus IV*: « *De institutione spirituali* ». Hic sane optima edicuntur. Attamen, multa exoriuntur problemata urgentiora, quando agitur de formatione pastorum pro mundo huius temporis.

Permulti sacerdotes, parum postquam ad Presbyteratum promoti sunt, raptim declinant in sua vita pietatis, speciatim ad orationem quod attinet. Nonne causa huiusmodi delapsus inquirenda est in quadam formatione spirituali, quae nimis adhaeret motui quotidiano et communitario? In seminario, ut mihi videtur (et hoc certe fusius explicandum esset), efformari debent alumni eo modo, ut magis aequilibrium personale servetur in eorum vita spirituali, etiam in vita orationis sub vigilantia moderatoris spiritualis uniuscuiusque.

2. *Titulus V disserit de formatione intellectuali.* Dum merito magni facit institutionem a magistro effectam, nimis timide agit de labore assimilationis ab ipso alumno peragendo, in n. 17. Nunc autem, in schemate apparere deberent in plena luce duo puncta quae sunt hodie absolute necessaria, scilicet: habitudo et methodus laboris, sive personalis, sive cum aliis.

3. *De vita in communi* deest in schemate titulus specialis, et haec est secundum me deficientia gravis.

Dicet forsan quidam, hoc pertinere ad omne quod in vita spirituali, intellectuali et in formatione pastorali includitur. Pro parte verum est, sed nihilominus vita communitaria obiectum habet proprium. Sane de ea sermo fit cum agitur de oboedientia, speciatim in paragrapho de disciplina servanda, sed modo nimis fugitivo et incompleto, quasi per transennam.

Auderem ergo exoptare: 1) ut titulus specialis efficiatur pro vita communitaria; 2) ut in tali titulo sermo fiat modo claro et vigorato de cooperatione activa alumnorum ad vitam seminarii, et hoc quidem non solum

quando agitur de rebus minimis; sed etiam quoad id quod respicit vitam profundam communitatis, salva ut decet auctoritate moderatorum.

In vita communitaria sic intellecta, in qua vere attenditur responsabilitati personarum et oboedientiae activae, et mentes diriguntur ad dialogum et ad vitam consociatam, futurus sacerdos sese praeparare potest iam in seminario ad ministerium quod sit vere consentaneum exigentiis presbyterii.

4. *Directiones in cap. VII expositae*: « *de institutione post seminarium perficienda* » schemati conclusionem conferunt quam optimam. Attamen ultimum votum exponerem. Textus noster magis completus et efficax esset, si aliquibus saltem verbis enuntiaret, quomodo media adhibita pro ingressu progressivo in sacrum ministerium, in periculum veniunt vim suam amittendi, si non inseruntur in conatum dioecesanum ad actionem pastoralem ducendam, conditionibus hodiernis aptatam.

Et sic nostras facimus praeoccupationes schematis « de munere episcoporum », quia verissimum est quod problema seminariorum necnon vocationum sacerdotalium intime coniungitur problemati sacerdotum iam ministerio fungentium.

Conclusio. Bonum est schema de « institutione sacerdotali ». Opto tantum, iuxta observationes supra factas, quod formatio futurorum sacerdotum magis magisque fiat in sensu formationis pastoralis hodierni sacerdotis, qualis esse debet in hac hora Concilii.

62

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŽAK

Episcopus S. Hippolyti

Schema propositionum *de institutione sacerdotali* in genere valde placet. Duas animadversiones tantum proponere mihi liceat.

1. Ad n. 2: In dioecesi nostra de vocationibus sacerdotalibus quaestionem statisticam habuimus, in qua quaestione non sine aliqua miratione certiores facti sumus, quod plurimae vocationes non semper tantum in regionibus, ubi vita religiosa floret, habentur, sed potius in eis paroeciis, etsi aliqua infirmitate laborantibus, ubi sacerdotes sedulam curam erga vocationes et vocatos gerunt.

Ulterius ex experientia statistica constet, vocationes sufficientes in populo christiano haberi, tamen proh dolor saepe saepius ad effectus et fines suos non deduci, quia nemo pueros aptos excitat et ad seminaria dirigit, vel alio modo vocationes fovet. Munus sacerdotum curam animarum gerentium, ni fallor, pulcherrimum gravissimumque est vocationes fovere et se ad opus fovendarum vocationum praecipue convertere. Vocationes sacerdotales optimi apostolatus sacerdotalis fructus sunt. Hac in re secundum meam opinionem non sufficit utique omnino necessarium « sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus » (uti dicitur pag. 12, linn. 8 et 9). Propositio secunda expres-

sis verbis omnibus sacerdotibus ostendere debet, ut libenti animo et zelo assiduo hoc munus impleant.

2. Ad n. 7: Inter seminaria « interdioecesana » (uti dicam) peculiari modo nominentur instituta pro eis, qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem. De istis institutis quidem in n. 3, sed tantum per transennam locutio fit. Sicut experientia ultimis decenniis docet, praedicta instituta bene progrediuntur et augentur; ea de causa specialiter nostra animi attentione egent.

Propono ergo, ut in n. 7, pag. 14, lin. 23, post verbum « consulatur » sequentia (vel similia) inserantur: « Hoc peculiari modo convenit institutis pro eis, qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem ».

Neminem fugit, alumnos istorum institutorum maturiores alumnis ex Seminariis minoribus esse et maiori cum constantia vocationem suam servare. Gratias agere debemus providentiae Dei, quae nostris temporibus per viam extraordinariam plures quam antea vocationes largitur.

63

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES

Ego infrascriptus Pater conciliaris schemata de *institutione sacerdotali* et de *christiana educatione,* iuxta plus quam centum documenta Romanorum Pontificum ita censeo perficienda ut doctrina S. Thomae, saltem in suis principiis, nedum in S. Theologia sed et in Philosophia tradenda in omnibus scholis catholicis sancte servetur.

[*Subscripserunt*] M. card. Browne; I. card. Ferretto; A. card. Ottaviani; Paulus card. Marella; Iacobus A. card. Copello; Henricus Dante, arch. Carpasien.; Arcadius M. card. Larraona; Franciscus card. Roberti; Aloisius card. Traglia; Franciscus card. Bracci; Fernandus card. Cento; card. J. da Costa Nunes; I. card. Antoniutti; card. Giuseppe Pizzardo; card. Efrem Forni; B. card. Aloisi-Masella; G. P. card. Agagianian; card. Paolo Giobbe; Dinus Staffa, arch. tit. Caesarien. in Palestina; Anicetus Fernandez, Magister Gen. Ord. Praed.; Dinus Romoli, ep. Pescia.

64

CONFERENTIA EPISCOPORUM DE MADAGASCAR

N. 6, pag. 14, lin. 10: Post verbum: « severitate » addatur: « tutiores partes semper sequendo ». *Rationes*: Saepius ratio casuum lugendorum sacerdotum qui in peccato etiam habituali scandali et cooperationis, vel etiam in apostasiam a statu clericali prolapsi sunt, est eorum incapacitas ad onera status sacerdotalis ferenda et error praepositorum vel confessariorum qui de vocatione divina eos securos reddebant, falsa misericordia moti erga ipsos,

qui sacerdotium instanter petebant, et decepti in eorum iudicio benignioribus sententiis circa ea quae necessaria sunt ad iudicium positivum ferendum de dono vocationis divinae. Necessarium ergo est ut Concilium in hoc numero, qui ad inquisitionem et iudicium de vocatione sacerdotali refertur, revocet in mentem omnium eorum qui de vocatione sacerdotali in foro sive externo sive interno ferre debent in casu applicandum esse principium tutiorismi, iuxta declarationem a Pio XI factam in Encyclica *Ad Catholici Sacerdotii* (*A.A.S.*, 28 [1936], p. 41).

N. 8, pagg. 14-15: Conformiter ad ea quae sacrum hoc Concilium in n. 17 constitutionis de S. Liturgia iam statuit, explicitius in hoc loco dicendum est formationem vitae spiritualis candidatorum ad sacerdotium spiritu liturgico imbui debere.

N. 9, pag. 15: Explicite in hoc numero, vel in numero distincto, spiritus missionarius commemorandus et commendandus est. Sicut enim Episcopi « qua membra collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli ... sollicitudine pro universa Ecclesia ex Christi institutione tenentur » (Const. *de Eccl.*, n. 24) ita etiam, congrua congruis referendo, sacerdotes qui sunt « Ordinis episcopalis providi cooperatores » (Const. *de Eccl.*, n. 28).

N. 11, pag. 16, linn. 13-16: Loco « illae quoque virtutes ... iustitiae cura » dicatur: Nec parvipendant, sed e contra peculiariter curentur ... iustitiae cura. *Rationes*: Sinceritas et cura iustitiae sunt virtutes naturales omnino fundamentales, sine quibus institutio sacerdotalis impossibilis est; atqui, experientia teste, aliquando apud alumnos seminariorum hae virtutes desiderantur.

N. 13, pag. 17, lin. 8: Post verba: « ... alumnis agatur » addatur: et si eorum lingua vernacula a latina derivatur. *Rationes*: Pro Sinensibus, Iaponensibus etc. lingua latina perdifficilis est.

N. 16, pag. 18, lin. 19: Post verbum « Patres » addatur: « sive Occidentales sive Orientales ».

[*Subscripserunt*] J. Wolff, arch. Diego-Suarez; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; Ad. Messmer, ep. Ambanja; J. Puset, ep. Tamatave; F. Vollaro, ep. Ambatondrazaka; J. Rakotomalala, arch. Tananarive (excepto n. 13); F. Thoyer, arch. tit. Odesso (excepto n. 13); C. Rolland, ep. Antsirabe; J. Zimmermann, ep. Morombe; F. Rajaonarivo, ep. Miarinarivo; C. Chilouet, ep. Farafangana; J. David, ep. Majunga; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; M. Canonne, ep. Tulear; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa.

65

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Quoad propositionem 1: Omnino recte coetibus episcoporum conceditur facultas statuendi rationem sacerdotalis institutionis. Qua in ratione leges universales accommodandae sunt ad peculiaria locorum temporumque adiuncta, de quibus tamen ipse coetus episcoporum modo aptissimo iudicare

potest. Incongruum proinde videtur ius rationem approbandi Sedi Apostolicae attribui. Expedire videtur, ut Sedi Apostolicae ius rationem *recognoscendi* attribuatur, quo ipsa Sancta Sedes pollet quoad acta et decreta a Conciliis plenariis et provincialibus edita, quae leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodant (cf. can. 291).

Quare proponitur, ut in pag. 11, linn. 19-21, legatur: « ab episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus *revisenda* atque ab Apostolica Sede *recognoscenda* ».

Quoad propositionem 2: Modus, quo sacerdotes vocationibus fovendis conferre possunt, amplificetur. De magistris hic quoque sermo sit.

Quare proponitur ut pag. 12, linn. 8-9, sic legatur: « tum sacerdotes, qui zelum apostolicum in fovendis vocationibus quam maxime ostendant necnon propria ipsorum vita, mutua sacerdotali caritate ac fraterna operae consortione adolescentium animos ad pastoris animarum munus amplectendum trahant, quique eos, qui se ad sacerdotium vocatos existimant, cura speciali prosequantur, tum magistri omnesque, qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant quique adolescentes sibi concreditos ita excolere studeant, ut vocationem divinam percipere et libenter sequi valeant (cf. schema constitutionis mensibus octobri et novembri 1963 recognitum num. 3).

Quoad propositionem 3: Hic sermo est solummodo de seminariis minoribus et de institutis aequipollentibus. Nil dicitur de iuvenibus, qui alias scholas medias adeunt seseque vocatos ad sacerdotium opinantur. Istorum numerus in diversis nationibus de die in diem crescit. Quare proponitur, ut in pag. 12, lin. 34, post verbum « transeunt » addatur: « Quam maxime quoque germina vocationis colenda sint alumnorum, qui extra scholas praedictas degunt ».

Quoad propositionem 13: Iure meritoque studium linguae latinae commendatur. Ne praetermittatur tamen studium linguae graecae, quae cognitioni Novi Testamenti necnon operum Patrum graecorum magnopere confert. Quare proponitur, ut in pag. 17 lin. 9 post verbum « possint » addatur: « Magni quoque habenda sit cognitio linguae graecae, quae multum valet ad intelligendum Novum Testamentum necnon Patrum graecorum ».

Quoad propositionem 14: Recte ponitur in propositione 14 disciplinas philosophicas et theologicas ita componendas esse, ut mentibus alumnorum mysterium Christi magis magisque aperiri possit. Quod autem ad philosophicas disciplinas attinet, hoc certo certius non obtinetur quando istae ita traderentur, ut alumni quaedam principia et cohaerentem synthesim eorum acquirerent, sicuti dictum est in propositione 15 (pag. 17, linn. 32 ss.).

Quapropter proponitur, ut in pag. 17 linn. 32-40 sic legantur: « Alumni studio philosophiae auctorum tum veterum tum recentiorum acquirant oportet solidam cognitionem tum hominis tum mundi, in quibus mysterium salutis sese evolvit ».

Quoad propositionem 16: Non intelligitur, cur S. Thomas modo exclusivo magister nominetur. Neque praetermittendi sunt doctores orientales, S. Augustinus, S. Bonaventura etc. Quare proponitur, ut in pag. 18, lin. 26, loco verborum « S. Thoma magistro » legatur: « vestigia sanctorum in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali doctorum prementes ».

Cognitio earum communitatum quae christiano nomine decorantur sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, non tantum apologetice valde utilis est, ut in textu dicitur, sed praeprimis necessaria est ad intelligendas quaestiones apud illas vigentes et aestimandos valores ecclesiales in illis communitatibus praesentes.

Quare loco linn. 40 s. melius scribatur: « ut melius ad verum dialogum cum fratribus separatis praeparentur ». Idem valet de cognitione religionum aliarum.

66

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

Optimum schema mihi videtur, praesertim afflatu eminenter spirituali et pastorali quo animatur. Tamen humiliter audeo sequentes suggestiones proponere ad illud spectantes.

I. Quoad vocationes reperiendas schema agit tantummodo de pueris ac iuvenibus (cf. pag. 5, lin. 22, et appendicem 26-27, par. 3). Sed valde opportunum videtur etiam vocationes adultorum promovere (quae per errorem a multis « tardivae » dicuntur: *gratia Dei non habet tempora!*). Cura nostra ad tales vocationes excitandas et reperiendas extendi oporteret ad omnes sociales coetus, eo magis quod hae vocationes sacerdotales magnae utilitatis erunt pro ipsis coetibus a quibus vocationes proveniunt. Et igitur in schemate de hoc tractetur.

II. Quoad par. 7 appendicis, pag. 29, necessaria consequenter apparet institutio aptorum seminariorum pro praedictis vocationibus, aut saltem locus determinatus ad fovendam earum formationem deputetur in communibus seminariis. De hoc vero in schemate dicitur solummodo quoad seminaria minora (cf. Append. par. 5, linn. 7-8, pag. 28).

III. Optime dicitur in schemate de moderatoribus seligendis et praeparandis. Tamen pro supradictis vocationibus peropportunum videtur quod ipsi moderatores sint « adultae vocationes ».

IV. Quoad docentes rem pastoralem perutile videtur meminisse quod ipsi, pro posse, personalem experientiam habeant de quibus tractare debent. Eventualiter aliquae quaestiones speciales de re pastorali (e. g. operariorum, scholae, turismi) tradantur a sacerdotibus vere de hoc peritis.

V. Prae mente habendo momentum sic dictae « pastorale d'ensemble », optandum est quod in omnibus nationibus vel regionibus instituatur semi-

narium ad formationem specificam tradendam clericis qui propensionem et capacitatem manifestant ad varias et singulas formas eiusdem pastoralis. Et hoc ad evitandum quod necessitatibus hodiernis, v. g. pastoralis cura operariorum, vel studentium, vel turistarum etc., deputentur sacerdotes minime ad hoc parati. Et hoc ad fovendam sic dictam « specializationem » quae evidentissime hodie apparet indispensabilis, praesertim ut cura animarum pluribus necessitatibus magis ac magis mutantibus reapse efficacior evadat.

VI. Explicite recognoscatur in ratione studiorum pro seminariis necessitas practicae cognitionis linguarum vernacularum ad subveniendas necessitates apostolatus et ad fovendum dialogum cum omnibus et ubicumque ex crescentibus peregrinationibus, causa emigrationis, commercii, turismi etc.

VII. Novo incremento apostolatus laicorum spectato, in institutione seminaristarum de ipso tractetur expresse, necnon de condicionibus socialibus ubi laici militantes opus suum explicare debent, quod quomodocumque ad formationem vere humanam, concretam et psychologicam magis completam certe iuvat.

VIII. Institutio pastoralis, etiamsi bene in seminario tradita, per se insufficiens erit stantibus condicionibus societatis semper magis magisque mutantibus. Ideoque valde opportuna videntur *Instituta Pastoralia* non tantum pro neosacerdotibus, sed etiam pro aliis sacerdotibus ut, post congruum tempus ministerii, comparationem facere valeant inter quae de re pastorali didicerunt in seminario et ipsorum practicam experientiam curae animarum necnon a docentibus vere peritis sic dictum « aggiornamento » consequantur.

[*Subscripserunt*] Cordeiro, arch. Karachi; Paolo Carta, arch. Sassari; Vittorio Cecchi, vesc. Fossombrone; Guglielmo Motolese, arch. Taranto; Francesco Minerva, vesc. Lecce; Enrico Bartoletti, aus. Lucca; Salvatore Nicolosi, vesc. Lipari; Clemente Gaddi, arch.-vesc. Bergamo; Giovanni B. Pardini, vesc. Iesi; G. Bentivoglio, arch. Catania; Paolo Philippe, segr. S. Congreg. dei Religiosi; Francesco Cialeo; N. Jubany, vesc. Gerona; Raoul Primatesta, vesc. San Rafael; Alfredo Viola, vesc. Salto; Dino Tomasini, vesc. Ischia; Hnilica S. J. (Cecoslovacchia, residente a Roma); Antonio Pirotto, vesc. Troia; Emilio Pizzoni, vesc. Terracina; C. Manziana, vesc. Crema.

CONGREGATIO GENERALIS CXXV

18 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXV

18 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii Oecumenici secretarius generalis*:

Congregationem generalem 125 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

In hac congregatione distribuetur declaratio *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas,* de qua fiet suffragatio, iuxta formam quae durante congregatione indicabitur, feria VI proxima.

Hodie hic erit ordo procedendi: fient suffragationes circa modos respicientes reliqua capita *de Ecclesia,* nempe capp. VI, VII et VIII; deinde procedetur ad reliquas suffragationes circa propositiones singulas schematis *de institutione sacerdotali;* et prosequetur, uti patet, disceptatio circa schema declarationis *de educatione christiana.*

Quidam Patres aliquas explicationes scripto et oretenus postulaverunt circa habitum deferendum in sessione publica ab episcopis. Iam descriptus est in *Ordine Servando in sessione publica,* et etiam in *Intimatione;* sed ad maiorem claritatem dico habitum episcoporum, abbatum, esse rochetum, amictum, pluviale album et mitram ex tela alba. Sic omnia dubia sublata sunt.

Communico vobis, Patres, exitum suffragationis ultimae, heri peractae, circa schema *de institutione sacerdotali*; ni fallor erat IV.

Praesentes votantes		1.996
Dixerunt	*placet*	1.773
	non placet	10
	placet iuxta modum	213

et, ut video, nullum suffragium nullum, nisi forte errem.

Lego nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa schema declarationis *de educatione christiana*: em.mus ac rev.mus D. card. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; et, nomine plurium, exc.mi DD. Iacobus Malone, ep. aux. Youngstoniensis in Stat. Foederatis Americae Septemtrionalis; Arturus Rivera, ep. aux. S. Salva-

toris in San Salvador; Lucas Olu Nwaezeapu, ep. Warriensis in Nigeria; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis in Venezuela; Georgius Beck, arch. Liverpolitanus in Anglia; Nicolaus Schneiders, arch. Makassarensis in Indonesia; Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Paulus Muñoz-Vega, ep. coad. Quitensis in Aequatore; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis in Germania; Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurtensis in Nigeria; Antonius Abed, arch. Tripolitanus Maronitarum in Libano; Antonius Nwedo, ep. Umuahiaensis in Nigeria; Ioseph Dammert, ep. Cajamarcensis in Peruvia; Benignus Chiviboga, ep. Latacungensis in Aequatore; Augustinus Lopes, ep. Portalegren.-Castri Albi in Lusitania.

Deinde, nomine tantum proprio, exc.mi D. D. Eugenius Beitia, ep. Santanderiensis in Hispania; Carmelus Canzonieri, ep. Calatayeronensis in Italia; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Placidus Cambiaghi, ep. Novariensis in Italia; Bernardinus Pinera, ep. Temucensis in Chilia; Hugo Donohoe, ep. Stocktoniensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis in Jamaica; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis in Panama; Syrus Silvestri, ep. Fulginatensis in Italia; Bohdan Bejze, ep. aux. Lodzensis in Polonia.

Patres venerabiles, exc.mi Patres conciliares, qui concelebraturi sunt cum Summo Pontifice sabbato proximo et qui iam omnes admoniti sunt, rogantur venire in hanc Basilicam crastina, hora 17 ut, cum magistris caeremoniarum, experimentum aliquod faciant concelebrationis.

Si ingressus principalis huius Basilicae est clausus, poterunt introire in portam quae dicitur a Sancta Martha, ubi est imago mortis, ita ut bene intelligant, nam vocabatur praecise « porta mortis » illa; sed in hoc casu est porta vitae, uti patet.

Lego nunc textum suffragationis circa modos respicientes cap. VI schematis *de Ecclesia.* Videatis pag. 13 [*cf. pag. 136-137*].

His omnibus lectis, Patres venerabiles, quaeritur a vobis: An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. VI respicientes cum correctionibus supra indicatis? Patres venerabiles, rogo vos ut vestris sedibus, quantum possibile est, stetis, ita ut numerus suffragantium sit semper idem. Gratias.

Moderator: Nunc proceditur ad disceptationem circa declarationem *de educatione christiana.*

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Rebus omnibus bene perpensis, puto melius esse hoc schema commissioni remittere ipso primo scrutinio ut, Patrum animadversionibus auditis, commissio illud profunde melioret pro proxima sessione.

Haec mea opinio fundatur primo in analysi circumstantiarum concretarum in quibus hoc momentosum schema in disputatione venit. Mihi apparet nos non amplius tempus sufficiens nec forsitan vires necessarias habere ad hoc schema debita cum cura examinandum, ad emendationes adaequatas praeparandas atque Patribus proponendas.

Non decet, fateor, in nimia celeritate textum approbare qui pro multis annis erit, ut ita dicam, charta educationis christianae iuventutis et studiorum superiorum in Ecclesia. Iam dictum est in hac aula nos non satis attentionem praebuisse iuventuti; altera ex parte, sat evidens est pluribus, haberi in Ecclesia aliqua crisis studiorum superiorum.

Praeterea, dum *multum* [1] incommodum video in remittendo schema commissioni immediate post disceptationem, timeo ne schema spem decipiat multorum qui in campo educationis vel investigationis scientificae laborant.

Sane, textus schematis quasdam optimas propositiones continet quae servari poterunt. Tamen, schema inspiratione caret atque multa e gravissimis problematibus educationis praetermittit vel nonnisi superficialiter tractat.

Nunc, autem, in mea oratione, duo dicere vellem relate ad studia superiora in Ecclesia:

1. *Problema coordinationis et cooperationis universitatum catholicarum.* Miror schema nihil concretum proponere ad coordinationem et cooperationem universitatum catholicarum promovendas. Nemo est qui non videt momentum cooperationis et coordinationis virium catholicarum in campo indagationis scientificae praesertim in scientiis theologicis, biblicis, philosophicis, sociologicis. Hodie potestates publicae agnoscunt modo valde concreto momentum particulare talis coordinationis in scientiis quae progressum Civitatis respiciunt. Eodem modo non est parvi momenti pro Ecclesia curare de planificatione indagationis scientiarum sacrarum, si problemata sua doctrinalia apte et sine mora solvere firmiter intendit.

Propono ergo ut praecipuum munus Sacri Dicasterii qui de studiis curat sit illam cooperationem et coordinationem multis et diversis mediis modernis fovere, praesertim instituendo congressus et consultationem scientistarum atque proponendo attentioni universitatum catholicarum totius mundi problemata urgentiora doctrinae vel vitae scientificae Ecclesiae.

2. *Problema libertatis investigationis scientificae.* Iam plures Patres rogaverunt in hac aula ut Concilium proclamet necessitatem sanae libertatis investigationis scientificae. Haec vota Patrum, vota subsequantur ipsorum multorum scientistarum qui inde ab initio huius Concilii sperant Vaticanum II quaedam principia de libertate indagationis scientificae prolaturum esse. Haec vota Patrum et scientistarum, nisi fallor, non adhuc in textibus Concilii inscripta sunt. Praesens autem schema quod de studiis superioribus tractat, optimus locus est ubi expleri possunt haec vota.

Animo peculiariter attento, Commissio considerare deberet quaestionem libertatis in campo scientiarum sacrarum. Irreparabilia damna oriri possent pro Ecclesia, si haec libertas in tuto non poneretur. Etenim, in mundo nostro ubi omnia et praesertim scientiae tam celeriter evolvunt, magis magisque in dies nova et numerosa problemata et quidem quandoque difficillima ponuntur Ecclesiae. Haec autem problemata Ecclesia recte solvere sperare non poterit, nisi debita cum libertate periti studia sua prosequi possunt. In nostra enim humana conditione, uti saepe dictum est, libertas indagationis est conditio sine qua non progressus *omnium* scientiarum.

Sane, novae tendentiae et inventa quae, necessario, ex investigatione in campo scientiarum sacrarum exsurgunt a competenti Ecclesiae auctoritate diiudicanda sunt ut distinctio fiat inter, ut ita dicam, zizaniam et frumentum. Haec praesentia Magisterii in campo investigationis est originale, perutile, immo necessarium elementum scientifici progressus in Ecclesia.

Ut autem illa Magisterii praesentia omnes fructus afferat, necesse est, uti patet, ne praepropere nec cum diffidentia agatur, sed ut imprimis investigatio excitetur et foveatur. Incitamenta enim quae ab auctoritate dantur ad investigationes prosequendas dialogum fovent inter theologos et ipsam auctoritatem, mutuas incomprehensiones tollunt, reprehensiones inutiles vel saltem faciliores reddunt et ita verum progressum promovent.

Omnibus patet quantum adiutorium fuit nostro Concilio benevola hortamenta ab auctoritate ecclesiastica data apud illos qui in campo litur-

gico, biblico et oecumenico laboraverunt. Quantum nostro Concilio profecerunt illa verba a Pio XII prolata de libertate illorum qui res biblicas investigant: « Ne restano dunque molte, e di grande importanza, nella cui discussione e spiegazione si può e si deve liberamente esercitare l'ingegno e l'acume degli interpreti cattolici, perché ognuno per la sua parte rechi il suo contributo a vantaggio di tutti, a un crescente progresso della sacra dottrina, a difesa e onore della Chiesa »...[2]

Proponerem ergo ut in eodem sensu, prudenter sed clare, proclametur in nostro schemate libertas indagationis in omnibus scientiis sacris. Ad huius modi declarationem formulandam quaedam elementa, sane latius exponenda et etiam complenda, apud Secretariatum tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nullum. [2] (*A.A.S.*, 35, p. 346).

Animadversiones additae:

In doctrinis de quibus certe constat quod sint de fide tenendae, cultores scientiarum sacrarum libertate frui et uti debent. Illis pertineat cum zelo, prudentia et fidelitate investigare ea omnia quae ad doctrinam et institutionem Ecclesiae pertinent, sicut et ea quae, ab Ecclesia definita, tamen meliorari et compleri possent.

IV. *De institutione catechetica*. Institutio catechetica est sicut anima totius educationis christianae et scholae. Non decet ergo in schemate de scholis catholicis problemata institutionis catecheticae praetermitti. His ultimis annis, ortum est in Ecclesia, uti scimus, desiderium magnum alicuius renovationis in hoc campo quod magna spes fit. Sicut loquimur de motu liturgico et de motu biblico ita etiam loqui possumus de motu catechetico. Oportet ergo ut Concilium occasionem rapiens huius schematis, impetum etiam maiorem det huic motui. Et hoc quidem non sine magna necessitate. Fides enim alicuius hominis in periculo ponetur in aetate suo adulto si inadaequatam institutionem catecheticam in pueritia sua recipit. Scio problema institutionis catecheticae iam in schemate « De pastorali episcoporum munere » tractatum esse. Credo tamen de novo ibi et quidem fusius tractandum esse, ratione attenta praesertim officiorum illorum qui immediate in scholis responsabilitatem huius institutionis assumunt. Propono ergo ut, ex professo, institutio catechetica in aliqua paragrapho tractetur.

Secretarius generalis: Procedamus, Patres venerabiles, ad suffragationem circa Modos respicientes cap. VII schematis *de Ecclesia,* scil., « De indole eschatologica Ecclesiae peregrinantis eiusque unione cum Ecclesia caelesti ». Videatis pag. 15 [*cf. pag. 149-150*].

Porro quaeritur, Patres: An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos cap. VII respicientes, cum supradictis correctionibus? *Placet* an *non placet?*

2

Exc.mus P. D. IACOBUS MALONE

Episcopus tit. Alabandensis, aux. Youngstoniensis

Fratres conciliares et amici adstantes,

Loquor nomine 80 Patrum ex diversis nationibus, praesertim tamen ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Intra limites schematis, nunc ad quasdam propositiones reducti, declaratio *de christiana educatione* nobis acceptabilis esse videtur. Proinde, nobis placet. Attamen liceat mihi indicare suggestiones tres sequentes, quibus forsan schema ameliorari possit:

1. Melius esset si documentum, de quo agitur, ad mentem ipsius commissionis, formam ampliorem haberet.

2. Distinctio societatem inter et rem publicam seu statum, praecise etiam in consequentiis quoad educationem prolis, sublinietur.

3. Relationes inter eos, qui de educatione prolis curam habere tenentur, profundius indicentur.

En ratione: *Ad primum,* i. e. ad evolutionem schematis: Ostendantur melius *rationes cur* ii, qui de educatione curam gerunt, officium et ius ad educationem prolis habeant. Detur *et* ratio philosophica *et* theologica, ita ut schema appareat ut synthesis quaedam officiorum et iurium ad educationem spectantium, quae non tantum a catholicis, sed etiam ab omnibus hominibus bonae voluntatis intelligi possit.

Ad secundum, i. e. ad distinctionem inter societatem et rem publicam et ad consequentias huius distinctionis: Societas, conceptus socialis, designat etiam ipsum populum unitum, sicuti anglice dicitur: « We the people ». Alia ex parte, res publica seu status est instrumentum societatis immo politicum. Status seu res publica est brachium politicum ipsius societatis seu populi uniti. Tali in consideratione, societas et status non simpliciter coincidunt.

Status tenetur servire populo unito. Non est *sibi* finis, nec omnia iura societatis habet. Status hoc in sensu non est dominus civium suorum. Functio status determinatur a populo unito, i. e., a societate ipsa.

Haec distinctio, ad educationem prolis applicata, sequentia importat:

a) status non habet sic dictum monopolium educationis. Ubi autem e contra status et societas identificantur, status non raro, immo *saepe* monopolium educationis tenet et exercet;

b) ex distinctione inter societatem et statum sequitur, statum *non* habere ius originale proprie dictum ad educationem ipsam. Quamvis, una ex parte, status voluntatem populi de re educationis sequi teneatur. Alia ex parte, status ius et officium habet, ad curandum, ut *cives sicut cives,* ad officia in statu ipso praeparentur;

c) ex ipsa hac distinctione inter societatem et statum, clare sequitur refutatio monopolii status de re educationis, e. g., contra dignitatem et officia parentum, qui libere scholam pro prole sua eligere debent. Sequitur etiam in re publica pluralistica, parentes habere ius obtinendi iustitiam et aequitatem, ita ut munus suum implere possint, sicuti iam ab em.mo card. Spellman dictum est.

Ad tertium: i. e. ad explanationem relationum eorum ad invicem, qui partes in educatione habent. Schema clariorem perspectivam exhibeat relate ad relationes, quae inter eos vigent qui partes in educatione tenent. Nominatim nominentur Ecclesia, status, familia, et parentes, associationes privatae, scholae, magistri et educatores, necnon educatrices, administratores et ipsi educandi. Relationes istae ad mentem Litterarum Encyclicarum Papae Pii XI, *Divini Illius Magistri,* explanari possent. Evolutio harum relationum necessaria esse videtur, quia schola non *simpliciter* extensio familiae, magistri non *simpliciter* mere delegati familiae, schola denique non est *simpliciter* instrumentum status, et ita porro.

Conclusio: Omni cui cura est de educatione, tenet officium proprium et legitimum in ipsa educatione praestanda et unusquisque sub suo proprio respectu ad educationem ordinatur et, per hoc, etiam ab aliis in competentia sua limitatur. Fundamentalis ergo distinctio inter ipsum populum unitum et brachium suum politicum, i. e. statum, inservire potest ut confusiones in materia educationis melius vitentur. Dixi.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, vobis notum facio exitum suffragationis peractae:

Praesentes votantes		2.131
Dixerunt	*placet*	2.114
	non placet	12
	placet iuxta Modum	4
Suffragium nullum		1

Ergo expensio modorum quoad cap. VI est probata a congregatione generali. Nunc velitis audire correctiones admissas circa cap. VIII et ultimum. Videatis fasciculum, pag. 22 [*cf. pag. 168-171*].

Ergo quaeritur, Patres: An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. VIII respicientes, cum correctionibus supra indicatis? *Placet* an *non placet?*

3

EXC.MUS P. D. ARTURUS RIVERA DAMAS

Episcopus tit. Legiensis, aux. S. Salvatoris in America

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plus quam 40 episcoporum. Exc.mus relator qui textum novissimum declarationis *de educatione christiana* nobis explicavit et commendavit, de eius vexata elaboratione quaedam innuit. Quibus attente perspectis fieri non potest quin commissioni de studiis et seminariis de labore diuturno peracto ex toto corde gratiae agantur et una simul petitio exhibeatur, ut accurate et benigne consideret vota nova quae proferre liceat circa ipsius textus definitivam redactionem.

1. Non videntur validae rationes quibus mentio explicita de scholis ex titulo declarationis expuncta est, cum ipsa commissio hunc titulum vindicaret, et recte quidem, in examine animadversionum a Patribus missarum, ut in priore schemate Propositionum legitur, pag. 18.

Nunc autem de « Educatione » tantum christiana titulus loquitur et quaestio gravissima et actualis de *scholis* catholicis fere abscondita exhibetur, quod multis Patribus displicet, qui valde desiderant, ut problema fere ubique urgens, sincere et aperte a Concilio nostro tractetur. Eo vel magis quod inde ab initio hoc argumentum in omnibus praecedentibus redactionibus schematis ex unico titulo, scil. « de scholis catholicis » in lucem ponebatur. Educatio christiana multo latius patet quam schola catholica, de qua praecipue sermo fieri debet. Sufficere videtur, ut de educationis *principiis* agatur veluti in introductione vel in prolegomenis ex quibus fundamenta doctrinae de scholis hauriuntur. Si haec res ardua est et difficultatibus plena eo magis urgetur conciliaris declaratio secura, certa, clara.

2. Stylus et modus loquendi huius novae declarationis in non paucis magis pastoralis et oecumenicus evasit quod laudandum est. Sed hac in re saepius ultra modum commissio processisse videtur, ita ut haec declaratio appareat documentum nimis infirmum et debile. E. g., in n. 2 loco affirmationis apertae et firmae iuris nativi et divini Ecclesiae in opere educationis propriorum filiorum, de quo tantum ex obliquo in n. 6, et relate ad cuiusvis confessionis scholas sermo fit, habetur tantum obla-

tio adiutricis operae educationis erga omnes gentes. Item quoad scholas, Ecclesia collaborationem tantum offert parentibus proprium ius ad scholas condendas et eligendas prosequentibus (n. 4); catholicorum officium urgetur collaborationem praestandi societati civili in istius munere educandi et instituendi cives (n. 5). De proprio iure Ecclesiae scholas condendi et regendi iterum ex obliquo tantum in n. 7 tractatur: *fovendo* tantum — idque cum clausulis — scholas catholicas. Non pauca alia momentosa de scholis indirecte vel implicite tantum tanguntur uti libertas, media sustentationis, scholae neutrae, confessionales, mixtae etc. Gravissima quaestio de habitudine auctoritatis civilis in societate pluralistica ad ius et factum educationis et institutionis ne innuitur quidem. Tota declaratio hac forma exarata apparet pia exhortatio, benevola oblatio et cauta affirmatio, potius confusa et velata.

In aliis schematibus manifesta fit huiusmodi spiritus remissionis; sed in hac declaratione verum nocumentum evadit: nam *inimicos* ad risum movet et ad actionem infensam in materia scholarum prosequendam vel instituendam fere provocat; *indifferentes* in societate hodierna pluralistica religionum et confessionum ab iniustitia sociali hac in re nullatenus retrahit; *amicos autem et fideles,* qui, propter liberalismi laici diffusam mentem, de scholis catholicis iam saepe non recte sentiunt, non solum non confirmat in vera doctrina et strenua promptaque actuositate, verum etiam infirmitate et animi demissione afficit, quatenus hac declaratione potius bona voluntas urgetur quam vindicatio iuris nativi quod gravissimum officium imponit. Quod potius maximum periculum pro educatione et institutione catholica secumfert praesertim nostris in regionibus.

3. Peropportunum esse videtur, ut Concilium Oecumenicum in hac declaratione explicitam mentionem faciat de maximo momento quod scholis attribuendum est in opere propagationis et defensionis fidei. Quamvis enim in non paucis regionibus haec operositas ab auctoritate civili quoque *iam* [1] impugnetur, forti animo difficultatibus occurrendum est, cum diuturna experientia teste certe constet, apud non paucos populos praesertim recentioris progressionis unicam fere vel saltem efficaciorem viam societatis christianae aedificandae seu conservandae consistere in christiana institutione puerorum et puellarum; quod fieri potest sive in scholis litterariae conformationis sive etiam in sic dictis *scholis professionalibus,* quibus adulescentes et futuri operarii a materialismo atheo servantur.

Nobis successoribus apostolorum munus incumbit, ut strenue veritatis testes simus in mundo. Mundus autem et fideles nostri in hoc gravissimo negotio scholarum quod maximum habet momentum pastorale

quia maximum est instrumentum educationis et formationis christianae, doctrina et norma omnino clara et firma indigent. Nostrum est, venerabiles Patres, hanc doctrinam et normam sine ambagibus, prudenter quidem, sed viriliter et genuine declarare tamquam boni pastores qui gregem forti animo defendunt et substantiali cibo pascunt ...[2]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Concludo: Cum agatur de « declaratione » tantum, non datur locus enucleandi in ea doctrinam de re scholastica. Verum, omnia huius rei capita quae nostris diebus momentum pastorale grave induunt, brevibus, claris et certis verbis edicantur, ut commissioni et labori postconciliari aptum et substantiale fundamentum praebeatur. Quod ut fiat, commissionis conciliaris membra enixe rogamus.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, transeamus ad suffragationes reliquas circa propositiones schematis *de institutione sacerdotali.* Velitis videre pag. 16, nn. 13-15 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 544-545*]. *Placet, non placet* an *placet iuxta modum?*

4

EXC.MUS P. D. LUCAS OLU CHUKWUKA NWAEZEAPU
Episcopus Varriensis

Venerabiles Patres,

Licet decisionem laudemus quaestionem tractandi de educatione christiana et non tantummodo de scholis catholicis, timemus nihilominus ne in ampliore hac consideratione, momentum urgensque necessitas scholarum catholicarum in lucem vix ponerentur. Nam in Patria nostra didicimus magna beneficia a scholis catholicis collata, proptereaque vellemus venerabilibus Patribus exponere quae nos peculiari modo hac in re experti sumus, quam multis ex rationibus universalis applicationis esse credimus.

1. Quam vere dictum est in declaratione nostra quod ministerium scholae catholicae sit apostolatus veri nominis! Aptissimum instrumentum revera est ad evangelizandos et salvandos homines. Inde ab initio, evangelii praecones in finibus nostris scholam aedificare solebant in qua missam pro pusillibus suorum gregibus celebrabant. Praetereuntibus annis, circa hanc scholam communitas christiana pedetentim aucta est. Ubi in principio habebatur solummodo schola una eaque parva, hodie multae scholae, veraque multitudo fidelium necnon magnae ecclesiae videntur. Immo, parentes pagani libenter mittunt filios suos ad scholas catholicas.

Hodie multi qui scholas nostras frequentant sunt non-christiani qui

dum primis litterarum elementis imbuentur in fidem catholicam instruentur. Alii parentes filios suos adducunt adhuc infantes ut baptizentur, firmiter iam in animis habentes eos postea ad scholam catholicam mittere. Omnes sex episcopi in Nigeria nati, non solum e scholis catholicis sunt profecti sed etiam uno excepto in domibus achristianis erant nutriti. Ad has scholas a parentibus nostris nos Africani missi sumus eo quod christianos nos fieri volebant. Procul dubio hi parentes nostri, tum christiani tum non-christiani studio scholarum catholicarum ardent easque catholicas remanere ex animo peroptant.

2. In declaratione nostra parentes catholici admonentur de officio suo mittendi filios ad scholas catholicas si hae adsunt. Attamen, si schola, v. g., est inferior nomineque tantummodo catholica, quomodo possumus parentes coercere ad huiusmodi scholam filios suos mittere? Niti debemus ut scholae nostrae catholicae sint praestantissimae et valor earum omnibus clare eluceat. Parentibus debent bonis rationibus instrui cur omnino oportet filios suos mittere ad scholas catholicas, et has in declaratione nostra inscribi volumus. Haud necessarium in Nigeria videtur ut parentes de obligatione sua admonerentur, nam cum gaudio mittunt filios suos ad scholas catholicas propter institutionem cum intellectualem tum religiosam tum moralem. Quod si non quidem crederent, non committerent filios suos ad scholas catholicas quia aliae scholae non desunt. Etiam parentes Islamici filios suos mittunt ob moralitatem et disciplinam quam ibi inveniri putant. Si cum his qualitatibus scholae nostrae floreant tunc parentes eas pro filiis semper desiderabunt.

3. Pergratum nobis esset si Concilium affirmaret etiam quod schola catholica non est instrumentum proselytizendi per media improba et inhonesta. Etenim vero in scholis nostris fidem catholicam utique docemus sed nunquam alumnis nolentibus neque eis quorum parentes sunt inviti. Libertas religiosa observatur et observari debet in scholis catholicis. Parentes achristiani qui mittunt filios suos ad scholas nostras volunt eos baptizari et vivere ut catholicos; dicunt enim: « Nosmetipsi nimis in aetate sumus provecti, at filios nostros libenter damus ». Protestantes vel Islamistae qui filios suos mittunt, eos separare possunt hora instructionis religiosae ad suam propriam fidem sequendam. Et cum multae scholae catholicae per orbem terrarum alumnos habent acatholicos, Concilium hanc rem omnibus clarare debet ...[1]

4. Dicitur in relatione solum decem vel viginti pro centesima parte puerorum catholicorum educari in scholis catholicis. At in patria nostra fere omnes pueri catholici in scholis catholicis sunt. Gratias propterea

agimus Deo et etiam variis rei publicae gubernatoribus in Foederatione Nigeriae qui semper magna cum generositate opes scholis praestant et quidem semper agnoverunt iura parentum in educatione prolis. Credimus nos quod commoda tum populi tum patriae maxime promoventur quando Ecclesia et parentes cum harmonia cooperantur inter se et cum rei publicae moderatoribus in operibus educationis, et quod confiscatio scholarum catholicarum a Statu esset non tantummodo contra commoda omnium sed et contra iustitiam ipsam.

5 et ultimo. Alii forte sunt episcopi qui putant onus scholarum catholicarum nimis esse onerosum; considerent tamen experientiam praeteritorum centum et quinquaginta annorum! Ubi systema scholarum sine religione impositum erat ibi multi fidem amiserunt. Ubi sunt magnae multitudines hominum ex stirpe christiana qui non amplius sunt christiani ibi videtis malos et nefastissimos effectus systematis quod Deum non agnoscit. E contra, in aliis communitatibus ubi scholae catholicae florent cum auxilio et benevolentia rei publicae, ibi invenitis magnum fervorem apud populum, multasque vocationes tum sacerdotales tum religiosas. Verum omnino est quod penes Ecclesiam praeter scholam catholicam alia habentur instrumenta educationis christiana; attamen, sine scholis educatio christiana revera esset valde difficillima et periculo infidelitatis obnoxia. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Etiam de libertate religiosa Concilium debet clare dicere quod ubi exsistit systema scholarum statalium, ibi moderatores rei publicae debeant instructionem religiosam puerorum secundum voluntatem parentum promovere et custodire. Ecquidem haec est ius parentum naturale, perniciosis moribus hac in re aliquarum nationum non obstantibus.

Secretarius generalis: En textum suffragationis VI, pag. 18, nn. 16-18 [*cf. vol. III, pars VII, pag. 545-547*]. *Placet, non placet, placet iuxta modum?*

Attendatis, Patres! Lego exitum suffragationis II et III hodie peractae, nempe quoad modos respicientes capp. VII et VIII schematis *de Ecclesia*.

Cap. VII:	Praesentes votantes	2.131
	Dixerunt *placet*	2.127
	non placet	4

Ergo expensio modorum quoad cap. VII placuit.

Quoad cap. VIII et ultimum.

Praesentes votantes	2.120
Dixerunt *placet*	2.096
non placet	23
Suffragium nullum	1

Ergo omnia capita schematis *de Ecclesia* [*plausus*] probata sunt. Sed non sufficit, Patres.

Iam cum hoc ordo permittat, moderatoribus visum est suffragationi supponere integrum schema. Quod fiet crastina. Et hodie distribuetur vobis iam paratum totum schema ita emendatum *de Ecclesia*... distribuetur vobis. Revera typographi miracula fecerunt [*plausus*]. Super illud schema fiet crastina initio congregationis suffragatio finalis congregationis generalis cum duplici formula, *placet* et *non placet*.

In libello iam scriptum est « de quo disceptabitur in sessione publica ». Sed hoc hypothetice dictum est, si placuerit congregationi generali crastina et Summus Pontifex in hoc consenserit. Sed non poterat fieri bis idem labor. Quapropter illa phrasis interpretanda est sensu hypothetico. Crastina igitur fiet suffragatio finalis schematis *de Ecclesia* cum duplici formula, *placet* et *non placet*. Et erit ultima in congregatione generali. Gratias.

5

EXC.MUS P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMÉNEZ

Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis in Venezuela

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores!

Schema propositionum *de educatione catholica* parum placet, quia nimis conservativum, *parcatis mihi verbulum*; [1] quod hucusque factum fere canonizat, quaestiones gravissimas effugit et nihil novi affert pro renovatione, « aggiornamento », educationis catholicae.

Certe, si duobus prioribus schematibus *de scholis catholicis* comparetur, hae propositiones progredere videntur; nam illic tota solutio gravissimi problematis evangelizationis et educationis hodiernae iuventutis tantum in scholis sic dictis confessionalibus collocare videbatur. *Nam* [2] hae propositiones totum ambitum educationis respicere intendunt, *ut scribitur enim in prooemio, et in n. 2.* [3]

Attamen in bonis intentionibus remanet; in his bonis intentionibus, quae, ut aiebat S. Theresia a Iesu, inferno replent. Ea *etenim* [4] quae sub n. 5 traduntur non *vere* [5] videntur sufficientia.

Puncta *vero* [6] fundamentalia, neuralgica ut sic dicant, non tanguntur; et quia, a saeculis factum, totum pondus evangelisationis et educationis iuventutis in scholis catholicis reponitur, quamquam hodie maxima pars iuventutis, etiam catholicae, in nostris scholis non educetur.

In campo educationis, gravia problemata tam in ordine iuris, quam in ordine facti ante nos insurgunt.

Ecclesia a Christo Domino missionem accepit evangelizandi omni creaturae usque ad consummationem mundi. Iterum, utpote mater fidelium, officium et ius habet filios educandi in fide ad vitam divinam participandam, ideoque ut ad vere humanam et supernaturalem perfectionem perveniant.

Ad hanc missionem et officium adimplenda scholae certe sunt media, sed tantum media ad evangelizationem, et in ordine mediorum remanere debent; quamvis nonnumquam tamquam fines in se ipsis tractare viderentur.

Exinde patet tantopere uti debent, ipsisque prae aliis mediis primatum praebere, in quantum vere efficaces sunt ad mundi hominumque evangelizationem; e contra, si in determinatis adiunctis, vel regionibus vel temporibus, ipsae scholae confessionales minus efficaces appareant ad missionem et munus evangelizationis adimplendum, ipsis etiam derelictis, alia media efficaciora invenire oportet. Ipsa missio divina a Christo accepta ad hoc nos cogit.

In medio Aevo, quia societas civilis impervia erat, Ecclesia, ut munus suppletorium, mundi occidentalis totam educationem assumit. Sed in modernis civilibus societatibus, hoc munus Status reassumit, qui etiam ad illud implendum media efficacissima, sive technica sive pecuniaria possidet.

Immo Status hodierni conscii sunt officium habere promovendi opera educationis et culturae et non tantum « ad parentum ius et officia tuenda atque ipsis adiutorium praebendum », sed et praecipue ad proprios cives efformandos secundum mores, traditionesque nationales, et hoc ut postulatum boni communis. Et non tantum sunt conscii, sed, proh dolor! in non paucis nationibus ius ad educationem exclusivum habere contendunt.

Quamvis totalitarismum educationalem Status reiicere debemus; tamen hodiernae societati civili ius ad proprios cives convenienter efformandos negare non possumus.

Omnibus consideratis clarissime patet in societate hodierna, munus suppletivum Ecclesiae in campo educationali magis magisque restringi; cum e contra munus et officium evangelizationis in toto ambitu educationali et culturali, graviora et urgentiora fieri.

Praesentia Ecclesiae totum ambitum educativum et culturalem, velut ad intra, luce Christi illuminare oportet.

Maxima pars puerorum et iuvenum, etiam catholicorum, scholas publicas frequentant; numerus vero alumnorum nostrarum scholarum, ne quidem in proportione incrementi catholicorum in mundo, crescit. Ne fallamur, Ecclesia, neque numero neque mediis technicis et pecuniaribus societati civili in campo educativo aemulari potest. Nostrae scholae sunt et erunt perpulchri « horti conclusi » nimio amore culti, sed quorum fructus ad evangelizationem mundi in dies, proh dolor!, decrescere videntur.

Proinde, quamvis scholae confessionales in mundo hodierno adhuc ad evangelizationem, christianamque educationem aptam instrumenta remaneant; attamen, in Concilio, sereno ac vigilanti animo studere debemus an scholae nostrae ad *totius* iuventutis evangelizationem ac educationem et ad totius ambitus educationis christianam transformationem omnino sufficientes, et efficaces sint. Nam de ipsarum sufficientia dubia nos torqueri poterunt, si maxima pars puerorum et iuvenum etiam catholicorum extra nostras scholas educentur, et si in non paucis nationibus aditus ipsarum pauperibus fere clausus sit, quia stipendia, pensiones ut aiunt, solvere non possunt. Ideoque educationem catholicam fideli crisi subiicere debemus ut in toto campo educationali praesentia Ecclesiae non solum technice, sed etiam caritatis et evangelicae paupertatis testimonio efficacior evadat. Autocritica nos cogere deberet, ut inefficacibus derelictis, insufficientia compleamus et efficaciora ad evangelizationem amplectemus.

Ecclesia fere abest ab scholis publicis, quae hucusque cum diffidentia, suspicione, ac timore, et non solum quia periculum ideologicum, sed quia velut aemulae, visae sunt. Valde solliciti pro nostris scholis, magnum agrum educationis in mundo derelinquimus. Si ab educatione ad culturam ascendimus praesertim ad artes et litteraturam, Ecclesiam fere totaliter absentem in ipsis invenimus. Publicas scholas ut aemulas considerantes magistros et professores catholicos, qui ipsas ab intra transformare poterint, sufficienti numero efformare non curavimus. Ipsi in scholis publicis et in universitatibus civilibus veluti ut derelicti a nobis, immo fere ut proditores educationis catholicae, aliquomodo se sentiunt.

Nunc vero in Concilio alte et clare nostrum gratum animum ipsis patere debemus, nam si Ecclesia adhuc in campo educationali et culturali societatis civilis praesens sit, ab ipsis, quae in scholis et publicis universitatibus, testimonium Iesu Christi praebentibus, maxima in parte debetur ...[7].

Concludo. Quoad propositiones propono quas etiam 132 Patres inter quos cardinales subscripserunt.[8]

1) *Nos educationi catholicae*[9] sincera et fideli crisi subiciatur, ut ipsa vere idonea et efficax pro evangelizatione mundi efficiatur.

2) Ad magisterium in scholis publicis necnon in universitatibus civilibus, inter nostros iuvenes, vocationes suscitentur, ad ipsum assumendum alliciantur, culturaliter, scientifice, et apostolice efformentur, et ad hunc finem ubi desunt, etiam instituta apta constituantur.

3) Mediis socialis communicationis, praesertim radio televisivis, in ambito educationali et praesertim in evangelizatione et instructione catechetica utentur, et ad hoc organizationes etiam internationales constituantur, vel foveantur.

4) Ut sacerdotes ad evangelizationem et munera pastoralia destinentur, laici catholici pro nostris scholis numero semper maiori assumantur.

5) Omnium nostrarum scholarum aditus pauperibus re vera pateant; si selectio fiat, qualitativa sit non chrematistica.

6) Ut in omnibus nostris scholis verum testimonium caritatis et paupertatis mundo praebeatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nunc. [3] Scribitur enim in prooemio: « Ecclesia vi divinae suae missionis transformationi ac praesertim educationis evolutioni atque ampliationi opem ferre nunc quoque debeat » ... et in n. 2: « Ecclesia omnibus populis confirmat sinceram suam voluntatem adiutricem praestandi operam in universo educationis campo, ut uniuscuiusque populi filii educationem propriae indoli ac culturae, patriisque traditionibus accommodatam recipiant et ad altiorem veritatum cognitionem perducantur. [4] vero. [5] deest. [6] deest. [7] Multa in hoc Concilio de praesentia Ecclesiae in mundo locuti sumus; sed de praesentia Ecclesiae in publica educatione obliti fuimus. Et hic, ubi Ecclesia deficit, praesentia marxismi est vere actuosa et multiplex. In mundo occidentali communismus, non inter operarios, sed inter studentes et intellectuales et artistas maxime progreditur. Si in mundo hodierno centena millionum puerorum ac iuvenum attingere non possumus, quousque tandem fere omnes nostras vires impendentes prosequemur in nostris « hortis conclusis » cultivandis, dum in vera et ampla evangelizatione iuventutis deficimus? Et alia quaestio. Sacerdotum numerus magis magisque imminuitur, sed necessitates pastorales et evangelizationis de die in diem crescunt. Decena millium sacerdotum in scientias et artes profanas docendo occupantur. Cura ipsa spiritualis etiam in nostris scholis catholicis, ut ex fructibus dignoscitur, non raro deficit. Hinc quaestiones: 1. Defectus vocationum sacerdotalium, qui a non paucis scholis catholicis patiuntur, an forte non oriatur a deficienti cura spirituali alumnorum, vel a selectione alumnorum non propter dotes morales et intellectuales, sed propter

divitias re vera facta? 2. An urgentibus necessitatibus pastoralibus, cum « pauperes petunt panem et non est qui frangeret eis », adhuc fovere debeamus per multos sacerdotes in nostris scholis profana docentes, an e contra ad ipsas laicos catholicos aptis dotis praeditos, assumere et vocare debeamus, sacerdotibus curam spiritualem relinquendo? 3. An in omnibus nostris scholis, collegiis et universitatibus caritatis et evangelicae paupertatis verum et reale testimonium mundo praebeatur? [8] Ad modum conclusionis haec propono: Schema penitus reficiatur. [9] Ut educatio catholica.

[*Subscripserunt etiam*] Raul card. Silva Henriquez; J. Humberto card. Quintero, arch. Caracas; L. Manresa Formosa, ep. Quezaltenango; J. Sison, coad. Nueva Segovia; J. Rojas, aux. Trujillo in Venez.; E. Corripio, ep. Tampico; S. Garcia, vic. ap.; A. Henriquez, aux. Caracas; J. J. Bernal, arch. Ciudad Bolivar; J. Pulido, arch. tit. Cirro; F. Gonzales, ep. Maracay; J. Alì Lebrùn, ep. Valencia Venez.; R. Primatesta, ep. San Rafael; A. Perez, ep. Barcelona in Venez.; J. Mayer, ep. Santa Rosa in Arg.; A. Zarza, ep. Linares; V. Costantini, ep. Sessa Araunca; V. Alvarez Tena, ep. Apatzingàn; J. Patria, aux. Beauvais; J. Landriault, ep. Hearst; M. Tato, ep. Santiago del Estero; G. Almici, aux. Brescia; A. Granados, aux. Toledo; M. McGrath, ep. Santiago di Veraguas; F. Spanedda, ep. Bosa; J. Robles, ep. Tulancingo; F. Romo, ep. Torreòn; A. Szymanski, ep. tit. Cerasonte; A. Lopez Aviña, arch. Durango! S. Méndez Arceo, ep. Cuernavaca; E. Lopez, arch. Jalapa; E. Talamàs Camandari, ep. Ciudad Juàrez; P. P. Tenreiro, ep. Guanare; D. Roa, ep. Maracaibo; S. Quezada, ep. Aguascalientes; C. Cabrera Cruz, ep. San Luis Potosì; F. Gomez, arch. Antequera; J. Navarrete, arch. Hermosillo; C. Isnard, ep. Nova Friburgo; J. Costa Campos, ep. Valença Bras.; J. Bezerra Coutinho, ep. Estância; W. Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; V. Scherer, arch. Porto Alegre; Josephus, arch. Fortaleza; Candido Padin; A. L. de Castro Pinto, aux. Rio de Janeiro; W. Calheiros de Novais, aux. Rio de Janeiro; N. Monte, aux. Aracajù; M. Tavares de Araùjo, ep. Caicò; Ioseph, ep. Garanhuns; Fernando, arch. Goiânia; P. Rolim Loureiro, ep. Mogi das Cruzes; W. L. Schmidt, ep. Chapecò; A. Zattera, ep. Pelotas; Gregorio, ep. Joinville; A. Pirovano, ep. tit. Adriani; A. Gonzàlez, ep. tit. Metre; A. Lima dos Santos, ep. Ilhéus; O. de Oliveira, arch. Mariana; E. Kunz, aux. Porto Alegre; W. Teixeira Vieira, ep. tit. Laranda; D. Parodi, ep. tit. Centenaria; A. Pacheco Ribeiro, ep. Barra de Pirai; T. Vaquero, ep. São João da Bõa Vista; J. d'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; L. Sartori, ep. Santa Maria; B. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; D. Picao, coad. Santos; R. Roberti, ep. tit. Belali; R. Sarmiento, ep. Ocaña; J. Gazza, ep. tit. Circesio; A. Arteaga Yepes; J. Carrizo V., ep. Chitré; I. Arroyo, ep. Tuxpan; F. Santiago Benitez, aux. Assunciòn; R. Arrieta, ep. Tileran; J. Dominguez, ep. Matanzas; P. Correa Leòn, ep. Cùcuta; M. Santos, ep. Valdivia; L. Proaño, ep. Riobamba; V. Maya, prael. null. El Oro; B. Piñera C., ep. Temuco; J. Laschi Gonzalez, adm. ap. Concepciòn in Parag.; S. A. Haro A., ep. Ibarra; A. Zambrano Palacios, vic. ap. Canelos; C. Mosquera, arch. Guayaquil; V. Garaygordobil, prael. null. Los Rios; R. Caceres, ep. Melo; A. Garcia Rodriguez, vic. ap. Tucupida; J. Valle G., aux. Iquique; M. Mendiharat, coad. Salto; A. Maricevich, coad. Villarrica; A. Uribe, aux. Cartagena in Col.; A. Duran, ep. San Carlos de Ancud; F. Valenzuela, ep. Antofagasta; M. Sanchez, arch. Concepciòn; E. Angelelli, ep. tit. Listra, aux. Corduba; A. Devoto, ep. Goya; H. Podestà, ep. Avellaneda; V. Zazpe, ep. Rafaele; J. Medina, ep. tit. Termesso.

Secretarius generalis: Lego textum VII et ultimae suffragationis schematis *de institutione sacerdotali* [*cf. vol. III, pars VII, pag. 547-549, nn. 19-22*].

Venerabiles Patres, *placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

6

EXC.MUS P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Archiepiscopus Liverpolitanus

Venerabiles Patres,

Nomine loquor plurimarum conferentiarum episcopalium *et aliorum fere 35 Patrum praesertim* [1] linguae anglicae.

Praesens documentum, ut iam notavit exc.mus relator, cum praeviis commissionis propositis haud congruit. In principio schema constitutionis *de scholis catholicis* instructum est; nunc autem brevis declaratio est, et quidem valde generalis et inaequalis, *de educatione christiana.* Haec mutatio lugenda aestimamus.

Tres animadversiones facere velim.

1. Clarius et fortius textus loqui debet de iure naturali parentum in iis quae ad filiorum educationem pertinent. Parentes enim ius habent liberos educandi secundum propriam conscientiam. In declaratione mentio huius iuris prima invenitur tantum in par. 4 textus. Tam fundamentalia tamen haec iura sunt ut locum invenire debeant in ipso initio declarationis. Iura parentum in mentem revocare magni momenti practici est, duplici quidem ratione:

a) Nostris temporibus Ecclesia seipsam ostendere debet ut defensorem iurium parentum omnium et non tantum catholicorum — catholicorum quidem, sed non tantum catholicorum.

Ecclesia parentesque catholici minime iura exclusiva sibi vindicant condendi et regendi scholas quae dicuntur confessionales. Omnis paterfamilias, omnis parens ius habet ex iustitia naturali liberos suos educandi in fide religiosa secundum dictamina propriae conscientiae. Ut optime dixit Summus Pontifex Ioannes XXIII, « In parentibus vero potissimum ius residet alendi et educandi filios » ...[2]. Ideoque si circumstantiae practicae favent, parentes in hunc finem ab auctoritate publica adiuvantur. Valde exopto ut par. 6 schematis praevii *de scholis catholicis* in nostra declaratione inseratur. Hic textus ita sonat, « Iura parentum, iustitia distributiva, et ipsum bonum societatis postulant ut communitatis pecunia eiusque media vel subsidia ad scholarum substentationem desti-

nata, in omnes scholas quae bono communi nocivae non sint, erogentur, absque ulla personarum acceptione vel discrimine ».

b) Parentes catholici pleno sensu cives sunt. Taxa et vectigalia sicut alii concives solvunt. Eorum iura a moderatoribus reipublicae agnosci debent. Et de facto — *et exemplum valde bonum est* [3] — in plurimis regionibus iura haec saltem ex parte in praxi agnoscuntur ita ut parentes catholici liberos suos scholis catholicis commendare possint conscientia tranquilla et sine onere impensae nimis gravis aut inaequalis.

2. Declaratio in par. 7 *in ultimis lineis pag. 12* [4] recte notat Ecclesiam consciam esse « proprii iuris scholas libere condendi atque regendi ». Attamen fundamentum huius iuris nullibi explicatur. Nulla mentio fit Domini Nostri commissionis apostolis suis et Ecclesiae ut omnes homines doceant fidei veritates, « Euntes ergo docete omnes gentes ». Haud lucide enunciantur Ecclesiae iura ut societatis perfectae praesertim quando agitur de relationibus cum potestate civili. Ex industria auctorum, sine dubio, haec omissio facta est. Difficile sane videatur iura Ecclesiae vindicare apud eos qui auctoritatem et revelationem Christi Domini non accipiunt. Mihi tamen videtur hic magnum defectum esse in documento conciliario, et in declaratione *de educatione christiana.*

3. Textus ad pag. 13 optime notat verum servitium quod scholae catholicae societati in genere praestant. Si scholae catholicae conditae non essent, potestati civili onus incumberet alias scholas ex propriis suis redditibus condendi. Insuper in scholis nostris educatio moralis et religiosa pueris datur quae in totam societatem bonum influxum exercet. Adest hic aliud argumentum pro subsidio (*publico* [5]) scholis catholicis praebendo, saltem ex parte, e syngraphis publicis. Argumentum quidem non ex iustitia stricta proponitur, sed ex grato animo eorum qui rempublicam dirigunt. Similiter quando gubernatores civiles scholis confessionalibus itaque favent seipsos in praxi fautores esse demonstrant principii libertatis religiosae et tolerantiae, *etiam erga minoritates.*[6]

Certum est in mundo huius temporis, in nova dimensione, educationis universalis, ut notat relatio, valde necessarium fore ut scholae catholicae fere ubique numero crescant. Instrumentum quidem esse possint pretiosissimum illius « aggiornamento » quod vere ratio huius Concilii est. Adiumentum etiam offerre possint moderatoribus reipublicae ex omni natione et populo. Gratias itaque agere debemus iis moderatoribus civilibus qui iam haec beneficia educationis christianae agnoscunt, et auxilium pecuniarium scholis catholicis praebent. Apud nos in Anglia, sicut et in Scotia, in Hibernia, in Hollandia et in aliis mundi partibus gubernatores iura parentum et valorem scholarum confessionalium agnoscunt. Laeto animo gratias in hac aula ago rectoribus reipublicae nostrae

in Anglia [7] pro adiumentis non solum scholis datis, sed etiam pro institutis ut dicitur anglice "teacher training colleges" ad *educatores catholicos seu* [8] institutrices et institutores catholicos formandos. Etenim, ut optime notat declaratio in ultima paragrapho, gratias maximas agere debemus omnibus institutoribus et institutricibus *sacerdotibus, religiosis et laicis* [9] qui educationem christianam ex pulchra sed mera theoria generoso et devoto animo convertunt in aliquid reale et maximae utilitatis. In manibus eorum manet efficacitas educationis christianae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, p. 261). [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest.

[*Subscripserunt etiam*] N. T. Gilroy; Th. McCabe, ep. Wollongong; J. Toohey, ep. Maitland; H. Boyle, ep. Johannesburg; F. Geraldton; L. Goody, ep. Bunbury; A. Fox, ep. tit. Rinocorura; J. Jobst, vic. ap. Kimberleys; B. Stewart, ep. Sandhurst; M. Beovich, arch. Adelaide; J. Gleeson, arch. tit. Aurusuliana; T. Cahill, ep. Cairns; D. Stuyvenberg, ep. tit. Dionisiade; L. Lemay, ep. tit. Agbia; J. Mangers, ep. Oslo; J. Rodgers, ep. tit. Sbida; T. Wade, ep. tit. Barbalisso; P. Martin, vic. ap. Nova Caledonia; L. Julliard, vic. ap. New Hebrides; M. Darmancier, vic. ap. Wallis and Futuna; G. Pearce, vic. ap. Samoa and Tokelau Islands; C. Buswell, ep. Pueblo; J. Heenan, praes. conf. Angliae; A. Fernandes, secr. gen. conf. Indiae; R. Guilly, secr. conf. Carribian.

7

EXC.MUS P. D. NICOLAUS MARTINUS SCHNEIDERS

Archiepiscopus Makassarensis

Nos omnes, Patres venerabiles, per multos annos instructionem et educationem in scholis recepimus; omnes nos multum tempus in scamnis scholaribus traduximus et forsan vocationem nostram debemus alicui institutori pio et apostolico qui nobis viam ostendit.

Pro nobis missionariis schola non tantum est aliquod opus sociale et utilissimum pro societate in qua laboramus, sed etiam et magis est opus apostolicum praestantissimum: nonnulli enim iuvenes nondum baptizati, viam veritatis inveniunt et libere sequuntur per educationem quam recipiunt in scholis catholicis, et qui de facto baptismum non petunt, generatim erga ecclesiam se benevolos et amicos praebent et spiritu christiano aliquatenus iam imbuuntur. De his patet momentum universale huius schematis.

Nomine episcoporum Conferentiae Indonesiae liceat mihi sequentes animadversiones proponere:

Pag. 11 n. 1, lineis infimis: dicitur quod educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant; in hac definitione negligitur diligentia et activitas personalis hominis educandi, et ex alia parte nimis dicitur, quia pervenire ad perfectionem non videtur possibile *in hoc mundo*.[1] Proponimus ergo ut dicatur: « Educatio christiana eo tendit ut pueri et iuvenes iuventur et manu ducantur in addiscendo sua libertate quam optime uti et ita, semel adulti, eam perfectionem humanam simul et religiosam prosequantur, ut mysterio Christi Redemptoris participantes » etc., *sicut in schema*.[2]

...[3] In pag. 12 n. 4 dicitur: « His (nempe parentibus) primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ideoque scholas libere condendi ». Conclusio haec nulla apposita conditione videtur latius hos. Etiam radio et televisio magni sunt momenti in educandis vel, proh dolor, corrumpendis iuvenibus et adolescentibus, sed ex hoc non sequitur quod unusquisque *et unaquaeque familia*[4] ius habet condendi installationes et emittere programmata radiophonica vel televisionis.

Iura parentum et familiae suos terminos habent propter iura societatis et bonum commune, sicuti de cetero in relatione huius schematis notatur. Etiam experientia docet, quod aliqua supervisio a gubernio civili quoad qualificationem institutorum et professorum, programma scholae, conditionem hygienicam localitatum e. a. scholis privatis non nocet, sed e contra magnopere prodest.

Immo omnino constat quod nostris temporibus in quibus scholae necessariae sunt ad reipublicae progressum et ad educationem socialem iuventutis per conversationem cum aliis membris eiusdem societatis, gubernium civile etiam ius habet statuendi conditiones aptas et aequas in regimen et moderationem omnium scholarum. His non obstat ius parentum, quod etiam confitetur declaratio iurium humanorum Nationum Unitarum (The declaration of human rights) art. 26, quae sic sonat: « parentes primarium ius habent eligendi genus educationis quod filiis suis dabitur » (lingua anglica: Parents have a prior right to choose the kind of education that shall be given to their children). Quapropter proponimus, ut textus allatus sic compleatur: « His enim (parentibus) primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ideoque scholas libere eligendi, etiam condendi observatis *tamen*[5] conditionibus a gubernio civili rationabiliter et iuste statutis, quovis scholae monopolio excluso ».

Tandem, Patres venerabiles, concedatis mihi addere aliquam observationem nomine aliquorum episcoporum et proprio nomine.

In variis regionibus catholicis plerique iuvenes educationem catholicam recipiunt et non tantum ab institutoribus laicis, sed saepe etiam

a religiosis et sacerdotibus. Sed revera sic res se habet, quod post educationem completam, maior pars ex-alumnorum aut in indifferentismum cadit, aut totaliter a fide deficit. Si *nos* [6] iuste affligimur tristitia propter tot iuvenes *in hoc mundo* [7] qui nullam educationem recipiunt, quonam dolore non oportet nos vexari propter tam magnam defectionem iuventutis catholicae?

Quid, *Patres venerabiles,*[8] prodest schemata theoretica proferre et de eis disputare, si nos episcopi, non propter sollicitudinem vere apostolicam et pastoralem, viam ostendamus hanc infelicem et miseram situationem in melius mutandi? Proponimus ergo, ut aliqua commissio postconciliaris obiectivas et profundas investigationes instituat *circa hoc vitium* [9] in educatione christiana et remedia opportuna proponat ad eius sanationem. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Fere idem valet pro pag. 13, a lin. 1 ad 4, ubi dicitur quod alumni eam perfectionem assequantur qua veluti fermentum humanae communitatis efficiantur. Proponimus ut legatur: « in quibus alumni eam *formationem* humanam simul et christianam assequantur... » etc. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] de hoc vitio.

8

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Venerabiles Patres,

Velim loqui de scholis catholicis in locis missionum.[1] « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant », ait Dominus ...[2] Ecclesiae missio est Christum mundo annuntiare, communicare et in cordibus fidelium conservare.

Mihi *tamen* [3] videtur quod in schemate propositionum *de educatione catholica,* magis attenditur ad scholas in regionibus iam evangelizatis et non satis in *luce* [4] ponitur quaestio de scholis in locis missionum in quibus christifideles sunt tantum in minoritate.

I. *Facta.* Ad societatem promovendam, ad mundum profanum Deo consecrandum, ad evangelium apud infideles propagandum, ad fidem in fidelibus conservandam, uno verbo ad omnia in Christo instauranda, in locis missionum, schola catholica est medium efficacissimum apostolatus. Etenim mediante schola christiana, multae familiae attingi possunt, quarum parentes, praesertim in Asia christianam moralem doctrinam in ho-

nore habentes, filios suos scholis catholicis educandos committere praeferunt, maxime quando directores et magistri sunt sacerdotes et religiosi laici totaliter huic operi dediti et quarum filii, omni sub respectu educati, ...[5] quasi in ambitu familiari, sese sentiunt in dies crescere sub paterna magistrorum vigilantia, in fraterna communione cum condiscipulis.

Praeter materias ab officiali programmate obligatas, religiosa instructio non negligitur. Talis tamen instructio traditur diversimode iuxta conditiones psychologico-politicas cuiusque regionis.

a) In regionibus ubi doctrina moralis christiana magni aestimatur et parentes minime timent quin eorum filii sint in religione catholica instructi, sicut in *nostra regione*[6] Vietnam, catechismus omnibus alumnis explicatur, modo quidem summario pro non christianis, facta tamen libertate pro iis qui ad eam lectionem venire nolint vel quorum parentes hoc renuant.

Notandum est quod in aliquibus casibus alumni non christiani protestati sunt contra discriminationem in hac materia inter catholicos et non catholicos atque saepe saepius *in nostris scholis*[7] non-christiani primum praemium tulerunt in instructione religiosa.

Praeterea cultus liturgicus bene exercitus cui libenter assistunt cum suis parentibus, non parvum influxum beneficum in eis producit.

b) Ubi tamen adest religio nationalis alia quam christiana ac simul agnoscitur libertas religiosa, in nostris scholis, datur instructio religiosa pro catholicis obligatoria, sed ...[8] facultativa pro aliis; non desunt tamen non christiani qui libenter ei assistunt, sive propter sympathiam sive propter curiositatem, sive propter religiosum sensum ...[9] Porro in hac materia distribuenda, doctrina catholica non christianis praesentatur non ut dogma accipiendum sed ut fundamentum vitae moralis ac obiectum utilis cognitionis.

c) Quando vero politica conditio non sinit, iam non traditur doctrina christiana sed vitae moralis regula principiis christianis inspirata in materia civica et sociali. Omnibus in circumstantiis, educatio christiana in nostris scholis distributa bonis exemplis in abnegationis spiritu magistrorum maxime religiosorum fulcita, semper magni aestimatur ac profundam bonamque impressionem in alumnis producit.

II. *Effectus*. *a*) Iuvenes hodierni ad veritatem anhelantes, gustum de re religiosa omnino non amittunt; exigunt tamen ut veritates praesertim religiosae, eis apto modo vivide praesententur. Et quod in iuventute didiscunt, tenacius retinere solent.

Quotannis aliqui alumni adulti, *apud nos*[10] cum parentum licentia, ad baptismum *accedunt*[11]; multi alii non baptizati facti sunt *tamen*[12]

hominum piscatores ac baptizatores; fere omnes christianismum bene cognoscentes, erga Religionem sympathiam nutriunt et per totam vitam contra detractores eam defendunt.

b) Mediantibus filiis alumnis, faciliores et frequentiores contactus cum eorum parentibus ac amicis obtineri possunt.

c) Cum nostri ex-alumni in variis officiis tum publicis tum privatis inserviunt, doctrina socialis Ecclesiae iam antea in scholis discita et postea in colloquiis clarius exposita, efficacius in societate civili propagatur.

III. *Vota.* Quanta sit utilitas et efficacitas scholarum christianarum in locis missionum, nemo non videt. Ad Dei maiorem gloriam, ad animarum salutem, ad societatum promotionem optamus ut

1. in terris missionum, multiplicentur scholae catholicae gradus elementaris et secundarii.

2. In centris cuiusque regionis et nationis, condantur scholae normales ad bene formandos magistros authoctonos praesertim in materiis religiosa, paedagogica, sociali, historica et philosophica.

3. Ad religionem docendam, optimi magistri deputentur contra ordinariam praxim qua instructio religiosa saepe committebatur magistris minus habentibus vel senio affectis, *ad aliud inutilibus.*[13]

4. Experientia constat scholas directas a Religiosis laicis docentibus magnam aestimationem apud gentes non christianas acquisisse. Sed proh dolor! Eorum vocationes religiosae in dies decrescunt. In Concilii schematibus nihil speciale de eis agitur. Utinam in schematibus *de religiosis* et *de educatione christiana,* specialis de eis mentio habeatur cum laude ac omine ut hae vocationes totaliter educationi iuventutis deditae in dies multiplicentur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] « Haec est vita aeterna ut cognoscant Te solum Deum et quem misisti Iesum Christum ». [3] deest. [4] lucem. [5] sive intellectuali, sive corporali, sive morali, sive religioso. [6] deest. [7] deest. [8] omnino. [9] Ad hanc bonam dispositionem illustrandam, praesto sit exemplum nuper datum Bangkok Thailandiae: Candidatus quidam ad lauream, buddhista religione, ab examinatore interrogatus in qua schola humanitaria studia fecerit, respondit se fuisse in scholis Fratrum S. Gabrielis, ibi tamen non frequentasse instructionem religiosam catholicam. « Stultus fuisti, ait examinator, quia bonam occasionem cognoscendi christianismum nactus eam non arripuisti ». [10] deest. [11] admittuntur. [12] deest. [13] deest.

9

Exc.mus P. D. PAULUS MUÑOZ-VEGA

Episcopus tit. Ceramensis, coad. s.d. Quitensis

Venerabiles PP. Conciliares,

In mundo huius temporis tria eminent facta *in campo educationis* [1] quae vitam et missionem Ecclesiae modo transcendenti afficiunt et quae proinde a Concilio modo eorum gravitati proportionato tractari debent.

1 factum: *momentum et influxus decisivi* quos nostra aetas tribuit educationi in ordine ad evolutionem socialem et politicam mundi. Omnes populi, *sive* [2] in apice ...[3] prosperitatis *oeconomicae sive* [4] in via promotionis, progressum futurum vere authenticum spectant praeprimis ab educatione in omni suo gradu.

2 factum: *tendentia Status moderni ad monopolium scholae et educationis,* ex quo provenit ut novae adolescentium et iuvenum catholicorum generationes, deficiente ipsa basi educationis christianae, subeant pericula religiosa et moralia maiora quam antea. Sat universaliter erronea conceptio circa originem et naturam iurium educationis et scholae duxit opinionem publicam, etiam in nationibus traditionis catholicae, ad convictionem de primatu iurium Status prae ipsa familia.

3 factum: *Tendentia mundi intellectualis hodierni ad fulciendum divortium absolutum inter religionem et scientiam,* seu ad excludendum ab altiori conceptione scientiae omnem possibilem accessum ad transcendentiam divinam, ex quo provenit progrediens dechristianizatio culturae. *Institutio universitaria* [5] sub influxu marxismi-leninismi *ducta in aliquibus nationibus intendit* [6] fidem christianam ex consortio civili eliminare potissimum cultu scientiae atheae.

Si haec facta prae oculis habeantur et in tota sua gravitate sentiantur, facile erit intueri quatuor adesse pro Ecclesia in re educationali gravissima problemata.

1. *Quaestio de recte formanda conscientia populi Dei* in iis quae spectant ad officia et iura educationis christianae.

2. Necessitas vindicandi in mundo hodierno *libertatem scholae* tamquam unam e praecipuis libertatibus civilibus quae in iuribus inalienabilibus personae humanae fundantur, et sine qua ipsa libertas religiosa in discrimen poneretur ineluctabiliter.

3. Necessitas « *instaurandi in Christo* » *scientiam modernam,* seu necessitas actionis culturalis vi cuius mens christiana sit praesens in

hodierna Universitate et in inceptis quibus disciplinae scientificae altius progrediuntur.

4 problema. Consequenter necessitas renovandi et aptandi rationem studiorum praesertim in disciplinis theologicis et philosophicis, ut ...[7] magistros et viros doctos praeparent qui huic magnae instaurationi incumbant.

Haec principaliora problemata tanti ponderis sunt ut documentum requirant, *ut mihi videtur,*[8] ex parte Concilii maioris roboris et efficacitatis quam praesens schema. Etsi enim actualis eius redactio non pauca bona elementa retinuerit ex laboriosa tractatione schematum praecedentium, *nihilominus propter successivas reductiones, quae commissio perficere debuit, nimis extenuatus est textus in partibus valde praecipuis*[9] propter excessivam simplificationem.

Exemplum talis simplificationis habetur v. g. in n. 10, in quo sermo est de Universitatibus studiorum ecclesiasticorum. In re tanti momenti qualis est haec de necessaria scientiarum sacrarum promotione et Facultatum ecclesiasticarum renovatione, nostrum schema tria haec profert asserta: *a*) Ecclesiam multum amare scientias sacras et velle ut Universitates eas impense promoveant; *b*) Ecclesiam multum ex earum progressu spectare; *c*) Leges Facultatum ecclesiasticarum esse opportune recognoscendas. Tria asserta, ut *constat, prorsus*[10] trita. Quamnam efficaciam possunt habere ad studia ecclesiastica universitaria evehenda ipsisque infundendam illam adaptatam renovationem quam exigunt magnae quaestiones quas praesens Concilium prae oculis habet?

Reapse problemata huius schematis nequeunt solvi hac ratione. Idcirco meam facio propositionem quae postulat ut post hoc Concilium efformetur ampla commissio cui hic tantus labor concredatur. At etiam in hoc casu, opus est ut declaratio ...[11] praeparetur multo plenior et congruentior quam praesens.

Pro futura eius redactione haec suggerenda habemus.

1. Optimum est ut in schemate non tantum *de scholis catholicis* pertractetur, sed ampliori visione quaestio integra *de educatione christiana.* Evidens est Ecclesiam sollicitam esse debere non solum de adolescentibus et iuvenibus quibus in propriis scholis christianam educationem impertire possit, sed aequali materna cura de ceteris omnibus suis filiis qui in scholis statalibus educantur.

Cum haec sit longe maior pars adolescentium, opus est aggredi strenue quaestionem de novis viis et mediis quibus Ecclesia ius suum et officium providendi christianae eorum institutioni efficaciter *explere*[12] valeat.

2. Schema tradere debet veritatem integralem circa libertatem scholae ita ut conscientiae, etiam catholicorum, plenius illuminentur. Constat enim catholicos *periculose* [13] dividi circa hanc quaestionem.

Viget in mundo hodierno quaedam opinio publica potentissima quae, dum omnibus viribus propugnat libertatem conscientiae ut necessariam in societate pluralistica, acerrime contradicit libertati scholae in hac eadem societate. Hoc ipso anno, quadam veluti consigna internationali, principium de schola laica ab Statu imponenda intensius *in pluribus nationibus* [14] propugnatur et actione politica sustinetur ...[15]

3. In schemate pari sollicitudine exponenda est veritas integralis circa *missionem* [16] Ecclesiae quoad educationem et scholas. Clarum sit Ecclesiam non exigere nec quaerere privilegia; sed quia educatio spectat funditus ad vitam moralem et socialem, competit Ecclesiae in ea partes habere vi suae *constitutionis* [17] tum in quantum est societas institutionis divinae positivae, tum in quantum est societas humana perfecta atque completa ...[18]

4. Hoc supposito, schema tradere debet concinne et nervose orientamenta quae requiruntur ad collaborationem Ecclesiae cum auctoritatibus civilibus et cum organisationibus nationalibus et internationalibus in ordine ad sequentes fines: eliminatio analphabetismi in mundo hodierno; promotio adaptata educationis mediae gratuitae et educationis technicae et professionalis in favorem familiarum tenuioris fortunae; promotio educationis universitariae pro iuvenibus bene aptis quin unquam obstent discriminationes provenientes ex paupertate, ex stirpe vel aliis similibus obstaculis; promotio culturae ad mentem schematis XIII.

Concludo. Nova redactio contineat omnia puncta substantialia quae futurae commissioni necessaria erunt ut ad mentem Concilii labori incumbant apparandi magnum documentum de educatione et institutione scientifica praesertim universitaria in Christo instaurandis.[19] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quicumque sit status eorum evolutionis oeconomicae. [3] videlicet. [4] aut. [5] Universitates. [6] positae intendunt. [7] Universitates nostrae. [8] deest. [9] apparet nihilominus nimis extenuata. [10] patet, omnino. [11] conciliaris. [12] exercere. [13] magis magisque. [14] deest. [15] Haec situatio periculis plena est in pluribus nationibus pro ipsa applicatione declarationis de iure ad libertatem religiosam, de qua nostrum Concilium omni attentione agit. Qualis enim esse posset libertas religiosa authentica quamdiu absolutismus statalis dominetur totum ambitum educationis ope monopolii scholaris?... [16] ius et officium. [17] missionis. [18] Factum dominationis plus minusve absolutae,

quam Status moderni detinent in institutione adolescentium et in institutione universitaria, non debet obscurare vera principia circa authentica iura et officia in hac re nec illa debiliora reddere in actione pastorali. [19] deest.

Secretarius generalis: Communico imprimis exitum suffragationis sextae et septimae schematis *de institutione sacerdotali.*

Suffragatio VI:

Praesentes votantes	1.960
Dixerunt *placet*	1.644
non placet	8
placet iuxta modum	307
Suffragium nullum	1

Suffragatio septima et ultima eiusdem schematis:

Praesentes votantes	1.945
Dixerunt *placet*	1.845
non placet	6
placet iuxta modum	93
Votum nullum	1

Ergo uterque textus est in congregatione generali probatus. Sed modi examinabuntur, uti patet.

Nunc communico vobis, Patres, modum suffragandi textum *de educatione catholica* quando absoluta fuerit discussio. Fiet imprimis, et quidem crastina, si moderatores id statuent, suffragatio praeliminaris. Si suffragatio fuerit positiva, transitus fit statim ad has singulas suffragationes.

I suffragatio comprehendit prooemium et nn. 1, 2, 3.

II suffragatio nn. 4, 5, 6.

III suffragatio nn. 7, 8.

IV suffragatio nn. 9, 10, 11 et conclusionem.

Et ecce modus suffragandi declarationem *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas,* quae fiet feria sexta proxima ... Uti patet, quoad schema prius *de educatione christiana* suffragatio praeliminaris fiet per *placet* et *non placet.* Deinde singulae suffragationes cum triplici formula solita: *placet, non placet, placet iuxta modum* ... Quoad decla-

rationem *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas* fient circa totum textum duae suffragationes.

I suffragatio comprehendit prooemium, n. 2 « De diversis religionibus non-christianis », et n. 3 « De Musulmanis ».

II vero suffragatio comprehendit n. 4 « De Iudaeis » et n. 5 « De fraternitate universali ».

Hae duae suffragationes fient per *placet* vel *non placet.* Habebitur deinde tertia suffragatio super integram declarationem per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Quod fiet, uti dixi, feria VI proxima.

Nunc audiatis, Patres, de mandato praesidis et moderatorum. Multi Patres hanc instantiam Consilio Praesidentiae exhibuerunt, formula diversa sed substantialiter in hunc sensum: « Infrascripti Patres Conciliares reverenter postulant ut concedatur congruum temporis spatium ad normam art. 30, § 2, *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* ad consilia capienda, maturanda iudicia, et determinanda suffragia circa schema declarationis *de libertate religiosa,* quippe cum agatur de re maximi momenti doctrinalis et practici necnon textus Patribus nuperrime exhibitus ita a priori differat ut reapse textus novus dici debeat et proinde ad normam art. 33 eiusdem Ordinis vigentis examini subici debeat ante eiusdem textus suffragationem ». Subsequuntur subsignationes.

Porro praeses em.mus ac em.mi moderatores ut rem dirimerent statuerunt rem remittendam esse congregationi generali.

Quapropter crastina fiet, antequam praescriptae et praedictae suffragationes circa schema *de libertate religiosa* fiant, praemittetur suffragatio praeiudicialis *an procedendum sit ad suffragationes faciendas.* Evidenter responsio poterit esse duplex: *placet* et *non placet.*

Hoc statutum est ab em.mo decano praeside et em.mis moderatoribus. Dixi.

Sed adhuc communicare debeo exitum suffragationis V, nam dicunt eam non fuisse publicatam. Sic scribit sub-secretarius; tam multa hodie dicta sunt, ut difficile sit meminisse rerum quae dicta fuerint.

Si legi, bene est; si non legi, prima vice lego. Ergo V suffragationem schematis *de institutione sacerdotali*:

Praesentes votantes	1.943
Dixerunt *placet*	1.618
non placet	5
placet iuxta modum	319
Et suffragium nullum	1

Adhuc, Patres venerabiles, die 19 huius mensis, nempe crastina, ni fallor, hora 17 coram admittentur a Summo Pontifice episcopatus ex Spagna, Portogallo, Isole Capo Verde, Mozambico, Angola. Et satis superque dixi.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXXVI

19 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXVI

19 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *Ss. Concilii Vaticani II secretarius generalis*:

Congregationem generalem 126 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Annuntio vobis, Patres venerabiles, piissimum obitum exc.mi ac rev.mi D. Augustini Olbert, ep. Zimtaovensis, Tsingtao, in Sinis. Oremus pro anima ipsius.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te Domine ...*

Secretarius generalis: Distribuitur vobis, Patres amplissimi, fasciculus continens modos a Patribus conciliaribus propositos, a commissione *de Ecclesiis Orientalibus* examinatos, et textum emendatum iuxta eosdem modos.

Crastina fiet suffragatio supra modos. Est duplex quaesitum, ut videre potestis in pag. 6. Fiet prima suffragatio quoad I quaesitum; et secunda suffragatio super II quaesito, cum duplici possibili responsione: *placet* an *non placet* expensio modorum.

Deinde, si suffragatio fuerit positiva, fiet suffragatio super integro schemate, quod iam est impressum in eodem fasciculo, in fine, a pag. 55 et ss.

Lego nomina eorum qui verba facere postulaverunt circa schema *de educatione christiana*: Nomine plurium, exc.mi DD. Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranen. in Germania; Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurten. in Nigeria; Antonius Abed, arch. Tripolitan. maronitarum in Libano; Antonius Nwedo, ep. Umuahiaensis in Nigeria; Ioseph Dammert, ep. Cajamarcen. in Perù; Honoratus Van Waeyenbergh, ep. aux. Mechlinien.-Bruxellen. in Belgio; Benignus Chiriboga, ep. Latacungen. in Aequatore; Augustinus Lopes de Moura, ep. Portalegren. Castri Albi in Lusitania; Sergius Méndez, ep. Cuernavacen. in Mexico.

Deinde nomine proprio, exc.mi DD. Eugenius Beitia, ep. Santanderien. in Hispania; Carmelus Canzonieri, ep. Calatajeronen. in Italia;

Laurentius Jäger, arch. Paderbornen. in Germania; Placidus Cambiaghi, ep. Novarien. in Italia; Bernardinus Piñera, ep. Temucen. in Chile; Hugo Donohoe, ep. Stocktonien. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioannes McEleney, ep. Kingstonen. in Jamaica; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguen. in Panamà; Sirus Silvestri, ep. Fulginaten. in Italia.

Deinde loqui postulaverunt, nomine 70 Patrum, exc.mus D. Bohdan Bejze, ep. aux. Lodzen. in Polonia; rev.mus P. Anicetus Fernandez, sup. gen. Ordinis Praedicatorum.

Sed antequam prosequatur haec disceptatio, propono vobis, Patres venerabiles, suffragationem de integro schemate *de Ecclesia.*

Bene attendatis: *haec suffragatio fit iuxta notificationes* a me factas, superiori auctoritate, in congregatione generali 123, die 16 novembris an. 1964. Et *ita fiet suffragatio etiam in sessione publica.* Ideo distributum est folium separatum, quod valet semper, et hae notificationes sunt in *Actis* Concilii Oecumenici Vaticani II.

Deberem legere totum textum *de Ecclesia* [*cf. pp. 784 ss.*], sed parcite mihi, Patres venerabiles. Lego tantum prima verba et ultima.

Sunt 8 capita. Ergo cap. I: *De Ecclesiae mysterio.* « Lumen gentium cum sit Christus, haec Sacrosancta Synodus in Spiritu Sancto congregata, omnes homines claritate eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminare vehementer exoptat, omni creaturae Evangelium annuntiando ... » et reliqua, usque ad verba « ... licet sub umbris fideliter tamen in mundo revelet, donec in fine lumine pleno manifestabitur ».

Deinde cap. II: *De Populo Dei*: « In omni quidem tempore et in omni gente Deo acceptus est quicumque timet Eum et operatur iustitiam ... » et reliqua, usque ad verba « ... ita autem simul orat et laborat Ecclesia ut in populum Dei, corpus Domini et templum Spiritus Sancti totius mundi transeat plenitudo et in Christo, omnium Capite, reddatur universorum Creatori ac Patri omnis honor et gloria ».

Deinde cap. III: *De constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de Episcopatu*: « Christus Dominus ad populum Dei pascendum semperque augendum in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quae ad bonum totius Corporis tendunt ... » et reliqua, usque ad verba « ... de consensu Romani Pontificis hic diaconatus viri maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit necnon iuvenibus idoneis, pro quibus tamen lex caelibatus firma remanere debet ».

Cap. IV: *De laicis*: « Sancta Synodus, muneribus Hierarchiae declaratis, libenter animum vertit statui illorum christifidelium qui laici

nuncupantur » et reliqua, usque ad verba « ... uno verbo, quod anima est in corpore hoc sint in mundo christiani ».

Cap. V: *De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia*: « Ecclesia, cuius mysterium a Sancta Synodo proponitur, indefectibiliter sancta creditur ... » et reliqua, usque ad verba « ... qui utuntur hoc mundo in eo ne sistant, praeterit enim figura huius mundi ».

Deinde cap. VI: *De religiosis*: « Consilia evangelica castitatis Deo dicatae, paupertatis et oboedientiae, utpote in verbis et exemplis Domini fundata et ab Apostolis et Patribus Ecclesiaeque Doctoribus et Pastoribus commendata sunt donum divinum, quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat ... » et reliqua, usque ad verba « ... ad maiorem gloriam unius et indivisae Trinitatis, quae in Christo et per Christum est omnis sanctitatis fons et origo ».

Deinde cap. VII: *De indole eschatologica Ecclesiae peregrinantis eiusque unione cum Ecclesia caelesti*: « Ecclesia, ad quam in Christo Iesu vocamur omnes, et in qua per gratias Dei sanctitatem acquirimus, nonnisi in gloria caelesti consummabitur, quando veniet tempus restitutionis omnium atque cum genere humano universus quoque mundus qui intime cum homine coniungitur et per eum ad finem suum accedit perfecte in Christo instaurabitur ... » et reliqua, usque ad verba « ... una voce proclamans: sedenti in throno et agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum ».

Denique cap. VIII: *De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae*: « Benignissimus et Sapientissimus Deus, mundi redemptionem complere volens, ubi venit plenitudo temporis misit Filium suum factum ex muliere ut adoptionem filiorum reciperemus ... » et reliqua, usque ad verba finalia « ... meminerint porro fideles veram devotionem neque in sterili transitorio affectu neque in vana quadam credulitate consistere sed a vera fide procedere, qua ad Dei Genetricem excellentiam agnoscendam adducimur et ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum imitationem excitamur ».

Attendatis. Est adhuc titulus quintus, qui terminat his verbis « sive quae Salvatorem suum adhuc ignorant cum pace et concordia in unum populum Dei feliciter congregentur ad gloriam sanctissimae et individuae Trinitatis ». Ergo *placet* vel *non placet* vobis hoc schema *de Ecclesia?*

Moderator: Continuatur nunc disceptatio super schemate *de educatione christiana.*

PATRUM ORATIONES

(*De educatione christiana*)

1

EXC.MUS P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor nomine plusquam 70 episcoporum ex diversis nationibus.[1]

I - *a*) Concilium Vaticanum II primo loco prosequitur fines pastorales et apostolicos. Ubi autem munera pastoralia maioris momenti adimplenda sunt quam in campo educationis et institutionis iuvenum? ...[2]

Ab educatione scholastica magna ex parte pendet salus Ecclesiae et mundi.

Hac ex causa difficiliter intelligendum est, quare hoc schema ...[3], *de educatione christiana* ad schema Propositionum coarctatum sit ...[4]

b) Si autem iam revera coarctatio schematis ad brevem declarationem tamquam opportunum consideratur, cur tunc titulus anterior *de scholis catholicis* immutatus est in titulum *de educatione christiana*? Conceptus « educatio » certe multo latior et amplior est. Quomodo de educatione generaliter sermo fieri potest, quin momentum maximum educationis in familia ostendatur, quin de sic dicta instructione adultorum nostro tempore tam exculta, de influxu associationum iuvenum, mediorum communicationis socialis, de institutionibus culturalibus cuiusvis generis loquamur?

c) Si autem — quod obvium est — in brevi schemate de educatione lato sensu agi nequit, tunc restrictio thematis etiam in titulo exprimenda esset. Titulus *de scholis catholicis* ex ea causa — sicut in nota introductoria ...[5] schematis dicitur — relictus est, quia schema etiam de scholis non-catholicis edicere vult.

Forsan tamquam titulus eligi potest: « De iuventutis educatione in scholis ».

II - Valde optandum est, ut declarationi detur saltem *brevis fundatio theologica et biblica.*

In memoriam revocare possumus verbum S. Pontificis Pauli VI, quod die 6 mensis octobris anni elapsi ad viros doctos scientiae medi-

cinae locutus est: « In hoc mundo » — dicebat — « In hoc mundo visibili pro nobis et vobis homo est summus valor ».

Mentio fieri deberet de duplici principali munere vitae hominis, i. e. terram sibi subiciendi et per vitam christianam ad aeternum finem veniendi.

Necnon omittenda sunt exemplum et verba Domini Nostri Iesu Christi qui dicit: « Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos, talium est enim regnum Dei » ...[6]

Et illud aliud verbum: « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit » ...[7]

III - *a*) Laudandum est, schema nostrum saltem brevibus verbis clare exprimere, quod *parentibus primum et inalienabile officium et ius* competit filios educandi ideoque scholas libere condendi et eligendi, et reprobatur quodvis scholae *monopolium* tamquam nativis personae humanae iuribus contrarium. Potius etiam Res publica subordinationem finium consequendorum et principium subsidiaritatis prae oculis habere debet.

Etiam ius parentum ad subsidia « necessaria » a societate civili obtinenda affirmatur.

Mihi quidem videtur, quod melius esset, si clarius et magis concrete diceretur Rem publicam ex iustitia distributiva obligatam esse, ut etiam scholas catholicas, si aequi valoris sint, aequali modo adiuvet ac scholas proprias seu publicas.

Adhaereo omnino iis quae dixit heri exc.mus arch. Beck.[8]

b) Expresse dicatur etiam scholas i. e. *scholas publicas nequaquam* ex natura rei debere esse *laicisticas,* nempe a religione abstrahentes quin etiam non raro veritatem religiosam impugnantes. Hic conceptus laicismi est magna haeresis nostri temporis. Tandem aliquando societas hodierna non constat solummodo ex hominibus non-christianis et atheisticis sed etiam ex fidelibus christianis, qui ius ad educationem ...[9] etiam in scholis publicis habent.

Ideo — et hoc est maximi momenti — Res publica in sic dicta societate pluralistica etiam *quoad suas proprias scholas* debet fines sibi ponere. Potest — et generatim hoc erit necessarium — externas conditiones materiales et organizatorias pro re scholastica praebere, principia autem interna educationis et fundamenta religiosa secundum conscientiam genitorum statuenda sunt. Haec est vera et sincera libertas religiosa ab omni gubernio erga cives suos, etiam erga christianos exercenda. Parentibus catholicis autem non sufficit schola, in qua solum instructio de religione adhibetur, sed potius secundum Encyclicam

Pii Papae XI *Divini illius Magistri* religio christiana debet esse fundamentum et incoronatio totius doctrinae et educationis.

Ceterum oportet, ut mundus cognoscat, quam fructuosa fiat educatio prolis, si hoc in campo auctoritates civiles et Ecclesia harmonice cooperantur. Timendum non est, ne inter fidem et rationem sit contradictio; potius, uti dixit iam Concilium Vaticanum I, « opem ... sibi mutuam ferunt », dummodo de vera scientia agatur ...[10]

c) Tandem — et haec est ultima mea animadversio — schema magis quam hucusque factum est loquatur de *magistris* scholarum.

Nemo dubitare potest scholam catholicam nasci et exstingui cum magistro catholico. Ideo quoque educatio magistrorum, ubicumque hoc fieri potest, instituenda est supra fundamentum religiosum omnino clarum ...[11]

Ceterum in schemate Ecclesia gratissima se profitetur erga magistros catholicos et quidem pleno iure. Boni enim magistri catholici sunt nobis episcopis simul cum sacerdotibus cooperatores apostolici pretiosissimi, quibus nullo modo carere possumus. Ideo ipsi — quod iis iterum iterumque dicamus — confidere debent verbo Sacrae Scripturae: « Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates » ...[12] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Fere tota iuventus catholica ubique terrarum in scholis formatur et educatur. Ideo. [3] *de scholis catholicis,* respective. [4] Concilium hac in re mundo documentum vere saeculare edere debuisset. Hic habuisset occasionem demonstrandi quod Ecclesia mundi problemata fundamentalia adire et vias pro eorum solutione ostendere capax est. [5] pag. 11. [6] (*Lc.* 18, 16). [7] (*Mt.* 18, 5). [8] Hoc valet, ut apparet, sub conditione quod omnes reipublicae cives cum vectigalibus suis proportionaliter ad sustentationem rerum scholasticarum suam partem afferant. [9] et institutionem prolis secundum propriam conscientiam. [10] Nec Ecclesia ullo modo scientiae inimica est, ut innumerabiles scholae et universitates catholicae ubique in mundo demonstrant. Semper Ecclesia studia scientiarum promovit, immo tempora habebantur quibus Ecclesia fere unica magistra iuventutis fuit. [11] Solus magister, qui fidem christianam in tota eius plenitudine et pulchritudine cognovit et propriam suam vitam ex hac fide format, homines revera christianos formare et educare poterit. [12] (*Dan.* 12, 3).

Animadversiones additae:

Secundum interventionem in aula conciliari a me factam rogo humiliter, ut declaratio *de educatione christiana* sequentibus modis mutetur respective compleatur:

1. Titulus declarationis sit: « De iuventutis educatione in scholis ».

2. In quantum possibile est, brevis fundatio theologica et biblica addatur (cf. interventionem).

3. In fine n. 4 adiungatur: « Iustitia distributiva postulat, ut societas civilis

omnes scholas, etiam sic dictas privatas, si aequi valoris sint, aequali modo ac scholas proprias seu publicas pecunia et aliis subsidiis adiuvet.

In omnibus res publica connexionem et subordinationem finium consequendorum, diversam naturam auctoritatis exercendae et principium subsidiaritatis prae oculis habeat ». (Hoc ultimum legebatur iam in schemate *de scholis catholicis*).

4. In n. 6 in fine I partis post verba « temporumque condicione » addatur: « Etiam scholae status, i. e. scholae publicae, nequaquam ex natura rei debent esse laicisticae nempe a religione eiusque veritatibus et principiis moralibus abstrahentes. Quamquam societas civilis externas conditiones materiales et organisatorias pro re scholastica praebet, tamen principia interna educationis et praeprimis fundamenta religiosa secundum conscientiam genitorum statuenda sunt ».

5. Declaratio in fine laudans magistros scholarum concludere potest cum verbo ex libro Danielis: « Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates » (*Dan.* 12, 3).

2

Exc.mus P. D. GODEFRIDUS OKOYE
Episcopus Portus Harcurtensis

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine *omnium* [1] episcoporum Nigeriae *necnon multorum aliorum Patrum.* [2] Volo indicare quaedam puncta quae secundum nostram opinionem in schemate nostra inserere debentur.

1. Matrimonium est naturalis institutio, habens ut finem primarium procreationem et educationem prolis. Dum autem in dies crescunt filii, patet parentes de seipsis non posse suppeditare totam illam instructionem et formationem quibus indigent parvuli. A. v., prolis indiget educatione quae excedit capacitatem institutionis familiaris. Principale medium huius educationis est schola.

2. Ex ipso fine scholae, sequitur quod qualitas educationis quae parvulis datur est res summi momenti. Sequitur iterum quod parentes qui enixe filiis invigilant, debent maxima cura seligere scholam apprime idoneam, ad necessitates parvulorum curandas.

In communitate ubi nulla existit schola ad hoc apta, parentes habent ius et officium communi suo opere scholam condendi, aut auxilium ad hoc petendi ab auctoritate in tali re competenti.

3. Et certe ab ipsa Ecclesia parentes libere possunt auxilium impetrare ad scholas pro parvulis fundandas. Semper enim parata est Ecclesia in hac re practicam praebere cooperationem. Aperte et fortiter Ecclesia docet parentes teneri obligatione curandi prolis educationem, eosque commonet quod talis institutio debet et religiosam et spiritualem formationem parvulorum complecti. Sui etenim peculiaris muneris docendi fidem populo Dei semper conscia est.

Parvuli in teneris annis educandi, maxime egent religionis doctrina, necnon spiritus formatione. Officium suum et familia et Ecclesia modo perfectissimo implent per scholas catholicas.

4. Actus seligendi scholam catholicam, secumfert implicitam et intimam cohaerentiam finium educationis necnon ipsius vitae humanae. Homo debet plenam vitam humanam degere ut vitam aeternam adipisciat. Educatione instruitur mens parvuli et apta redditur ad veritatem tum naturalem tum supernaturalem attingendam. Finis vitae humanae, etiam secundum veteres philosophos, est actus summae in homine facultatis, scil. mentis, erga summum eius obiectum, quod est Deus. Ita processus educationis quae mentem in veritatem ducit eo ipso vel aperte vel latenter hominem ad contemplationem Dei diriget. Finis educationis ultra seipsum ad finem ipsius vitae humanae tendit. Itaque hi duo fines separari nec debent nec moraliter possunt. Extra scholam catholicam autem talis formatio parvulos ad visionem Deo parens, aut insufficienter impertitur aut omnino deest.

Status ut suum obiectum habet temporalem bonorum suorum subditorum, quod bonum educationem complectitur. Status quidem ius et officium habet invisandi ut saltem minimus gradus educationis parvulis omnibus offeratur. Immo, ubi deest parentibus facultas directe vel indirecte scholas condendi, eos Status debet adiuvare ad scholas condendas, neque ullo modo Statui licet parentibus scholas imponere quae hi ut nocivae proli iudicant.

5. Cum parentes ius habent scholas per se vel auxiliante Ecclesia condere, cumque ius hoc exercent mittendo prolem ad catholicam scholam, sequitur quod Status debet his scholis subsidia pecuniaria dare. Quae quidem subsidia cum revera adsunt propter taxa soluta a civibus, catholicis parentibus non exclusis, ad hoc destinantur ut temporali bono civium consulatur. Ad hoc enim bonum assequendum praeeminet educatio. Status ergo debet omnes scholas a parentibus electas, pecunia adiuvare, neque ullo modo licet parentibus onerari iniustis sumptibus. Iniustitia enim est denegare subsidium scholis catholicis cum parentes faciunt nihil aliud quam ius suum inviolabile exercere, scil. pro prole sua scholas catholicas seligendo.

Concludo[1]: Declaratio nostra ergo aperte fortiterque debet asserere ius Ecclesiae scholas condendi et moderandi, quae ius in iuribus parentum fundatur. Declaratio debet etiam ius parentibus vindicare subsidium pro his scholis ex pecuniis Status impetrandi. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

3

Exc.mus P. D. ANTONIUS ABED
Episcopus Tripolitanus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Nomine Commissionis Episcopalis de Scholis Catholicis in Libano, loquor.

Liceat mihi perprius, venerabiles Patres, obsequium ferre et gratias agere, coram hac ornatissima corona, omnibus in omni loco operam navantibus pro schola catholica, sive episcopis, sive sacerdotibus, sive religiosis viris et mulieribus, *sive omnibus fratribus pro scholis, sive etiam laicis,*[1] pro bono quod faciunt pueris et iuvenibus.

Liceat etiam gratias agere commissioni pro labore peracto in conficiendo nostro schemate, quod in genere placet. Aliqua tamen principia vellem memorare, ut schema nostrum perfectius evadat ...[2]

1. Ante omnia, opus est quadam declaratione, enuntiante criteria iuxta quae aliqua scholaris institutio dignosci valeat, ut vere catholica. Praesentia Ecclesiae in mundo, per scholas, secumfert caritatis irradiationem et mentes iuvenum ad veritatem allicit, illorumque corda ad bonum movet. Hisce indiciis dignoscitur schola ut vere catholica, si per eam Ecclesiae missio fructuose adimpletur. Secus mera commercialis institutio esset.

2. Haec Ecclesiae missio recte adimpleta, cum ad gratiarum actionem disponat, apparet tanquam providentiale medium ad *dialogum* instaurandum, modo in documento *Ecclesiam Suam* optato. Dialogus institui potest sive cum ipsis iuvenibus, rerum cognoscendarum cupidis, sive cum illorum parentibus, etiam non catholicis aut non christianis. Isti enim, nisi aestimationem educationis catholicae habuissent, Ecclesiae catholicae pueros educandos non commisissent. Firmetur ergo nostra caritate illorum fiducia, et instauretur cum illis, prudentia debita, sincerus dialogus.

3. Pariter laicorum apostolatus, in scholis catholicis, magnum incitamentum invenire debet. Opportunum est ut haec Sacrosancta Synodus ad omnes magistros, qui suam adiutricem operam praestant, in scholis catholicis, invitamentum mittat ut a directoribus simul et magistris laicis, efformentur associationes ad testificandum Evangelium coram iuvenibus, qui, Ecclesiae commissi, crescere debent non tantum aetate et scientia sed etiam sapientia.

4. Opportunum etiam videtur in memoriam revocare quod Ecclesia, quando sibi vindicat libertatem docendi, hoc non facit, nisi ad divinam suam missionem exercendam, et ad iura parentum tuenda. Nostro enim tempore, non desunt gubernia, etiam proh dolor, in catholicis nationibus, quae, propter varios praetextus, magis prona sunt, ad operam scholae catholicae limitandam quam ad illam tuendam et favendam.

Cum libertatem religiosam declaramus, ne obliviscamur eamdem libertatem pro nostra fide et nostris scholis requirere et defendere. Cum etiam iustitiae leges declaramus et iustitiam requirimus pro omnibus, ne obliviscamur a societate civili requirere, pro schola etiam privata dicta, idem subsidium et adiutorium illi debitum ac scholae publicae dictae.

5. Ecclesia catholica, cupiens veram caritatem exercere erga omnes homines, sese offert ad servitium et perfectam sui deditionem sine ulla discriminatione populi, ritus et religionis. Hanc autem viam sequitur ad erudiendos animos in spiritu sacrificii et deditionis sui, ut et ipsi discipuli possint in futuro concurrere ad firmandum regnum pacis, fraternitatis et iustitiae.

6 et ultimo: Schola catholica, ut iam dixi, multas difficultates patitur praesertim ex penuria subsidii. Cur ad hanc difficultatem solvendam non constituatur aliquis internationalis comitatus cuius benefica actio ad totum orbem extenderetur extra omnem considerationem linguae et nationis.

Concludo: ...[3] 1. Affirmetur necessitas scholae catholicae; 2. Declarentur scholae catholicae notae genuinae; 3. Scholae catholicae missio protendatur ad completam hominis institutionem, culturalem nempe, spiritualem, moralem, humanam et etiam civilem; 4. Constituatur internationalis comitatus ad scholas catholicas per totum orbem promovendas et adiuvandas; *et ultimo*,[4] schola dicta privata debet habere a societate civili idem subsidium et adiutorium illi debitum ac scholae publicae dictae ...[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nos omnes, venerabiles Patres, qui in nostris dioecesibus continuo vivimus, certiores efficimur de scholae catholicae necessitate, non tantum ad instructionem promovendam, sed etiam ad actionem pastoralem efficacius prosequendam. Tempora praeterita demonstrant quoque scholam catholicam fuisse, in vita populorum et nationum, fidei gubernaculum et fundamentum. Principia et normae quae proponere vellem ad haec reducuntur. [3] Ea quae fusius dicta sunt, possunt sequentibus propositionibus comprehendi. [4] 5. [5] 6. Scholae catholicae missio sit testimonium ferre pro Deo coram omnibus hominibus.

4

Exc.mus P. D. ANTONIUS GOGO NWEDO
Episcopus Umuahiaensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Nigeriae. In omnibus institutionibus mediae et superioris educationis Ecclesia catholica praesentiam effectivam manifestare debet.

1. Renovationem in omnibus vitae Ecclesiae ...[1] in scholis mediis et in collegiis superioribus perscrutari et vias ad talem renovationem promovendam proponere ut praesentia eius magis effectiva et ad tempora nostra magis adaptata fiet. Qua perscrutatione facta, multitudinem scholarum superiorum et institutionum catholicarum in quibus coetus sacerdotum disciplinas profanas docent invenimus. Nihilominus permultas scholas medias omnino sine influxu esse sacerdotis confiteri debemus.

2. Characterem suam catholicam retinere et educationem haud minus pretiosam praebere possunt scholae mediae catholicae quando laici idonei maiori parte munerum in schola funguntur, dummodo sacerdotes in numero sufficienti ad organizationem scholae et ad necessitates spirituales alumnorum retinentur. Cuius propositi rationes sunt sequentes:

a) Sacerdotes, a necessitate quotidiana docendi soluti, liberi essent ad laborem apostolicum in aliis campis suscipiendum secundum propositum Concilii de redistributione clericorum.

b) Congrueret etiam cum principium subsidiaritatis. Ecclesia nempe laicis reliquit quod eorum facultatem iacet.

c) Conveniret quoque temporibus nostris cum multi laici catholici bene formati dicunt se in scholis catholicis munera obtinere non posse.

3. Multi catholici scholas acatholicas vel neutrales frequentant. Isti alumni catholici partem populi Dei constituunt et illuminatione doctrinae catholicae sollicitudineque spirituali sacerdotis indigent. En campum magnum apostolatus valde neglectum! Nullo modo resolutum est hoc problema cum Ecclesia vetat catholicos ne scholas acatholicas frequentent. Longe prudentior esset possibilitates formationis religiosae his alumnis intra scholam non catholicam comparare. Variis modis hoc fieri potest, e. g.:

a) Designando sacerdotem gradu academico praeditum ut munus in schola assumeret, etiam ad disciplinam saecularem docendam. Ex praesentia eius sane sequeretur quod alumni de problematibus suis eum consultare possint et quod cursus catechismi extra horas occupatas organizare possit.

b) Proponendo ut religio vel sacra scriptura in curriculo scholarum ut materia pro examinibus introduceretur et designando sacerdotem, vel si non adest sacerdos, laicum bene formatum ad eam docendam.

Per alterutrum istorum modorum Ecclesia praesentiam effectivam in talibus scholis acquireret. Aliae possibilitates apostolatus dein paterent illis sacerdotibus qui a muneribus in scholis mediis catholicis liberentur.

4. Dissuadet Concilium ne Universitates catholicae sine necessitate fundarentur, iis facultatibus ecclesiasticis exceptis quae scientias sacras docent. Suadet potius declaratio nostra ut sacerdotes catholici necnon laici periti nonnulla munera in Universitatibus Status assumerent, ut cathedra vel facultates philosophiae scholasticae in omnibus universitatibus statalibus crearentur, ut alberghi studentibus catholicis ubique providerentur. Rationes huius propositionis facile videri possunt.

a) Status ...[2] opes amplas ad universitates modernas aedificandas, instruendas, et sustinendas et ad professores gradibus academicis altissimis praeditos solvendos disponere posset. Ecclesia autem neque ...[3] pecunias necessarias ad talia opera perficienda possidet.

b) In societate pluralistica nostra decet ut alumni traditionum in communitate diversarum congrediantur. Quando ad gradum universitatis pervenitur haud magnum est periculum perversionis, quod proinde praecaveri potest cum per praesentiam apostolicorum catholicorum in coetu docentium tum per apostolatum laicorum in ambitu universitarii.

5. Quod de sacerdotibus in institutionibus saecularibus pro pueris iuvenibusque dicitur, valet etiam pro mulieribus apostolicis in institutionibus pro puellis.

6. *Conclusio.* Multi inter nos, in territoriis missionum laborantes, de indigentia sacerdotum pro muneribus apostolicis et in ministerio scholarum valde conscii sumus. Commoti sumus videntes, ergo permultos sacerdotes in scholis catholicis munera implere quae laici aequo modo implere possint. Poscimus ergo ut Patres conciliarii haec sequentia clare declarent:

a) Non solum characterem suam religiosam a scholis catholicis

esse retinendam sed etiam maximam partem munerum laicis esse tradendam.

b) Scholas medias *acatholicas* [4] campum maximi esse momenti pro apostolatu nostro.

c) Universitates catholicas non promovendas esse sed potius in Universitatibus Status praesentiam effectivam assumere debere. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] manifestationibus Concilium postulat. Proinde debemus iterum locum Ecclesiae. [2] vero. [3] professores aptos neque. [4] non-catholicas.

Moderator: Audiant Patres! Cum visum fuerit moderatoribus materiam propositionum « De Institutione christiana » opportune tractatam esse, quaeritur an placeat Patribus ut disceptatio finiatur. Qui propositioni huic assentitur, hi Patres rogantur ut surgant de sedibus suis. Secus remaneant sedentes.

[*Intervallum. Fere omnes Patres surgunt*].

Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, annuntio vobis exitum suffragationis super integro schemate *de Ecclesia*:

Praesentes votantes		2.145
Dixerunt	*placet*	2.134
	non placet	10
Suffragium nullum		1

Ergo totus textus *de Ecclesia* est a congregatione generali probatus et de eo ultima suffragatio fiet cum probatione, ut speramus, in sessione publica sabbati proximi coram nostro amatissimo Patre Summo Pontifice.

Moderator: Qui loqui velint nomine 70 Patrum de propositionibus *de educatione christiana,* nunc loquantur.

5

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ

Magister generalis Ordinis Praedicatorum

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plus 100 Patrum, qui ad 20 nationes pertinent tum ex Occidente tum ex Oriente.

...[1] Singularis momenti sunt ea, quae de catholicis studiorum Universitatibus dicuntur in schemate.

Pauca dicam ...[2]: 1. *De nomine.* Denominatio haec, Universitas *catholica,* non videtur esse omnino apta et opportuna quia videtur appellare ex alia parte, ut contradistinctam, Universitatem *acatholicam,* aut si placet, *non-catholicam.* Et ideo ceterae omnes Universitates, praeter eas, quae in hoc schemate indicantur et recoluntur, dicendae essent *non-catholicae* vel *acatholicae.*

Quod tamen non est sine ambiguitate, et ansam praebere potest querelis et concertationibus inter ipsos catholicos, prout revera contigit abhinc non plures annos ...[3]

Melius esset adhibere denominationem claram et inaequivocam: v. g., hinc Universitates *ecclesiasticas* inde Universitates *civiles,* ut de facto innuitur in textu priori ...[4]; vel etiam una ex parte Universitates *Ecclesiae,* ex alia vero Universitates *Status.* Quae ultima denominatio videtur praeferenda ...[5]

2. *De re.* ...[6] Ambae tamen Universitates Ecclesiae debent esse tales, ut aequentur in suo genere Universitatibus Status vel eas superent, et nullo modo eis inferiores exsistant.

Habeant ergo tot Facultates quot necessariae sunt ad integram et perfectam formationem laicorum vel clericorum, secundum exigentias et postulata officiorum et munerum rite implendorum ab utrisque ...[7]

3.[8] Placent autem multum ea quae dicuntur in n. 11 ...[9], de studio naturalium et sacrarum disciplinarum in eodem domicilio Universitatum Ecclesiae *pro laicis,* ut, dum vestigandis naturalibus veritatibus operam navant totosque nervos suos intendunt, exinde ad Deum creatorem assurgere discant et conentur, immo et ad divina mysteria revelata credenda et utcumque intelligenda praeparent viam ...[10]

Et iure quidem dicitur quod S. Thomas exstitit ...[11] plenae concordiae inter philosophiam et fidem Magister aemulandus et imitandus,

siquidem, ut ait Leo XIII, « *nulla* profecto *sanior, nulla securior et Magisterio Ecclesiae conformior doctrina philosophica quam illa quae in Thomae voluminibus continetur* » ...[12]

Et Pius XII ...[13]: « ipsius doctrinam cum divina revelatione quasi *quodam concentu consonare,* atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sanae progressionis fructus utiliter ac secure colligendos » ...[14]

Qua de causa fuit appellata a Benedicto XV « philosophia *secundum Christum* » ...[15]

Unde et Pius XII iure dixit quod haec philosophia non habet auctoritatem mere humanam unius hominis, sed « *altioris ordinis,* quia *ipsum Magisterium Ecclesiae,* eius principia et praecipua asserta ... *ad ipsius divinae revelationis trutinam revocavit* » ...[16]

Et Pius XI ...[17]: « in Thoma honorando *maius quiddam quam Thomas ipsius* existimatio vertitur, idest *Ecclesiae docentis auctoritas* » ...[18]

Equidem verum est locum ab auctoritate quae fundatur super ratione humana esse *infirmissimum,* ut ipse S. Thomas docet cum Boethio ...[19] sed auctoritas S. Thomae, quae hic commendatur et ponderatur, non est Thomae solius, sed ipsius Magisterii Ecclesiae iterum iterumque graviter commendantis et praecipientis, et ideo multo altioris ordinis.

Verum quoque est philosophiam non consistere in investigando quid quis cogitaverit vel dixerit, sed in quaerenda *ipsa rerum veritate prout in se est.* Id, quod vel ipse Thomas iterato docuit et in praxim deduxit. « Studium Philosophiae, inquit, non est ad hoc quod sciatur quid homines censerint, sed *qualiter se habeat veritas rerum* » ...[20] « Non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei quid tu velis vel quid tu intelligas cognoscere *sed solum quid rei veritas habeat* » ...[21]

Et ideo, si quid recipit ab aliis philosophis, ut ipse fortiter affirmat, « *non recipit ea propter auctoritatem dicentium, sed propter rationem dictorum.* Unde *bene* dicta *recipit*; et *alia respuit* » ...[22]

Consequenter, secundum ...[23] S. Thomam et rei veritatem, doctrina S. Thomae non est simpliciter et extemplo admittenda ea sola ratione quia ipse dixit, *sed quia et quando et in quantum vera dicit.* Dicit autem vera quantum ad principia et lineamenta fundamentalia metaphysica et theologica, ut sincere quaerenti et vestiganti veritatem rerum naturalium et supernaturalium patet, et Magisterium Ecclesiae ordinarium persaepe affirmavit ...[24]

Quia ergo haec philosophia et theologia S. Thomae non ducit prae-

cise ad ipsum Thomam disserentem, sed ad res et rerum veritatem, studium eius non sistit in mera auctoritate humana disserentis, sed ad ipsam rerum veritatem manuducit. Et ideo nullum est his periculum *fetichismi* aut *pythagorismi,* sed plena responsabilitas plenaque libertas in veritate.

Ceterum, per commendationem S. Thomae, non excluduntur ceteri doctores et sapientes, sed potius adsciscuntur. Sine dubio, in aliis doctoribus *praecedentibus vel coaevis vel posterioribus,*[25] immo in *aliis*[26] philosophis non-catholicis, sunt *multi*[27] aspectus veritatis *quae melius et amplius quam in S. Thoma inveniuntur.*[28] Ipse enim Thomas nullum habebat exclusivismum, sed spiritum valde apertum et comprehensivum erga omnes, seu philosophos seu theologos, qui aliquid veritatis invenerunt.

Erat enim unice veritatis amator, et veritatem accipiebat grato animo undecumque veniebat vel se offerebat. Et in hoc eodem sensu commendat Ecclesia Magisterium S. Thomae.

Neque iterum vestigatio et adinventio veritatis conclusa est cum S. Thoma, sed multae et magnae veritates post eum inventae sunt, quae admitti debent ab eius discipulis. Et multae et novae scientiae ortae sunt sicut ipse et S. Albertus iam praevidebant.

Indeque apparet quod cum S. Thomas proponitur ut Magister et Dux studiorum philosophicorum et theologicorum in Ecclesia, omnino iniuste et illogice infertur quod tunc Ecclesia esset Ecclesia unius Doctoris, eo quod non est ipse solus et unicus, qui agnoscitur et commendatur ab Ecclesia, licet sit praecipuus et praecipue commendatus.

Postremo ...[29] verbulum quoddam dicere liceat ad eos qui putant satius et prudentius esse recolere ac declarare S. Thomam Magistrum omnium, non tamen quantum ad eius doctrinam antiquatam et obsoletam, sed quantum ad exemplum quod ipse dedit studendi et aptandi doctrinam ad adiuncta et conditiones proprii temporis. Quod nempe ipse fecit pro suo tempore, idipsum nos facere debemus pro nostro.

Equidem Thomas exemplo suo docet omnes quomodo debeant studere et laborare. At non est satis; quia, praeter modum exemplarem studendi et vestigandi, tradidit etiam doctrinam obiective veram et in aevum valituram. Et hoc est praecipuum in eius magisterio, quia Thomas non docebat directe et ex intentione seipsum, sed res. Quod si doctrina, pro qua ipse insudavit et consumpsit ...[30]

Moderator: Rev.me Domine, velis ad conclusionem venire, quia tempus exhaustum est.

Orator: Itaque pleno iure S. Thomas declarandus et suscipiendus est ut Magister et Dux studiorum philosophicorum et theologicorum in Universitatibus Ecclesiae *pro laicis,* et a fortiori in Universitatibus et seminariis ecclesiasticis *pro clericis* ...[31] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Hoc schema, operose elaboratum, multa continet optima, et in genere placet. [2] Ampliora secretariae tradam. Et ideo liceat mihi nonnullas animadversiones proponere circa hanc rem, quae fortasse utiles aestimari poterunt. [3] Dari enim potest status catholicus, qui suas proprias universitates studiorum habeat, et in quibus auctoritates academicae, professores et studentes sint omnes catholici nomine et re, ac insuper tradatur in eis doctrina catholica, vel saltem omnino concordans cum ipsa et in nullo eam offendens; et tamen huiusmodi universitates non possent dici catholicae, sed non-catholicae vel acatholicae. Quod iniustum videtur esse, et offensivum catholicis ibi docentibus et addiscentibus catholicam doctrinam. Nisi quis, hoc in casu, distinguere malit inter universitates catholicas et universitates catholicorum, eo simili modo quo theologi distinguere solent inter actus humanos et actus hominum (cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* I-II, q. 1 a. 1 c). Sed talis modus loquendi non est consuetus, et forte non bene intelligeretur ab hominibus huius temporis. Simul tamen iuvat agnoscere denominationem illam provocatam esse ac fere postulatam a titulo generali totius schematis, quod est *de scholis catholicis.* Inter scholas autem adnumerantur, et quidem in gradu superiori, universitates studiorum. Utut sit. [4] n. 26 (Appendix pag. 27 circa finem). [5] Rursus huiusmodi universitates Ecclesiae iure distinguuntur in universitates studiorum ecclesiasticorum et in universitates studiorum saecularium (n. 15, p. 8, lin. 32, una cum nn. 20-21 textus prioris pag. 26-27). Quae tamen fortasse melius dicerentur universitates studiorum *pro clericis* et universitates studiorum *pro laicis.* Nam et in illis traduntur plura quae non sunt specifice sacra vel ecclesiastica; v. g. Litterae, Scientiae et Philosophia ipsa: et in his docentur vel doceri debent aliqua quae non sunt specifice saecularia, ut S. Theologia, cuius integra facultas, vel saltem una cathedra, commendatur et praescribitur. « In *omnibus* universitatibus catholicis habeatur *facultas S. Theologiae,* quae totius universitatis velut centrum sit, aut saltem S. Theologiae *Institutum* vel *Cathedra* in qua lectiones laicis quoque studentibus aptare tradantur (n. 12, pag. 8, linn. 1-4). [6] a). [7] b) Et quidem universitates Ecclesiae pro *laicis* mediae quodammodo esse debent inter universitates Ecclesiae pro clericis et universitates status. Aliquid enim habere debent de utrisque. De universitatibus status habere debent, saltem, principaliores et fundamentaliores facultates, immo et omnes, si possibile sit, ne inferiores illis exsistant, neve laici catholici eas frequentantes minus docti et parati sint quam alii frequentantes universitates status. De universitatibus autem Ecclesiae pro clericis debent habere integram facultatem S. Theologiae, vel saltem Institutum aut Cathedram eius. Ex quo illud consequitur, has universitates ita esse *medias* inter universitates Ecclesiae pro clericis et universitates status, ut plus participent de his quam de illis. De his enim omnes vel saltem potiores facultates, de illis autem unam tantum vel saltem unam eius cathedram. c) Itaque istae universitates Ecclesiae *pro laicis* habeant saltem facultatem Litterarum, Historiae, Scientiarum Naturalium et Mathematicarum

secundum diversas earum sectiones vel ramificationes, Scientiarum socialium et oeconomicarum, Iuris, Philosophiae et, si possibile sit, Theologiae Sacrae, vel saltem unius Cathedrae eius. Universitates vero Ecclesiae *pro clericis* debent etiam habere facultates Litterarum et Scientiarum Naturalium et Mathematicarum, vel saltem Instituta, quantum necesse sit pro integrali formatione eorum, at praesertim Historiae Ecclesiasticae, Scientiarum socialium, Iuris Canonici, Philosophiae, maximeque S. Theologiae integraliter sumptae cum omnibus suis partibus ab Exegesi Biblica usque ad Liturgiam et Pastoralem. His enim disciplinis theologicis potiores partes tribuere debet una cum philosophicis, quae viam illis parare debent. [8] d). [9] pag. 7, linn. 15-26. [10] Et hac ratione, sacras et profanas seu humanas disciplinas, quae ad mundi hominisque cognitionem spectant, excolentes, habiles et parati reddantur « ad testandam *plenam* illam fidei cum ratione *concordiam,* cuius magister exstitit S. Thomas Aquinas » (linn. 20-23). Quae sane concordia plena non solum viget et testari debet inter veritates fidei et nova adinventa scientiarum vere et solide probata, sed etiam, et quidem maxime inter philosophiam veri nominis et veritates a Deo revelatas. Hisce enim universitatibus debet quam maxime excoli philosophia. « Neque enim — ut sapienter docet Pius XI — cum ambae a Deo, summa aeternaque veritate, proficiscantur, et ratione illa, haec fidei documenta reddat exhibeatque, inter se pugnare queunt, ut nonnulli delirando contendunt; immo etiam tam amice conspirant, ut *altera alteram compleat.* Unde sequitur, ex inscio imperitoque philosopho fieri nunquam doctum theologum posse, et qui divinarum rerum sit prorsus ieiunus, eidem perfecte philosophari nullo pacto licere » (Epist. Ap. *Unigenitus Dei Filius,* ad supremos Moderatores Ordinum Religiosorum data die 19 martii 1924: *A.A.S.,* 16 [1924], pp. 144-145). [11] huiusce. [12] (Enc. *Aeterni Patris*: *Acta Leonis,* ed. Bonne Presse, t. I, p. 70). [13] similiter edixit. [14] (Enc. *Humani generis*: *A.A.S.,* 42 [1950], p. 571). [15] (Motu Proprio *Non multo post* die 31 dec. 1914: *A.A.S.,* 7 [1915] pp. 6-7). Non autem esset secundum Christum neque plene concordaret cum veritatibus fidei, si *vera* non esset; quia nunquam falsitas est secundum Christum, neque plene consonare potest cum veritatibus fidei. Falsum vero concordare non potest, maxime si istud verum sit divinum et omnino infallibile. [16] (Enc. cit.; DENZ.-SCHÖN. N. 3892). [17] congruenter. [18] (Enc. *Studiorum ducem* die 29 iun. 1923: *A.A.S.,* 15 [1923], p. 324). [19] (*Summa Theol.* I, q. 1, a. 8 ad 2). [20] (*In I de Caelo et Mundo,* lect. 22 n. 8). [21] (*Summa theol.* I, q. 107, a. 2 c). [22] (*In libr. Boethii De Trinitate,* Prooem. q. 2 a. 3 ad 8). [23] ipsum. [24] Haec doctrina, ut ait Pius XI, non est constructio quaedam artificialis et subiectiva, sed naturalis et eminenter obiectiva, ideoque in omne tempus valitura: « non verrà mai meno il valore della dottrina tomistica, perché *bisognerebbe* che venisse meno il valore delle cose » (Alloc. ad studentes universitarios, mense febr. 1927; apud M. CORDOVANI, O. P., *San Tommaso nella parola di Pio XI,* in *Angelicum* 6, 1929, 10). « Dai suoi libri *attingerete sempre la verità* » (Alloc. ad professores et studentes Instituti « Angelicum » habita die 12 nov. 1924; apud *Xenia thomistica* t. III, p. 600). [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] melius et amplius scripti quam in S. Thoma. [29] — ne plura consecter —. [30] omnes vires suas, esset penitus falsa et derelinquenda, iam eius magisterium esset pure et vere verbale, non reale, et nonnisi per aequivocationem vel irrisionem appellari posset magister, ad instar pharisaeorum de quibus lepide ait S. Ioannes Chry-

sostomus: Iesum vocant magistrum, cuius nolunt esse discipuli. [31] Qua in re omnino adhaereo his quae in disceptatione de Institutione sacerdotali dixerunt em.mi cardd. Rufini, Bacci et Caggiano, et exc.mi DD. Staffa et alii.

[*Subscripserunt etiam*] P. De La Fuente, prael. n. Batanes and Babuyan Islands; J. B. Velasco, ep. Amoy; D. Romoli, ep. Pescia; A. Torres, ep. Catamarca; X. Ariz, ep. tit. Bapara; R. Addazi, arch. Trani et Barletta.

6

EXC.MUS P. D. BOHDAN BEJZE

Episcopus tit. Idassensis, aux. Lodzensis

Illustrissimi Patres,

Educatio est maximi momenti problema vitae socialis. Semper et ubique verum apparet propositum, videlicet: ...[1] futurae societatum ...[2] res ex educatione iuventutis dependent. In mundo huius temporis iuventus praecipuas animosque perturbantes, periculosas difficultates experitur. De hac gravi crisi religionis, in qua iuventus nostra versatur, testimonium perhibet optimum e. g. nimis exiguus numerus vocationum ad sacerdotium, qui etiam apud societates iam diu christianas conspicitur.

Quae habet iuventus difficultates Concilium videre debet et in quantum hoc fieri possit, pariter tollere, eo modo v. g. ut Concilium indicia clara de re paedagogica praebeat. Ita enim Concilium iuventuti auxilio veniret atque etiam omnibus, quorum magni interest, ut res futurae mundi prospere eveniant.

Eiusdem gravitatis ac educatio ponitur problema institutionis seu formandi intellectus, problema nempe veritatis tradendae. Haud diu est, venerabiles Patres, et maxime motu oecumenico orto, cum momentum caritatis magis ac magis consideratur tamquam medium optimum ut vita christiana et universus orbis renoventur. Caritas *maximi aestimatur valoris.*[3] At cavendum est, ne veritatis gravitas minuatur. Iterumque dicendum est, quod veritas semper et ubique inaestimabilis remanet atque in mundo huius temporis causa gravis fractionis hominum, ex variis ideologiis ortae, ...[4] veritatis momentum in dies invalescit. Idem valet, quod clarius patet momentum formandi intellectus seu gravitas scholarum.

Quae cum ita sint, illustrissimi Patres, plane videtur, quaestioni de christiana educatione atque scholis catholicis dedicare schema in singulis rebus et praesentibus elaborandum oportet. Huius schematis ela-

boratio exigit cooperationem ab hominibus in rebus educationis ac eruditionis peritis una cum illis, qui diversis in regionibus inter iuventutem nostri temporis operam dant et igitur iuventutis difficultates et exigentias facile cognoscunt.

Illustrissimi Patres,[5] praeter ea quae dixi, attentionem meam in par. 9 et 10 in textu declarationis (vide pag. 13) adhuc dirigere velim. Proposita, quae ibi continentur, ...[6] omnino placent. Quod tamen non impedit, quominus declaratio « De educatione christiana » ...[7] in amplius schema evolvenda sit. Puto enim contentum paragraphorum de quo nunc agitur profecto placere omnibus, quorum magni interest, ut scientiarum progressus appareat atque vera concordia fidem inter et rationis exigentias fiat. Attamen aliquod supplementum textus necessarium esse videtur. Namque in par. 10 legitur primum, quod « scientias sacras et cum sacris connexas Ecclesia sibi carissimas habet »; verumtamen in sequenti proposito nihil aliud dicitur nisi, quod « a scientiarum sacrarum progressu multum exspectat Ecclesia ».

Procul dubio quidem Ecclesiae interest, ut non tantum ipsae scientiae sacrae progrediantur, verum etiam disciplinae cum scientiis sacris connexae, uti philosophia christiana, historia, archeologia etc. evidentem progressum adipiscant. Quarum scientiarum incrementum earumque divulganda cognitio hodie magni ponderis sunt. Multi namque nostri temporis homines veram scientiae revelatae cognitionem neglegunt. Quem neglectum plane demonstrat, e. g. nimis parva hominum frequentia in ecclesiis, ubi scil. diebus festis Evangelium praedicatur. Attamen fieri potest, ut homines isti in problemata Dei, *et animae immortalis,*[8] sese incumbant ante omnia ope investigationis mere rationalis. Huiusmodi enim investigationes faciunt philosophia christiana, historia et ceterae cum scientiis sacris disciplinae connexae.

Quibus attente perspectis, proponere audeo, ut in extremam par. 10 sequens vel simile propositum referatur, nempe: « Etiam philosophiae christianae, historiae aliarumque disciplinarum, quae cum scientiis sacris connectuntur, verum progressum Ecclesia sibi carissimum habet. Quae igitur disciplinae in animis hominum rerum divinarum studium excitant atque illos ad revelationem amplectendam praeparant ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in quantum homines influxum exercent in sortes singularum societatum necnon Ecclesiae, in tantum. [2] et Ecclesiae. [3] tanti aestimatur valoris, ut impossibilis omnis exaggerata notio et commendatio caritatis videantur. [4] necnon gratia motus oecumenici. [5] Patres conscripti. [6] mihi. [7] — mea sententia —. [8] animae immortalis, Ecclesiae.

Moderator: Loquetur nunc em.mus D. Decanus Sacri Collegii ut praeses Consilii Praesidentiae Concilii Oecumenici.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Quoad suffragationem schematis declarationis *de libertate religiosa* plures Patres exceptionem fecerunt quod congruum tempus datum non fuerit ad maturanda consilia, ad deliberationes capiendas attento praesertim quod novus textus, iudicio quoque secretariatus ad unitatem christianorum fovendam in relatione expresso, novam structuram exhibeat et nova enuntiet.

Re maturius perpensa, visum est consilio praesidentiae, negotium quod *Ordinem Concilii celebrandi* tangit non posse a congregatione generali per suffragationem decerni. Idcirco, idem consilium praesidentiae statuit, post auditam relationem, non esse procedendum ad suffragationem in hac Concilii sessione. Patres autem qui volunt suas animadversiones proponere, id faciant scriptis intra diem 31 ianuarii anni 1965.

7

EXC.MUS P. D. HONORATUS M. VAN WAEYENBERG
Episcopus tit. Gilbensis, aux. Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres et omnes praesentes hic,

Hucusque, complures ob rationes, diligentissime opportunum duxi me personalem et directam partem in decursu solemnium sessionum ...[1] Concilii vitare. Persuasam nam mihi erat sat multis Patribus maxima auctoritate fruentibus *etiam ex Belgio*[2] facultatem *nobis*[3] datam esse ut nobis sententias suas traderent. ...[4] Cum autem per annos fere 25 munere Rectoris Magnifici universitatis catholicae Lovaniensis functus sim et cum ab anno 1949 i. e. *a creatione*[5] foederationis internationalis universitatum catholicarum per 11 annos annuente Summo Pontifice Pio XII venerabilis memoriae eius praeses fuerim, congruens credidi quasdam animadversiones *sed cum consensu plurium episcoporum*[6] proprio nomine circa schema *de scholis catholicis* in cap. III de universitatibus catholicis proponere posse ...[7]

Sane, primum membris commissionis gratulari velim laborem praestitum. Nam hunc textum, mea humili opinione, uberiorem duco quam credi posset. Principia *mihi*[8] enim revocat quae continentur in litteris encyclicis, iure canonico, recentibus declarationibus Summorum Pontificum ...[9] Quae omnia dilucide ordinantur cum voto suscepto ut in codice iuris canonici, pressius et clarius exprimantur. Utique omnes legimus documenta de hac materia publicata a Summis Pontificibus inde

a Leone XIII usque ad Paulum VI in *Ecclesiam Suam.* Utile esset textus ...[10] excerptos hic citare sed ad hoc tempus deest. Refero *ad illam* [11] encyclicam quam prae oculis habetis; ex alia parte iuvat me illas eloquentes litteras revocare missas ab *illo magno* [12] Papa Pio XII conventibus Pax Romana annis 1952 et 1958 ex quibus paucas sententias in lingua authentica praelegam: « Cette mission de l'université qui rapproche les hommes et les peuples dans une pacifique collaboration des intelligences serait décevante si elle ne s'achevait en une progressive coordination des connaissances entre elles. La communion des esprits pourrait-elle se faire utilement hors de l'unité de la vérité? ...[13] Mission délicate, toute de fermeté et de discrétion, à laquelle nous convions spécialement nos universités catholiques, illuminées dans leur tâche par les splendeurs de la foi. ...[14] Il est bon de proclamer les véritables libertés de l'esprit et d'en assurer la protection contre toutes formes abusives de pressions politiques, sociales ou philosophiques. Vous aimerez, ce faisant, à montrer à quel point l'Eglise sert les progrès du savoir humain quand, fidèle à la mission de son divin fondateur de rendre témoignage à la vérité ...[15], elle garde tantôt ses fils de funestes abus de la liberté et tantôt revendique pour eux les justes franchises de la vie intellectuelle et le droit de connaître et de répandre ce qui est vrai » ...[16] « *Puis-je ajouter moi-même que la science reconnaisse les erreurs et se corrige parce qu'elle sait qu'errare humanum est, perseverare autem diabolicum. Et que ce n'est en cette matière pas seulement l'Eglise qui peut se trómper et se redresser comme elle a toujours fait. La science expérimentale n'oserait plus enseigner aujourd'hui ce qu'elle a soutenue il y a 60 ans, lorsque l'usage des forces électriques commençait à trouver des applications pratiques. Que dira-t-on dans un demi siècle de l'énergie nucléaire?* ».

Oblivisci non possum nonnullos venerabiles Patres in sessione diei 4 novembris in qua tractabatur problema de Ecclesia coram cultura dilucide attentos nos fecisse de variis aspectibus investigationis scientificae. Inter eos nominare possum exc.mos et rev.mos D. Talamas, De Provenchères, Zoa, Elchinger, Proana qui locuti sunt de natura indicationum de prudentia atque de libertate necessaria. Item schema de institutione sacerdotali mentionem facit de studiis universitariis. Et in hac disceptatione em.mus card. Léger et exc.mus D. Dant, mentionem fecerunt de foederatione universitatum catholicarum.[17] Ipse Summus Pontifex Paulus VI feliciter regnans die 3 octobris sessioni Academiae Pontificiae officium investigationis scientificae praescripsit ut in omnibus rebus veritatem detegeret simulque suggessit apertam ac sinceram cooperationem cum institutis etiam non *confessionalibus quae immensa* [18]

absque dubio viget in selectione sodalium, in compositione et in activitate istius academiae. *Talem conceptionem investigationis scientificae etiam exposuit Summus Pontifex cum recenter recepit delegationem congressus canceriologiae.*[19]

1. Prima animadversio mea spectat ordinem ac tenorem textus quem mallem clariorem, breviorem magis concretum. *Iam allatum est etiam emendatus minus placet ob nimiam partem universitatibus reservatum. Ob deficientes claras et momentosas considerationes e. g. de iure et officiis status ut iam dictum est ab aliis et de activitatibus et de existentia foederationis internationalis catholicarum universitatum etc. Plusquam magna instituta potest et debet ista foederatio in re scientifica audire non catholicos et immo non christianos possit ut clare exposuit em.mus card. Léger commissionis Concilii utilis esse per coordinatam cooperationem inter universitates cum plura libertate (non dico independentia)* [20] quin inutilibus restrictionibus refringatur. Vera et efficaci fiducia ...[21] maior fiet proventus eius in apostolatu scientifico qui differt ab inopportuno proselytismo. *Experientia docet melius imponderabilia etiam apostolica agere posse.*[22]

Secundo [23] optarem ut clarius exprimatur ius Ecclesiae, de facto nomine primaevi iuris parentum agentis *ut a Iesu Christo fuit dictum:* [24] « Euntes docete omnes gentes » *cum iure instituendi, fruendi, libere docendi* [25] ut cognoscatur et ametur ubique ille qui dixit: « Ego sum veritas » et quem S. Ioannes ...[26] ostendit « plenum gratiae et veritatis ».

Optamus tertio ut sint universitates numerosae sed magis adhuc in votum est ut sint dignae et seriae.[27] Institutionis universitariae cor et medulla semper est labor ipse absconditus, probus, protractus, inquisitionis acutissimae et perscrutationis indefessae realitatis, cuiusvis generis sit in ordine physico, historico, sociali, humano, immo divino. Si nostrae universitates non intendunt alumnos serie et probe instruere et formare personalem investigationem, ad considerationem fidelem et possessionem criticam realitatis *et* [28] veritatis *ad conscientiam plenam professionis exercendae* [29] non eveniunt nisi scholae secundariae, absque spiritu, absque methodo verae universitatis. *Quod* [30] verteret in magnum detrimentum pro Ecclesia quae illas institutiones ut suas commendaret. Tales e contra educi debent alumni ut vere respondeant *quaestioni* [31] iam allatae ...[32]

Moderator: Exc.me Domine, velis venire ad conclusionem, quia tempus tuum exhaustum est.

Orator: *Conclusio mea est quod non possum propter tempus attentionem exigere pro vero spiritu cantare sacrificii quod nos omnes debe-*

mus esse parati, laborare in hortu christianae vitae immo usque ad sacrificium vitae ut dederunt missionarii belgae in Congo. Puto, posse hic commemorare 20 socios congregationis Spiritus Sancti qui in Kongolo die prima 1962 fuerunt interfecti et puto etiam commemorare posse 2 socios passionistas belgas qui interfecti fuerunt die 23 octobris recente.[33]

Vere et sincere S. Sedi *devotissimus ob illum amorem Dei et animarum repeto et rogo* [34] ut Concilium consecrare dignetur ...

Moderator: Exc.me Pater, finias, quaeso.

Orator: ... hanc libertatem *in indagatione cuiusque scientiae qua anima frui debet hic* [35] qui bonum quaerens vera apostolica sollicitudine ducitur qua indagatio veritatis in omnibus rebus ornetur ...[36] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] huius. [2] deest. [3] deest. [4] Praeterea in memoriam revocare placet magnas partes quas habent exc.mi ac rev.mi episcopi Belgii necnon eruditissimi viri periti qui in nostris facultatibus docent. Iste honor nostro veteri Instituto tributus, nos utique gaudio sed etiam periculosa superbia replere posset. [5] ab initio. [6] deest. [7] Et eo maiore libertate quod exc.mi episcopi Belgii, approbante Summo Pontifice, me nuper ob legem aetatis ab omni officio in Universitate liberarunt. [8] deest. [9] nempe: uniuscuiusque ius ad institutionem mentis et animi; iura parentum et missionem Ecclesiae; momentum Catholicae universitatis et sua diffusio ab Ecclesia per totum orbem terrarum, dummodo adsint opes et viri periti; momentum sacrarum facultatum in universitate et earum salutaris influxus in ceteras facultates humanas et etiam sic dictas positivas; officium subsidiarium Status bene et efficaciter recognoscendi et adiuvandi institutiones liberas, condendi talia instituta quo deficerent; et stimulandi investigationem scientificam; mutuum auxilium universitatum catholicarum et generalis cooperatio earum etiam cum non-catholicis institutionibus praesertim in alta investigatione scientifica etc. [10] inde. [11] tamen ad recentem. [12] deest. [13] « Université, observions-nous naguère, ne dit pas seulement juxtaposition de facultés étrangères les unes aux autres, mais synthèse de tous les objets du savoir ... Et les progrès modernes, les spécialisations toujours plus poussées rendent cette synthèse plus nécessaire que jamais » (Discours à l'Institut catholique de Paris, 21 sept. 1950). A vrai dire, ils le rendent aussi plus difficile et plus fragile. Et l'université se doit de la préserver de deux écueils contraires. Le premier serait l'ingérence indue de l'Etat qui, outrepassant ses pouvoirs, prétendrait imposer à l'enseignement, pour des fins politiques ou idéologiques, l'unité factice d'une philosophie arbitraire. Mais, à l'inverse, l'université servirait mal sa mission en s'abandonnant au pluralisme ou à un syncrétisme superficiel; au seul plan de la connaisance naturelle, il lui appartient de dépasser la diversité des disciplines, de promouvoir une sagesse et de former la personnalité intellectuelle de l'étudiant: qu'elle se garde donc de faillir à sa plus haute mission, qui est de donner à de jeunes esprits le respect de la vé-

rité, de les guider vers les libres démarches indispensables à leur maturité intellectuelle. [14] elles seules peuvent poursuivre l'effort de synthèse jusqu'à la clef de voûte de l'édifice, car « cette unité ne tendra vers sa perfection que dans la mesure où elle se cherchera en Dieu, dans la charité éclairée par la science, selon la vérité unique de l'Evangile, sous la conduite de l'Eglise une et sainte ». Au service de la jeunesse étudiante, de telles universités, couronnées par l'enseignement de la philosophie chrétienne et de la théologie, seront des écoles de vérité; elles seront aussi des maîtresses de vie chrétienne, morale, civique et sociale » (*Acta Pii XII,* 12-8-1952, p. 729, vel etiam *L'Osservatore Romano,* 31-8-1958, p. 1: Message au 24e Congrès): [15] (*Io.* 18, 87). [16] C'est un fait que par l'autorité que vous confèrent votre culture et la compétence acquise dans votre profession, vous constituez pour votre entourage une question et une réponse (Discours du 27 avril 1957: *A.A.S.,* 49, p. 298) ... Et si l'on vous questionne, sachez répondre de votre foi. Que votre culture religieuse soit proportionnée à vos connaissances profanes, que votre charité soit toujours disponible aux besoins de vos frères ». [17] deest. [18] confessionalibus. Quae mens. [19] deest. [20] Sed si adsunt iterationes, quaedam momentosae considerationes deficiunt. Iura e. g. et officia Status etsi in relatione nominentur, minus dilucide exprimuntur quam in Litteris Encyclicis. Praeterea liceat mihi dolere quod, in proposito textu, ne mentio quidem facta sit de Foederatione Internationali Universitatum Catholicarum de qua supra. Et tamen, plus quam quodvis aliud institutum, nata est ut per orbem terrarum in re scientifica contactus habeat cum non-catholicis, immo cum non-christianis. Quare in votis est ut magis libera — non dico independens — agere possit. [21] quae ei convenit. [22] Perutile puto in memoriam revocare efficacem auctoritatem quam ob firmitudinem veritatis nixam, nostri sodales sibi conciliaverunt in Congressu Internationali Associationis Universitatum in civitate Mexicana a. 1950 habito. [23] 2) Deinde. [24] sed missione innitentis illi a D.N.I.C. data:. [25] Ex qua missione oritur illius ius instituendi, fovendi (testimoniis recognitis, subventionibus, libertate) libere docendi, dum in omnibus rebus et ubique efficiat. [26] in intio Evangelii sui nobis. [27] 3) Sane universitates catholicae non tam numerosae quam verae, authenticae, omnimode seriae exspectantur. [28] vel. [29] deest. [30] Et hoc. [31] descriptioni. [32] a Pio XII propositae: « Par l'autorité de votre culture et la compétence acquise dans votre fonction, vous constituez pour votre entourage une question et une réponse » (PIE XII, discours du 27 avril: *A.A.S.,* 49, p. 298). Labores in officinis in rebus quae pertinent ad scientias positivas, itemque disceptationes in scientias positivas, itemque disceptationes in scientiis sic dictis humanis, interdum efficere valent ut, per errores qui saepe illis investigationibus proprii sunt, aliquo modo mysteria quae nos circumdant revelentur. Em.mus D. card. Mercier, clarissimum exemplar vitae interioris, eruditissimus professor invitatus a Summo Pontifice Leone XIII ut partes sumeret in restauranda philosophia ad mentem divi Thomae, amantissimus Patriae in rebus asperis defensor, laudem tribuit errori quem vir scientiarum evertere et restituere conatur, statim ac conversio necessaria suspicatur. Quod supponit libertatem mentis in omni serena probitate et proinde necessitatem moralem cooperandi cum aliis doctis viris quin nimis strictae normae suffocent illos qui proprio nomine aliquid novi exquirere audent. Illa libertas agnoscit auctoritatem alienam et observantiam opinionum quae nituntur recta conscientia. Ex caritate christiana universitates nostrae tenentur eandem li-

bertatem observare dum beneficiis fruuntur quae ipsa vitae morali veri indagatoris praebet. Id decet cunctas veras universitates. En sensus exclamationis altissimi angoris S. Augustini: « inquietum est cor meum donec acquiescat in Te, Domine » (*Confess.* I, 1). Inde vera caritas scientifica hac norma, saepe S. Augustino tributa, exprimitur: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas ». Summus Pontifex feliciter regnans Paulus VI illam libertatem laudavit in litteris encyclicis suis *Ecclesiam Suam,* cum locutus est de dialogo cum christianis (p. 51 Libenter). Antiqua nostra universitas per plus quam quinque saecula, praesertim temporibus persecutionis, tribulationis vel destructionis, semper Ecclesiam defendit. Haec tamen fortitudo nunquam impedivit quominus perpetuo contactus haberet in isto spiritu verae caritatis quam oecumenicitas suadet. Qua in re universitas non debet considerari nec regi ut seminarium et distinctio haec semper prae oculos habenda est. In decursu nostrae historiae amplissimas distinctiones academicas contulimus eminentissimis viris, regibus ac principibus, summis Ecclesiae dignitatibus ac eruditissimis professoribus, in re politica praeclarissimis viris ac exercituum ducibus, immo et benefactoribus multis; tamen nunquam ab illis praevia fidei professio fuit expetita. Cum anno elapso, in conventu publico ac solemni, archiepiscopum anglicanum Cantuariensem, Doctorem Ramsey in universitate nostra excepimus, non dubitavi illum ex corde salutare et meo nomine orationem habere potuissem quam ille nobis edidit. Nonne hoc nuperrime hic laudavit in libertate scholarum in Brittania rev.mus D. Heenan, arch. Westmonasteriensis? [33] deest. [34] devotissimi, petimus et rogamus. [35] quo unusquisque animus frui debet. [36] Venerabiles Patres Conciliares, vobis locutus sum mente libera ac recta verecundia, absque ullo mandato. Quae hic protuli, meo nomine et unica mea parva auctoritate dixi.

Animadversiones additae:

P. 4, ad b) ultimam lineam. Puis-je ajouter moi-même que la science reconnaît ses erreurs et se corrige, parce qu'elle sait qu'errare humanum est perseverare autem diabolicum et que ce n'est en cette matière pas seulement l'Eglise qui peut se tromper et se redresser, comme elle l'a toujours fait. La science expérimentale n'oserait plus enseigner aujourd'hui ce qu'elle a soutenu il y a soixante ans, lorsque l'usage des forces électriques commençaient à trouver des applications pratiques. Que dira-t-on dans un demi-siècle de l'énergie nucléaire (Savannah)?

P. 4 ou 5. Oblivisci non possum nonnullos venerabiles Patres in sessione diei 4 novembris, in qua tractabatur problema de Ecclesia coram cultura, dilucide attentos nos fecisse de variis adspectibus investigationis scientificae. Inter eos nominari possunt exc.mi ac rev.mi DD. Talamas, episcopus Mexicanus, de Provenchères, ep. Aquensis, Zoa, ep. Yaundensis in Cameroun, Elchinger, ep. Argentoratensis, Proana, ep. Rivibambensis in Ecuador; qui locuti sunt de natura indagationum, de prudentia deque libertate necessaria, de possibilitatibus diffusionis, de analphabetismo in Africa et in America Latina, de sic dicto « imperialismo dogmatico »? Nihil prorsus aliud facere possum nisi illis gratias agere quam maximas: itaque ipse ego urgere non debeo. Item schema *de institutione sacerdotali* mentionem facit de studiis universitariis (n. 18).

P. 7. Et, si, rebus sic stantibus et mediis vel professoribus deficientibus,

impossibile videtur universitatem condere, consilium dare audeo quod, iam paucis annis elapsis, em.mis cardd. Frings et Cerejeira suggessi, de creatione Instituti extra Universitatem sed ei coniuncti, pro scientiis religiosis, pro scientiis socialibus ad mentem encyclicarum, ac pro philosophia, ad instar institutorum in quibusdam universitatum catholicarum iam existentium.

P. 8, in fine. Mihi hic liceat in memoriam revocare quae em.mus D. card. Wyszyński dixerit de obligatione quae incumbit societatibus scientificis et Ecclesiae (i. e. ergo seminariis et universitatibus) ut studiis et commentariis melius intelligantur magnae Litterae Encyclicae Summorum Pontificum, praesertim novissimorum temporum. Satis dictum erit de caritate christiana, sed minus dictum est eam caritatem christianam praesupponere iustitiam socialem et internationalem ut affirmant inde a Papa Leone XIII omnes Encyclicae sociales. Quae iustitia socialis implicat non solum saniorem repartitionem bonorum et earum rerum ad vitam necessarium, sed etiam — nec minus — veram observantiam, ex amore, dignitatis humanae in persona eorum hominum qui sunt pauperrimi et eheu miserrimi. Quem amorem nuper actu generosissimo exaltavit Summus Pontifex, obediens doctrinae saepissime a Domino Nostro Iesu Christo prolatae.

Si, in actione sociali ut vocatur, mihi licet evocare quae mihi propria fuerunt, liquido scio quanti momenti fuerint activitates ut v. g. « Iuventus Operaria Christiana » (I.O.C.) de qua hic locutus est eius Praeses Internationalis, et Actio « Patronum Christianorum ». Quibus operibus nascentibus in nostra patria adesse et incipientibus operam praestare mihi feliciter contigit. Si de iis loqui audeo, memorare volo conditores harum consociationum ut est vel erant v. g. pro I.O.C. Rev.mus D. Cardijn et amicissimi mei, qui in Dachau martyrium subierunt, Fernandus Tonnet et Paulus Garcet, ut, ex altera parte, promotores Patronum Catholicorum, v. g. Leo Bekaert defunctus. Illi auctores operum ut fundamentum ponere intenderunt vitam spiritualem interiorem tamquam animum omnis apostolatus, « L'âme de tout apostolat » ut scripsit Dom Chautard.

Quo spiritu duci debet vera catholica Universitas et puto, pro Universitate Catholica Lovaniensi et pro Universitate Lovanium ab ipsa in Leopoldville (Congo) fundata, confirmare posse se magis magisque spiritu veritatis, sub tutela Patronae suae « Sedis Sapientiae », nullam molestiam invenire si, ut agricola et operarius, clare et firmiter proclamant fiduciam et fidem: in protectionem et directionem Sancti Spiritus per Providentiam ut hic asseruit em.mus card. Döpfner; in Ecclesiam unam sanctam catholicam et apostolicam; in traditionem antiquam adorationis et visitationis Sanctissimi Sacramenti non tamen quasi absconditi in quadam ignota parte Ecclesiae; in venerationem Beatae Mariae Virginis per non ridiculam, ut quidam moderni fideles aiunt, recitationem Rosarii, quam nobis etiam expostulavit recenter pro Polonia em.mus card. Wyszyński; in veram caritatem christianam quam Ecclesia tam ad intra quam ad extra coli vult ab omnibus per totum orbem terrarum. Recordari mihi sit adhuc venia, quia tam facile obliviscamur, exemplum datum a viginti sociis Congregationis Sancti Spiritus ex nostra regione, inhumaniter die 1 ianuarii 1962 in Kongolo interfecti. Gratia et honor a Deo mihi data fuerunt duos ex illis per ordinationem in sacerdotium introducere. Iuvat me illorum episcopum, quondam meum alumnum, S. Exc. mons. Bouve fraterne et cum respectu hic praesentem consalutare.

Recordor etiam illos duos Patres Passionistas Belgas, die 23 octobris elapsa, in Katako-Kombu trucidatos.

Recordor tantos et tantas in Kongo et in aliis regionibus terrae crudeliter interfectos.

Nimis fortasse hic mensura amoris erga Deum et erga Beatam Mariam Virginem explorata fuit: ipsi et ipsae proclamare actibus suis potuerunt quod asseruit S. Augustinus: « Mensura amoris est amare absque mensura ».

Secretarius generalis: Patres venerabiles, velitis audire attente. Crastina fiet suffragatio finalis schematis *de Oecumenismo*. Attamen lego folium quod vobis nunc distribuitur, parcite nobis, non est typis impressum. Est tantum dactylographice scriptum propter sollicitudinem quam debemus ferre in his rebus. In hoc folio ita legitur: « Praeter emendationes iam introductas iuxta modos a Patribus conciliaribus acceptos, etiam quae sequuntur introducta sunt ad maiorem claritatem textus, a secretariatu ad christianorum unitatem fovendam, qui hoc modo excepit suggestiones benevolas auctoritative expressas ».

Mutationes hae sunt. Postea vos videbitis in folio et introducetis in textu quem certissime domi habetis.

Pag. 5, lin. 5 (lego fortius quae mutata sunt ita ut iam nunc intelligere possitis).

Pag. 5, lin. 5: « discipuli *quidem* Domini *omnes se esse profitentur ac* diversa sentiunt ... etc. »

Pag. 5, lin. 20: « *Fere* omnes tamen ... ».

Pag. 7, lin. 35: « ad unicam Christi Ecclesiam *iure* pertinent ».

Pag. 8, lin. 5: « quae Ecclesiae *catholicae* concredita est ».

Pag. 8, lin. 15: « Qui populus ... quamvis *in membris suis* peccato obnoxius maneat ».

Pag. 8, lin. 21: « afflante Spiritus Sancti *gratia* ».

Pag. 9, lin. 15: « cum utrumque *ex Dei mirabili dispositione* procedat ».

Pag. 9, lin. 40: « Divitias Christi et *virtutum opera* ».

Pag. 10, lin. 3: « quaecumque Spiritus Sancti *gratia* in fratribus seiunctis efficiuntur ».

Pag. 19, lin. 7: « in *Occidente* ortae sunt ... ».

Pag. 19, lin. 26: « particulares ... ab ipsis Apostolis *ortum habere gloriantur* ».

Pag. 20, lin. 5: « ex Virgine *Maria* incarnato ... ».

Pag. 20, lin. 11: « propter defectum *etiam* mutuae comprehensionis ».

Pag. 20, lin. 14: « plenae communionis *optatae* ».

Pag. 21, lin. 6: « ut Catholici *frequentius* accedant ».

Pag. 21, lin. 21: « totius Ecclesiae, *facultatem* habere se ... ».

Pag. 21, lin. 33: « formulae *non raro* potius inter se compleri ... ».

Pag. 23, lin. 23: « *Spiritum Sanctum invocantes* in ipsis Sacris Scripturis Deum *inquirunt quasi* sibi loquentem in Christo ... ».

Pag. 24, lin. 13: « *genuinam atque integram substantiam* Mysterii Eucharistici ».

Bene, hae omnes emendationes vel praecisationes vobis videre erit in fasciculo qui distribuetur crastina et est in typographia. Attamen iam nunc introducetis in textu quem habetis ita ut meditari possitis et votum ferre crastina super totum caput cum his modificationibus vel clarificationibus introductis. Gratias. Rogamini Patres ut vestris locis stetis quia imminet suffragatio praeliminaris circa schema quod nunc discutitur nempe an transitus fieri debeat ad suffragationes particulares. Gratias.

Exc.mus P. D. IULIUS VICTOR DAEM

Episcopus Antverpiensis

Conclusio disceptationis

Venerabiles Patres,

Gaudeo quod mihi liceat quaedam verba facere in fine huius serenae et apertae disceptationis circa declarationem *de educatione christiana.* Certus sum mentem commissionis interpretari, gratissimum exprimendo animum pro optimis vestris animadversionibus. Ante omnia autem sinatis me in memoriam vestram revocare quod titulus primi et secundi schematis atque etiam schematis propositionum, et quidem nobis impositus, erat *de scholis catholicis,* non autem *de educatione christiana.* Non mirum igitur quod in declaratione praesertim agatur de scholis.

Liceat mihi quasdam difficultates nunc brevissime vobis exponere et postea solutionem quae nobis melior videtur proponere.

Patres in disceptatione varias animadversiones proposuerunt quarum aliquae multum favebant schemati, aliquae e contra minus favorabiles erant. *Hoc consistit magnam difficultatem attamen* [1] omnes illae animadversiones vere fundamentum habent et plures ex illis in nostra commissione iterum atque iterum consideratae sunt et revera, illarum causa, commissio nostra loco schematis propositionum aliquam meram declarationem conficiendam censuit.

Difficultas quas tam diversae animadversiones constituunt, [2] quas brevitatis causa non *enumerabo* [3] manifestant quam diversus sit rerum status in diversis mundi partibus, ita ut, sicut optime notaverunt plures

episcopi ex Statibus Foederatis et ex aliis nationibus, non conveniat Concilio documentum completum exarare, sed melius sit brevem declarationem facere et fusiorem tractationem huius tam magni et intricati problematis ad commissionem post-conciliarem remittere. Haec commissio, cum auxilio peritorum, etiam laicorum, ex diversis mundi partibus, poterit documentum quasi completum apparare in quo imprimis tractari poterunt omnia argumenta a Patribus indicata et ea evolvi ratione habita aliorum documentorum Concilii, ita ut orientationes pro educatione christiana habeantur vere aptatae nostri temporis exigentiis.

Hoc non impedit quominus iam nunc in ipsa nostra declaratione ea quae maioris momenti sunt inserantur secundum desideria a Patribus expressa ...[4]

Quare, venerabiles Patres, haec est nostra propositio:

1) Sicut in prooemio declarationis iam dicitur, remittatur ad commissionem post-conciliarem praeparatio documenti magis completi de educatione christiana quod exigentiis nostri temporis vere satisfaciat atque inserviat conferentiis episcoporum ad problemata de educatione et de institutione christiana in singulis nationibus consideranda et dirimenda.

2) Interea, venerabiles Patres, acceptetur praesens schema tamquam basis pro ulteriore et perfectiore labore nostrae commissionis. Si enim hoc schema *declarationes*[5] reicitis, commissio redibit ad statum quo erat ante duos annos et non poterit scire quid Concilium velit quia *non paucae*[6] animadversiones in hac disceptatione a Patribus propositae inter se opponuntur.

3) Vestrum erit post acceptationem schematis in suffragiis ad singulas propositiones modos indicare secundum quos desideratis ut singulae propositiones corrigantur vel perficiantur ita ut commissio perpolitam declarationem in proxima sessione vobis proponere possit, quod vestris desideriis plene satisfaciat. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Etenim, e. g. quidem Patres maximum momentum scholarum catholicarum illustraverunt dolentes quod argumentum de scholis catholicis minus appareat in praesenti declaratione *de educatione christiana*. Alii e contra affirmaverunt momentum scholarum catholicarum diminutum esse et magis in dies vires convertendas esse ad influxum exercendum in publicis scholis quae in pluribus nationibus frequentantur a maxima parte puerorum et iuvenum catholicorum. Quidam Patres petiverunt ut fortius et clarius in schemate affirmetur quod Status subsidia oeconomica omnibus scholis et propterea etiam scholis catholicis dare debeat. Alii e contra, et hoc saepe accidit in nostra commissione, petiverunt ut haec obligatio Status modo magis discreto

affirmaretur, sicut in schemate fit, ne in certis nationibus auctoritates offendantur et status scholarum catholicarum difficilior evadat. Hae difficultates et multae aliae. [3] enumero. [4] v. g. melior descriptio educationis christianae cuius scopus specificus sit formatio ad fidem personalem; introductio spiritus missionarii et oecumenici in totum opus educationis; latior enucleatio missionis primariae familiae in educatione; indicatio fundamenti iuris Ecclesiae ad scholas condendas; maior determinatio iurium tum parentum tum societatis civilis; participatio totius communitatis christianae operi educationis; apta praeparatio magistrorum sive sacerdotum sive religiosorum sive laicorum; diligens cura ut qui in scholis catholicis student vere fiant, sicut iam in schemate dicitur, spirituale « veluti fermentum » totius humanae communitatis et « fidei testes » in mundo exsistant. [5] deest. [6] deest.

Moderator: Agimus gratias maximas exc.mo relatori pro sua relatione initiali et finali, etiam commissioni pro labore strenuo.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, vobis proponitur suffragatio praeliminaris circa schema declarationis *de educatione christiana.* An placeat Patribus, ut post disceptationem schematis declarationis *de educatione christiana* transeatur ad suffragationem faciendam. Votum est *placet* vel *non placet*. Gratias.

SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA *

Textus prior

Pag. 29

DECLARATIO PRIOR DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

25. Huius declarationis momentum neminem fugit, qui attendere velit, quantum recta libertatis religiosae consideratio conferat ad contactus et relationes sereno et pacato animo instaurandos inter Christianos; huiusmodi enim consideratio est condicio omnino necessaria ut dialogus oecumenicus haberi possit.

N. 26, pag. 29, linn. 9-15

26. [*Natura libertatis religiosae describitur*]. Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati officium et honorem habent ut, secundum dictamen

Textus emendatus

DECLARATIO DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

I. LIBERTATIS RELIGIOSAE GENERALIS RATIO

1. [*Rerum status hodiernus*]. Dignitatis personae humanae hac nostra aetate homines magis magisque conscii fiunt.[1] Exigunt libertates civiles, ut possint in societate vitam agere homine dignam. Itemque postulant iuridicam limitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis personalis nimis circumscribantur. Quae libertatis postulatio maxime ea respicit, quae ad religionem spectant. In permultis publicis civitatum constitutionibus civium libertas in re religiosa instituta est tamquam stabile regimen.[2]

Libertas religiosa communiter hodie intelligitur esse verum ius, in dignitate humana fundatum, quod debet in iuridica et politica compositione societatis ita agnosci, ut ius civile

* Hic fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 124, die 17 novembris 1964.

Textus prior

conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur. Inde exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem suam privatim et publice exercere valent nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt. Haec libertas religiosa postulat ut in humana societate condiciones necessariae promoveantur, in quibus omnes, vel singillatim vel in coetibus religiosis coniuncti, vocationi divinae libere et integre respondere possint.

N. 26, pag. 29, linn. 16-20

Per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est, quasi falsum et verum posset aeque aestimare, vel ab omni erga Summum Numen obligatione solutus esset, vel ipsi officium non incumberet rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi, vel sibi pro libito statuere valeret utrum et in qua religione Deo servire velit.

Textus emendatus

evadat. Percipitur insuper esse ius, secundum quod homines debent liberi seu immunes esse a coercitione ex parte hominum et cuiusvis potestatis mere humanae, non solum in sua conscientia efformanda de re religiosa, sed etiam in religionis libero exercitio. Quod quidem exercitium religionis agnoscitur liberum esse debere duplici sensu, ut scilicet in re religiosa nemo cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam agat, intra limites qui certa norma morali et iuridica determinantur. Denique intelligitur tutelam huius iuris tum ad singulos homines tum maxime ad potestates publicas pertinere.

Per hanc igitur iuridicam libertatis religiosae notionem, quae nostra aetate generatim agnoscitur, nullatenus significatur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut a Dei potestate emancipari. Non enim concipitur ac si persona humana falsum et verum possit aeque aestimare, vel ipsi officium non incumbat formandi veram sibi de rebus religiosis sententiam vel arbitrario statuere valeat utrum, in qua religione et quanam ratione Deo servire velit.[3]

2. [*Quaestio historica*]. Patet igitur libertatem religiosam hodie non eodem modo ac olim considerari. Revera saeculo decimo nono in multis nationibus invalere coepit ideologia, laicismus nuncupata.[4] Nitebatur in placito rationalistico de absoluta autonomia individualis rationis humanae, secundum quod homo est sibi ipsi lex et Deo nullatenus subiicitur.[5] Ex hoc placito philosophico derivata est quaedam notio libertatis religiosae, in qua omnimodus relativismus atque indifferentismus in re reli-

Textus prior

Textus emendatus

giosa latebat.[6] Hanc libertatis religiosae notionem eiusque praemissam philosophicam Ecclesia reprobavit. Componi enim non potest notio haec cum dignitate humana, quae maxime consistit in eo, quod homo, ad imaginem Dei factus, Deum vivum et verum cognoscat Eique soli serviat.[7]

Porro cum placito philosophico laicismi cohaerebat placitum politicum de omnipotentia status etiam in re religiosa.[8] Hoc placito innixi, non pauci tunc temporis moderatores reipublicae legale libertatis religiosae regimen statuebant, quo Ecclesia Catholica intra ipsum ordinem temporalem ita a statu concludebatur, ut esset omnipotenti status potestati subiecta.[9] Reprobavit Ecclesia hoc regimen eiusque praemissam politicam. Gravissime enim violant Ecclesiae nativam libertatem. Praeterea componi cum hominis libertate in societate non potest affirmatio totalis autonomiae potestatis publicae sine modo sine lege, cum quo totalitarismus hodiernus intime connectitur.[10]

Utraque haec damnatio, olim lata, hodie manet integra et immutabilis.[11] Mutantur tamen tempora et ideologiae. Etenim his nostris diebus hoc rude rationalismi genus, quod saeculo decimo nono proprium fuit, iam gravioribus erroribus locum fere cessit. Quod maius est, ex eo tempore totalitarismus status, libertati humanae prorsus infensus, in multis orbis regionibus praevalere coepit. Praeterea Ecclesia, novis problematibus exsurgentibus et perspectis, e principiis, quae semper eadem manent in suo sensu et sua sententia, ampliorem doctrinam de re sociali et civili continuo evolvit, de thesauro suo proferens nova et vetera. In hac doctrina firmius in dies persona humana asseritur esse et esse debere totius vitae socialis fundamentum, finis, subiectum.[12] Itemque

Textus prior

Textus emendatus

in luce ponitur hominem, prout est persona, officiis teneri iuribusque gaudere, quae exsurgunt e suiipsius natura.[13] Hoc valet in omnibus partibus vitae atque activitatis humanae, ac praecipue in iis, quae ad religionem spectant.[14] Tandem clarius in dies affirmatur, praecipuum potestatis publicae munus in eo esse quod omnium civium naturalia iura tueatur, colat, vindicet.[15]

Cum historiae decursu igitur exorta est nova quaedam quaestio de libertate religiosa. Hodie enim agitur de observanda conservandaque dignitate personae humanae ac proinde de efficaciter tuendis eius iuribus, quorum primum est hominis ius, ut sit in re religiosa immunis a coercitione, praesertim ex parte potestatis publicae.[16]

N. 26, pag. 29, linn. 21-25

His prae oculis habitis, Sacra Synodus, dum hominum a Deo dependentiam affirmat, libertatem simul in societate circa res religiosas ab omnibus ubique terrarum agnoscendam et observandam esse hac declaratione manifestare intendit.

3. [*Declaratio*]. His positis, haec Sacra Synodus hac sua Declaratione exponere intendit quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat. Primo affirmat et docet, iuxta constantem Ecclesiae doctrinam, non liberum esse unicuique homini quam quisque maluerit sequi in vita religiosa sententiam, sed unam religionem veram esse, quam Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi per Filium suum incarnatum revelavit atque Ecclesiae custodiendam et omnibus hominibus evangelizandam tradidit; homines vero gravi teneri officio veritatem in re religiosa inquirendi et cognitam sectandi. Insuper declarat haec Sacra Synodus, hanc catholicam de unica vera religione doctrinam nullatenus adversari libertati humanae et civili in vita religiosa ducenda. Veritas enim evangelica est in societate humana fermentum, quod plura honestae libertatis beneficia per saecula protulit; praeterea Eccle-

Textus prior

Textus emendatus

siae doctrina de hominis dignitate, quatenus ex ipso rationis fonte depromitur, libertatem civilem in re religiosa firmiter sustentat et commendat.

Cum igitur Ecclesiae incumbat munus, ut honestae hominis in civitate libertati patrocinetur eamque sua doctrina atque auctoritate roboret, haec Sacra Synodus declarat regimen iuridicum hodiernum libertatis religiosae, quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, esse in se honestum et vere necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis dignitatem et personalem et civilem. Affirmat insuper libertatem religiosam, sensu iam descripto, esse verum ius, in ipsa dignitate personae humanae fundatum, quod omnes homines omnesque communitates religiosae possunt sibi legitime vindicare.[17]

N. 29, pag. 30, linn. 34-37

29. [*Religiosa personae libertas in societate*]. Libertatem religiosam non tantum a Christianis et pro Christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse Ecclesia catholica asserit.

II. Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta

N. 29, pag. 31, linn. 21-26

Quum libertas religiosa elemento essentiali privaretur et inanis evaderet, si publice exerceri non posset, ab Ecclesia catholica vindicatur non tantum libertas opinionis, nec tantum libertas adimplendi ritus propriae religionis, sed verum propriumque personae ius ad servanda et testanda officia sua privata et publica erga Deum et homines, sive singulares sive collective sumptos,

4. [*Fundamenta libertatis religiosae*].

a) (*Integritas personae*). Homo, qui persona est, natura sua est socialis. Proinde in eius activitate aspectus socialis inseparabiliter connectitur cum aspectu interiore. Ergo iniuria homini fit, si quis interiorem hominis personalem libertatem in re religiosa agnoscat, simulque ei liberum in societate religionis exercitium deneget. Hoc modo enim violaretur ipsa integritas personae. Nexus inter libertatem interiorem et eius manifestationem socialem est omnino indissolubilis. Libertas religiosa est una, indivisa et indivisibilis, uni subiecto integre sumpto inhaeret, et ad duo simul spectat: nempe ad libertatem interiorem seu conscientiae et ad liberum exercitium religionis.

Textus prior

Textus emendatus

b) (*Inquisitio veritatis*). Homo habet officium et ius quaerendi veritatem. Veritatem autem quaerere, eique iam inventae firmiter adhaerere tenetur humano modo, libera scilicet inquisitione atque assensu personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem inter homines, in qua alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel se invenisse iudicaverint.[18] Quae omnia maxime valent de veritatibus in re religiosa. Quare ad debitam hominis libertatem religiosam pertinet ut non impediatur in suis persuasionibus de re religiosa in dialogo exponendis.

N. 29, pag. 30, lin. 38 - pag. 31, lin. 6

Vocatio enim divina, quae homini iter ad Deum et ad salutem in Deo assequendam aperit atque praescribit, maximam revera personae humanae dignitatem constituit. Quapropter in sociali convictu libertas sequendi hanc vocationem sine ulla imposita vel impediente coactione cum maximum et unicuique proprium bonum tum aliarum libertatum fundamentum ac tutelam constituit, atque ideo ab unoquoque tamquam verum strictumque ius erga eos quibuscum vitam degit habenda et observanda est.

c) (*Indoles religionis*). Ex ipsa religionis indole, exercitium eius consistit primario in actibus interioribus prorsus voluntariis atque liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat, eo quidem animo ut suam necessitudinem ad Deum agnoscat et debita oboedientia adhaereat voluntati divinae. Actus autem religionis interiores sua ipsorum indole, quae cum natura sociali hominis cohaeret, in actus exteriores prodeunt. Exinde sequitur quod homo ius habet, ut in sua religione publice exercenda immunis sit a coercitione sive legali sive sociali.

N. 29, pag. 31, linn. 7-20

Huius autem vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina, quae est aeterna, obiectiva, absoluta, universalis. Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam ut se libere ei conformare valeat.

Homo tamen dum his in terris vitam degit, voluntati Dei obtemperare potest tantummodo

d) (*Conscientia humana*). Suprema humanae vitae norma est lex divina, quae est aeterna, absoluta, obiectiva, universalis. Homo autem legi divinae obtemperare tantummodo potest, secundum quod illam sui ipsius conscientiae dictamine percipit. Neque finem suum ultimum consequi potest, nisi certa conscientiae iudicia, mediis adhibitis idoneis, sibi pru-

Textus prior

prout legem divinam sui ipsius conscientiae dictamine percipit, et finem suum ultimum obtinere nequit nisi iudicium conscientiae sibi prudenter efformando eiusque dictamen fideliter sequendo. Ideo qui conscientiae suae sincere oboedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, oboedit et honore dignus aestimandus est. Si quis igitur, quantumvis conatus sit recte videre quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen.

Textus emendatus

denter efformet et his dictaminibus fideliter oboediat. Inde sequitur principium morale absolutum, quod vetat, ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam.[19] Hisce autem nostris diebus, aucto sensu dignitatis humanae, personalis et civilis, aliud insuper exigitur, ne scilicet quis in societate humana impediatur, maxime a potestate publica, quominus agat in re religiosa secundum suam conscientiam, salvo ordine publico, qui partem essentialem totius boni communis constituit. Quae quidem exigentia est prorsus rationi consentanea et homine digna.[20]

N. 30, pag. 33, linn. 4-7

Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident, ideoque non possunt Communitates religiosas temporalibus finibus reipublicae subordinare.

e) (*Moderatio civitatis*). Actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex intima sententia personali ordinant, temporalem et terrestrem rerum ordinem transcendunt. Ideo in his actibus ponendis homo non subest potestati civili, cuius competentia ob ipsum eius finem ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur,[21] et cuius potestas legifera solummodo ad actus exteriores extenditur.[22] Potestas ergo publica, quae de interioribus actibus religiosis nequit iudicare, nequit pariter publicum religionis exercitium coercere aut impedire, salvis tamen exigentiis ordinis publici. Libertas debet homini agnosci quam maxima fieri potest ac non restringenda est nisi in quantum est necessarium.[23] Ipsa omnino limites suos excedit, si in regimen animorum aut in curam animarum sese quovis modo immisceat.[24]

N. 29, pag. 31, linn. 29-40

Exercitium iurium in re religiosa propter naturam socialem hominis limitatum est et eam mensuram excedere non potest sine qua nec

5. [*Limites libertatis religiosae*].

a) (*Norma moralis*). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque quibusdam normis limitantibus ob-

Textus prior

dignitas essentialis personae humanae illaesa maneret, nec re vera possibilis esset societas hominum qui, utpote libero arbitrio praediti et sequelis peccati originalis contaminati, errare possunt. Id exercitium limitari non licet nisi in quantum graviter contradicit fini societatis, qui constat complexu earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius et expeditius consequi[12] ac simul fideliter observare inalienabilia iura a Deo hominibus in communi tributa.

Si igitur in sensus religiosi manifestationibus usus inveniantur perversi, qui personae dignitati et iuribus aliorum clare noceant, populorum rectores secundum prudentiae regulas iis obstent oportet.

N. 29, pag. 32, linn. 9-14

Publicae rei moderatores ex alia parte tenentur ius personae ad libertatem in re religiosa efficaciter tueri ipsumque apte promovere. Reipublicae enim proprium est personae iura non tantum agnoscere et observare, sed etiam eorum exercitium facilius reddere et impedire quominus hominibus huiusmodi iura exercentibus difficultates ponantur.

N. 29, pag. 31, lin. 41 - pag. 32, lin. 8

Contra vero, publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus professionem vel

Textus emendatus

noxium est. Quarum prima est principium morale responsabilitatis personalis erga alios. Etenim in iuribus suis exercendis unusquisque debet rationem habere iurium aliarum personarum suorumque officiorum erga alios, quibuscum est ei agendum secundum iustitiam et humanitatem.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui perpetrari possint adducto titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestates publicas huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quae constituuntur exigentiis ordinis publici. Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis, quae committitur potestati publicae, ut praecipue vi coercitiva legis protegatur. Exercitium religionis in societate a coercitiva interventione status immune esse debet, nisi quando exercitium religionis graviter noceat ordini publico sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium civilium aliorum.

III. Consequentiae practicae [1

6. [*Cura libertatis religiosae*]. Inviolabilia hominis iura tueri praecipuum est cuiusvis potestatis publicae officium. Debet igitur potestas publica, per iustas leges, efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Itemque a potestate publica providendum est, ne civium aequalitas in ordinatione iuridica laedatur propter rationes religiosas.

Ex quibus sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum civibus imponere

0] *Textus prior*

reiectionem cuiuscumque religionis tamquam condicionem, qua plene vel partialiter vitae nationali et civili participare possint. Pariter haec libertas religiosa offenditur damnatione ad paenas propter rationes religiosas; atque etiam laeditur quando, religionis causa, peragitur spoliatio bonorum, privatio rerum quae ad vitam decentem requiruntur, negatio aequalitatis socialis et nationalis, recusatio accessus ad actus civiles et exercitii iurium fundamentalium quae, hodie praesertim, concorditer et universaliter agnoscuntur.

N. 30, pag. 32, linn. 33-37

His perpensis, haec Sacra Synodus declarat vim quamlibet ad religionem ipsam delendam sive in toto genere humano, sive in aliqua regione, sive in determinato coetu religioso, manifestissime et gravissime laedere voluntatem Creatoris et Salvatoris hominum, atque ipsa sacra personae humanae et familiae gentium iura.

N. 30, pag. 33, linn. 7-10

Quo magis autem societas civilis propitias suppeditat condiciones ad vitam religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis quae un-
1] dequaque proveniunt ex fidelitate hominum erga vocationem suam divinam.

N. 30, pag. 32, linn. 14-24

30. [*Libertas coetuum religiosorum in societate*]. Ius ad libertatem religiosam, quod singulis personis competit, etiam coetibus agnoscendum est. Hi enim constituuntur libera personarum voluntate, imperante conscientia; praeterea requiruntur sociali hominum natura et dignitate, ut ipsi religionem revera vivere possint.

Textus emendatus

professionem aut reiectionem cuiusvis religionis. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso. Immo vero huic Sacrae Synodo in votis est, ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur et efficaci tutela iuridica muniatur.[25] Quo magis enim societas civilis propitias suppeditat condiciones ad veritatem divulgandam vitamque religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[26]

7. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis, tum ipsius religionis requiruntur.

Textus prior

Ipsis igitur, intra supra dictos limites a fine societatis imponendos, ius competit ut secundum proprias leges sese regant, Deum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent easque institutiones promoveant, in quibus membra inter se adiuvent ad vitae activitates secundum sua principia religiosa ordinandas.

N. 30, pag. 32, lin. 38 - pag. 33, lin. 3

Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato tamen « proselytismo » quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur. Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient.

N. 29, pag. 31, linn. 22-28

... ab Ecclesia catholica vindicatur ... verum propriumque personae ius ad servanda et testanda officia sua privata et publica erga Deum et homines sive singulares sive collective sumptos, ad totam scilicet vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam in re fa-

Textus emendatus

Illis igitur iure debentur independentia et immunitas, ut secundum proprias leges sese regant, Deum cultu publico honoret, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa status impediantur in suis propriis ministris seligendis atque educandis, in communicando cum auctoritatibus religiosis in aliis orbis terrarum partibus degentibus, necnon in bonis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide, ore et scripto, publice docenda atque testanda. In fide autem religiosa spargenda et usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de pueris vel rudioribus agitur.

Tandem ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem valorem veritatis religiosae in ordinanda societate et in tota activitate humana dirigenda.

8. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam, sub moderatione parentum. Parentibus autem competit ius ad determinandam rationem institutionis

Textus prior

miliari, educativa, culturali, sociali, caritativa et in aliis humanae vitae activitatibus.

N. 30, pag. 32, linn. 25-32

Homines ergo qui, iuxta dictamen conscientiae suae in Ecclesia catholica fidem suam

Textus emendatus

religiosae liberis tradendae. Parentibus insuper a publicis potestatibus agnoscendum est ius eligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media. Propter hanc autem electionis libertatem non sunt eis iniusta onera imponenda.

9. [*Libertas associationis religiosae*]. Personae humanae ius inest ne a potestate civili impediatur quominus communitatem religiosam ingrediatur aut relinquat. Praeterea in natura hominis sociali atque in ipsa natura religionis fundatur ius, quo homines possint, salvis iuribus aliorum, conventus vel associationes ad fines religiosos, educativos, culturales, caritativos, sociales prosequendos sibi libere constituere.

IV. Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis

10. [*Libertas Ecclesiae*]. In bonis Ecclesiae, quae ubique semperque conservanda sunt ab omnique iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, tanta ipsam perfrui agendi liberate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec enim est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit. Atque adeo propria est Ecclesiae, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum faciunt. Iuxta totam traditionem catholicam, libertas Ecclesiae est principium fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae.[27]

Ecclesia sibi in societate humana et coram quavis potestate publica vindicat libertatem,

Textus prior

profiteri volunt, a rei publicae moderatoribus exspectare possunt et debent ut suae Ecclesiae libertas religiosa agnoscatur. Ipsi enim ius habent vivendi in societate quam libera voluntate elegerunt, quaeque ex ipsorum animi persuasione, a Deo volita et a Christo fundata est tamquam institutio sine qua integra vita christiana dari non potest, quandoquidem ad essentiam vitae christianae pertinet ut vivatur in populo seu in communitate instrumentis salutis praedita.

Textus emendatus [1

utpote quae est auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui soli ex divino mandato incumbit officium, ut in mundum universum eat atque evangelium praedicet omni creaturae (cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 10-20).[28] Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia, prout est etiam societas hominum divinitus convocata, quorum omnes et singuli in societate civili iure gaudent vivendi ad rationis conscientiaeque christianae praescripta.[29]

Iamvero ubi reapse viget hodiernum regimen libertatis religiosae, ipsa Ecclesia stabilem obtinet condicionem et iuris et facti plenamque independentiam in missione divina exsequenda, quae ei soli ex mandato Christi committitur.[30] Praeterea Christifideles iure civili gaudent ne impediantur in vita ducenda iuxta fidem catholicam. Concordia igitur datur inter libertatem, quam Ecclesia sibi mandato Christi vindicat, et libertatem religiosam illam quam Ecclesia postulat pro omnibus hominibus et communitatibus ut verum ius, ipsius rationis lumine comprobatum.

N. 28, pag. 30, linn. 27-33

Ecclesia catholica praecipit ne ullus invitus cogatur ad amplexandam fidem catholicam. Quae traditionalis norma Ecclesiae pro unaquaque persona valet et ab ipsa natura actus fidei postulatur. Homo enim a Salvatore redemptus et « in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 5) vocatus, revelationi divinae adhaerere non potest nisi ex una parte Pater traxerit eum et ex altera rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium.

11. [*Libertas fidei*]. Doctrina fundamentalis catholica est, in verbo Dei contenta et a Patribus constanter praedicata,[31] hominem habere veram responsabilitatem in credendo, neminem tamen invitum esse cogendum ad amplexandam fidem catholicam.[32] Etenim ipsa sua natura actus fidei christianae liber est. Namque homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus (*Eph.* 1, 5), Deo sese revelanti adhaerere non potest, nisi Pater traxerit eum (*Io.* [
6, 44) et rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Unde etiam sequitur,

Textus prior	*Textus emendatus*
	quod fides eo magis est genuina, quo magis libera est et personalis.

Indoli ergo fidei christianae oppositum est quodvis in re religiosa genus coercitionis ex parte humanae potestatis. Ideo in regimine libertatis religiosae condiciones dantur, in quibus exigentiae doctrinae catholicae in hac materia observantur.

12. [*Doctrina evangelica*]. Libertas religiosa, prout hodie intelligitur, altas radices habet in verbo Dei. Libertas, quam Christus praedicavit, donum Dei est quo homo, liberatus a lege peccati (*Rom.* 8, 2), directe ordinatur ad Deum Patrem per Iesum Christum (*1 Cor.* 8, 6). Libertas autem religiosa a societate postulata innititur in dignitate personae, ad quam Christus semper spectavit in conducendis hominibus ad perfectam libertatem filiorum Dei.

Etenim Iesus, qui Christus et Dominus est (*Act.* 2, 36) idemque mitis et humilis corde (*Mt.* 11, 29), in ministerio suo peragendo discipulos allexit quidem et invitavit, numquam vero coegit (*Mt.* 4, 19; 11, 28-30; 19, 16-22; *Io.* 6, 68). Miracula fecit ut auditores fide verbo suo adhaererent; tamen consulto prodigia illa patrare iterum iterumque renuit, quibus homines ad assentiendum quodammodo cogerentur (*Mt.* 12, 38-39; *Io.* 6, 30-33). Revera Satanas huiusmodi prodigia proposuit Christo, tentans Eum (*Mt.* 4, 5-7); [33] Iudaei pariter talia signa petebant (*Lc.* 11, 16; *Io.* 2, 18): quae omnia recusavit Iesus (*Lc.* 11, 16 ss.; *Io.* 4, 48). Respuit prodigia illa quae violentiam redolerent, ut quando Apostoli, a Samaritanis non recepti, Ei proposuerunt: « Domine, vis dicimus ut descendat ignis de caelo et consumat illos? », quemadmodum tempore Eliae prophetae factum est. Severe eos

Textus prior

Textus emendatus

increpavit Dominus dicens: « Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare » (*Lc.* 9, 54-56). Christus semper fuit ille perfectus Servus Yahweh (*Is.* 42, 1-4) qui harundinem quassatam non confringit neque linum fumigans extinguit (*Mt.* 12, 20). Venit ut ministraret (*Mc.* 10, 45) et ut testimonium perhiberet veritati (*Io.* 18, 37), quod tandem summopere praestitit sanguine suo. Exaltatus a terra, omnes vi amoris traxit ad seipsum.

Quod Christus fecit et docuit, Apostoli secuti sunt. Ab ipso Ecclesiae initio discipuli Christi laboraverunt ut homines ad Deum converterent non per actionem coercitivam nec per artificia inhonesta, sed per virtutem verbi Dei. Sicuti Christus, Apostoli quoque intenti fuerunt, ut testimonium redderent veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « sine timore verbum Dei loqui » (*Phil.* 1, 14; *Act.* 4, 13-20). Firma fiducia tenebant, ipsum evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti (*Rom.* 1, 16). Omnibus ergo spretis « armis carnalibus », exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi in divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas et homines ad fidem et obsequium Christi reducendos (*2 Cor.* 10, 3-5).

Iuxta mentem ergo Christi Eiusque principia agit Ecclesia, quando hodie, aucto in hominibus sensu propriae dignitatis, regimen libertatis religiosae tuetur, eique fovet pro pastorali sua erga libertatem humanam sollicitudine.

Textus prior

N. 27, pag. 29, lin. 26 - n. 28, pag. 30, lin. 26

27. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1) et omnes unanimes, uno ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Obsecrat igitur Ecclesia a filiis suis « primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4). Insuper ipsos hortatur ut, in sapientia ambulantes ad eos, qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae diffundere satagant auxiliis naturae et gratiae quibus ipse Dominus usus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonio perhibito veritati, etiam usque ad sanguinis effusionem.

28. [*Ad amplectendam fidem nemo cogatur*]. Dum vero discipuli Christi in statu viae sunt, cum officio veritatem annuntiandi et defendendi coniunctam semper et ubique habent obligationem agendi amanter, prudenter et patienter cum hominibus qui in erroribus circa fidem versantur. Etenim ab ipsis agnoscendus et admittendus est modus suavis et humanae naturae aptatus, quo Deus homines sensim ad suum amorem allicit. Respiciendum igitur est et ad officia erga verbum vivificans, quod praedicandum est, et ad iura personae et ad mensuram gratiae, quae a Deo tribuuntur homini qui ad fidem libere admittendam invitatur.

Textus emendatus

13. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1) et omnes uno animo et ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Obsecrat igitur Ecclesia, a filiis suis « primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam.[34] Dei enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut veritatem, quae Christus est, explicet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7), lumen vitae cum omni fiducia (*Act.* 4, 29) et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffun-

Textus prior

Haec est ratio cur Ecclesia filios suos hortatur ut, veritatem facientes in caritate, semper curent ut, dum homines ad fidem veram adducere conantur, ab ipsis assensus ne detur nisi cum plena libertate et sine animi reprehensione. Error reiciendus est, veritas praedicanda, intellectus illustrandus. In annuntianda autem veritate ab omni directa vel indirecta coactione abstinendum est.

N. 31, pag. 33, linn. 11-29

31. [*Libertas religiosa praesenti aetate*]. Postquam Sacra Synodus hac sua declaratione affirmavit personae humanae et Ecclesiae aliarumque Communitatum religiosarum ius ad libertatem religiosam in societate ubique et ab omnibus observandum esse, omnes huius aetatis homines denique adprecatur ut considerent quantopere libertas religiosa in praesentibus adiunctis agnoscenda et defendenda sit.

Textus emendatus

dere satagant auxiliis naturae et gratiae, quibus ipse Dominus unus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonio perhibito veritati.

Etenim discipulus gravi adstringitur officio erga veritatem Christi, ut eam nimirum plenius in dies cognoscat, fideliter annuntiet, strenue defendat. Simul tamen caritas Christi urget eum ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore circa fidem versantur.[35] Adhibendus est modus suavis et humanae naturae aptatus, quo ipse Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi homines sensim ad suum amorem allicit. Respiciendum igitur est tum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae iura personae, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem libere accipiendam et profitendam invitatur. Error reiiciendus est, veritas praedicanda, intellectus illustrandus, persona humana debita reverentia prosequenda.

14. [*Conclusio*]. Constat igitur praesentis aetatis homines, quacumque cultura imbuantur, magis in dies optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; patet etiam libertatem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari.

Non desunt tamen regimina in quibus, etsi in ipsa eorum constitutione ius ad cultum Deo praestandum agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus christifi-

Textus prior

Manifestum enim est genus humanum magis magisque in dies unum fieri, arctiores fieri relationes quibus homines diversae culturae et religionis inter se connectuntur, augeri apud omnes conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis, rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda. Pacifica cohabitatio et iusta concordia in familia humana hodie ut cum maxime dari non possunt, nisi ubique terrarum suprema et sanctissima Dei vocatio atque suprema hominum iura et officia ad vitam religiosam libere in societate ducendam observentur. Faxit igitur Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata sociali libertate religiosa in societate, per gratiam Christi et virtute Spiritus Sancti adducatur ad superiorem illam ac perennem libertatem « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 5, 1).

Textus emendatus

deles adhortatur et huius aetatis homines universos adprecatur ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis.

Manifestum est enim cunctas gentes magis magisque in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri relationibus, augeri conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, omnino requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur et suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societate ducendam observentur. Faxit igitur Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servato regimine libertatis religiosae in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimiorem illam ac perennem libertatem « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 5, 1).

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 279, ubi Summus Pontifex ad realitates hodiernas animadvertit: « At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri dignitatis suae conscios, atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria inviolabiliaque iura in publica civitatis disciplina serventur. Neque haec satis; nam homines nunc illud insuper poscunt, ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant ». Cf. *ibid.,* p. 265: « Illud praeterea humanae dignitas personae exigitur, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur. Quocirca, si de civium coniunctione agitur, est profecto cur ipse iura colat, officia servet, atque, in innumeris operibus exercendis, aliis sociam tribuat operam, suo praesertim impulsu

et consulto; ita scilicet ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientia agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis; quandoquidem, si qua hominum societas una ratione virium est instituta, ea nihil humani in se habere dicenda est, utpote in qua homines a libertate cohibeantur, qui contra ad vitae progressus, ad perfectionemque assequendam apte ipsi incitandi sunt ». **[18]**

Quod pertinet ad dignitatem illam civilem, secundum quam dignitas humana in publicum prodit; cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945) p. 14: « In un popolo degno di tal nome il cittadino sente in se stesso la coscienza della sua personalità, dei suoi doveri e dei suoi diritti, della propria libertà congiunta col rispetto della libertà e della dignità altrui ». Hoc loco commendat Romanus Pontifex etiam illud « ideale di libertà e di uguaglianza » (*loc. cit.*), quod in Statu democratico, iuxta sana rationis principia ordinato, obtineat necesse est, quodque postulat, ut hominis ius in societate ad liberum exercitium religionis plene agnoscatur, colatur, defendatur.

[2] GIANNINI A., *Le Costituzioni degli Stati del Vicino Oriente,* Roma 1931; PEASLEE AMOS S., *Constitutions of Nations,* New Jersey (USA) 1950; MIRKINE-GUETZEVITCH B., *Le Costituzioni Europee,* Milano 1954; ZAMORA A., *Digesto Constitutional Americano,* Buenos Aires 1958; LAVROFF D. G. ET PEISER G., *Les* **[19]** *Constitutions Africaines,* Paris 1963; STRAMACCI M., *Le Costituzioni degli Stati Africani,* Milano 1963.

[3] De conceptu libertatis religiosae, ut ab aliis Christianis intelligitur cf. documenta Consilii Mundialis Ecclesiarum (World Council of Churches): « *Declaration on Religious Liberty* » (Assembly Amsterdam, 1948), « *Statement on Religious Liberty* » (Assembly New Delhi, 1961).

[4] Istiusmodi ideologiam brevius exposuit LEO XIII in Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.* (1885), pp. 170-171, dein fusius in Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), pp. 600-609.

[5] Cf. PIUS IX, *Syllabus,* 8 dec. 1864, DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolorum,* n. 1703: « Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sibi sufficit ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 600: « Iamvero totius rationalismi humanae principatus rationis caput est: quae oboedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, suique se iuris esse decernens, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et iudex veritatis. Ita illi, quos diximus, liberalismi sectatores in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potentiam, sed sibi quemque esse legem ».

[6] Cf. PIUS IX, *Syllabus,* 8 dec. 1864, DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolorum,* n. 1715: « Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit ». Cf. *ibid.,* n. 1716.

[7] Cf. LEO XIII, *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 603: « Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de libertate uti loquuntur, cultus. Quae hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit aut omnino nullam profiteri religionem. Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximam ac sanctissimam, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur » (*Libertas praestantissimam*: *A.S.S.,* 20 [1887], p. 603).

[19] [8] Cf. PIUS IX, *Syllabus,* 8 dec. 1864, DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolorum,* n. 1739: « Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus » (DENZINGER, n. 1739). Ad vitium totalitarismi in ideologia laicistica saepius attendit LEO XIII; cf., e. g., Litt. Encycl. *Humanum genus,* 20 aprilis 1884: *A.S.S.,* 16 (1906), p. 426: « Fontes omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis ».

[9] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 171: « Ad summam sic agunt cum Ecclesia ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas res publica continet. Ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis... Ita Ecclesia in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a pluribus adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere Ecclesiam aut vinctam adstrictamque imperio tenere ».

[10] Cf. LEO XIII, *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 609: « Contra Liberalismi fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam praedicant, hanc de quo loquimur coniunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt. Cuius conservandae causa si quid fiat, iniuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullus esset tam immanis dominatus, cui subesse et quem ferre non oporteret ».

[20] [11] Cf. PIUS XI, Epist. Encycl. *Maximam gravissimamque,* 18 ianuarii 1924: *A.A.S.,* 16 (1924), p. 10: « Ea enim, quae Pius X damnavit, Nos pariter damnamus. Quotiescumque autem in " laicitate ", ut dicunt, sensus inest vel propositum Deo et religioni infestum adversumque, a Deo et a religione alienum, " laicitatem " ipsam omnino improbamus atque improbandam esse aperte declaramus ».

[12] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 263: « Nam, quemadmodum Decessor noster fel. rec. Pius XII ait, tantum abest ut homo, uti talis, habendus tamquam vitae socialis obiectum vel iners quoddam elementum, ut magis eiusdem sit existimandus subiectum, fundamentum, finis ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 12.

[13] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 259.

[14] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 260-261: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 19, ubi inter « iura fundamentalia personae » hoc etiam collocatur: « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 160: « Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen in Widerspruch mit einem Naturgesetz ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *Acta Leonis XIII* 8 (1888), pp. 237-238: « Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem

nominant; quae si ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, [20] non colere, argumentis, quae supra allata sunt, satis convincitur. Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior, eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».

[15] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 273-274: « Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim " inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum " ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200.

[16] Hoc loco memoranda est distinctio, facta a IOANNE XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 300: « Inde deinceps par omnino est, a falsis philosophorum placitis de natura, de origine, de fine mundi et hominis plane incepta distinguere, quae sive res oeconomicas et sociales, sive ingenii cultum, sive civitatis temporationem contingunt, etiamsi incepta hoc genus ab illis placitis originem et incitamentum ducant; quoniam dum formula disciplinae, postquam definite descripta est, iam non mutatur, incepta illa, utpote quae in mutabilibus rerum condicionibus versentur, his non possunt quin sint admodum sane obnoxia. De reliquo quis eat infitias, in hisce inceptis, quatenus videlicet cum rectae rationis praeceptis congruant, et iustas hominis appetitiones referant, posse aliquid boni et probandi inesse? ». Quod valet in praesenti materia. Distinctio potest et debet iam nunc fieri inter ipsum regimen libertatis religiosae et placita laicismi, unde [21] regimen quondam originem suam duxit in quibusdam civitatibus.

[17] Recentius de hac materia scripserunt G. DE BROGLIE, S. I., *Le Droit naturel à la liberté religieuse* (Paris, Beauchesne, 1964); L. JANSSENS, *Liberté de conscience et liberté religieuse* (Paris, Desclée de Brouwer, 1964).

[18] De dialogo seu colloquio circa veritates religiosas, cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964, Typis Polyglottis Vaticanis, 1964, pp. 35-45.

[19] Perdurante aevo post Reformationem, eo usque tandem pervenit communis hominum sensus, ut agnoscat, neminem esse a potestate publica cogendum, ut agat contra conscientiam, neminemve esse propter conscientiam puniendum; cf. J. LECLER, S. I., *Histoire de la tolérance religieuse au siècle de la Réforme,* Paris, Aubier, Editions Montaigne, 1955, tom. II, *fere passim.* Nova tamen nostris temporibus exorta est quaestio, utrum homo quavis vi prohibeatur, quin agat in societate civili iuxta conscientiam.

[20] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 289: « Quin et illud accedit quod mutuae rerum publicarum rationes ad libertatis normam sunt ordinandae ». Cf. *ibid.,* pp. 266, 297.

[21] Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Cum multa,* 8 dec. 1882: *A.S.S.,* 15 (1898), pp. 242-43: « Igitur oportet rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quantumvis in honestum et grave, si spectetur in se, vitae huius, quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur. Contra vero religio, nata Deo et ad Deum

[21] referens omnia, altius se pandit caelumque contingit... Quapropter religionem et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis ducere ». Traditionem iteravit Pius XI, Litt. Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 303: « La Chiesa di Gesù Cristo non ha mai contestato i diritti e i doveri dello Stato circa l'educazione dei cittadini e Noi stessi li abbiamo ricordati e proclamati nella recente Nostra Lettera Enciclica sulla educazione cristiana della gioventù; diritti e doveri incontestabili finché rimangono nei confini delle competenze proprie dello Stato; competenze che sono alla loro volta chiaramente fissate dalle finalità dello Stato; finalità certamente non soltanto corporee e materiali, ma di per se stesse necessariamente contenute nei limiti del naturale, del terreno, del temporaneo ».

[22] Cf. S. Thomas, *Summa Theologica,* I-II, q. 91, a. 4 c: « De his potest homo legem ferre de quibus potest iudicare. Iudicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent »; cf. II-II, q. 104, a. 5 c: « In his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini oboedire sed solum Deo ». Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 270: « Sed quoniam omnes homines in naturali dignitate sunt inter se pares, tum nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere; quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet ».

[23] Sic redditur aliis verbis nota regula iuris canonici, ex iure romano quoad sensum deprompta, « Odia restringi et favores convenit ampliari ». Cf. V. Bartoccetti, *De regulis iuris canonici* (Angelo Belardetti Editore, Roma 1955), p. 73.

[24] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ianuarii 1890: *A.S.S.,* 22 (1889-90), p. 396: « Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci; non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Iesus Christus commendavit ».

[25] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295-296, ubi, quibusdam defectibus non obstantibus, commendatur Professio Universalis Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 a Foedaratarum Natio-
[22] num Coetu Generali rata habita: « Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quemdam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus solemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere quaerendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta ».

[26] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 161: « Immortale Dei miserenti opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatis, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum ». Quod quidem thema, e S. Augustino derivatum, saepe saepius evolvere solebat Leo XIII.

[27] Cf. Leo XIII, Litterae *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 22 (1887), p. 269: « In bonis autem Ecclesiae, quae Nobis ubique semperque conservare debemus, ab omnique iniuria defendere, illud certe praestantissimum est, tantam ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec nimirum

est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit; qui eam perpetuam in hominibus statuit; qui voluit ipsi ipse praeesse. Atque adeo propria est Ecclesiae, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum et contra officium ». Ut olim Gregorius VII, sic temporibus modernis exstabat LEO XIII propugnator libertatis Ecclesiae. Cf. Litterae *Ex litteris,* 7 aprilis 1887: *A.S.S.,* 19 (1886), p. 465: « Nos quidem vel ab initio nostri pontificatus multo et serio cogitare de vobis instituimus, atque, ut ratio Nostri ferebat officii, consilium cepimus omnia conari, si qua ratione liceat, pacatam tranquillitatem cum libertate legitima catholico nomini restituere ». In sexaginta fere documentis, quae relationes inter rem sacram remque civilem tractant, octoginta vices occurrit formula verborum, « libertas Ecclesiae », vel formula aequipollens. Ipsi enim Leoni XIII, sicut toti traditioni catholicae, libertas Ecclesiae principium est fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et instituta omnia ordinis civilis. [22]

[28] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 445-46: « Quamobrem Nos, ut eius in terris vices gerimus, qui a sacro vate " Princeps pacis " appellatur (*Is.* 9, 6), civitatum rectores eosque omnes, e quorum opera quovis modo publica res pendet, compellamus vehementerque obtestamur ut Ecclesia plena semper libertate fruatur debita, qua suam possit educationis operam exsequi, ac veritatem impertire mentibus, animis inculcare iustitiam, eosque divina Iesu Christi refovere caritate ».

[29] Cf. PIUS XI, Litterae *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 196: « Proposita eiusmodi aestimandarum rerum mensura, concedendum sane est, ad christianam vitam explicandam externa quoque praesidia, quae sensibus percipiuntur, esse necessaria, pariterque Ecclesiae tamquam hominum societati opus omnino esse, ad vitae usuram atque incrementum, iusta agendi libertate, ipsosque fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta ».

[30] Cf. PIUS XII, Allocutio *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 802, ubi fines clare definiuntur, quos Ecclesia prae oculis habet in ineundis Concordatis: « I Concordati debbono quindi assicurare alla Chiesa una stabile condizione di diritto e di fatto nello Stato, con cui sono conclusi, e garantire ad essa la piena indipendenza nell'adempimento della sua divina missione ». Exinde insuper
constat, nihil esse in doctrina de libertate religiosa, quod cum praxi hodierna [23]
Concordatorum quovis modo pugnat.

[31] LACTANTIUS, *Divinarum Institutorum,* lib. V, 19: ed. S. Brandt et G. Laubmann, *CSEL* 19, p. 463; *PL* 6, 614 (cap. 20): « Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas ».

Op. cit.: *CSEL* 19, p. 464; *PL* 6, 614: « Itaque nemo a nobis retinetur invitus — inutilis est enim Deo qui devotione ac fide caret — et tamen nemo discedit ipsa veritate retinente ».

Op. cit.: *CSEL* 19, p. 465; *PL* 6, 616: « Nihil est enim tam voluntarium quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est ».

S. AMBROSIUS, *Epistola ad Valentinianum Imp., Ep.* 21: *PL* 16, 1047: « Dei lex nos docuit quid sequamur, humanae leges hoc docere non possumus. Extorquere solent timidis commutationem fidem inspirare non possunt ».

S. AUGUSTINUS, *Contra litteras Petiliani,* lib. II, cap. 83: ed. M. Petschenig,

[23] *CSEL* 52, p. 112; *PL* 43, 315; cf. C. 23, q. 5, c. 33 (ed. Friedberg, col. 939): « Augustinus respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus; sed per severitatem, immo et per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari ».

S. Gregorius Magnus, *Epistola ad Virgilium et Theodorum Episcopos Massilliae Galliarum,* Registrum Epistolarum, I, 45: ed. P. Ewald et L. M. Hartmann, *MGH Ep.* 1, p. 72; *PL* 77, 510-11 (lib. I, ep. 47): « Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur ».

Epistola ad Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, Registrum Epistolarum, III, 52: *MGH Ep.* 1, p. 210; *PL* 77, 649 (lib. III, ep. 53); cf. D. 45, c. 1 (ed. Friedberg, col. 160): « Nova vero atque inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem ».

Conc. Tolet. IV, c. 57: Mansi 10, 633; cf. D. 45, c. 5 (ed. Friedberg, col. 161-162): « De Iudaeis hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; *cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma iustitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti oboediens periit, sic vocante gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi... ».

Clemens III, Litterae Decretales: X., V, 6, 9, ed. Friedberg, col. 774: « ... Statuimus enim ut nullus Christianus invitos vel nolentes Iudaeos ad baptismum (per violentiam) venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire... ».

Innocentus III, *Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum,* X, III, 42, 3: ed. Friedberg, col. 646: « ... Verum id est religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur... ».

[32] Cf. *C.I.C.,* c. 1351; cf. Pius XII, Alloc. ad Praelatos auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394, ubi citatur a R. P. *Pro Memoria* Secretarius Status ad Legationem Yugoslaviae ad Sanctam Sedem: « D'après les principes de la doctrine catholique, la conversion doit être le résultat, non pas de contraintes extérieures mais de
[24] l'adhésion de l'âme aux vérités enseignées par l'Eglise catholique. C'est pour cela que l'Eglise catholique n'admet pas dans son sein les adultes, qui demandent à y entrer ou à y faire retour, qu'à la condition qu'ils soient pleinement conscients de la portée et des conséquences de l'acte qu'ils veulent accomplir ». Idem, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 243: « At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis comprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens. Quamobrem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiunt, ii procul dubio veri Christifideles non fiunt; fides enim, sine qua " impossibile est

placere Deo " (*Hebr.* 11, 6), liberrimum esse debet " obsequium intellectus et voluntatis " (CONC. VAT., *Const. de fide catholica,* cap. 3). Si igitur aliquando contingat, ut contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam, ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii nostri conscientia, reprobemus ». [24]

[33] Tentationes Christo a Satana propositae simul ac petitiones prodigiorum a Iudaeis oblatae provenerunt ex aestimatione populari Messiae tamquam regis fortis et mirabilis. Si Christus his consiliis acquievisset, dereliquisset consilio Patris Eum iubentis ut munus messianicum exsequeretur per indolem mitem et humilem Servi Yahweh.

[34] Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus*: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-78, de conscientia christiana efformanda.

[35] Cf. IOANNES XXIII, litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* pp. 299-300: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est, quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti ».

EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH M. DE SMEDT [25]

Episcopus Brugensis

RELATIO

Venerabiles Patres,

Textus quem hodie vestris suffragationibus praesentamus, valde differt a textu de quo in aula discussio habita est. Emendationes oraliter et in scriptis propositae profundissimo examini subiectae sunt. Ipsae Commissionem adduxerunt ad amplificandum argumentum, ad largiorem expositionem consequentiarum practicarum, immo ad mutationem ipsius structurae Declarationis. Haec tamen omnia substantiam nostrae expositionis non mutaverunt. Ideo vobis hodie offerimus eamdem doctrinam, sed, ut speramus, enucleatam modo magis claro, accurato et prudenti ...[1]

I

LICEAT MIHI ANTE OMNIA VOBIS SYNTHETICE EXHIBERE TEXTUM

I. Introductionis gratia in parte prima (nn. 1 et 2) describitur hodiernus status quaestionis et brevis conspectus historicus de modo quo

[25] saeculis XIX et XX in documentis ecclesiasticis de libertate religiosa sermo est.

Affirmata porro (in n. 3) missione Ecclesiae praedicandi veritatem et defendendi veram suam et hominum libertatem, proceditur asserendo Ecclesiam iuxta munus suum agere, quando facit hanc Declarationem. Ipsa interrogatur a mundo moderno de legitimitate regiminis in quo omnis coercitio humana in materia religiosa prohibetur et iuridice excluditur. Quid respondet Ecclesia? Asseritur quod tale regimen nequaquam infringit doctrinam catholicam, e contrario quod est legitimum, in ipsa dignitate personae humanae fundatum, verum ius humanum.

II. 1°) Haec affirmatio stabilitur primo, non doctrina revelata utpote quae directe de hac quaestione non agit, sed principiis e ratione humana desumptis. Fundamenta (n. 4) libertatis religiosae inveniri dicuntur in quinque diversis aspectibus independentiae quam sibi vindicare potest persona humana in societate posita, nempe:

a) in iis quae exiguntur ut integritas personae humanae servetur;

b) in officio et iure hominis quaerendi veritatem eique inventae personaliter adhaerendi;

c) in ipsa indole religionis, cui homo non sese conformat nisi interne simul et externe Deo cultum tribuat;

d) in iuribus conscientiae humanae, quibus vetatur personam in
[26] societate coerceri ad agendum contra conscientiam suam vel impediendi quominus agat iuxta eius dictamina;

e) demum in recta moderatione civitatis, cui non competit de internis religionis actibus eorumque externis manifestationibus iudicare vel statuere, salvo tamen ordine publico.

2°) Postea (in n. 5) examinatur utrum homini liceat in societate iure suo uti sine ulla restrictione. Respondetur hoc ius limitari duabus normis: *a*) Norma moralis vetat hominem infringere iura aliorum; *b*) norma iuridica importat exercitium iuris a potestate publica prohiberi posse in casu ubi haec limitatio vere necessaria est ad servandum ordinem publicum in materia gravi.

III. In tertio capite exponuntur consequentiae practicae sive pro cura libertatis religiosae ex parte potestatis publicae (n. 6), sive pro vita communitatum religiosarum (n. 7), sive pro familia (n. 8), sive pro relationibus personarum cum coetibus religiosis (n. 9).

IV. In quarta denique parte quaestio examinatur in luce doctrinae revelatae.

1°) Regimen libertatis religiosae suppeditat condiciones quibus Ecclesia in societate indiget ut suam divinam missionem adimplere possit

cum independentia quae ei competit: *a*) in quantum est auctoritas spiritualis a Deo instituta, *b*) in quantum est coetus hominum quibus debetur ut libere alicui religiosae societati adhaerere possint (n. 10). [26]

2°) Adhaesio fidei et oboedientia praeceptis fidei actum liberum, divina gratia suffultum, requirunt ideoque ingestionem ex parte potestatis publicae prohibent (n. 11).

3°) Doctrina Evangelii stricte loquendo directe non tangit problema libertatis religiosae; haec tamen immunitas ab externa coercitione altas radices habet in Scriptura et in exemplo Christi Eiusque Apostolorum. Iesus praedicat, invitat, praecipit, numquam autem cogit (n. 12).

4°) Postremo affirmatur auctoritates in Ecclesia et omnes fideles catholicos teneri ad apostolatum. In hoc autem apostolatu attendere debent insimul et ad Verbum vivificans quod praedicandum est, et ad iura personae humanae a qua Deus exspectat responsum libera voluntate praestitum. Persona humana semper debita reverentia est prosequenda, quod concordat cum regimine in quo libertas religiosa iuridice stabilitur (n. 13).

V. In Conclusione affirmatur hoc regimen nostris diebus ubique magis necessarium fieri (n. 14).

II

Haec summatim est doctrina qua nostrum documentum respondet quaestioni mundi moderni: quid censet Ecclesia de modo quo libertas religiosa in vita sociali et civili hodie plerumque ordinatur et stabilitur?

Revera, venerabiles Patres, Ecclesia a mundo moderno interrogatur. [27]
Vos omnes animadvertistis quanta attentione et sensibilitate omnia quae his duobus ultimis annis in Concilio circa libertatem religiosam agantur, adamussim examinantur in universitatibus, in conventibus intellectualium, in coetibus christianis et non-christianis, in congressibus, in periodicis, in diariis. Mundus universus responsum expectat ex parte Ecclesiae. Textus noster huic interrogationi respondet.

Anterior redactio ansam dedit animadversionibus quae, ni fallor, sub duobus capitibus veniunt.

1. Sunt qui admittant doctrinam propositam, sed quibus quaedam ex argumentis allatis, vel modus procedendi, vel quaedam expressiones non sat clara, non sat prudentia aut completa visa sunt. Mutationes numerosissimae quae introductae sunt, ostendunt quanti fecerimus cunctas has observationes. Speramus fore ut novum documentum nostrum ipsis nunc sufficienter castigatum et expolitum appareat.

[27] 2. Ex alia parte non desunt Patres qui in conscientia arbitrantur se non posse probare ipsam doctrinam. In secundae relationis secunda parte de his difficultatibus agitur (pag. 36). In hac materia valde attendendum est ad statum quaestionis prout exacte ponitur.

In Declaratione nostra non directe tractatur materia iuridica relationum inter Ecclesiam et statum, neque data opera examinatur problema theologicum de iure et missione ipsius Ecclesiae in Evangelio annuntiando, neque exponitur doctrina moralis qua christianus erga non-christianos duci debet et qua exigitur virtus moralis tolerantiae. Patet in his omnibus doctrinam *Ecclesiae*[2] tenendam esse. Haec tamen directe non sunt res nostra.

Schema nostrum tractat de libertate religiosa quae personae debetur in iuridica organisatione societatis et civitatis. In vita actuali Catholici quotidie commiscentur cum asseclis aliarum religionum et cum atheistis. Nonne ...[3] communicationes omnis generis efficiunt ut in toto mundo iam nulla detur insula catholica? In nostra societate pluralistica cordati homines servare vel restituere volunt pacem religiosam. Et nunc interrogant Ecclesiam quid censeat de modo quo ipsi ex parte sua ordinare volunt vitam saecularem. Ipsi iuridice instituerunt vel institui exigunt regimen ...[4] in quo nullus homo, nulla religiosa communitas potest esse obiectum coercitionis in sacra religionis materia. Estne tale regimen legitimum et necessarium? Haec est quaestio quae agitur. Hoc modo ponitur status quaestionis.

In documento nostro respondetur: In re religiosa nullus homo potest esse obiectum coercitionis ex parte aliorum. Certo non est ius status, non est munus societatis ut personam humanam dirigat vel coerceat in re religiosa. Libertas religiosa ipsa humana dignitate exigitur. Religio est supra competentiam rei publicae. Status debet liberum religionis exercitium suorum civium — omnium suorum civium — agnoscere et defen-
[28] dere, non ...[5] eorum religionem dirigere vel comprimere. Regimen istud est legitimum et ab hominibus exigi potest ut verum ius quippe quod principiis rationis humanae fulcitur, et est omnino necessarium ad custodiendam in societate hodierna hominis personalem et civilem dignitatem.

3. *Verbum addere liceat de difficili quaestione quae in multis emendationibus tangitur.*[6]

In exterioribus manifestationibus suae vitae religiosae, persona humana sibi vindicare non potest iura illimitata. Ut in praecedenti relatione iam diximus, difficile est ad hos limites describendos formulas invenire quibus potestates publicae religioni hostiles abuti non possent ad iustificandam inadmissibilem repressionem vitae religiosae.

Ratione habita multarum vestrarum emendationum, limites libertatis

religiosae ex duplici capite inveniri affirmamus in n. 5 nostri documenti. [28]
Normae dantur duae. Prima venit norma moralis: homini in exercitio externo suae libertatis non licet infringere iura aliarum personarum nec deesse suis officiis erga alias personas. Numquam potest praetergredi exigentias iustitiae et humanitatis. Secunda norma est norma iuridica: homini non licet hoc modo religionem exercere ut in societate inde oriatur magna et inadmissibilis perturbatio ordinis publici. Potestates publicae manifestationes vitae religiosae prudenter et moderate limitare possunt, si hoc est revera necessarium ad servandum ordinem publicum.

In redactione nostrae Declarationis anno elapso propositae affirmavimus exercitium libertatis religiosae limitari bono communi. Sed iuremerito permulti Patres ostenderunt quod haec norma nimis late patet et viam aperiret ad multiplices abusus.

...[7] Secundum communem sententiam iurisperitorum et in re politica doctorum competentia status in hac re limitatur ad ordinem publicum *conservandum. Est enim* [8] ordo publicus illa pars essentialis boni communis quae potestati publicae committitur, ut vi coercitiva legis vel actione custodum publicorum (police) protegatur. Triplex porro bonum complectitur ordo publicus: bonum politicum, quod est pax publica; bonum morale, quod est debita custodia moralitatis publicae; bonum iuridicum, quod est concordia inter cives in suis iuribus exercendis. Hanc doctrinam exposuit Pius XII in allocutione *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 35 (1953), p. 797, ubi dicit, exercitium religionis immune esse debere ab interventione status, nisi legibus poenalibus determinatae civitatis contradicat.

III

Haec Declaratio non dicenda est indulgere positivismo quia argumenta haurit ex hodierna profundiore aestimatione personae humanae. Agnoscere facta sicuti sunt non est positivismus sed realismus.

Neque accusandi sumus opportunismi, ac si hodie Ecclesia aliter videretur loqui quam in praeterito. Etiam pro potestatibus publicis mutatae
sunt res inde a tempore quando affirmabant: cuius regio eius religio; vel [29]
quando saeculo XIX religionem in suum servitium redigere conabantur. Ceteroquin in materia sociali non minor mutatio introducta est inde a tempore quo servitus considerabatur ut institutio socialis legitima usque ad hodiernam socialem legislationem. Haec est res: in decursu saeculorum, progrediente cultura, increvit aestimatio dignitatis humanae, melius intellecta et efficacius vindicata sunt religiosa iura personae, quae iam in multis constitutionibus sunt inscripta.

[29] Quando hodie generaliter affirmatur homini agnoscendam esse libertatem a coercitione in re religiosa, haec exigentia auribus Ecclesiae sonat ut vox nova, ut vox iucunda, ut signum progressus in intellectione iurium personae humanae. Laetatur Ecclesia de facto quod ita iam non repetere debet suas reprobationes saeculo decimo nono prolatas contra potestates publicas quae introducere intendebant rationalismum et laicismum omni religioni infensum.

Libenter agnoscit maturationem in conscientia hominum peractam et probat libertatem religiosam hodie in societate vindicatam. Est-ne hoc opportunismus? Non est opportunismus, sed sapientia, sicuti sapientia est quando parentes eadem sua principia diverso modo applicant in educatione iuxta aetatem educandorum.

Affirmatio libertatis religiosae contradicit-ne iuribus Ecclesiae? Sane Ecclesia Catholica habet auctoritatem a Iesu Christo institutam, organisationem a Deo volitam. Ipsa est instrumentum gratiae ad instaurandum regnum Christi in universo mundo. Sed quid est melius, quid dignius pro hac Ecclesia quam ut possit omnino libere et independenter munus suum exercere? Hoc praecise postulatur libertate religiosa de qua loquimur, ut nempe nemo in fide et ad fidem cogatur atque ut Ecclesia ipso iure immunis sit a coactione in civitate et societate.

In hac aula audivimus Patrem conciliarem loquentem nomine episcoporum qui in sua patria, olim religionis conflictibus dolorose dilacerata, experti sunt quid de facto significet regimen libertatis religiosae etiam in casu quando Catholici sunt numero minores. Ex eius praeclaro testimonio elucet veram pacem religiosam inter diversas religiosas communitates, immo in tota civitate florere, quando libertas religiosa, quam descripsimus, sincere et fideliter observatur.

Libertas religiosa non impedit quominus in determinata civitate ubi Catholici numero praevalent, Ecclesiae Catholicae quaedam privilegia aut etiam officialis agnitio tribuatur. Talis privilegiata condicio si aliquando divina Providentia et hominum bona voluntate suppeditatur, de se non excludit, quod etiam aliae communitates religiosae vera religiosa libertate gaudere possint. Verae libertati religiosae non opponitur, dummodo cautum sit quod non-Catholici non sint obiectum coercitionis. Contrarium ceteroquin verum est: Ecclesia, ubi in minoritate est, non arbitratur sua
[30] iura laesa esse si non omnia privilegia amplioris communitatis religiosae participat, dummodo ipsa liberam queat ducere vitam.

Libertas religiosa est praestantissimum bonum et necessarium regimen ut in civitate moderna fides vera profunde et firmiter proficiat. Fiducia Ecclesiae Christi non est ponenda in potestate saeculari ...[9] In suis difficultatibus et aerumnis non debet refugium quaerere in brachiis potestatis

publicae. Personali homini moderno Ecclesia se ostendat personalem et liberam. Optimum testimonium pro veritate Evangelii praebebit Ecclesia si ipsa ostendit se suam fiduciam ponere in virtute ipsius veritatis. Protectio nostra invenienda est in Deo et in fortitudine omnium fidelium, praesertim eorum qui cultura praestant. Iuremerito aliquis Patrum in hac aula asseruit: « Rei publicae moderatores sese abstinere debent ab omni immixtione in problematibus religiosis solvendis; sed eorum officium est ut omnibus civibus libera pateat via ad expositionem veritatis in quam credunt, et ut Ecclesiae plena pateat via ad doctrinam salutis annuntiandam. — Neque ex hoc timendum est ...[10] ne veritas ab errore vincatur. Veritas quae ex Deo est et ipsius divinae maiestatis quaedam manifestatio est, fortis est, vincens omnem humanam debilitatem vel mentis angustiam, immo et malitiam. Quia vero adiuvatur a gratia Dei, « qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4), fieri non potest quin ipsa demum omnes inimicos suos in hominibus bonae voluntatis non vi vel politicis mediis sibi submittat, sed per arma iustitiae et virtutis Dei ». [30]

Venerabiles Patres, textus quem vestro suffragio submittimus, approbatus est unanimiter ab omnibus membris Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Praeterea examinatus est a quibusdam Patribus et Peritis in theologia et re iuridica specialiter versatis.

Emendatio nostri decreti parata erat die 24 octobris. Litteris suis diei 16 octobris 1964 Eminentissimus Praeses Commissionis Coordinationis mandavit ut, ad normam art. VI n. 3 Ordinis Concilii Vaticani II celebrandi, doctrina nostrae Declarationis examinanda traderetur quinque designatis membris Commissionis « De doctrina fidei et morum ». Quod factum est. Unus Pater iudicavit doctrinam admitti non posse; ceteri quattuor responderunt nihil in ea inveniri contra fidem et mores. Postea, iubente eodem Praeside Commissionis Coordinationis, textus noster missus est ad Praesidem Commissionis « De doctrina fidei et morum », *qui*[11] ipsum omnibus membris huius Commissionis examinandum tradidit. In adunatione generali, die 9 novembris habita, textus noster plus quam duabus tertiis partibus membrorum huius commissionis placuit, nonnullis tamen ex parte maioritatis observationibus factis. Harum observationum quaedam in scriptis ad nos missae sunt. De ipsis rationem habuimus in quantum non contradicebant textui quem Secretariatus unanimiter confecit iuxta *emendationes in aula petitas a Patribus Conciliaribus.*[12]

Ad haec omnia peragenda fere tres hebdomadas adhibuimus et nunc in fine huius Sessionis vobis hunc textum emendatum proponere possumus. Eritne possibilis ante finem tertiae Sessionis definitiva votatio et promulgatio huius Declarationis quae in Ecclesia et universo mundo tan- [31]

[31] *topere expectatur? Non omnis spes evanuit. Examen modorum si numerosi sunt, est opus immensum, sed, in quantum possibile remanet illud perficiemus.*[13]

Et nunc, venerabiles Patres, vos iudicabitis. Spiritum Sanctum oramus ut vos illuminet.

In oratione: [1] Brevitatis causa primam partem omitto. In pag. 26 pars II. [2] catholicam. [3] televisio, radio, diaria, itinera. [4] i. e. modum simul vivendi. [5] autem. [6] Quaedam dico de non illimitatis iuribus hominis in hac libertate religiosa. [7] Quare. [8] servandum; sed quid est ordo publicus? Est. [9] et tutela. [10] ait ille Pater. [11] hic praeses, em.mus praeses. [12] vestras emendationes in aula petitas. [13] deest.

[32] RELATIO DE ANIMADVERSIONIBUS PATRUM

Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam, non solummodo orationes Patrum in aula habitas, sed etiam omnes observationes scriptas, ei regulariter inde a publicatione textus transmissas, diligenti cura examinavit. Ita documenta perspecta plus quam centum et quadraginta numerantur. Notandum quod plura inter illa sunt collectiva, sicut verbi gratia octo ex quadraginta sex orationibus in aula habitis.

Ex ista inquisitione, sequentes conclusiones omnino generales proferre fas est:

1) Patres unanimiter (duobus exceptis) exoptant declarationem quamdam Concilii circa libertatem religiosam.

2) Eadem fere unanimitate hanc declarationem proponi desiderant in sermone quem homines hodierni intelligere possint.

3) Longe maiori parti Patrum, his tantummodo exceptis qui infra (sub V, A) enumerantur, declaratio in aula proposita placuit in genere. Multi inter illos laudes non parvas protulerunt.

4) Animadversiones Patrum plerumque circa correctionem vel expletionem declarationis versabantur.

I - De Titulo emendando

Sequentes tituli propositi sunt:

— *De officio et iure personae et communitatis in religione*: GG, 28.

— *De libertate profitendi religionem*, vel: *De libero exercitio religionis*: GG, 30.

II - De structura declarationis in melius mutanda [32]

Aliqui postulaverunt mutationes structurae:

a) Declaratio sit practica, sine argumentis theologicis: GG, 49, quod a pluribus approbatum est: GG, 85; 618, 636, 714.

b) Declaratio omnino separanda est a schemate de Oecumenismo: GG, 9.

c) Declaratio debet esse brevis et practica, cum introductione de principiis sequentibus:
— de dignitate hominis et religionis legitimitate;
— de conscientia;
— de Ecclesia;
— de aliis religionibus;
— de errore invincibili; [33]
— de hominis iure in profitenda religione;
— de munere Status in tuenda libera civium conviventia: GG, 85.
Alius ordo, qui ab illo parum differt, proponitur in GG, 87.

d) Duplex fiat documentum: declaratio, et commentarium huius declarationis: GG, 74.

e) Ad duo principia declaratio reduci potest:
— principium theologicum iuris Ecclesiae ad praedicandum Evangelium;
— principium politicum aequitatis seu aequalitatis civilis, quo Ecclesia debet pro omnibus civilibus proclamare id quod pro suis proclamat, nempe libertatem religiosam: GG, 89.

f) Sequens ordo materiae proponitur:
— libertas religiosa est ius nativum hominis;
— libertati religiosae libertas civilis necessaria est;
— libertas Ecclesiae non est eiusdem ordinis ac libertas aliorum coetuum religiosorum: hoc in ordine theologico;
— in ordine iuridico civitatis, tamen, aequa libertas sit pro omnibus: GG, 90.

g) Sequens ordo proponitur:
— ius naturale ad veritatem inquirendam;
— obligatio sectandi dictamen conscientiae certae;
— libertas et supernaturalitas fidei Christianae;
— obligatio inquirendi veritatem mediis aptis;
— valor veritatis revelatae pro ordine civitatis: GG, 94.

[33] III - Animadversiones ad declarationem perficiendam

A) Quaedam generaliter proposita:

— Mens declarationis videtur nimis individualistica, subiectivistica, existentialistica: GG, 52.

— Declaratio sit magis biblica et theologica: GG, 2; GG, 7; GG, 23; GG, 42; GG, 57; 549; 635; 652. Exempla adhibeantur ex vita Iesu Christi: GG, 55; GG, 63.

— Declaratio confusa et ambigua est: 580; 583; 586; 695; 697; 698; 700.

B) Quaedam de insufficienti fundamento theologico declarationis:

a) Negative:

i° Vocatio divina non bonum fundamentum affert, quia est nimis obscura: GG, 16; GG, 39; 696; quia non valet pro omnibus hominibus vel ab omnibus capi potest: GG, 9.

ii° Libertas actus fidei libertatem supernaturalem probat, non autem libertatem hominum in societate: GG, 10.

[34] iii° Exigentia cultus Dei non sit fundamentum, quia sunt religiones, sicut Buddhismus, quae nullum cultum Dei habent: GG, 1.

b) Positive: Fundamentum praebere posset:

— caritas Corporis Christi erga membra potentialia: GG, 5;
— persona humana ut fundamentum boni communis: GG, 2;
— bonum commune: GG, 27; GG, 84;
— veritas Ecclesiae: GG, 30; GG, 46; GG, 35; GG, 36; GG, 41;
— natura humana: GG, 40; GG, 42; GG, 47; GG, 62;
— iustitia: GG, 40; GG, 89;
— conscientia ut proxima regula moralitatis: 708;
— recta conscientiae suae norma: GG, 9.

IV - De variis addendis ad explendam declarationem

A) Postulatur creatio alicuius Commissionis ad declarationem uniformiter applicandam in toto orbe terrarum: GG, 26; 619; 704.

B) Oportet clare sublineare quod:

a) triplex libertas habetur: humana, religiosa, theologica: GG, 12;

b) sola veritas ius reale habet, error tantum ius putativum: GG, 29;

c) Ecclesiae titulus ad libertatem non idem est ac titulus aliorum: GG, 16;

d) Ecclesia suos ab errore tuendi ius habet: GG, 7;

e) Deus iura inamissibilia habet: GG, 5; GG, 7; [34]

f) nec homo nec Status negligere possunt veritates religionis: GG, 2;

g) religio essentialiter socialis est: GG, 2; GG, 3.

C) Damnare oportet:

a) nationalismum, qui frequenter radix est suppressionis libertatis religiosae: GG, 2;

b) indifferentismus: GG, 17 et plures alii;

c) hodiernas persecutiones: GG, 16; GG, 30; GG, 32; 585; 619; 652; 692; 713.

D) Oportet explicite proponere distinctionem inter:

a) libertatem actus interni et actus externi: GG, 35; GG, 41; GG, 47; 696; 697; 702;

b) libertatem subiectivam et obiectivam: GG, 25;

c) libertatem conscientiae et libertatem religiosam: GG, 16; GG, 34;

d) conscientiam veram et rectam et conscientiam invincibiliter erroneam: GG, 28;

e) plenam libertatem, quae soli Ecclesiae competit, et aliam libertatem: GG, 81; GG, 90; GG, 93;

f) ius naturale ad libertatem et alias normas ex iure divino-positivo sumptas: GG, 23; [35]

g) « planum » theologicum et « planum » iuridicum: GG, 34; GG, 47.

E) Aliqua alia etiam addenda sunt:

a) explicatio notionis boni publici: GG, 20;

b) explicatio et definitio coactionis: GG, 23;

c) ius parentum et Ecclesiae iuvenes educandi: GG, 37; GG, 63;

d) notio metaphysica libertatis: 701;

e) explicatio iuris propagandi falsam religionem, quod tantum admitti potest ex necessitate conviventiae pacificae: 693; 697; 702; 580; et quod non est ius strictum: 695, 697; 698; 702;

f) affirmatio libertatis parentum in Ecclesia et libertatis partis acatholicae in matrimonio mixto: GG, 43;

g) explicatio iurium societatis religiosae ut talis et non tantum ut coetus hominum: GG, 12;

h) specialis mentio iuris ministros religionis formandi: GG, 30;

i) expositio doctrinae plenae et solidae de homine; seu anthropologia theologica: GG, 59;

[35] *j*) expositio dimensionis historicae doctrinae de libertate: GG, 70;

k) explicita mentio de permanenti valore doctrinae Leonis XIII et de voluntate Concilii nihil mutandi in hoc campo: GG, 73:

l) argumenta ex constitutione iuridica multarum gentium, ex incompetentia potestatis civilis, ex pace et concordia tuendis: GG, 55;

m) postulatio ut Nationes Unitae obligationem proclamant libertatis religiosae observandae: GG, 51.

F) Aliqua dubia solvenda sunt:

a) Utrum valeat declaratio de atheismo? 583;

b) quis potestatem habet de perversis formis religionis iudicandi? GG, 5;

c) utrum Status possit de his iudicare, si est incompetens in religione? GG, 78.

V - Animadversiones quae principiis declarationis adversantur

A) Sequentibus exceptis, uti iam innuimus, omnes qui mentem suam aperuerunt, declarationem in genere placere dixerunt. Hi quibus non placuit sic sententiam suam expresserunt:

a) Declaratio est simpliciter reiicienda: GG, 61; 618; 620; 637; 639; 599.

b) Declaratio est totaliter retractanda: GG, 69.

c) Declaratio debet e Concilio removeri et problema libertatis religiosae ad Conferentias Episcopales remitti: GG, 24; 706.

[36] *d*) Declaratio non sit actus conciliaris, sed tantum actus Patrum Concilii: 629.

B) Rationes adductae contra diversas affirmationes vel probationes quae in declaratione inveniuntur.

a) Contra revelationem: GG, 38; 698; 703; contra traditionem: 616, contra doctrinam et praxim Ecclesiae: GG, 86; contra Ius Canonicum de iurisdictione Ecclesiae super omnes baptizatos: GG, 86; contra Magisterium: GG, 41; GG, 46; GG, 52; 706; contra praxim Sanctae Sedis concordatos approbandi: GG, 30 et plures alii; contra historiam, quia de facto Ecclesia libertatem pluries restrinxit: GG, 25.

b) Quaestio nondum sufficienter maturata est: 599.

c) Ecclesia potest tolerantiam, non autem libertatem religiosam approbare: GG, 8; GG, 19; GG, 25; GG, 27; GG, 1. Notat unus Pater quod supponere bonam fidem in agnosticis est contra Vaticani I doctrinam de Dei cognoscibilitate: GG, 19.

d) Dolent aliqui quod plura asserta declarationis liberalismo religioso nimis favent: GG, 86; quod nata sunt promovere revolutionem:

GG, 52; inoboedientiam subditorum contra auctoritatem ecclesiasticam: [36]
GG, 20; obiectionem conscientiae: GG, 20. Alius dolet quod declaratio ad promovendos valores humanitati communes exhortat, quae saepe saepius isti valores mere materiales sunt et possunt contra Ecclesiam uti: GG, 19.

* * *

Circa singulos numeros, permultas observationes quae curant de textu corrigendo vel perficiendo sive in ideis sive in latinitate, attente examinavimus; et pro maxima parte novo textui inclusimus. Inutile tamen visum est illas multas et saepe minutas emendationes typis mandare, quia nova redactio sat differt a textu in aula disceptato.

Ratio habetur obiectionum maiorum

Obiectiones seu difficultates maiores ex his sequentibus fontibus derivari maxime videntur.

1. [*Notio iuris*]. Plures difficultates ex eo ortae sunt, quod non bene intelligebatur, quonam praecise sensu libertas religiosa diceretur ius. Quasdam ergo explicationes addere forsan iuvabit.

Primo, quamvis ius hominis in re religiosa numeratur inter iura eius civilia, est tamen ius sui generis. Plurima enim iura humana respiciunt vitam civilem qua talem; cogita ius proprietatis privatae. Alia vero iura respiciunt personam humanam quatenus non secundum se totam ordinatur ad fines societatis sed ulterius ad finem perfectionis suae propriae; cogita ius artes colendi. Ius vero hominis in re religiosa respicit eius vitam
religiosam privatam et publicam, quae ordinem civilem finesque terre- [37]
stres societatis humanae omnino transcendit. In eo enim fundatur hoc ius, quod homo directe ad Deum ordinatur, cui tandem soli solus rationem vitam suae reddere tenetur. Ergo de iuribus hominis religiosis non est prorsus eodem modo arguendum sicut in re aliorum iurium.

Secundo, duplici sensu sumi potest ius. Primo sensu ius dicitur facultas moralis aliquid agendi, facultas scilicet qua quis ab intrinseco positivam auctoritatem habet (empowerment, Ermächtigung, autorizzazione) ad agendum. In Declaratione non adhibetur ius hoc sensu, ne quaestiones oriantur quae ad rem non sunt, e. g., quaestio speculativa de iuribus conscientiae erroneae, quae versatur extra statum quaestionis iuridicum de libertate religiosa, prout in Declaratione tractatur. Altero sensu ius dicitur facultas moralis exigendi, ne quis constringatur ad agendum neve impediatur, quominus agat. Quo quidem sensu ius significat

[37] immunitatem in agendo et excludit coercitionem sive constringentem sive impedientem. Unice hoc altero sensu sumitur ius in Declaratione.

Exinde constat quod, affirmando libertatem religiosam esse verum ius hominis, nullatenus affirmatur, omnes religiones eamdem aequalem auctoritatem positivam habere, a Deo receptam, ut exsistant seseque propagent. Quod absit; saperet enim pessimum indifferentismum religiosum. Neque affirmatur, potestati publicae licere omnibus religionibus positivam auctoritatem dare, ut aequo iure in societate gaudeant. Quod etiam absit; saperet enim pessimum istud totalitarismum status, qui proprius erat laicismo. E contra, Declaratio agit de personis humanis, sive singillatim sive collective sumptis, qui omnes aequo iure dignitatem humanam induunt ac proinde aequo iure exigunt, ut in re religiosa liberi seu immunes sint a coercitione.

2. [*Illatio falsa*]. Quidam Patres priorem textum criminabantur, eum falsam illationem ducere ex ordine subiectivo conscientiae ad ordinem obiectivum iuris. Methodus autem procedendi in nova redactione textus clarius ostendit periculum subiectivismi non adesse. Exordium enim sumitur e rerum condicione hodierna quoad iuridicam compositionem omnium fere civitatum. Ponitur deinde quaestio concreta, utrum regimen libertatis religiosae sit aestimandum tanquam in se honestum atque aptum et necessarium ad dignitatem hominis et personalem et civilem tuendam. In argumento autem nullus fit transitus ex ordine subiectivo ad ordinem obiectivum. Namque eiusmodi transitus falsam philosophiam supponeret, ac si homo prius esset quoddam individuum, propriam vitam interiorem degens, et solummodo deinceps seu quasi in altero instanti fieret ens sociale, iuribus in societate gaudens. E contra, argumentum respicit personam concretam integram, prout est in ordine obiectivo, et integram indolem religionis, etiam prout in ordine obiectivo est. Iam ab initio argumentum in ordine obiectivo totum versatur, ubi persona humana
[38] exsistit. Neque igitur sermo esse potest de duplici iure, quorum aliud subiectivum esset, aliud vero obiectivum. Uni enim personae integrae competit ius unum in re religiosa, quod spectat ad immunitatem quoad exterius religionis exercitium in societate, qua simul in tuto ponitur immunitas conscientiae interioris.

Quodsi quis dicat, hominem utique gaudere libertate in foro interno atque etiam in foro domestico, ita tamen ut manifestationes sociales religionis subsint legitimae auctoritati publicae societatis, ad quas pertinet publicum exercitium religionis cohibere, respondetur distinguendo. Ad potestatem publicam iure pertinet publicum religionis exercitium in casu cohibere, si ordini publico graviter noceat. Sic enim agit potestas publica

in ordine civili, non autem in ordine religionis qua talis. Ex altera tamen [38]
parte, non licet potestati publicae publicum exercitium cuiusvis religionis lege vel actione administrativa cohibere, ea ratione innixae, quod haec vel illa religio iudicatur esse falsa, vel quod eiusque exercitium e conscientia erronea procedit, vel quod bono Ecclesiae nocet. Sic enim actio coercitiva potestatis publicae versaretur in ordine religionis qua talis, quod nefas est.

3. [*Libertas propria Ecclesiae*]. Obiectio facta est quod prior textus non sufficienter distinxit inter fundamentum libertatis Ecclesiae eiusque fidelium et fundamentum libertatis religiosae omnium in societate hominum atque communitatum religiosarum. Nova redactio huic obiectioni satisfacit. Clare enim effertur quod Ecclesia sibi vindicat libertatem ex mandato Christi, secundum quod soli Ecclesiae munus et officium incumbunt praedicandi Evangelium in universo orbe. Ex altera parte, libertas religiosa sensu hodierno ita describitur ut clare appareat, eam esse certam et indubiam exigentiam rationis humanae, quae his nostris diebus profundius perspexerit exigentias ipsius naturae dignitatisque humanae, quae postulant ut homo sit in exercitio religionis liber seu immunis a coercitione legali et sociali.

4. [*Confessionalismus status*]. Si res bene intelligitur, doctrina de libertate religiosa non contradicit conceptui historico sic dicti status confessionalis. Etenim regimen libertatis religiosae prohibet intolerantiam istam legalem, secundum quam quidam cives vel quaedam communitates religiosae in inferiorem condicionem redigerentur quoad iura civilia in re religiosa. Non tamen prohibet, quin religio catholica iure humano publico agnoscatur tamquam communis religio civium in quadam regione, seu quin religio catholica iure publico stabiliatur tamquam religio status. In hoc tamen casu, cavendum est ne ex instituto religionis statalis deriventur consequentiae sive iuridicae sive sociales, quae in re religiosa aequalitati omnium civium in iure publico damnum inferret. Verbo, simul cum regimine religionis statalis observandum est regimen libertatis [39]
religiosae.

5. [*Concordata*]. Regimen libertatis religiosae bene componitur cum praxi hodierna Sanctae Sedis circa Concordata. Quod patet, si ad fines essentiales Concordatorum accurate attenditur. Eo enim fine hodie ineuntur Concordata, ut libertas Ecclesiae eiusque fidelium, quae iis ex mandato Christi debetur, in tuto collocetur. Iamvero cum plena libertate Ecclesiae omnino componitur regimen libertatis religiosae, et ita quidem ut haec illi illaque huic invicem faveant. Verum utique est, quod tempo-

[39] ribus praeteritis quaedam Concordata alios fines prosequi solebant, verbi gratia, exclusionem legalem cultuum non-catholicorum e quadam regione, privilegia legalia varii ordinis, et ita porro. Quod tamen evenit propter determinatas circumstantias historicas et sociales, propterque rei publicae conformationem, quae tum temporis obtinebat.

6. [*Traditio Ecclesiae*]. A quibusdam conqueritur, in hac Declaratione derelictam esse doctrinam traditionalem, prout praecipue a Leone XIII efformata est. Quod tamen, si bene perspicitur ipsa indoles traditionis catholicae in hac re, non est verum. Ipsi enim Leoni XIII cordi summopere erat notum axioma « Vetera novis augere et perficere ». Multimodis ipse vetera auxit et perfecit, eo quod ad rerum condicionem historicam attendit novasque illas quaestiones solvit, quae eius temporibus exsurgebant. Quod autem fecit ipse, etiam his diebus fieri licet, immo vero debet fieri. Etenim circa libertatem religiosam nova nostris temporibus quaestio exorta est, mutato quaestionis statu, qui saeculo decimo non obtinebat. Cui quidem quaestioni respondet haec Declaratio. Neque vetera derelinquit sed e contrario ea auget, doctrinamque Leonis XIII perficit in sensu suo suaque sententia.

7. [*Iura veritatis*]. Saepius appellatur ad principium quod quasi axiomatico statuitur, veritatem scilicet iura exclusiva habere, errorem vero iura nulla. Si qui vero in hoc trito axiomate sensus iuridicus insit, huc tantum redit, falsum nempe et malum non eodem titulo ordinem humanum iuridicum introire ac verum et bonum. Quod enim verum et bonum est licite potest ab auctoritate humana positive sanciri; quod vero falsum et malum est non potest nisi permitti seu tolerari. Neque est inter catholicos, ne dicam inter homines cordatos, de hoc sensu iuridico istius axiomatis ambigendum. Nimis enim evidens est, potestatem humanam efficere non posse, ut falsum sit verum neque ut malum sit bonum. Quod ne Deus quidem efficere potest. His positis, ulterius dicendum est, axioma istud in re libertatis religiosae sensu hodierno nihil omnino valere. Hodiernum enim regimen libertatis religiosae nullatenus importat quod auctoritas publica positive affirmat religiones falsas esse veras. Sub regi-
[40] mine enim libertatis religiosae iure publico simpliciter agnoscitur, neminem esse constringendum ut agat contra conscientiam neve impediendum, quin secundum conscientiam agat. Quidquid alias valeat sermo de iuribus diversis veritatis et erroris, nullus est ei hic locus.

8. [*Tolerantia*]. Contra Declarationem obiicitur, Ecclesiam posse tolerantiam approbare, non tamen libertatem religiosam. Quodsi accurate intelligitur status quaestionis hodiernus, haec opinio non iam potest

sustineri. Etenim de hodierno instituto libertatis religiosae nequit dici [40]
quod, etsi in se sit malum, potest tamen tolerari ut minus malum ob maius bonum consequendum. E contra, hoc institutum affirmandum est ut in se honestum, cum in dignitate hominis et personali et civili solide fundetur. Ceterum tolerantia est animi habitus moralis, qui cum prudentia et caritate nectitur. Manet igitur urgenda, et ab Ecclesia adhuc urgetur, ad relationes personales inter concives quod attinet.

9. [*Pericula*]. Efferuntur a quibusdam pericula, ad quae haec Declaratio aditum possit patefacere. At si de periculis agatur oportet, non sunt negligenda pericula illa, quae Ecclesiae imminerent, si haec Declaratio non promulgaretur hominibus eam diu exspectantibus, sive catholici sunt sive non. Ceteroquin in vita Ecclesiae pericula latent undique. Illis autem forti animo obviam fieri, Ecclesiae munus est.

Conclusio

Ut vobis ex praedictis patet, venerabiles Patres, Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam, pro suum posse, accurate rationem habuit de observationibus circa primum Declarationis textum factis et de emendationibus propositis.

Antequam vestrae suffragationi proponeretur, textus a pluribus in theologia et in re iuridica specialiter versatis Patribus et peritis adamussim examinatus et approbatus est. Secretariatus sperat fore ut etiam vobis placeat haec nostra de libertate religiosa Declaratio, quae, ut neminem huius Synodalis Coetus fugit, undique in mundo exspectatur.

Utinam ipsa multum conferre possit ut vera mutua existimatio et authentica pax religiosa crescant in cunctis orbis civitatibus et denique pro universa familia humana aurora fiat illius fraternae unitatis in pace Christi, quae ab Angelis nuntiata est hominibus a Deo dilectis.

Moderator: Enixe gratias agimus quam maximas Relatori, pro relatione sua, et commissioni, pro labore in hac materia difficili et simul momentosa. Dolemus quidem durante sessione tempus non sufficiat perficiendum schema. Speramus tamen tempore opportuno ad optatum finem venturum esse. Interea transitus fit ad disceptationem Voti de matrimonio et praelegat secretarius generalis nomina eorum Patrum qui verbum petierunt.

Secretarius generalis: Circa schema voti *de matrimonii sacramento* verbum facere postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis in Australia; Ernestus Ruffini, arch. Panormi-

tanus in Italia; Ioseph Bueno, arch. Hispalensis in Hispania; Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis in Germania; Ioseph E. Ritter, arch. S. Ludovici in St. Foed. Am. Sept.

Deinde nomine plurium em.mus card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis; exc.mi ac rev.mi DD. Ioannes Krol, arch. Philadelphien. in Statibus Foed. Americae Sept.; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Franciscus Charrière, ep. Lausannen. Geneven. et Friburgen. in Helvetia; Paulus Taguchi, ep. Osaken. in Iaponia; Ioannes Heenan, arch. Westmonasterien. in Anglia; Lucas Sangare, arch. Bamakoen. in Malì; Petrus Moors, ep. Ruremonden. in Neerlandia; Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia; Adrianus Djajasepoetra, arch. Djakartan. in Indonesia; Simon Lourduswamy, ep. aux. Bangoloren. in India; Hermannus Tillemans, ep. vic. ap. Merauken. in Indonesia.

Et lego, Patres venerabiles, exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de educatione christiana*.

Praesentes votantes		1.879
Dixerunt	*placet*	1.457
	non placet	419
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		2

Ergo potest procedi ad ulteriores suffragationes et legitur textus primae suffragationis.

Exc.mus P. D. VILLOT, *subsecretarius*: Procedamus nunc ad I suffragationem, scil. de prooemio et tribus primis numeris, p. 11, a verbis: « Sancta oecumenica Synodus attente perpendit gravissimum educationis momentum in vita hominis... », usque ad verba « ad hunc finem Ecclesia de omnibus educationis instrumentis quam maxime sollicita est sicuti communicationis socialis media, iuvenum consociationes, multiplices corporis animique exercitationum coetus, quae ad animos excolendos hominesque formandos magnopere conferunt » [*cf. pag. 215-216*]. An *placet, non placet* vel *placet iuxta modum* hic textus.

Moderator: Loquatur nunc em.mus D. card. Benedictus Aloisi Masella, uti praeses commissionis competentis, et faciet introductionem schematis.

1 – VOTUM
DE MATRIMONII SACRAMENTO *

Textus prior

1. Matrimonium iam inde ab humani generis exordio ut sacrum amoris foedus ad dignam hominum propagationem sacramque vitae legem tuendam a Deo institutum, Christus Dominus ad sacramenti dignitatem ita evexit ut mirabili modo particeps fieret sanctitatis et firmitatis sui Novi et Aeterni Foederis cum Ecclesia (cf. *Eph.* 5, 32).

Qui ergo iam per baptismum sunt Christo iuncti et configurati, per matrimonii sacramentum Christum peculiari modo induant oportet eo amore, quo Ille Ecclesiam redemit ac reddidit matrem viventium fidelem, et illi fiunt amoris Ecclesiae erga Christum participes.

Profecto matrimonium, utpote humanae consortionis principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter christianos initum adnumeretur inter Novae Legis sacramenta, disciplina eius et cura, quod ad integritatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae Sponsae suae commissae sunt.

2. Ecclesiae autem officium est non solum ius divinitus revelatum et sancitum firmiter tenere et docere, sed etiam pro temporum locorumque necessitatibus eius observantiam tueri ac promovere per additas ecclesiasticas leges diversis condicionibus accommodatas, si-

Textus emendatus

1. [*Sacramenti matrimonii dignitas*]. Matrimonium iam inde ab humani generis exordio ut sacrum amoris foedus ad dignam hominum propagationem sacramque vitae legem tuendam a Deo institutum, Christus Dominus ad sacramenti dignitatem ita evexit ut mirabili modo particeps fieret sanctitatis et firmitatis sui Novi et Aeterni Foederis cum Ecclesia (cf. *Eph.* 5, 32).

Qui ergo iam per baptismum sunt Christo iuncti et configurati, per matrimonii sacramentum Christum peculiari modo induant oportet eo amore, quo Ille Ecclesiam redemit ac reddidit matrem viventium fidelem, et illi fiunt amoris Ecclesiae erga Christum participes.

Profecto matrimonium, utpote humanae consortionis principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter christianos initum adnumeretur inter Novae legis sacramenta, disciplina eius et cura, quod *praesertim* ad integritatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae Sponsae suae commissae sunt.

2. [*Ecclesiae erga disciplinam matrimonii officium*]. Ecclesiae autem officium est non solum ius divinitus revelatum et sancitum firmiter tenere et docere, sed etiam pro temporum locorumque necessitatibus eius observantiam tueri ac promovere per additas ecclesiasticas

---

* Hic fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 119, die 10 novembris 1964.

Textus prior

ve pastorale ministerium reddendo expeditius, sive eiusdem pericula remediis opportunis praecavendo.

3. Sacrosancta Synodus Oecumenica Vaticana II in Spiritu Sancto congregata animum convertit ad vigentes hodiernae vitae socialis mores rationesque sentiendi et cogitandi, quae in rebus multis nec levibus legitime ab iis differunt, quae anteactorum temporum propria et consueta erant; item ad condiciones vitae, quibus plures novi populi evolvuntur, plures iuvenes et familiae natale solum relinquere coguntur, ut vel urbes vel longinquas regiones petant, et homines diversae quoque stirpis et religionis una simul vivunt et ideo plurimis periculis obnoxii sunt, quibus vel ipsa nuptiarum validitas labefactari potest.

Concilium igitur exoptat ut futura legislatio canonica ad matrimonium quod attinet, magis consentanea curae animarum fiat, in iis praesertim quae in hoc Voto continentur, prout sequitur:

a) Cum reformationis principium e simpliciore disciplina desumendum sit, legislatio de matrimonii impedimentis ad nova temporis adiuncta accommodetur oportet, abrogatis impedimentis gradus minoris, sublata multiplicitate quorumvis impedimentorum, ceterisque impedimentis retractatis.

Textus emendatus

leges diversis condicionibus accommodatas, sive pastorale ministerium reddendo expeditius, sive *matrimonii* pericula remediis opportunis praecavendo.

3. [*Ecclesiae cura de matrimoniali disciplina*]. Sacrosancta Synodus Oecumenica Vaticana II in Spiritu Sancto congregata animum convertit ad vigentes hodiernae vitae socialis mores rationesque sentiendi et cogitandi, quae in rebus multis nec levibus legitime ab iis differunt, quae anteactorum temporum propria et consueta erant; item *prae oculis habet* condiciones vitae, quibus plures novi populi evolvuntur, plures iuvenes et familiae natale solum relinquere coguntur et homines diversae quoque stirpis et religionis una simul *viventes*, plurimis periculis sunt obnoxii, quibus vel ipsa nuptiarum validitas labefactari potest.

Concilium igitur exoptat ut futura legislatio canonica ad matrimonium quod attinet, magis consentanea curae animarum fiat, in iis praesertim quae in hoc Voto continentur.

4. [*De matrimonii impedimentis*]. Cum *legislatio de matrimonii impedimentis ad nova temporis adiuncta accommodetur oporteat*, reformationis principium e simpliciore disciplina desumendum *erit*.

Itaque:

a) *Impedimenta gradus minoris abrogentur.*

b) *Impedimenta consanguinitatis et affinitatis ne multiplicentur.*

c) *Votum quodlibet* PRIVATUM, *impedimentum canonicum ne constituat.*

d) *Omne votum* PUBLICUM *perpetuum castitatis perfectae, in professione religiosa,*

Textus prior

b) Quo opportunius condicioni personarum consulatur, ad matrimonia mixta quod attinet, salvis exigentiis iuris divini, leges canonicae de impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus accommodentur attentis peculiaribus normis quae Sacrosancta Synodus statuit de Oecumenismo.

Textus emendatus

tum solemni tum simplici, emissum, impedimentum dirimens matrimonii constituat.

5. [*De matrimoniis mixtis*]. *Ad matrimonia mixta quod attinet, quo opportunius, salvis exigentiis iuris divini, leges canonicae condicioni personarum consulant, ad mentem Decreti de Oecumenismo necnon declarationis de libertate religiosa, optandum est praecipue, ut separentur praescripta circa matrimonium partis catholicae cum parte baptizata non catholica et partis catholicae cum parte non baptizata. Dein vero sequentia serventur*:

a) *In omnibus matrimoniis mixtis ad impetrandam dispensationem impedimenti, pars catholica, graviter onerata conscientia, promissionem sinceram praestare debebit se, in quantum poterit, baptismum et educationem catholicam universae prolis esse curaturam.*

De his promissionibus a parte catholica faciendis, partem non catholicam (tempestive) *moneri oportebit, atque constare eam illis non repugnare; item certior pars non catholica fiat de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii a neutro contrahente excludendis.*

b) *Mixtae nuptiae forma canonica contrahendae sunt. Si autem graves huic servandae formae difficultates obstent, ne eae quae consensu vere matrimoniali publice celebrabuntur effectu validitatis careant, Ordinariis locorum facultas a forma canonica dispensandi tribuatur.*

c) *Matrimonium mixtum inter baptizatos, nisi iusta causa a celebratione Missae excuset, intra Missam celebretur. Matrimonium vero inter partem catholicam et partem non baptizatam, cum Missa et benedictione nuptiali celebrari poterit, si Ordinarius loci, attentis circumstantiis, id opportunum censuerit.*

Textus prior

c) Sancte servato principio de vitanda matrimoniorum clandestinitate sive de matrimoniis non exponendis periculo invaliditatis, forma substantialis celebrationis matrimonii ita retractetur ut et formae ordinariae usus facilior reddatur, et forma extraordinaria extra mortis periculum non omnino subtracta sit vigilantiae Ordinariorum.

Textus emendatus

d) *Excommunicatio in iure hodierno lata contra ineuntes matrimonium coram ministro acatholico abrogetur.*

6. [*De forma celebrationis matrimonii*]. Sancte servato principio sive de vitanda clandestinitate matrimoniorum sive de matrimoniis non exponendis periculo invaliditatis, forma *canonica* celebrationis matrimonii ita retractetur ut et formae ordinariae usus facilior reddatur, et forma extraordinaria extra mortis periculum non sit omnino subtracta vigilantiae Ordinariorum. *Unde, salvo iure proprio parochorum et loci Ordinariorum valide et licite assistendi matrimoniis in propriis territoriis*:

a) *Parochus et loci Ordinarius cuilibet sacerdoti facultatem etiam generalem concedere valeant ut, intra fines sui territorii, matrimoniis valide assistat. Ea autem facultate, nullus qui non sit vicarius cooperator licite uti valebit, nisi parochus vel loci Ordinarius in singulis casibus licentiam quoque assistendi dederit.*

b) *Matrimonium contractum coram sacerdote, contra iuris praescripta, validum declaretur, dummodo sacerdos non sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus aut talis declaratus vel ab Episcopo prohibitus, et matrimonium in Ecclesia vel oratorio publico celebretur.*

c) *Ad validum contrahendum matrimonium coram solis testibus extra periculum mortis, praeter condiciones praescriptas in iure vigenti, requiratur*:

1) *ut petitio Ordinario facienda, in quantum fieri poterit, omissa non fuerit, vel matrimonium non celebretur nisi post mensem ab interposita petitione sine responsione;*

Textus prior

d) Expeditior habeatur cursus causarum matrimonialium et, ad abusus praecavendos, disciplina processus matrimonialis congruis munimentis fulciatur. Nova statuatur horum processuum disciplina, in qua praecipue provisum cautumque sit tum de praeparatione et electione iudicum idoneorum, qui rerum ac personarum non sint ignari, tum de munere advocati gratuito exercendo, quantum fieri possit.

Casus qui in vigenti disciplina canonica a processu sollemni excipiuntur, modo definito amplientur.

In iis vero omnibus legibus ferendis eluceat spiritus caritatis et mansuetudinis Christi, qui semper aurea et perennis regula Ecclesiae est, et leges iudiciaque ecclesiastica informare debet.

4. Patres denique Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II, de tanti Sacramenti et dignitate et influxu in vitam christianam apprime conscii, tum pastoribus tum christifidelibus in memoriam revocant grave officium curandi aptam matrimonii praeparationem:

Textus emendatus

2) *ut matrimonium non celebretur contra Ordinarii vetitum.*

7. [*De processu matrimoniali*]. Expeditior habeatur cursus causarum matrimonialium et, ad abusus praecavendos, disciplina processus matrimonialis congruis munimentis fulciatur. Nova statuatur horum processuum disciplina, in qua praecipue provisum cautumque sit tum de praeparatione et electione iudicum idoneorum, qui rerum ac personarum non sint ignari, tum de munere advocati gratuito exercendo, quantum fieri possit.

Casus qui in vigenti disciplina canonica a processu sollemni excipiuntur, modo definito amplientur.

In iis vero omnibus legibus ferendis eluceat spiritus caritatis et mansuetudinis Christi, qui semper aurea et perennis regula Ecclesiae est, et leges iudiciaque ecclesiastica informare debet.

8. [*De necessitate praeparationis nubendorum ad matrimonium*]. Patres denique Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II, de tanti Sacramenti et dignitate et influxu in *familiarum totiusque societatis vitam* apprime conscii, tum pastoribus tum christifidelibus in memoriam revocant *gravissimum* officium curandi aptam matrimonii praeparationem, *tam remotam quam proximam.*

a) *Pastores animarum frequenter in memoriam parentum revocent obligationem curandi filiorum educationem, ut in ipsis informentur virtutes et humanae et christianae. Ad parentes imprimis pertinet tum prudenter et gradatim et tempestive filios instituere quoad mysterium vitae propagandae; tum curare ut filii discant in quo verus amor consistat, eum*

Textus prior

a) Pastores omnes conscientia tenentur, ut munus impertiendi catecheticam institutionem, aliis quoque sacerdotibus vel, si res postulet, etiam laicis viris ac feminis huic ministerio idoneis in auxilium vocatis, fideliter et impense adimpleant. De animarum salute solliciti, nupturientes tamquam oves sibi concreditas cognoscant eosque ad fidem, in qua baptizati sunt, strenue profitendam excitent atque ad amorem erga Christi Ecclesiam fovendum inducant sincero cordis affectu.

Textus emendatus

experiendo exercendoque erga familiares sodalesque studiorum ac laboris.

Doceant etiam iuvenes coniugem eligendum esse non caeco instinctu, sed vero ac recto et sincero affectu, eos fines in matrimonio prosequendo propter quos illud est a Deo constitutum.

Quod propositum precibus suis frequenter Deo commendent.

Pastores animarum, sereno animo et debita observantia acatholicis servata, fideles suos tempore opportuno edoceant graves difficultates, quas in matrimonio mixto tum pro partibus ipsis tum pro prole inesse possunt.

b) *Praeparatio proxima ad matrimonium peropportunam praebet pastoribus occasionem non solum ad futuros coniuges instruendos, sed etiam ad fidem in qua baptizati sunt excitandam et amorem erga Christum et Ecclesiam fovendum. Cum eis se praebeat parochus benignus atque indulgentia et caritate plenus.*

Et eis concedat tempus congruum ad fructuosum colloquium.

c) Pastores *officii sui* conscientia tenentur ut munus impertiendi catecheticam instructionem *adimpleant iuxta locorum, personarum ipsarumque nuptiarum adiuncta, secundum normas a competenti auctoritate ecclesiastica tradendas.*

Huius institutionis moderatores parochi habeantur, vocatis in auxilium aliis sacerdotibus et etiam laicis viris vel feminis huic ministerio idoneis. Valde *probantur industriae multarum synodorum dioecesanarum atque provincialium, et Conferentiarum Episcopalium, quae aptis modis futuros coniuges edocere atque iuvare contendunt.*

Ubi agatur de matrimonio mixto, peculiari modo adaptata catechesis habeatur.

Textus prior

b) Parochi canonicas praescriptiones circa praeparanda et investiganda ante matrimonium numquam omittant ac nulla de causa matrimonio assistant vel aliis sacerdotibus assistere permittant, nisi legitime sibi de libero constiterit statu contrahentium.

c) Pastores autem animarum summam praeterea curam habeant de parandis caeremoniis celebrationis matrimonii ut dignitas, pietas, significatio ritus sacramentalis eluceat et, coniuges imprimis, sed etiam ceteri adstantes, actuose participent.

5. Neque post coniugii celebrationem cesset pastorum sollicitudo.

Coniuges post nuptias subsidiis utantur, quibus vita christiana nutritur et augetur, animorum coniunctio in caritate magis magisque fovetur ac solidatur, filiorum educationi consulitur et Ecclesia aedificatur.

Textus emendatus

d) Parochi canonicas praescriptiones circa praeparanda et investiganda ante matrimonium numquam omittant ac nulla de causa matrimonio assistant vel aliis sacerdotibus assistere permittant, nisi legitime sibi de libero constiterit statu contrahentium.

e) Pastores autem animarum summam praeterea curam habeant de parandis caeremoniis celebrationis matrimonii ut dignitas, pietas, significatio ritus sacramentalis eluceat et, coniuges imprimis, sed etiam ceteri adstantes, actuose participent.

9. [*De cura pastorali coniugum post nuptias*]. Neque post coniugii celebrationem cesset pastorum sollicitudo. *Curent propterea ut* coniuges post nuptias subsidiis utantur, quibus vita christiana nutritur et augetur, animorum coniunctio in caritate magis magisque fovetur ac solidatur, filiorum educationi consulitur et Ecclesia aedificatur.

NOTAE

De forma celebrationis matrimonii

De forma ordinaria. – Nullum dubium esse potest de necessitate retinendae formae canonicae celebrationis matrimonii. Attamen usus huius formae, prouti in Codice Iuris Canonici determinatur, in praxi haud leves difficultates quandoque genuisse omnes norunt qui ministerio paroeciali incumbunt aut causas matrimoniales ex defectu formae pertractant.

Maior enim pars nullitatum matrimoniorum ex formae defectu, hodie originem habet ex delegatione vel invalide concessa vel carente in sacerdote, qui nuptiis forma ordinaria contrahendis assistit. Praeterea nullitates habentur ob incertum munus sacerdotis assistentis, ob assistentiam rectoris ecclesiae non paroecialis vel cappellani militum, ob delegationem concessam extra fines competentiae delegantis, ob incertos paroeciae fines.

Aliquod remedium in quibusdam casibus attulit applicatio canonis 209 *C.I.C.* de errore communi, praesertim post authenticam interpretationem datam die 26 martii 1952, qua declaratur praescriptum canonis 209 applicandum esse in casu sacerdotis qui matrimonio assistit sine delegatione. Sed neque haec interpretatio omnes tollit incertitudines, cum dubia habeantur circa limites et extensionem erroris communis.

Ad has diversas difficultates eliminandas, plures Episcopi in suis propositio-

[17] nibus ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam Concilii diversas proponebant rationes. Quidam enim petebant ut melius definiretur applicatio canonis 209, vel ut eius usus prohiberetur; alii proponebant mitigationem praescripti de necessitate delegationis faciendae sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum; alii proponebant ut forma celebrationis matrimonii non esset ad validitatem, sed solum ad liceitatem; iterum alii, ut delegatio extendi posset ad omnes sacerdotes iurisdictione praeditos, vel ad quemlibet sacerdotem approbatum intra limites dioecesis, vel ad omnes sacerdotes paroeciae quomodocumque addictos, et non solum ad vicarios paroeciales; quidam denique proponebant ut quodlibet matrimonium quocumque modo et loco coram aliquo sacerdote celebratum validum esset (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Voluminis II, pp. 166-174).

Cum Pontificia Commissio de disciplina Sacramentorum haec omnia bene perpendisset eorumque agnovisset fundamentum, solutionem quamdam praeparavit, quae bono communi et convenientiae iurisdictionis ecclesiasticae satisfacere posset (cf. Schema Decreti *De matrimonii sacramento,* p. 15).

In hac solutione:

1) imprimis sustinetur necessitas formae canonicae pro validitate matrimonii, atque etiam ipsa celebratio tanquam functio propria parochi et loci Ordinarii.

2) Extenditur regimen delegationum. Quod si quis non videat necessitatem
[18] licentiae parochi, post obtentam delegationem, ad assistendum singulis matrimoniis, attendat oportet delegationes generales consulere quidem matrimoniorum validitati, non vero liceitati, quippe quae postulet expletionem omnium quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

Haec autem a parocho vel loci Ordinario vel de eorum auctoritate peragi debent.

Licentia igitur est pro quodam « nihil obstat » quominus matrimonium celebretur, omnino necessaria, ne ex nova inducta disciplina delegationum generalium, abusus irrepere possint.

Delegationes ad singula matrimonia, communiter licentiam quoque includunt; at delegationes generales solum iis in casibus, omnino extraordinariis, eam includunt, in quibus vel dignitas personae delegatae vel alia peculiaris circumstantia id suadeat.

3) Providetur ut matrimonium celebratum coram quolibet sacerdote, certis tamen condicionibus, sit validum, etiamsi hic delegatione careat. Ita practice excluditur usus erroris communis. Sed cum assistere matrimonio sine debita delegatione et licentia parochi vel Ordinarii sit res gravis, sacerdoti qui ita scienter (« ausus fuerit ») assistat, gravis poena statuitur.

Hoc schema legislationis in Schemate Decreti *De matrimonii sacramento* sanciri proponebatur. In praesenti Voto ad duo principia reducitur (cf. n. 6, lit. *a*) et *b*) in futura legislatione necessario complenda.

De forma extraordinaria. – Forma canonica in celebratione matrimonii, quia iure positivo ecclesiastico praescripta, generatim servanda est, nisi in aliquo casu iuri naturali opponatur. Dantur autem casus, nec rari, in quibus observatio formae ordinariae impossibilis est, sive absolute sive relative.

Tunc vero, ex principio quo lex humana cum gravi incommodo obligare non potest, obligatio eam servandi cessat, cum opponatur iuri naturali quo omnis homo gaudet; in quo conflictu, ius naturale praevalere debet; et matrimonium contractum non servata forma a lege ecclesiastica praescripta, validum et licitum est.

Qua de causa, etsi per legem de forma canonica ordinaria valde bono publico consulatur, ea tamen non est ita urgenda, ut nimis coarctet naturale ius contrahendi nuptias; secus lex nociva et perniciosa evaderet. [18]

Ut hisce casibus occurratur, exceptiones a forma ordinaria in iurisprudentia SS. Congregationum efformatae sunt. Dein Decretum *Ne Timere* et Codex Iuris Canonici (can. 1098) illas in leges traduxerunt.

Necessitatem statuendi hanc formam extraordinariam in missionibus, ipsa rerum adiuncta vehementer suadebant. Paulatim vero etiam in regionibus ubi hierarchia catholica ordinaria constituta est, applicationem invenit in pluribus casibus, in quibus, pro animarum salute, matrimonii celebratio urgeat, nec forma ordinaria canonica iniri possit nisi actus civilis praemittatur; cuius positioni graves difficultates atque etiam impossibilitates, plerumque obstant.

At in applicatione formae extraordinariae plures abusus fiunt. Ut enim alii diversi abusus omittantur, sufficiat prae oculis habere hos tantum casus. Casus minorum, qui forma extraordinaria contrahunt quia parochus, attento canone 1034, eorum matrimonio assistere non vult. Casus coniugum qui nullitatem iam contracti matrimonii in tribunali probare non possunt et novum aliquando matrimonium forma extraordinaria contrahunt, inducti saepe a confessario, qui nullitatem eorum matrimonii cognoscit.

Omnes isti casus unum commune habent: quod ea via disseminantur matrimonia clandestina, quae adeo severe reprobavit Concilium Tridentinum.

Ad hos abusus impediendos, et practice clandestinitatem tollendam, remedium opportunum in eo invenitur, ut haec matrimonia aliquo modo vigilantiae Ordinariorum subdantur, introducendo condicionem ad validitatem, recursum nempe ad [19]
Ordinarium, in quantum fieri possit.

Hoc autem exoptabant plures Episcopi in suis propositionibus ad Concilium, quibus haec diversis modis postulare videntur (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Voluminis II, pp. 170-172).

Si innovatio prouti in Voto proponitur introducetur, legislationis ordinatio melior fieri, publicum Ecclesiae bonum aptius conservari atque cum iure ad nuptias, quod singuli habent, satius componi posse videretur.

2 – EM.MUS P. D. BENEDICTUS CARD. ALOISI MASELLA [3]
Praeses Commissionis de Sacramentorum disciplina *

INTRODUCTIO

Venerabiles Patres,

Commissio Conciliaris de disciplina Sacramentorum coram Vobis adstat cum humili Voto circa Matrimonii Sacramentum. Ne displiceat Vobis, venerabiles Patres, de exiguitate huius schematis quamdam explicationem me praebere velle paulo ampliorem, quam ea ab Excellentissimo

* Fasciculus, typis exscriptus, Patribus distributus est die 10 novembris 1964, in congregatione generali CXIX.

[3] Commissionis Relatore pro sua sollertia atque prudentia accurate scripta et mox legenda.

Cum de praeparandis quaestionibus actum est quae huic Concilio Oecumenico proponerentur, Beatissimus Pater Ioannes XXIII f. r. circa disciplinam Sacramentorum eas elegit quae in statu hodierno Ecclesiae maioris momenti esse videbantur. Videlicet, de Confirmatione, de Poenitentia, de Ordine, de Matrimonio, ac de sacerdotibus qui defecerunt. Pro singulis hisce argumentis quaedam speciales vitae ecclesiasticae necessitates significabantur, quibus satisfacere non exigui momenti pro vita pastorali erat.

Cogitate, venerabiles Patres, ex. gr., de gravibus quaestionibus circa aetatem administrandae confirmationis, quae renovationem pastoralem huius Sacramenti penitus insinuant; de necessitate agiliorem reddendi disciplinam pro audiendis confessionibus novis huius aetatis aptatam moribus, qui disciplinam confessariorum penitus fere novam requirunt.

Haec Sacrosancta Synodus in schemate constitutionis de Ecclesia de restauratione diaconatus permanentis egit, circa quam Vos, Patres venerabiles, disserentes audivimus sententiasque proferentes. Meum officium esse duco indicare nostram Commissionem Praeparatoriam de re amplissime egisse atque praeparavisse extensum schema, in quo non solum de principiis illius restaurationis agebatur, verum etiam de gravibus quaestionibus quae cum eo connectuntur. Quin etiam, totam quaestionem de ordinibus minoribus Commissio retractavit, quia eorum instauratio iuxta veterem praxim expedire videbatur.

Ad sacramentum matrimonii quod attinet, Commissio praeparatoria pleraque capita confecit; scilicet: de impedimentis matrimonialibus, de matrimoniis mixtis, de consensu matrimoniali, de forma celebrationis matrimonii, necnon de principiis fundamentalibus, in quibus futurus processus matrimonialis inspirari deberet. Ad quae adiectum fuit caput, in quo de praeparatione nupturientium ad matrimonium satis extense et modo omnino pastorali sermo factus fuit.

Denique, Commissio praeparatoria quaestionem de sacerdotibus qui
[4] defecerunt fuse tractavit, requisitis votis per consultationes apud peritissimos sive theologos, sive psychiatras, sive psychologos. Numerabantur doctores decem et octo qui benigne quaestionibus a Commissione propositis responderunt. Quae omnia una simul cum studiis ac conclusionibus a Commissione deductis, Superiore Auctoritate requirente, Secretariae Generali Concilii tradita fuerunt.

Haec quae modo dixi, non ut merita extollam Commissionis Praeparatoriae de disciplina Sacramentorum protuli, sed ut Patres Conciliares de gravibus argumentis apud nos tractatis informarentur.[1]

Cum post primam huius Concilii Sessionem, quaestionum in eo tractandarum novus elenchus factus est, Commissioni Conciliari de disciplina Sacramentorum contingit agere solum de Sacramento Matrimonii. Nec eidem propositum est de hoc Magno Sacramento sub omni aspectu tractare, prout quidam credere videbantur, sed de solo disciplinari, siquidem aliis Commissionibus demandatae erant quaestiones doctrinales vel morales. [4]

Commissio Conciliaris in quaestionibus a Commissione Praeparatoria iam discussis ac paratis alacriter laboravit ut eas ad unum schema reduceret, prout litteris diei 25 ianuarii 1963 a Commissione de Concilii laboribus coordinandis nobis datis facere iubebamur. Non defuerunt difficultates, cum agatur de argumento in quo concordari debet disciplina communis totius Ecclesiae cum illis quae in variis mundi plagis diversimode aguntur. Est enim matrimonii institutum a legibus quoque civilibus disciplinatum, atque nostra legislatio ne multum ab illa discedat, quantum potest, curari oportet. Argumentum praecipuum, seu de matrimoniis mixtis, quomodo et quibus difficultatibus retractatum sit, Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis, Relator Commissionis, in sequentibus tradet.

Gratias, autem, ex corde ago Patribus Conciliaribus, qui suas animadversiones ad nos transmiserunt. Multum enim profuerunt, ut nostrum argumentum sapientibus eorum consiliis progrederetur, atque ad quamdam maturitatem veniret. Rogo Vos, Patres venerabiles, ut attente legatis ea de quibus in Relatione ad schema prioris Voti adiecta, circa examen praecipuarum animadversionum, fuse disseritur.

Novissime autem circa textum propositi Voti aliae animadversiones nobis factae sunt. Eas quoque Commissio omni sollicitudine perpendit. Cum autem illas haud parvi momenti esse *aestimaverit,*[2] Commissio in eam sententiam venit, ut novum textum Voti, iuxta Patrum significationes emendatum et auctum, Patribus Conciliaribus offerret.

Confidimus fore ut Commissio de Codice Iuris Canonici reformando, ad quam remittere iussi sumus executionem eorum quae in schemate Voti continentur, principia seu Vota a nostra Commissione efformata, si Concilium Oecumenicum ea approbare dignabitur, in leges appositas traducat. Quod faxit Deus, cum de disciplina agatur, quae *in*
vita[3] Ecclesiae tanti sit momenti, atque ab eadem sanitas et valetudo [5]
spiritualis familiae christianae non parum pendere videatur.

Venerabiles Patres,

Post hanc enucleationem laborum sive Commissionis Praeparatoriae, sive Commissionis Conciliaris de Sacramentorum disciplina, nihil mihi

[5] restat nisi gratias referre quam maximas omnibus clarissimis Commissionis Sodalibus, et imprimis diligentissimo Secretario, Rev.mo P. Raimundo Bidagor, S. I., Professori in Pontificia Universitate Gregoriana, necnon Peritis ac Consultoribus, qui impigre mecum laboraverunt, atque scientiam, vires sollicitudinesque suas in commune opus contulerunt.

Etsi nostrum Votum modestam prae se ferat speciem, nostrum gaudium in eo reponitur quod de laboribus a nobis peractis, in nonnullis schematibus huic Concilio propositis, necnon in activitate quorumdam Dicasteriorum Romanae Curiae fructus quidam iam percipiuntur, et reliquos Commissio de reformando Codice Iuris Canonici, praesertim in actis nostrae Commissionis abundanter recolere poterit.

Dixi. Gratias.

In oratione: [1] deest. [2] existimaverit. [3] vitae.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. secretarius.

Exc.mus P. D. VILLOT, *subsecretarius*: Summus Pontifex coram admittet, crastina die, feria sexta, sequentes coetus episcoporrum: Primo: hora decima septima: Gallia, Belgium, Luxembourg, Monaco, Turchia, hora decima septima, à cinq heures; Secundo: hora decima nona cum quadrante, alle sette e un quarto: Britannia, Irlandia seu potius Hibernia, Islanda, Gibraltar, Malta.

Procedamus nunc ad II suffragationem super partes declarationis *de educatione christiana,* scil. super nn. 4, 5, 6, pag. 12, incipiendo a verbis « De scholae momento et de parentum iuribus: Cum vero inter omnis educationis instrumenta peculiare momentum habeat schola » usque ad verba « propterea illas auctoritates et societates civiles dilaudat quae familias in hoc munere explendo adiuvant » [*cf. pag. 216*]. *Placet, non placet,* vel *placet iuxta modum.*

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. Ioseph Schneider, arch. Bambergensis, uti relator nostri schematis.

3 – Exc.mus P. D. IOSEPH SCHNEIDER [6]
Archiepiscopus Bambergensis

RELATIO

Venerabiles Patres,

I. De ratione schematis efformandi.

1. Schematis Voti *De Matrimonii Sacramento* Relationem facturus, sermonem meum incipiendum duco a ratione seu causa enucleanda ...[1] cur Commissio Conciliaris de Sacramentorum disciplina formam Voti in argumento proponendo adoptaverit; quod quorumdam admirationem forsitan excitavit.

Verum ita factum est, quia Commissio de Concilii laboribus coordinandis nostrae Commissioni mandatum dedit ut schema decreti *De Matrimonii Sacramento* ab eadem exaratum « *ad aliquod Votum reduceretur* ». Quod Votum ...[2] recensere debebat necessitatem aut opportunitatem accommodandi ad nostram aetatem matrimonii disciplinam canonicam circa impedimenta, matrimonia mixta, formam celebrationis matrimonii, necnon circa processum matrimonialem.

Significare quoque iubebamur, quod in proxima Codicis Iuris Canonici recognitione leges ferrentur congruentes huiusmodi desideriis Concilii votisque.

Complendum autem erat Votum clara apertaque praescriptione ad omnes animarum Pastores lata, ut in praeparandos ad matrimonium nupturientes sedulo incumberent (cf. *Appendicem* ad schema Voti, pag. 13).

2. Commissio, cui iussum fuit talem dispositionem constrictam sequi, intellexit se in proponendis accommodationibus disciplinae matrimonialis non iam ad singula et particularia descendere debere.

Exinde censuit Votum novam formam ...[3] assumere oportere: exponendi nempe ea, quae in singulis schematis partibus seu capitibus eorumque statutis tamquam fundamenta iacebant, ut super eadem, ad instar principii, futura legislatio matrimonialis extrueretur.

In his exponendis, Commissio maximum tribuit pondus Animadversionibus, quas Patres Conciliares sollicite ad nos miserunt, quas ...[4] omnes attente examinavit; de iis in Appendice Voti prioris fuse disseritur.

Postquam ...[5] Votum, hoc modo redactum, typis impressum et Patribus missum est, plures Patres scripto, plures adhuc oretenus Votum

[7] arguebant, quod scilicet nimis breve sit, nihil concreti pro futura legislatione provideat, omniaque in indecisis et in obscuro relinquat.

Commissio ...[6] fundamentum illarum animadversionum agnoscens, in coetu die 14 octobris 1964 habito, eis satisfaciendum esse duxit. Quem in finem Commissio statuit, ut Votum a numero 3, litt. a, usque ad finem retractaretur ita, ut summa quaedam eorum praeberetur, quae in priore schemate decreti tam ad innovandum ius quam ad accommodandam actionem pastoralem praevisa ...[7] fuerant.

Insimul patet ...[8] prae oculis habenda fuisse ea, quae inde a tempore, quo schema prius ...[9] compositum erat, a Patribus, cum ad schema ...[10] tum ad Votum, animadversa sunt ...[11]

II. *De Voti structura.*

3. Votum, non secus ac schema decreti, incipit *Prooemio,* ...[12] in quo brevi consideratione attinguntur essentia, dignitas, fines matrimonii, et peculiariter matrimonii christiani, necnon auctoritas, quae Ecclesiae in illud competit; item ...[13] necessitas atque scopus disciplinae canonicae ...[14] circa matrimonium. Has autem considerationes ...[15] quadantenus perstringere opus fuit.

In praecedente schemate decreti, sicut omnes Patres legerunt, variis in locis, scilicet in prooemio et in singulis capitibus (cf. nn. 2, 5, 11, 12, et praeambulo cap. 5, n. 19), necessitas disciplinae accommodandae illustrabatur.

Illa *vero*[16] Votum verbis concisis numeri 3 comprehendere studet. Ne autem Concilium ...[17] « laudator temporis acti » appareret, mutationesque praesertim vitae socialis nonnisi lamentatione quadam deplorare videretur, quod nec verum nec iustum esse Animadversiones nobis factae edixerunt, Votum nostrum conditiones breviter indicat quae in praesenti magis urgent ad disciplinam matrimonii reformandam. *Propter quod significanter*[18] dicit talia ab anteactorum temporum consuetudinibus in multis nec levibus hodie *legitime differre* (cf. n. 3, lin. 23 s.). ...[19]

4. Quod recognitionem iuris circa *impedimenta matrimonialia* attinet, Commissio putavit normam generalem statuendam esse tanquam principium quod sequi oporteret. Nempe simplicior disciplina reddatur praesertim per abrogationem quorumdam impedimentorum.

In textu emendato magis concrete quam in Voto priori derogationes praecipuae proponuntur. *Quando dicimus: votum privatum impedimentum canonicum ne constituat, nullatenus negatur tale votum in sua obligatione morali subsistere ac nuptias prohibere donec rite solutum fuerit.*[20]

5. Circa *matrimonia mixta,* i. e. matrimonia mixtae religionis et disparitatis cultus, imprimis commemorandum esse censuimus, legem ecclesiasticam Legi Divinae semper subesse, cui servire debet. [7]

Animadversiones nonnullorum Patrum conscientiam nupturientium potius quam Legem Divinam appellandam esse suggerebant; cum autem id veram Ecclesiae missionem ac rei veritatem celare posse censeremus, illam admittere non potuimus. Itaque Divinae Legis exigentias in genere insinuamus. [8]

Dum autem in Voto priori peculiaria quoad Legem Divinam itemque *particulares innovationes* in lege Ecclesiae inducendae, brevitatis causa, non distincte exponebantur, sed ...[21] sola lineamenta generalia indicabantur, in textu emendato ...[22] praeterea iam capita fundamentalia innovationis aperiuntur.

Quod sic dictas *cautiones* attinet, modus commendatur, qui magis consentaneus appareat aestimationi, quam homines nostrae aetatis responsabilitatis propriae ...[23] habere consueverunt.

Quod *formam* attinet, norma suggeritur, quae validitati matrimonii mixti *itemque* [24] communioni conservandae inter nupturientem catholicum et pastorem animarum caveat, quando forma canonica propter peculiares difficultates non servetur ...[25]

Quod *ritum* celebrationis ...[26] attinet, proponitur ordo, ex quo patefiat mutatio, quae in mundo christiano ac in relationibus communitatum christianarum feliciter obtinuit.

Ex eadem ratione abrogatio poenae can. 2319, § 1, n. 1, desideratur.

6. Quoad *formam canonicam* celebrationis matrimonii ordinariam, a multis optabatur ut occurreretur defectibus, qui identidem ratione strictioris iuris vigentis orti sunt. Hinc in Voto emendato breviter indicantur normae, quae condiciones validae assistentiae minus constringunt, quin tamen periculo abusus viam pandant.

Quoad *formam* vero *extraordinariam* fines applicationis accuratius efformandi edicuntur.

7. De eis, quae Votum quoad *processum matrimonialem* optat, observare mihi liceat haec: ex Animadversionibus Patrum videre erat vix quemquam propositis in priore schemate emendationibus quantum ad substantiam contradicere. Hae facile proinde, summarie collectae, Voto inseri potuerunt.

8. Veniam denique ad praescriptiones, quae ex iussu nobis facto *pastorale munus* respicere debuerunt. Votum hac in parte ex *Instructione Pastorali* schemati priori adnexa sola principaliora assumere potuit. Ea

[8] sunt quasi summa adagia, quibus et pastores animarum et christifideles, quoad praeparationem futurorum coniugum remotam et proximam, dirigi oportet. Ulterior explicatio directorio cuidam reservanda erit.

[9] 9. Ad finem demum Voti paucis verbis attingitur momentum, quod et curae pastorali coniugatorum et vitae christianae ipsorum coniugum inest.

10. Quidam Patres conquesti sunt Votum non referre mentem Ecclesiae de gravi quaestione « prolis regulandae », sive de fine et usu matrimonii, cum tamen in hac re mundus excitetur verbumque Concilii exspectet.

Commissio Conciliaris de Sacramentorum disciplina ad haec respondet: sui iuris non esse illas quaestiones dirimere, cum ad doctrinam fidei et morum, non autem ad disciplinam sacramenti matrimonii pertineant.

11. Concludendo dicere mihi liceat haec: Votum prout emendatum nunc exstat, formam Voti adhuc servat, sicuti mandatum fuit Commissioni nostrae a Commissione de Concilii laboribus coordinandis. Adhuc quoque brevi tantum conspectu praebet ea, quae in disciplina sacramenti matrimonii innovanda censentur.

Commissio dum sperat se et mandato sibi officio et animadversionibus ac aliis quibusdam desideriis Patrum ex aequo satisfecisse, iudicio Patrum iudicandum et benevolentiae Patrum approbandum exhibet et commendat id, quod ipsa studio et patientia perficere sategit.

In oratione: [1] vel potius recolenda. [2] ex iussu Commissionis. [3] scil. a forma decreti diversam. [4] Commissio. [5] tamen. [6] nostra. [7] et fusius exposita. [8] in hac nova retractatione. [9] decreti. [10] decreti. [11] Haec quoad historicum processum Voti praeiacentis. [12] quod continetur in n. 1 et. [13] attingitur. [14] in genere. [15] quasi praevias. [16] omnia. [17] hac in re. [18] Et de eis signanter. [19] Nunc ad singulas partes accommodationum. [20] deest. [21] quoad. [22] nunc. [23] et sic dignitatis suae. [24] ex una parte itemque ex altera parte. [25] Quod formam in matrimoniis mixtis sequendam attinet, maioris forsitan claritatis tandem causa, liceat mihi addere sequentia: 1. Agitur in hoc articulo de facultate ipsorum iudicum. Quod iudicium diversum erit, immo esse debebit, secundum diversas variarum regionum et personarum circumstantias. 2. Agitur de facultate quae iam habetur in quibusdam terris missionum, et quae nunc in nostro voto extendenda dicitur ad omnes Ordinarios locorum; ipsa haec facultas de facto in certis casibus magnum iuvamen praebebit curae pastorali ad melius solvendum problemata aliqua adeo vexantia in materia matrimonii mixti. [26] in matrimoniis mixtis.

Durante oratione exc.mi relatoris, exc.mus P. D. VILLOT, *subsecretarius, monuit*: Procedamus nunc ad III suffragationem, scil. de nn. 7-8

declarationis *de educatione christiana,* a verbis, pag. 12, ultimis lineis, « De scholis catholicis. Conscia quoque proprii iuris scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi » usque ad « et in hodiernis praesertim societatis conditionibus scholas commendat quae professionales et technicae nuncupantur necnon instituta erudiendis adultis destinata et scholas in quibus educantur qui, ob naturae defectum, peculiari indigent cura » [*cf. pag. 217*]. An *placet, non placet* vel *placet iuxta modum* hic textus.

Moderator: Gratias agimus et em.mo praesidi et exc.mo relatori, pro relationibus suis, et commissioni, pro labore optime perfecto. Et nunc loquatur exc.mus D. secretarius.

Exc.mus P. D. VILLOT, *subsecretarius*: Procedamus nunc ad IV et ultimam suffragationem, scil. super nn. 9-10 necnon super conclusionem declarationis *de educatione christiana,* a verbis « De Facultatibus et Universitatibus catholicis. Superiores pariter scholas praesertim Facultates et Universitates Ecclesia sedula prosequitur cura » usque ad ultima verba declarationis « eos vehementer hortatur ut in suscepto munere generose perseverent et tum in arte paedagogica tum in scientiarum studio ita excellere nitantur ut beneficam Ecclesiae praesentiam in hoc mundo intellectuali moderno servent et augeant » [*cf. pag. 217*]. *Placet, non placet,* vel *placet iuxta modum* hic textus.

8

EM.MUS P. D. NORMANNUS THOMAS CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

Venerabiles Patres et omnes adstantes,

Votum *de matrimonii sacramento* quasdam normas particulares et quidem valde practicas, in redactione Iuris Canonici adoptandas, proponit eo fine laudabili ut contractus matrimonialis stabilius firmetur, praecavendo scil. ne matrimonium propter ignorantiam legis vel negligentiam adeo facile invalide ineatur. Quod quidem schema nostrum facit tum abrogando nonnulla impedimenta dirimentia iuris mere ecclesiastici, tum etiam noviter disponendo de sacerdote qui matrimonio valide (etsi non semper licite) assistere possit. Quaedam tamen eaque pauca, quanquam non levioris momenti, indicare velim ut finis intentus efficacius, ut opinor, attingatur et matrimonii sanctitati melius consulatur.

1. Ad matrimonia mixta quod attinet. Recte quidem manet Ecclesiae prohibitio, ita ut absque dispensatione auctoritatis competentis ecclesiasticae contrahi non possint. Omnino enim requiritur ut matrimonia mixta sub auctoritatis ecclesiasticae vigilantia maneant propter rationes pastorales.

2. Antequam permittatur matrimonium mixtum, postulatur certitudo moralis — quantum de actibus humanis futuris certitudo haberi potest — de absentia periculi perversionis coniugis catholici et prolis.

Quodsi tale periculum adsit, ipsa lege divina matrimonium vetitum manet. Ad iudicium vero prudens efformandum, et quidem iudicium moraliter certum, evidentia haberi debet. Proponitur in schemate ut loco cautionum regulariter in scriptis faciendarum, ut in lege vigente requiritur, pars catholica promissionem sinceram praestare debeat, se, in quantum potuerit, baptismum et educationem catholicam universae prolis esse curaturam; et ut pars non-catholica moneatur de his promissionibus a parte catholica faciendis, et ut constet eam illis promissionibus non repugnare. Regulariter, in istis circumstantiis certitudo haberi potest de perversionis periculi absentia. Tamen ut de promissionibus a parte catholica datis et de consensu partis acatholicae in foro externo constari possit, propono quod promissiones coram parocho vel eius delegato praestentur; similiter, ut monitio a parocho vel eius delegato parti acatholicae detur, cui sacerdoti etiam constare debeat partem acatholicam rem bene intellexisse et libenter consentire.

3. Ad servandam validitatem consensus matrimonialis, tota quaestio de forma canonica examini profundiori subiciatur, attentis adiunctis Ecclesiae in mundo moderno, ita ut si supremae auctoritati ecclesiasticae placuerit, consensus qui traditur et acceptatur tali modo ut minime celari possit, omnia matrimonia, sive mixta sive inter catholicos, contracta cum sollemnitatibus quae iure civili postulantur, quaeque publico documento probari possint, tamquam valida, quamquam illicita habeantur, dummodo, uti patet, non obstat impedimentum dirimens.

Matrimonia huiusmodi dici nequeunt sensu stricto clandestina, nam publice celebrantur. Ex altera parte, si invalida habeantur, filii effectibus canonicis privantur, et — quod ad salutem animarum maxime pertinet — partes manent in proxima occasione peccati. Uti patet, ex rei natura, scandalum reparandum erit, modo in novo iure statuendo.

4. Non placet ut facultas Ordinario tribuatur in Ecclesia Latina dispensandi, ita ut matrimonium coram officiali vel ministro acatholico licite contrahatur. Ut videtur, hoc sine scandalo et indifferentismi periculo permitti non posset. Insuper onus sat magnum et continuum equidem

conscientiae Ordinarii imponeret. Propono, igitur, ut paragraphus (b), numeri quinti a schemate deleatur.

5. Ne matrimonia mixta sat frequenter ex alio capite, scil. propter impedimentum disparitatis cultus, invalida reddantur, fiat impedimentum « disparitatis cultus » unum idemque impedimentum ac impedimentum « mixtae religionis », quod matrimonium non dirimit. In novo Iure « mixta religio » sic definiri possit: « matrimonium inter duas personas, quarum una est catholica, altera vero acatholica ».

Et sic non amplius vigeret impedimentum « disparitatis cultus ».

6 et ultimo. Loco par. 5, c, substituatur forma simplicior, scil. « Matrimonium mixtum cum Missa et Benedictione Nuptiali celebrari poterit, si Ordinarius Loci, attentis circumstantiis, id opportunum censuerit ».

Haec, Patres venerabiles, sincere et humiliter considerationi vestrae propono, sperans fore ut post maturam deliberationem, in proxima Oecumenici Concilii sessione res fusius tractari possit, ad stabilitatem matrimonii magis firmandam eiusque sanctitatem efficacius custodiendam. Dixi. Gratias.

Exc.mus P. D. VILLOT, *subsecretarius*: Communico vobis, venerabiles Patres, exitum I suffragationis super declarationem *de educatione christiana,* scil. super prooemium et tres primos numeros.

Suffragium tulerunt Patres	1.891
Dixerunt *placet*	1.592
non placet	157
placet iuxta modum	140
Suffragia nulla	2

Ergo hic textus approbatus est a congregatione generali.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad declarationem de educatione christiana

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD DECLARATIONEM DE EDUCATIONE CHRISTIANA *

1

EM.MUS P. D. NORMANNUS THOMAS CARD. GILROY

Archiepiscopus Sydneyensis

Toto corde haereo verbis em.mi D. Francisci card. Spellman, die 17 novembris in aula prolatis, circa *iustitiam* a Statu Civili parentibus reddendam qui pueros ad scholas a Statu independentes mittunt.

Scio ita quoque sentire omnes Australiae episcopos qui et privatim et publice mentem eorum super hac re multoties aperuerunt.

Propterea rogo ut in schemate emendato, n. 4, pag. 12, in fine, ponantur ea verba quae in textu priori, n. 6, hanc magni momenti quaestionem explicite tangebant. Non sufficit enim implicita indicatio quae in novo textu invenitur.

Eae enim plures hierarchiae quae per plures pluresque decemplices annorum pro praedicta iustitia strenue et indesinenter laboraverunt, et adhuc laborant, ius habent ut ab ipsis Concilii Patribus haec res iudicetur.

2

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaensis

« Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10). Quamvis haec verba Christi imprimis agant de vita gratiae, cuius participes facti sumus, certe tamen vita divina *totum hominem* attingere et renovare debet, quia Dominus totum hominem redimere et liberare vult. Neque dubium est, quin educatio praecipuis eiusmodi liberationis instrumentis annumeretur.

Laudanda est relatio praevia, qua novae dimensiones educationis in luce ponuntur. In ipso quoque textu declarationis multa principia optima proponuntur, quae sunt veluti cardines educationis (anglice: key principles; gallice:

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

principes clés). Sed quaeri potest, num pro re tanti momenti simplex paucorum principiorum declaratio sufficiat.

Quod attinet ad textum declarationis, liceat mihi quaedam enucleare principia, quae ubique terrarum et speciatim etiam apud nos in terris missionum valent.

Commissio bene fecit, quod *titulum* declarationis ad integram educationem christianam extendit. Nam « educatio christiana » 1) totam vitam humanam respicit et 2) quibuslibet utitur methodis aptis ad institutionem et formationem filiorum Dei; inter quas methodos iure ac merito eminent scholae catholicae optime meritae et merentes de educatione christiana.

Nequaquam tamen educationem finibus scholae circumscribamus. Probe etiam novimus scholas catholicas propter rerum adiuncta aliquando servari non posse. Praeter scholas catholicas aliae quoque viae explorari debent, ut Ecclesia cunctos filios ad vitam christianam educare possit. Sic in regionibus, in quibus desunt scholae catholicae, parentes catholici pro viribus providere debent de filiorum educatione vere christiana.

Tota nostra consideratio innititur dignitati personae humanae ex qua « maxima debetur puero reverentia » (IUVENALIS, *Satira* XIV, 47). Proinde ab omnibus agnoscendum est *ius nativum ad integram educationem,* quod habet omnis homo cuiusvis stirpis vel sexus, ita ut plenam vitae suae perfectionem consecutus vocationi divinae respondere possit.

Sed gravissima agitatur quaestio, cuinam officium et ius hanc educationem curandi primo et directo competat. Ad educationem filiorum *ex iure naturae* a Divina Providentia prae ceteris *designati sunt parentes,* qui numquam hac obligatione exonerari possunt, quaecumque subsidia familiae ab Ecclesia vel a Statu suppeditantur.

Bene ergo in *numero quarto declarationis* de parentibus notatur: « His primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ideoque scholas libere condendi et eligendi, quovis scholae monopolio excluso, quod nativis personae humanae iuribus adversatur; necnon necessaria subsidia a societate civili obtinendi ».

In internationali *charta iurium hominum,* qua conscientia hominum nostrae aetatis exprimitur, sollemniter proclamatur libertas parentum in educandis filiis, quae est quasi radix et nucleus omnis libertatis, cum sine ea libertas familiae asseri nequeat. Sine hac libertate omnis libertas concidit. Propterea *reprobandum est quodvis scholae monopolium,* sub quocumque praetextu instaurandum, quia libertati humanae et speciatim libertati conscientiae adversatur.

Status vero officium et ius habet adiuvandi pro sua facultate educationem integram civium, omnibus nativis personae humanae iuribus servatis. Sic necessaria subsidia familiis praebere debet, ne, contra quam legitime malint, moraliter ad status scholas liberos suos mittere cogantur (cf. PIUS XI, *Divini illius magistri*: DENZ., ed. 1963, n. 3694).

Iam quaedam de Missionibus addere mihi propono. Ecclesia, quae ver-

tentibus saeculis culturas semper servavit et provexit, etiamnunc ubique est mater et magistra veritatis. Ex historia certissime constat statum culturae humanae vixdum Evangelio praedicato elevari. Quam veritatem Pius Papa XI confirmabat hoc praecepto: « Primo loco scholae condantur, et solummodo postea ecclesiae aedificentur ». Nam schola christiana est germen vitae divinae et culturae humanae. Ceterum in regionibus, quae hodie sui iuris sunt et in autonomia ad rei oeconomicae ac culturalis incrementa tendunt, progressus culturae et ipsa libertas seu autonomia ex magna parte scholae christianae debentur. Saepissime enim schola christiana fuit prima regionis schola, in qua semina fidei et excultioris vitae modernae sparsa sunt. Plurimi ex eis, qui hodie liberae rei publicae praesunt vel in artibus ac doctrinis eminent, initio vitae primam institutionem in scholis christianis acceperunt. Etiamnunc multi parentes non-christiani scholis christianis filios concredunt, ut eorum formatio integra tam moralis quam intellectualis in tuto ponatur. Profundus et firmus nostrarum nationum progressus ex incrementis scholae christianae magnum incitamentum capiet.

Appellamus ergo omnes nationes, quae nos adiuvare possunt et speciatim Universitates, ut urgentissimis nostris necessitatibus subveniant.

Gubernatoribus autem nostrarum rerum publicarum sincere affirmamus nos expostulare libertatem et necessaria auxilia, ut *parentes* officium educationis a Deo sibi commissum libere adimplere possint. *Ecclesia* vero habet ius, quod abdicare, et officium, quod deserere nequit, spiritualem filiorum suorum educationem rite perficiendi et parentes in munere educationis adiuvandi. Nam educationem filiorum nostrorum curare volumus et debemus. In animo est officia nostra atque partes suscipere in opere immenso, ad quod vix omnium vires sufficiunt.

Ecclesia, quae privilegia et monopolium recusat, nativa parentum iura semper tutatur atque defendit et iustam libertatem sibi vindicat, ut homines ubique adiuvare possit in inquirenda veritate et in prosequendo progressu. Ita fiet, ut libertas et veritas in omnibus serventur.

3

Exc.mus P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZÁBAL
Episcopus Santanderiensis

Paucissimis verbis unum proponere vellem, ut magis magisque firmatos in suo labore educationali se sentiant, qui divinam prosequentes vocationem tam optime de Ecclesia sunt hucusque meriti.

Et quidem merito in n. 9 Ecclesia se profitetur gratissima erga religiosos et laicos utriusque sexus, qui sanctissimo ac omnino necessario operi de iuventute christiane educanda, se tradunt. Merito insuper eos adhortatur ad operam in scholis catholicis in dies impensius praestandam.

Non est cur hic extollamus sublimitatem ac necessitatem tanti muneris,

quod iam egit Summus Pontifex Pius XI in Encyclica *Divini illius Magistri,* 31 decembris 1929 (*A.A.S.,* 22, pp. 49-86).

At ob peculiaria nostri temporis adiuncta liceat mihi iudicare opportunum esse ut Oecumenicum Concilium Vaticanum II specialem det locum, in hoc de scholis catholicis schemate, iis Institutis Religiosis virorum laicalibus, qui tamquam proprium et praecipuum, quin immo unicum, ministerium hoc de christiana iuventute educanda, profitentur.

Eorum Sancti Conditores, quamvis forte ipsi sacerdotes fuerint, tamen non sacerdotium, non officia sacerdotalia pro filiis suis quaesierunt, sed praetulerunt ut in statu laicali semper viventes se totos ac totum tempus huic praeclarissimo operi dicarent.

« Religiosa sodalitas, ait Pius Papa XII, quamvis fere unice ex iis constet, qui peculiari Dei vocatione, sacerdotii dignitati iisque solatis quae ex eo oriuntur, renuntient, *magno tamen apud Ecclesiam in honore est,* ac sacros ministros in christiana iuventutis conformatione, summopere adiuvat » (Epist. ad Card. Valeri, 31 mart. 1954: *A.A.S.,* 46, p. 202).

Porro quis recensere valeat horum Institutorum merita, et uberrimam spem in eorum prosperitate fundatam, his praesertim temporibus quibus iuniorum multitudo institutione indigentium in dies crescit, et quos aliunde schola athea a christiana educatione avertere conatur? Quis dinumerare poterit quot S. Ecclesiae cardinales, episcopi, sacerdotes, religiosi ex illorum scholis prodierint? Quot viri laici qui summa officia cum laude in societate civili sunt adepti?

Sine numero dixeris animarum Pastores, qui ab Institutis laicalibus religiosis virorum optimos educatores efflagitant; at forte non desint qui talia Instituta, ut par esset, non aestiment, quod quidem Supremi illarum Congregationum Moderatores deplorant; quo etiam fit quandoque ut quidam religiosi dubium concipiant de vero valore suae functionis educatricis.

Adde quod, occasione huius Concilii Vaticani II, quidam harum Religionum sodales scripta receperunt quibus propugnatur quorumdam ex eis quasi « ascensus » ad sacerdotium, aut saltem ad diaconatum. Quod quidem in detrimentum pacis et concordiae internae, et integritatis Religionis ipsius facile vergeret. Hoc ipsi Supremi Institutorum Moderatores merito timent.

Quibus perpensis haec proponenda humiliter censuimus. Post n. 9 schematis, novus addatur numerus quo sequentia indicentur:

a) ob specialia adiuncta hodierni temporis Sacrum Concilium peculiarem attentionem praestandam statuit, iis Institutis Religiosis laicalibus, qui educationi iuventutis incumbunt.

b) Fratres educatores horum Institutorum proclamentur conciliariter vero et pleno sensu canonico *religiosi* (can. 488, n. 7), iisdem vel similibus verbis ac fecit Pius XII, in memorata epistola ad card. Valeri.

c) Eis agnoscatur ius ut in conventibus et institutis cuiusvis generis de diversis statibus perfectionis agentibus, partem illam habeant quam eorum competentia propria sinat.

d) Edoceantur fideles circa ea quae vocationem specificam huiusmodi Fratrum spectant, ut ad eam amplectendam alliciantur, prout Dei voluntas sese manifestaverit.

e) Animarum Pastoribus enixe commendetur ut magni faciant haec Instituta, eis quantum fas sit faveant, eorum opere libere utantur; etenim hi sodales religiosi opus apostolatus praestant, quod a Concilio agnoscitur tamquam insignis participatio operis pastoralis in Ecclesia.

f) Ipsi denique sodales harum Religionum suam vocationem magni aestiment, eaque Deo et Ecclesiae impense inservire satagant, certi de retributione a Deo, de efficacia singulari laboris et de gratitudine iusta, ex parte societatis totius et praesertim omnium, qui ipsos ut magistros in adolescentia nostra audivimus.

* * *

Schema emendatum declarationis *de educatione christiana,* olim de scholis catholicis nimiam forte brevitatem prae se fert. Faxit Deus ut revera haec pauca principia a Concilio Oecumenico summa auctoritate edicta conferant ut hoc « grande officium » et « immensum servitium » educationis in multiplici sua « dimensione » scil. universali in extensione, humana et sociali, apostolica et iuridica, ampla accipiat incrementa et tota communitas ecclesialis, totus populus Dei, sub hierarchiae vigilantia, suam operam in dies intensiorem praestet.

Quod ut melius fiat, aestimo faciendam esse quasi recapitulationem — utique generalem et non minimam in enumeratione — « exercitus » pacifici educatorum et scholarum christianarum a prima schola, nomine et re materna, ut est familia, a primis magistris iure docendi a natura inditis ut sunt parentes usque ad apicem scholarum et magistrorum in facultatibus et universitatibus. Aliquid per modum conclusionis dicitur in ultima paragrapho declarationis sed illa « viginti verba » et duae alineae maiorem extensionem postulant, attenta praecipue dimensione pastorali schematis et erectione animi educatorum omnium, quae expectari potest ut fructus ipsius.

Liceat mihi — nomine tantum proprio loquenti, sed votis annuenti Superiorum generalium septem Institutorum Religiosorum a Scholis, Educatione et Instructione Christiana, circiter 40 millia religiosorum virorum complexive numerantium —, enixe rogare ut in praedicto perbrevi et laudatorio elencho pacifici exercitus educatorum fiat expressa mentio Fratrum docentium, non sacerdotum.

In disceptatione uberrima alius schematis, de vita religiosa, seu « de accommodata renovatione » eiusdem, petitum est ut explicite innueretur criterium de excellentia vitae religiosae in se, etiam cum non sit coniuncta cum sacerdotio, vel ministeriali apostolatu.

Et quamvis tali observationi apposite responsum sit sufficere tenorem schematis, tamen ipsa commissio fatetur: « Non est autem negandum adesse specialem necessitatem inculcandi vitam religiosam sine sacerdotio, aliquid

completum et per se stans constituere, praesertim erga illos, qui asserunt Fratres docentes ad sacerdotium accedere debere » (Appendix, pag. 15).

Forsan hic melius quam illic haec « necessitas » a Commissione recognita provideri possit. Extra tentamen ullum polemicum. Cum simplici et laudatoria relatione, paucis verbis, stylo directo.

Merito quidem Ecclesia se profitetur gratissimam erga omnes — religiosos et laicos — utriusque sexus, qui sanctissimo et omnino necessario operi de christiana iuventute educanda, se totos tradunt. Merito utique eos adhortatur ad laborem in dies progredientem in scholis catholicis magis magisque conferendum.

Non est ergo cur extollamus hic sublimitatem tanti ministerii, quod iam egit Pius Papa XI in Encyclicis Litt. *Divini illius,* abhinc 30 annis (31 decembris, 1929: *A.A.S.,* 22, pp. 49-86).

At ob peculiaria adiuncta nostri temporis — recolantur verba Commissionis ante relata — iudicarem oportere ut Oecumenicum Concilium Vaticanum II specialem attentionem praestet iis Institutis Religiosis virorum laicalium, qui tamquam proprium, immo unicum munus, hoc de christiana educatione iuventutis amplexi sunt.

Sancti eorum Fundatores, forte sacerdotes et ipsi, tamen non sacerdotium, non officia sacerdotalia filiis suis quaesierunt, sed praetulerunt ut in statu laicali semper manentes integras vires et totum tempus huic docentiae summo operi dicarent.

Ad rem apposite Pius Pp. XII fel. rec.: « Religiosa sodalitas quamvis fere unice ex his constet, qui peculiari Dei vocatione, sacerdotii dignitati, iisque solatiis, quae ex eo oriuntur renuntient, magno tamen apud Ecclesiam in honore est, ac sacros ministros in christiana iuventutis conformatione summopere adiuvat » (Ep. ad card. Valeri 31 martii 1954: *A.A.S.,* 46, p. 202).

Et quidem quis recensere valeat horum Institutorum merita, his praesertim temporibus, quibus iuniorum multitudo, institutione indigentium — et humana et supernaturali — in dies crescit et quos aliunde atheismus a recto ordine avertere conatur (*Verba Relatoris,* p. 7).

Quis poterit dinumerare quot S. R. Ecclesiae cardinales, episcopi — quos inter ego —, sacerdotes et religiosi ex illorum scholis prodierunt? Quot viri laici qui summa officia in societate civili et in operibus pietatis caritatis et apostolatus ubique sunt adepti?

Innumeri sunt utique animarum Pastores qui ab istis Institutis laicalibus virorum, quam optimos efflagitant educatores. At forte non desunt qui talia Instituta minus aequo aestiment; immo iisdem obicem in eodem munere exercendo quandoque ponant. Quod quidem Supremi illarum Congregationum Moderatores deplorant. Quo etiam fit — et hoc quidem adhuc plus dolendum — ut quidam ex his religiosis dubium concipiant de vero valore suae functionis educatricis immo et suae vocationis.

His adde quod occasione Concilii nostri, quidam accesserunt, scripto et ore, ad ipsos sodales, propugnantes accessum ad ordines sacros — ad presby-

teratum vel saltem ad diaconatum — istorum religiosorum. Quod quidem in detrimentum pacis et concordiae, intra domestica saepta, et in iacturam fidelitatis ad spiritum primaevum fundationis ipsius sine dubio vergeret. Hoc et ipsi supremi harum Religionum Moderatores formidant.

Quapropter auderem proponere ut explicita citatio fratrum laicalium docentium fieret in conclusione huius declarationis, quando « Ecclesia gratissimam se profitetur erga sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos qui sui deditione evangelica in immensum educationis opus incumbunt. Facilis et simplex est additio quam suggero.

Sic, ut puto, vacillantes confirmabuntur in sua vocatione, fideles allicientur ad hanc perfectionis et apostolatus viam aggrediendam, animarum Pastores operam dabunt ut cuncta sint prospera in his Institutis et auctoritate Concilii complebitur quod disertis verbis dixit suo tempore Pius Pp. XII.

Spero quod tot episcopi, qui ut hic minimus qui haec verba facit coram Concilio, primam institutionem christianam ab istis fratribus acceperunt in suis scholis, mecum consentient in hoc Voto.

4

Exc.mus P. D. PETRUS BIRCH

Episcopus Ossoriensis

Principia in hac declaratione statuta non omnino placent, praesertim vero quia non sunt completa. Declaratio de educatione christiana agit, sed eius principia non ad educationem sed ad scholas respiciunt. Nulla ratio habetur aliorum educationis mediorum, quorum primum idque maximi momenti est familia.

Verum est quod in n. 4 parentes dicuntur « primum et inalienabile officium » habere, et in n. 6 de eorum « gravi officio » fit mentio. In utroque autem casu agitur de eorum libera electione scholae, deque eorum officio filios suos ad scholam mittendi. Hoc tamen non sufficit. Parentes enim ius et officium habent partem magis personalem agendi in filiis suis educandis, nec possunt hoc officium in scholas totaliter transferre.

Ius et officium parentum filios suos educandi fluit ex consideratione familiae et societatis, et pro christianis significationem profundiorem desumit ex consideratione sacramenti matrimonii. His diebus magna ex parte educatio in scholis fit, et regulariter fieri debet. Sed existit pars educationis quae est maximi momenti et quae nonnisi a parentibus et in familia fieri potest.

In societate nostri temporis familia multis modis impugnatur. Uno autem modo praeter expectationem fulcitur. Studia enim recentiora in re psychologica et in re sociali demonstrant pueros rite educari non posse nisi habeantur et vita familialis quae sana sit, et parentes qui obligationes suas fideliter impleant. Hoc in mente haberi debet, quia homines huius temporis investigatione scientifica facilius sibi persuadent quam ratiocinatione deductiva.

Hae scientiae recentes confirmant opiniones quae traditionaliter receptae sunt de educatione iuvenum a parentibus debito modo danda. E. g., demonstrant puerum amore et cura parentum indigere ut bene maturescat. Si in hoc eorum munere parentes defecerint, puer detrimentum patietur. Immo etiam iniuriam gravem ex negligentia parentum per totam vitam pati potest. Sed etiam societas nocumentum patietur, quia saepe quando persona est sibi animo male compositus (anglice "maladjusted") vel quando agit contra societatem, hoc oritur ex eo quod parentes in munere filios educandi defecerint. Praeterea psychologia educationis monstrat puerum probabiliter non posse plenum fructum educationis in schola datae percipere, si conditiones familiae suae erant inadaequatae.

Quae omnia probant scholam non esse nisi unum ex variis educationis instrumentis.

Scholae sunt quidem necessariae et maioris in dies momenti fiunt. Quare omnino necesse est ut ubique parentur bonae scholae, quae educationem integram et captui puerorum aptatam praebeant. Existunt regiones quae inopia rerum laborant et in quibus familiae et parentes pauperiores sunt quam qui munus filios educandi adimplere possint. In his regionibus ipsae scholae magna ex parte vicem familiae supplere debent, sed affirmandum est principium supra iam statutum, nempe, munus educandi filios pertinere ad parentes.

Aliud quoque problema existit, quod in regionibus magis excultis emergit. Propter tendentias sociales et oeconomicas nostri temporis, difficile, immo fere impossibile est parentibus munera sua propria adimplere. Hoc est unum ex signis temporis quorum ratio haberi debet a peritis in re educationis. Pueri qui cura matris orbantur singulis diebus per aliquot horas (anglice "part-time orphans") praebent problema novum, cuius solutio nobis quaerenda est. Ad consulendum pueris et ipsi societati, parandae sunt conditiones sociales in quibus parentes obligationes suas percipere et implere possint.

Parentibus auxilia dare debemus, sed non tantum auxilia necessaria ad scholas parandas vel ad institutionem religiosam impertiendam. Ut iuvenes educationem integram recipiant, necesse est ut in domo et in familia sua praebeantur illae conditiones in quibus obtineant amorem et curam et formationem necessariam ut in dignitatem adolescant. Ambitus quoque familiae debet esse auxilium educationis desiderandae, non autem impedimentum, ita ut pueri opportunitatem habeant adolescendi cum mente sana in corpore sano. Parentes his omnibus auxiliis una cum scholis indigent. Omnino necesse est ut parentes huius temporis munera sua rite implere possint.

Quod attinet ad educationem christianam, hic et illic in aliis schematibus inveniuntur principia magni momenti, quae cum campo educationis connecti debent. In schematibus *de Ecclesia, de pastorali episcoporum munere, de matrimonio, de Ecclesia in mundo huius temporis,* ea quae in his documentis attingenda exponuntur non possunt in effectum deduci nisi educatio dari potest in familia et in scholis bonis.

Rogo igitur ut in hac declaratione clare enuntietur filios ius habere ad debitam curam et formationem a parentibus suis obtinendam, parentes vero ius habere ad omnia subsidia quae necessaria sunt ut ipsi plene et efficaciter partem suam agere valeant in iuvenibus educandis.

5

EXC.MUS P. D. PLACIDUS M. CAMBIAGHI

Episcopus Novariensis

Relationem super schema declarationis *de educatione christiana* cum gaudio audivi, quia inter permulta argumenta plus minusve luculenter pertractata in hac tertia Concilii Vaticani II sessione etiam agitur de christiana educatione iuventutis, pro qua per triginta fere annos laeto animo adlaboravi.

Item attente rationes perpendi ob quas pristinum schema *de scholis catholicis* in supradictam declarationem mutatum sit, quibus rationibus libenter assentior.

Tamen, cum hoc argumentum vastissimum sit et maximi momenti in nostra aetate et apud omnes nationes, simplex declaratio mihi videtur non esse sufficiens, etiamsi in ea propositiones contineantur quae vere principia theologica et naturalia circa christianam educationem concinne proponant sed non aptae apparent ad plene illustrandam Ecclesiae mentem eiusque operam in hoc apostolatus campo.

Pariter mirandum est quod tum in relatione tum in tota declaratione nulla explicita mentio fiat de Encyclica Summi Pontificis Pii Papae XI *Divini illius Magistri* quae iure meritoque magna charta christianae educationis considerari potest quaeque etiam nostrorum temporum necessitatibus respondere valet.

His praemissis liceat mihi quaedam animadvertere ad nn. 5 et 7 declarationis.

Circa n. 5. In postremis verbis huius numeri affirmatur Ecclesiam cooperationem suam cum civili societate dare posse in efformandis magistris qui iuvenes recte educare valeant. Quae affirmatio veritati quidem respondet sed nimis vaga et incerta videtur. Nam Ecclesia non solum cooperare potest et debet in hac re cum societate civili sed ipsa ius et officium habet opus tanti momenti promovendi in sua educativa missione explenda. Quod practice effici potest sive iuvenes magnopere hortando, praesertim Actionis Catholicae socios, ut hunc apostolatum amplectantur, sive fundatione a coetibus nationalibus episcoporum collegiorum ad instar seminariorum, in quibus huiusmodi magistri recte efformentur, sive denique fovendo sodalicia atque instituta religiosa saecularia quae operam suam in scholis etiam statalibus sensu apostolico navent.

Circa n. 7. De scholis catholicis haec animadvertenda censeo:

1. Cum inter omnis educationis instrumenta ad christianam iuventutem

instituendam magnum momentum schola habeat, procul dubio Ecclesiae non solum ius est scholas cuiusque ordinis et gradus libere condendi ac regendi sed etiam officium est *invigilare pro viribus* ut reapse scholae catholicae proprium finem vere attingant, scilicet — ut scribit Pius XI — « Germanus et perfectus christianus efficiatur homo cum gratia Dei conspirando ». Nam — aiebat em.mus card. Montini, olim arch. Mediolanesis in quodam conventu « De scholis catholicis » — « È necessario che le nostre scuole preparino un filone di gioventù dalle idee forti, chiare, sane, operanti con un ideale saldo, coerente, capace di resistere alle prove della vita e già immuni da idee e opinioni false circolanti o capaci di reagire cristianamente di fronte ad esse ». Quapropter haec probe sciant, haec meditentur sive parentes et alumni sive superiores et docentes, totisque viribus omnes adlaborent ut hunc finem vere consequi valeant; episcopi vero sive per se sive per alios sedulo invigilent ne scholae Ecclesiae tantum « catholicae » quoad nomen sint, sicut — proh dolor — saepe accidit.

2. Plura notanda esse de necessitate renovandae rationis institutionis in scholis catholicis, quamvis despiciendae non sint antiquae traditiones paedagogicae. Sed sermo iste longior fieret.

Liceat tamen pauca verba facere de intima cooperatione parentum alumnorum cum his qui in scholis catholicis vel praesunt vel docent: quae cooperatio ad tria reduci potest. Etenim parentum est:

a) *animos disponere filiorum educatione religiosa atque morali in familia tradita,* ne evadant — ut ait poeta italicus — « Materia sorda » educationi christianae cum detrimento proprio vel ceterorum in schola quam adeunt;

b) operam navare una cum educatoribus scholae non tantum ad scientiam profanam capessendam sed etiam in efformanda conscientia christiana;

c) ita vitam familiarem instituere ut consona sit cum principiis in scholis catholicis traditis ne in familia destruatur quod in schola aedificatur.

Ergo mihi videtur valde necessaria actio pastoralis ab his exercenda qui scholis catholicis praesunt ut parentes alumnorum suam cooperationem libenter et efficaciter praestent.

Insuper sive magistri sive educatores, conscii iuventutis institutionem vere apostolicam esse et nostrae aetati maxime congruentem, incumbere debent christiano atque religioso studio ut schola « templum sit non spelunca » scientes — ut ait Pius XII — saepe aeternam animarum salutem a recta institutione pendere.

3. Etsi in scholis catholicis multa adhibeantur media ad christianam educationem assequendam (e. g. instructio religiosa, frequentia sacramentorum, adsistentia spiritualis) tamen dubium non est quin maximam efficaciam ad mentes et corda alumnorum educanda, disciplinarum scholasticarum traditio exerceat. Meminisse iuvabit sive laicistas sive communistas alumnorum animos attrahere ad sua dogmata adniti non tantum doctrinis suis tradendis quam detorquendis omnibus disciplinis ad suam falsam ideologiam.

Quapropter mihi videtur in schemate necesse esse aperte affirmare magistros omnes qui se catholicos profitentur, disciplinas sive litterarias sive scientificas et technicas tradere debere serie, recte, auctoritative quidem, sed semper *sub specie christiana*; seu, ut Pius XI scribit in Encyclica *Divini illius Magistri* « Oportet ut tota institutio ac doctrina, scholae ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri ad quamvis disciplina quod pertinet christiano spiritu imbuta sint ac polleant ».

Concludo tria vota proponendo: 1) Scholae catholicae pollere debent non tantum alumnorum numero, instrumentis scientificis, commoditate, luxu domorum sed praecipue proposito firmissimo absolvendi mandatum ab Ecclesia accepto quod non solum consistit in conservanda et protegenda vita christiana alumnorum sed in viris efformandis qui virtute praediti fermentum sint vitae christianae in societate novo paganismo imbuta; 2) secura conscientia efformetur in familiis alumnorum quoad rationes quibus filios suos scholis catholicis committunt; ideoque libenter parentes cooperentur cum educatoribus atque magistris ad propositum finem assequendum; 3) tota institutio atque educatio in scholis catholicis vere sensu christiano redoleant et — postposita quavis alia consideratione, v. g. oeconomica vel culturali — huic peculiari fini omnia coordinentur, ita ut Ecclesiae mens in hoc argumento plene et adamussim servetur.

6

Exc.mus P. D. Carmelus Canzonieri
Episcopus Calatayeronensis

Ad complementum doctrinae huius declarationis, mihi videtur explicite introducendam esse distinctionem inter laicitatem Status et laicitatem scholae, ad reiciendam doctrinam, quae dicat Statum unice scholas laicas erigere et sustentare posse.

Plures enim sunt, et fere omnes, Status qui, nunc temporis, se laicos proclamant; et potest talis affirmatio rectam significationem habere. Sed ex laicitate Status non sequitur laicitas scholae.

Nullam vero rectam significationem habere potest laicitas scholae. Talis enim propositio recta esse potest quando de Statu loquitur, quia Status, nisi ad totalitarismum pertingere velit, ex natura sua non debet finem hominis seligere, neque civibus ostendere quibus mediis unusquisque suum finem ultimum pertingat.

In scholis, e contra, integra significatio educationis iuvenum iam complectitur rationem ideologicam, i. e. finem et media ad finem prosequendum, quae omnia de essentia sunt ipsius iuvenum ad vitam praeparationis.

Sine hac distinctione laicistae, sic dicti, adhuc persistent affirmantes quod Status laicus nequeat nisi scholas laicas sustentare. Deducitur, e contra, ex ipsa natura Status laici et scholae, quod et Status laicus possit et debeat omnes scholas sustentare, praecisione facta ab earum confessionalitate, ut dicunt,

vel ab earum ideologia, dummodo hae scholae adimpleant functionem publicae utilitatis, et pertingant illum culturae gradum, quem leges uniuscuiusque Status exigunt.

Potest utique Status scholas laicas instituere, si parentes inveniuntur qui suis filiis tales scholas eligant, quae nullum valorem vitae exquirant, quod esset denique aliquis modus iuvenum educandi etsi negativus. Debet tamen Status alias scholas sustentare, quibus effectiva evadat libertas parentum ad scholas eligendas, quas aptas putent pro suis quique filiis.

Etiam pro scholis affirmandum est hanc Sacram Synodum libertatem omnium defendere, non tantum catholicorum. Sic veritas huius doctrinae magis elucescet, et ostendet omnes laicistas libertatem verbis tantum proclamare, re tamen impedire.

7

Exc.mus P. D. BENIGNUS CHIRIBOGA

Episcopus Latacungensis

« Artem artium et scientiam scientiarum iuvenum educationem » Sanctus Gregorius Nazianzenus appellat.[1] Merito ergo Sancta haec Synodus constituit, de gravissima et amplissima educationis materia, « fundamentalia saltem quaedam principia declarare ». Nota omnibus nobis sunt gravia problemata et acervae controversiae, quae in re de educatione agitantur, atque « nunquam forte, ut nostris temporibus de educatione tantopere disceptatum est ».[2] Oportet igitur ut Concilium, pro dignitate et auctoritate sua, principia saltem maiora de hac re definitive statuat.

Sincere tamen fateor declarationem hanc, in re tanti momenti, incompletam, timidam, ieiunam atque insufficienter in revelatione fundatam mihi videri.

1. Clare imprimis et fidenter affirmanda essent principia, ex deposito fidei deprompta, quibus aperte pateant *notio ipsa, finis, necessitas, obligatio* et *ius* educationis christianae. Hoc esset ut fundamentale principium stabiliendum, nam haec omnia a multis vel in dubium vocantur vel aperte negantur.

Praetermitto ea, quae atheistae militantes propagant: religionem nempe omnem et imprimis christianam esse venenum soporiferum, quo nativae hominis vires enervantur. Silentio autem praeterire non possumus ea quae a *laicistis,* ubique terrarum, non solum theoretice, sed etiam practice tenaciter propugnantur. *Educatio* pro illis non est nisi *eductio* formae de potentia et viribus solius naturae. Quidquid ergo titulo quolibet *supra naturali* adiungere intendit Ecclesia non ad ipsam *educationem* fovendam conducit, sed

---

[1] GREG. NAZ., *Orat.* 2: *PG* 35, 426.

[2] PIUS XI, *Divini illius Magistri*: *A.A.S.,* 22, p. 50.

potius ad impediendam eius liberam et efficacem expansionem. Ideoque theoriae omnes supernaturalisticae obsoletae iam sunt et directe opponuntur essentiali educationis indoli, quae necesse est ut sit *sui iuris,* ad optimisticum vigorem liberum infundendum, non ad inertem passivitatem servilem in animis iuvenum creandam. Unde *laicistae* concludunt: omnem iuvenum educationem *neutram* vel *laicam* esse debere, ab omni nempe mythico et pessimistico religionis influxu prorsus immunem.

Merito cum Pio XI tenere debemus, « gravissimam huiusmodi laicismi pestem », quae inde a temporibus Pii IX et Leonis XIII publicas scholas nationum etiam christianarum invasit, omni conamine a mentibus et ab actione christianorum omnium eradicandam esse.[3] Etenim verus christifidelis minime res in hac vita gerendas abdicat nec inditas a Deo naturae vires comprimit, ut laicistae calumniantur, sed contra easdem ab enervanti peccato liberat, atque ita in suo nativo vigore eas fovet, alit et perficit, ut etiam ad heroicam in agendo perseverantiam totus homo divina gratia vel maxime impellatur, quemadmodum universalis Ecclesiae historia et Sanctorum mirabilis vita luculenter demonstrant. Oportet igitur ut Concilium bene, efficaciter et aperte statuat principia philosophica et theologica ex divina revelatione promanantia, ex quibus clare appareant rationes, quae Ecclesiam cogunt ut sibi vindicet *munus* et *officium, potestatem* et *obligationem* procurandi et impertiendi hominibus *christianam educationem.*

In schematis autem nn. 1-5 solummodo sermo est de *collaboratione* vel *cooperatione,* quas Ecclesia sponte offert operi educationis familiae et Status, ut aliae philanthropicae associationes faciunt. Attamen Ecclesia non mera philanthropia, sed potius *munere, officio, potestate* et *obligatione,* sibi *a Deo demandatis et impositis,* christianam educationem fovere tenetur, titulo nempe peremptorii *mandati* Christi « docendi omnes gentes servare omnia quaecumque Ipse mandavit »; [4] titulo verae maternitatis spiritualis, qua credentes in Christum baptismo regeneravit novaque nativitate donavit; titulo etiam sua historia acquisito, qua in saeculorum decursu insignia educationis beneficia omnibus populis impertivit.

2. Accuratius definiendi essent conceptus et finis christianae educationis qua talis. Humana enim veri nominis educatio nulla esse potest, quae ad finem hominis supremum, sibi a Creatore destinatum, non ordinetur tota. Et postquam Deus se Ipse in Unigenito suo revelavit ut unica salutis hominum « via, veritas et vita »,[5] plena ac perfecta educatio dari nequit nisi ea quae *christiana* vocatur, *christiana* nempe, quia eo proprie et proxime tendit, ut divina cum gratia conspirando, germanum ac perfectum christianum efficiat hominem: ut Christum scilicet ipsum exprimat et effingat in illis, qui sunt baptismate regenerati. *Christiana* ergo educatio eo tota dirigitur, ut

---

[3] Cf. Pius XI, *Divini illius Magistri*: *A.A.S.*, 22, p. 77.

[4] *Mt.* 28, 19-20.

[5] *Io.* 14, 6: *Act.* 4, 12.

secundum Christi exempla et doctrinam integra hominis vita regatur et perficiatur. Hic, et non alius, proprius est finis christianae educationis, ad quem, Deo mandante, tendere tenetur Ecclesia. Ex hac clara notione infertur distinctio, quam schema non satis declarare videtur, distinctio, inquam, christianae educationis, ab instructione et eruditione in litteris, artibus et scientiis humanis. Hanc distinctionem prae oculis habere oportet, etenim perfecta educatio christiana dari bene potest et saepe datur in Christi fidelibus, qui divina gratia ornati et christianis virtutibus praediti, vitam vere sanctam ducunt, quamvis ceterum minima instructione et eruditione in humanis disciplinis potiantur, ad exemplar sanctissimae Familiae Nazarethanae.

3. Clare etiam dicendum esset aliquid de *finibus,* intra quos educatio christiana continetur. Schema enim de hoc tacere videtur. *Laicistae* autem Ecclesiae attribuunt in hac re cupiditatem omnia dominandi et sibi faciendi obedientem ipsum Statum. Urgent, ante legem gratiae Statui competere curam etiam rerum religiosarum.[6] Cum autem gratia minime naturam destruat, iure consequitur ad Statum pertinere educationis religiosae curam, neque in hac re sibi Ecclesia ius vindicare potest nisi subsidiarium erga familiam et Statum. Longissime sane a nostra aetate abest periculum ne quis tenere audeat id quod medio aevo plures auctores et aliqui Pontifices asseruerunt: « sicut luna nullum lumen habet, nisi quod recipit a sole, sic nec aliqua terrena potestas aliquid habet nisi id quod ab ecclesiastica potestate recipit ».[7] Attamen oporteret in memoriam revocare principium, ex quo sine ulla aequivocatione pateat, potestatem inalienabilem, quam iure divino positivo sibi Ecclesia vindicat, *restringi ad res fidei et morum* et ad ea quae cum rebus fidei et morum necessariam connexionem habent. Ergo in omnibus aliis, « in quibus fidei depositum nec directe nec indirecte attingitur, Ecclesia plane liberam peritorum disceptationem permittit », quia « ad ea quae artis sunt, seu pure technica, Ecclesia nec mediis aptis est instructa nec officio praedita », prout a Summis Pontificibus Pio XI et Pio XII dictum est.[8] Concilium autem Vaticanum I solemniter edixit, Ecclesiam agnoscere iustam libertatem, ut disciplinae omnes humanae, in suo quaeque proprio ambitu, propriis utantur principiis, et propria methodo legitimas suas conclusiones eruant.[9] Si ergo ita manifeste Ecclesia agnoscit humanarum artium et scientiarum libertatem in toto ambitu suorum principiorum, suae methodi, suarumque legitimarum conclusionum, evidenter patet amplissimam esse libertatem, quam Ecclesia artium et scientiarum cultoribus agnoscit, atque solum invigilat ne, proprios limites transgredientes ea quae sunt fidei vel morum perturbent.

Ex dictis patet Ecclesiae plane et plene, ex divino mandato, reservatum

---

[6] Cf. PIUS XII, *Vous avez voulu*: *A.A.S.*, 47, p. 677.

[7] *L. c.*, p. 678.

[8] PIUS XI, *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23, p. 190; PIUS XII, *Humani generis*: *A.A.S.*, 42, p. 572.

[9] Conc. Vatic. I, Sess. III, cap. IV.

esse iudicium circa ea quae revelata sunt vel cum iis necessario connectuntur. Attamen Ecclesia sibi praeterea vindicat ius docendi etiam disciplinas pure profanas in suis scholis. Quo ergo iure hoc facit? Non quidem iure divino revelato, sed iure naturae. Nam quod ad ceteras attinet humanas disciplinas, quia *per se communis omnium iuris* sunt, singulorum civium nimirum, singularumque particularium societatum, ipsiusque societatis tam familiaris quam civilis, ideo facultatem habet etiam Ecclesia hisce quoque disciplinis libere utendi, iusta quidem servata concordia iurium suorum cum aliorum iuribus familiae praesertim ac Civitatis publicae. Oportet autem ut etiam hoc accurate in schemate nostro includatur.

4. Iura ab Ecclesia decursu historiae in campo educationis merito acquisita, oportet etiam ut in schemate affirmentur et stabiliantur. Ecclesia enim, in medio aevo, fere integram Europae culturam suis humeris portavit et ab interitu salvavit. Educationem vero et instructionem prope omnem eorumdem populorum per suos clericos, in scholis praesertim cathedralibus et abbatialibus ita sustinuit et adeo ad perfectionem evexit, ut ipsa revera fuerit creatrix vel altrix magnarum illarum veri nominis Universitatum, Parisiis nempe, Bononiae, Salmanticae, Oxoniae, aliarumque usque ad triginta et novem ante saeculum decimum sextum erectarum, quae ab Apostolica Sede principium vel efficax incrementum acceperunt, et quas nominatim recensuit Pius XI in Constitutione Apostolica « Deus scientiarum Dominus ».[10]

Insignia haec Ecclesiae merita de populorum educatione et cultura eruditissimus historiator *Civitatis Romae mediaevalis,* protestanticus Gregorovius aperte agnovit et summis laudibus cumulavit scribens:[11] « Historia non possidet sufficientem copiam titulorum heroicorum et magnificorum, ut apte celebrare posset immensam operositatem, grandia gesta, imperituram gloriam creatricem Pontificum Romanorum... Lunga eorum series fastigium tenet in gloriosa historia humanae culturae, atque efformat quoddam systema, cuius splendor obscurat omnem aliam seriem Principum et Regentium populorum ».

5. Denique oporteret ut etiam principia statuerentur quibus fundatur Ecclesiae ius: *a*) Ad extendendum suum educandi munus etiam ad populos nondum christianos. *b*) Ad ultimo decidendum de relationibus, quae interesse debent inter Ecclesiam, familiam, societatem civilem et alias societates in hac communi materia de educatione. *c*) Ad iudicandum de extensione et limitibus iurium diversarum entitatum, quae educationi dant operam.

Conclusio. Igitur meo humili iudicio schema *de educatione christiana* funditus reficiendum esse censeo, nam prout iacet non mihi videtur satis dignum ut auctoritate Oecumenici Concilii sanciatur.

---

[10] *A.A.S.,* 23, p. 243.

[11] G. GREGOROVIUS, *Storia della Città di Roma nel medio evo,* vers. R. Manzato, vol. VIII, cap. VII, § 6, Epilogo, p. 820.

8

Exc.mus P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

De secunda parte tantum declarationis *de educatione christiana* loqui velim: Ante omnia ex toto corde assentio iis Patribus qui mutationem tituli aegre ferunt. Nam argumentum huic Concilio propositum est caput gravissimum de scholis catholicis, cuiusvis speciei et gradus, de quibus hodie multae ambages multaque dubia passim serpent et vulgantur, sine cunctatione fuganda, quarumque renovationi et progressui omni ope studendum est.

Proh dolor, comparatione instituta inter schemata praecedentia et « Declarationem » praesentem statim occurrit gravis defectus circa scholas superiores, quarum brevissima tantum mentio in solis duobus numeris (nn. 9 et 10) fit, qui insuper lamentabili laborant eclecticismo quem vocant, quod necessitatibus Ecclesiae valde praeiudicat.

Scholae enim superiores i. e. Universitates et Facultates, sive profanis sive sacris scientiis deditae, veluti radices relate ad spiritum scholarum inferiorum atque educationis christianae iudicari possunt quae quasi arbores ex radicibus nascuntur et crescunt.

Neminem revera fugit quanti momenti semper fuerint et hodie quoque sint superiores scholae in efformatione totius mentis populorum, universae culturae, praesertim animorum, rationum, voluntatum eorum qui populos dirigunt et regunt.

In toto mundo hodie de reformatione studii superioris et Universitatum tractatur, ut viae novae inveniantur quibus iuvenes aptius necessaria scientia altiore imbuantur. Quamvis scientiae sacrae ecclesiasticaeque Facultates et Universitates minore indigeant reformatione nihilominus studia sacra altiora in multis aptari debent novis et modernis postulatis, de quibus in redactionibus praecedentibus schematis de scholis bonus sermo factus est.

Expedit omnino, ut ex his redactionibus in declaratione nonnulla alia principia summa huius necessariae accommodationis, iuxta ea quae ibi iam habentur, tam expresse quam breviter edicantur: generalis necessitas altius instituendi aptiores clericos in variis scientiis sacris, reordinatio curriculi academici relate ad curriculum institutionale et pastorale, utilitas et necessitas institutorum investigationis scientificae sive in finem proprium scientificum sive in finem practicum actionis efficacis, criteria fundationis novarum Universitatum et incrementi iam exsistentium. Quoad Universitates et Facultates scientiarum profanarum multum interest, ut iuvenum populorum quoque studentes eas eligant in quibus sana doctrina traditur et docentes spiritu christiano imbuti praeparentur.

Si haec principia in ipsa Declaratione Conciliari enuntiantur, fundamentum aptissimum constitui possunt auctoritatis non solum pro Instructionibus post-

conciliariis sed etiam pro retractatione Rationum et ipsarum legum constitutivarum altiorum studiorum.

Ita sperandum est fore ut scientia sacra promoveatur non tam libellis divulgationis et suasionis quam potius tractatibus ex omni parte absolutis sicut veritatem decet non sicut voluntati placet.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Cajamarcensis

1. Las « propositiones » presentadas manifiestan gran interés por los asuntos de la educación católica; avanzan en muchas cosas sobre la actual legislación vigente en el derecho de la Iglesia y reafirman practicamente la importancia de la pastoral en la Iglesia del trabajo de la educación.

2. Subyacente a las proposiciones está la idea de que la Iglesia tiene un sistema propio de enseñanzas, propio en el sentido de que es de ella y es diverso del sistema oficial.

El sistema abarca desde la escuela elemental hasta la universidad. El sistema es numerosísimo, 143.854 planteles que educan a 26.138.814 alumnos y si se calcula un mínimo de 5 maestros por Instituto tenemos 719.270 maestros.

3. Todo este esfuerzo no llega a toda la población católica en edad escolar de ningún país aún donde el sistema escolar está más desarrollado; e incluso resulta paradójico pensar que en países como Estados Unidos donde hay más de dos millones en los colegios y universidades de la Iglesia, dos veces más, es decir más de cuatro millones, es la población que está en los « colleges » del Estado. En mi patria, el Perú, se calcula que para atender a 1.500.000 alumnos en los planteles del Estado, la Iglesia necesitaría emplear en el tiempo equivalente a varios centenares de profesores sacerdotes, religiosos y religiosas, pero que si el tiempo que todos ellos en conjunto dedicaban a la enseñanza religiosa en los planteles del Estado no llegando a juntar el tiempo equivalente al de 100 profesores de dedicación exclusiva.

Al mismo tiempo se constata que para 119.000 alumnos que la Iglesia tenía en sus escuelas había 1.000 profesores, religiosos, religiosas y sacerdotes de dedicación exclusiva. La desproporción es claramente significativa.

Considerando la realidad que estas estadísticas pálidamente reflejan, muchos se han preguntado si el esfuerzo que se hace para mantener el sistema de escuelas católicas está bien orientado, — se trata del esfuerzo que actualmente hace la Iglesia para educar a solo una minoría con tanto costo de personas, de recursos, e incluso de eficacia social. El hecho de que muchos de los alumnos católicos no puedan educarse en los colegios de la Iglesia da orígen a numerosas críticas como si el sistema propio favoreciese la discriminación social.

4. Las razones que se dan para defender el sistema propio de enseñanza de la Iglesia son muy variadas; algunas y las más hondas son la expresión de principios dogmáticos tales como el derecho de la Iglesia a enseñar, etc.

Otras razones son de orden histórico: es innegable que la Iglesia se organizó culturalmente mucho antes que la sociedad civil y por eso de ella nacieron las escuelas, colegios, universidades, etc. Pero ya desde el siglo XIII hay una pugna latente entre el clérigo, hombre de Iglesia, y el laico, hombre de la sociedad civil, por determinar cual es el « mester » o ministerio propio de cada uno de ellos, es decir del laico o del clérigo. Y en la enseñanza ha sido sobre todo donde se han experimentado las dificultades y tensiones entre la clerecía y el estado o magisterio civil.

Hay por último una razón de prudencia o estrategia apostólica: enseñar es una forma eficaz de asegurar la dirección de la juventud.

4. Pero el análisis de esas razones en la situación contemporánea debe ponderarse antes de tomar una decisión.

La declaración preparada para el sufragio del Concilio parece aún indicar que la decisión debe ser: continuar la Iglesia con su sistema propio y preparar grupos eficaces que intervengan y estén presentes en el sistema oficial de enseñanza de cada uno de los países.

Varias preguntas surgen de esta solución:

I. ¿Cuál de las dos partes de ella debe preferirse y en cuál poner más actividad, más trabajo por consiguiente y más personal?

II. ¿Qué criterios deben primar en la elección de una parte sobre la otra, es decir por qué se va a dedicar más personal a atender el sistema oficial de enseñanza que a establecer el sistema propio?

III. ¿Puede haber una solución común para todos los países donde la Iglesia sirve a las almas o deben considerarse diversas soluciones?

Para ponderar estas cosas se añade como dato importante la necesidad de considerar la situación histórica de los países. Por ejemplo lo que pudo hacer en la Francia del siglo XIX un grupo de políticos racionalistas y laicistas; lo que en este siglo han hecho, por ejemplo, en América latina grupos organizados eficazmente de maestros laicistas. Hay países de América Latina, por ejemplo, donde el partido comunista no ha gastado un solo centavo en la edificación de una escuela, preparación de un maestro y tiene sin embargo una eficaz dirección de la educación.

6. Soluciones. Es dificil resolver este asunto sin:

a) una intensa campaña de opinión dentro de la Iglesia cuyo tema podría ser el derecho del bautizado a la instrucción religiosa correspondiente a su desarrollo cultural y humano;

b) la invitación o mandato de la Jerarquía a los Institutos Religiosos docentes a considerar el ministerio de la enseñanza aun fuera de los propios establecimientos educacionales como parte de su labor;

c) en el planeamiento apostólico que las diócesis deben hacer, consi-

derar este ministerio como excepcionalmente urgente, puesto que en el Perú, por ejemplo, existen 10.665 escuelas oficiales y 1593 escuelas particulares, la mayor parte de éstas últimas de la Iglesia; y

d) después del debate sobre la presencia de la Iglesia en el mundo actual queda plantado el interrogante ¿Como servir la Iglesia a la sociedad moderna? ¿Desde un sistema propio o dentro del sistema oficial, o manteniendo la simultaneidad de su acción en las dos partes?

En conclusión: considero que la « declaratio de educatione christiana » debe volver a comisión para resolver los puntos que he planteado.

10

Exc.mus P. D. ALOISIUS DEL ROSARIO
Archiepiscopus Zamboangensis

Desiderantur, nisi fallor, normae practicae servandae in scholis catholicis *mediis* circa coeducationem utriusque sexus, iuxta principia a Pio Papa XI in Enc. *Divini illius Magistri,* et a S. C. Concilii et de Religiosis in suis decretis et instructionibus tradita.

11

Exc.mus P. D. HUGO ALOISIUS DONOHOE
Episcopus Stocktoniensis

Declaratio *de educatione christiana* valde placet. Schema fusius enucleari necesse est autem secundum mentem et propositum commissionis ipsius quae proposuit specialem « ad hoc » commissionem post-conciliarem constituendam ad opus vere professionale conficiendum.

I. In n. 4 dicitur parentes primarium et inalienabile ius habere ad scholas pro suis filiis eligendas. Propterea, cum parentes etiam cives sint, ii iure gaudent in aequalitate et aequitate iuxta nationis leges ad tales scholas seligendas et nullo modo hoc ius amittunt ratione religionis quam tenent, neque ratione generis scholarum electarum pro suis. Itemque, sicut status seu potestas publica debet, ita Ecclesia etiam ad parentes in hac adimplenda obligatione educationali adiuvandos libenter stat.

Zelo autem permota ad familiae tali modo subveniendum, Ecclesia tamen scholas ipsas sicut scholas oblivisci non oportet. Minime sufficit ut nomen seu libellum « catholicum » pro schola adhibeatur; itemque pro administratione et magistris; aeque necesse est ut excellentia ipsa sit et meta et finis primarius scholae catholicae, administrationis atque magistrorum. Ecclesia catholica et catholici ipsi ne decipiantur simplice quoad numeros scholarum vel liberorum scholas frequentantium sed scholas tum qualitate tum praestantia superiores ordinare omnem operam dent necesse est. Qualitas edu-

cationis ad quantitatem sacrificari vel tyrannidi mathematicae numquam subiicere debet. Progressus a statisticis non necessario mensuratur.

II. Itemque scholae Ecclesiae arma defensiva non sunt in refugium et protectionem alumnorum segregatorum a foro et mundo sicut plantae in plantario calido. Potius, hae scholae familiae et liberis ipsis praecise inserviunt per alumnorum praeparationem ad locum proprium in mundo suscipiendum ut sint testes Christi non tantum audacter et sine timore sed etiam in scientia et intellegentia.

Papa Ioannes XXIII in *Pacem in Terris,* n. 153, declarat quod quaedam carentia proportionis saepe habetur inter fidem religiosam christifidelium eorumque activitates in rebus temporalibus praesertim propter rationem carentiae educationis solide christianae. Saepe saepius, dixit ille, iusta proportio inter educationem scientificam et religiosam notabiliter deest. Clarum est, ergo, ut Ecclesia una ex parte, quandocumque scholas administret, sese dedicare debeat excellentiae omnibus in disciplinis, et non tantum in religione ipsa, et, altera ex parte, quandocumque educationem religiosam assumat eorum qui in Ecclesiae scholis non stent, eadem cum dedicatione tali excellentiae pariter se devoveat oportet.

Declaratio ista sermonem facit de scholis catholicis tamquam de vero apostolatu. Nonne esset melius ut haec idea apostolatus ad omnes scholas extendatur sive sint sub Ecclesiae ductu, sive Status, sive associationum privatarum? Ad quosnam insuper pertinet hic apostolatus? Non tantum certe ad sacerdotes solos et religiosos sed etiam ad laicos, praesertim illos laicos devotissimos qui magistri in Status scholis et aliis sunt. Maxima pars liberorum catholicorum totius mundi apud scholas saeculares vel statales sistunt et ut obiectum huius apostolatus vere considerari debent, praesertim ab ipsorum magistris.

III. Participatione laicali et iure parentum relate ad scholas, nos praeparare debemus ad munus parentum agnoscendum in rationibus modisque agendi intra scholam catholicam ipsam. Similiter, laicos accipiamus non tantum sicut magistros scholarum sed etiam sicut administratores et praesides institutionum nostrarum.

IV. Cum libertatem ad scholas eligendas parentibus recte vindicemus, itemque necesse est etiam ut scholae nostrae intra parietes proprios exemplaris libertatis christianae sint. Libenter et cum fiducia asserimus quod scholae nostrae dedicantur veritati, sicut praecise Christus se ipsum Veritatem nominavit. Itemque asserimus quod veritas una est et integra et in contradictionem contra se ipsam stare nequit. Timori et metui, igitur, indulgere non debemus in scientiae quaesitu, in veritatis inquisitione, nam Veritatem illam prosequimur quae secundum Evangelium nos liberos faciet.

V. In zelo nostro pro parentum iuribus autem caveamus ne aliorum agentium educationis obliviscamur. Monopolium status seu potestatis publicae in educatione dimicare non possumus affirmatione simplici monopolii

parentum seu familiae. Scholae ipsae solis parentibus non pertinent, nec exclusive pertinent Ecclesiae vel statui, neque simpliciter associationibus privatis, neque univoce societati soli.

Unusquisque secundum competentiam propriam et intra iustitiae aequitatisque limites in alumnorum educatione interest.

Schema nova loquatur in lingua pastorali de muneribus agentium in educatione ad claram et fusiorem synthesim. Hoc in modo documentum conciliare de educationis rebus contributio optima fiet.

Conclusio: Christus dixit Eum ipsum esse Viam, Veritatem et Vitam. Audacter schema obviam ire debet huic quaestioni toto in orbe urgenti in spiritu servitii familiae, nationis, societatis et Ecclesiae.

12

Exc.mus P. D. IOANNES DOZOLME
Episcopus Anniciensis

Titulus novae declarationis, nempe *de educatione christiana,* longe differt a titulo propositionum *de scholis catholicis.* Sed, materia declarationis titulo suo nunc non apte correspondet. Etsi obiter de diversis educationis mediis mentio fit, tamen essentialiter tractatur de educatione in scholis. Itaque humiliter propono tituli modificationem, v. g. *Declaratio de educatione christiana praesertim in scholis,* vel etiam: *De educatione christiana in mundo scholarum.*

Valde mihi placet quod declaratio nostra omnes iuvenes respicit, turba iuvenum magna, quorum alii catholicas scholas, alii non catholicas frequentant. Etsi brevissima et nimis contracta, talis declaratio valde opportuna esset.

« Scholarizatio », ut aiunt, distinctum est nostri temporis phaenomenon, tum in regionibus magis evolutis, tum etiam in regionibus a progressu retardatis. Alumnorum numerus semper progreditur. Educatio ergo christiana debet hodie huius facti rationem habere.

Sane laetandum est, quod commissio post-conciliaris hoc gravissimum problema studere possit. Sed interdum urgens est documentum conciliare, quod directiva principalia parentibus, magistris et pastoribus ipsis tradat et eos confortet et stimulet.

Ad textum perficiendum et complendum tres animadversiones propono:

A) Dum Synodus nostra eo tendit, ut iuventutem in Ecclesia renovet et delineamenta humanismi christiani pro nostro tempore determinet, rite debet in mente habere educationem christianam iuventutis, et quando tractat de educatione christiana animum convertere debet imprimis ad scholas catholicas.

Schola catholica sane in permultis regionibus minorem iuvenum partem

amplectitur. Remanet tamen in recta linea Fidei; paternitatem christianorum parentum complet et adiuvat. Immo pro suo modo libertatem religiosam manifestat et, pro sua parte, est signum et praesentia Ecclesiae in mundo, praesentia, dico, institutionalis. In lucem vero ponit maternitatem spiritualem Ecclesiae quae est revera Mater et Magistra.

Schola autem catholica insimul praebere debet et humanam disciplinam maximi valoris et christianam educationem maximi pretii. Hic iacet et difficultas et momentum missionis eius. In uno eodemque fidei spiritu, nuntium evangelicum et culturam humanam tradit. Liceat mihi illis omnibus, qui apostolica sui deditione in opus scholarum catholicarum incumbunt, portantes onus diei et aestus, salutem humilem et ferventissimum exprimere: sacerdotibus, religiosis et laicis.

Iure ergo, mea sententia, declaratio nostra memorare debet missionem et locum scholarum catholicarum in educatione christiana, atque momentum quod eis tribuere debent parentes, pastores omnisque populus Dei.

B) Educatores scholae christianae, necnon omnes educatores qui sunt in aliis scholis, ex solis suis viribus impares sunt ad totam alumnorum educationem procurandam. Nam, catholica educatio totam vitam penetrare debet.

Propterea et pro ipsis scholae magistris tempus est dialogi: Dialogum cum alumnis suis et cum aliis magistris; dialogum cum aliis educatoribus eorumdem iuvenum et imprimis cum parentibus, cum parochis et cum iis qui munus educationis habent in coetibus catholicis.

Educatio vero christiana hodie magis magisque aliquo modo collegialiter efficienda est. Sicut in familia pueri et iuvenes suave ligamen sunt inter parentes, ita in catholica communitate nexum esse debent inter omnes educatores, ut fiat labor communis et apte coordinatus in cura christianae educationis.

Hic autem labor communis saepe adhuc in rem non transit. Oportet ergo ut declaratione nostra breviter sed clare necessitas huius communis laboris affirmetur.

C) Hodie vero, in regionibus diversis, organizatio, ut aiunt, scholaris de die in diem progreditur. Iuvenes saepe in amplioribus scholis congregantur, cuiusvis gradus; ita ut paulatim efformetur mundus ut ita dicam « scholaris », id est mundus iuventutis discentis.

Ad hunc mundum christiane educandum, vel etiam evangelizandum, non sufficiunt incepta dispersa: opus immensum ante nos iacet nec adimpleri potest sine apta coordinatione pastorali non tantum in dioecesi, sed etiam in regione et in natione.

Et hoc insuper notandum est: alumni ipsi in propria sua educatione partem habere debent: haec iuvenum participatio activa ad suam educationem christianam magis magisque hodie necessaria est et immo apostolatus iuvenum apud iuvenes.

Mihi ergo videtur quod haec participatio activa iuvenum breviter commendanda est in nostra declaratione.

Tandem valde exopto ut manifestus fiat amor Ecclesiae erga iuvenes. In nostro textu gratitudo nostra declaratur erga educatores, et merito quidem, sed oportet insuper declarare quod iuvenes amamus et quod in eis spem multam ponimus.

N. 1, textus sic mutetur: « Educatio christiana est imprimis educatio fidei personalis, ita ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant. Hoc modo mysterio Christi participantes, salutem a Christo accipiunt, et suae altioris vocationis conscii, consecrationi mundi collaborant, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum magnopere conferunt.

« Ad talem scopum assequendum mediis sequentibus utitur scilicet: educatio ad orationem personalem; ambitus collectivus sinceritatis et fraternae caritatis; ratio habenda modo peculiari personae alumni educandi; initiatio iam a primordiis ad apostolatum et, ut patet, institutio catechetica ac biblica aptata ». *Ratio*: in vetere textu scopus educationis christianae non satis indicatur.

N. 2, ordo sic mutetur: « Omnibus enim hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus aequale est ius inalienabile ad adaequatam omnium facultatum educationem. Quare Ecclesia omnibus populis... etc. ». *Ratio*: ordo novus videtur magis logicus.

N. 4 sic mutetur: « Parentibus pertinet primum et inalienabile officium filios educandi. Illud officium, soli adimplere non possunt. Requiritur auxilium peritorum qui inveniri possunt in institutionibus sive privatis, sive publicis seu a guberniis constitutis. Notatur tamen quod officium educationis in parentibus permanet etiamsi supradictis peritis adiuvantur.

His etiam parentibus ius est scholas libere condendi et eligendi, quovis scholae monopolio excluso, quod nativis personae humanae iuribus adversatur, necnon necessariis subsidiis a societate civili obtinendi ». *Ratio*: ius parentum est primarium et illud ponendum est priusquam de scholis loquatur.

Ad n. 6. 1) Par. 2 sic incipiet: « Multi pueri instructionem et educationem accipiunt in scholis catholicis. Multi tamen et etiam numerosiores docentur in scholis publicis quae saepe saepius neutralitatem religiosam servare debent. Illos autem baptizatos ut suos agnoscit Ecclesia et pari affectu diligit. Parentibus autem sollemniter recolit... ». *Ratio*: sic manifestatur dilectio Ecclesiae pro omnibus sine attentione ad scholam a pueris et parentibus electam.

2) In fine n. 6 addatur: « Item requiritur vera cooperatio inter diversos agentes qui influxum habent in formationem adolescentium scil. speciatim: familiam, magistros, capellanos, paroecias, associationes ita ut opus christianae educationis sit effectus omnium ad virum perfectum efficiendum ».

« Et hoc insuper notandum est: alumni ipsi in propria educatione partem habere debent: haec iuvenum participatio activa ad suam educationem christianam, magis magisque hodie necessaria est et immo apostolatus iuvenum apud iuvenes ». *Ratio*: scopus educationis melius attingitur propria participa-

tione educandorum et sic melius apparet necessitas cooperationis in toto ambitu educationis.

N. 7. Post verba « impense fovet » dicatur: « *in quibus alumni in omnibus profanis disciplinis sub lumine fidei eamque* perfectionem humanam simul ac christianam assequantur qua exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur ». *Ratio*: logice fides postulat ut omnes disciplinae cognitionis humanae sub lumine Revelationis doceantur: haec est autem ratio specifica omnium christianarum scholarum. Nisi alumni litteris et scientiis in lumine fidei studeant, eorum « instructio » omnino non potest christiana dici, etiamsi aliunde eorum educatio in familia vel paroecia principiis christianis imbuta sit: instructio enim ab educatione separari nequit, cuius est pars praestantissima.

N. 8. In fine n. 8 addatur: « Ad hunc mundum christiane educandum, vel etiam evangelizandum, non sufficiunt incepta dispersa: opus immensum ante nos iacet nec adimpleri potest sine apta coordinatione pastorali non tantum in dioecesi, sed etiam in regione et in natione ». *Ratio*: ad obtinendam meliorem cooperationem omnium educatorum et scholarum.

13

Exc.mus P. D. IULIANUS GROBLICKI

Episcopus tit. Philadelphiensis in Arabia, aux. Cracoviensis

Ad pag. 12, nn. 3-6: Quia vix ultimis diebus venire potui ob potestatis communistarum impedimentum, nec textum schematis habui, liceat mihi nunc opinionem meam ad rem exponere.

Schema in numeris ut supra placet mihi iuxta modum. Obiectionem introducere oportet, quoniam schema enumerando in pag. 3 diversa educationis media, de uno maximae importantiae, scil. de familia, tacet. Postea, non sufficienter eiusdem familiae iura obligationesque educationis sublineat, praesertim quod educationem religiosam respicit. Necesse est scire, in regionibus sub dominio communistarum manentibus familiam saepissime unicum educationis medium esse. Obligatio educationis pro parentibus suum principium fundamentumque in eorum generatione habet atque per fidem, quam confitentur, confortata est. Papa Pius XII, f. r. in sua Encyclica de Ecclesia ter hanc obligationem revocavit. Hoc in momento imprimis apostolatum, ad quem omnis fidelis quidem vocatus est, exercent. Profundius latiusque oporteret exprimere atque exponere obligationes ac iura parentum ad educationem religiosam, quoniam: 1. illud christifidelibus sua iura poscentibus argumentum praebebit, atque 2. ad conscientiam parentum formandam et vim sentiendi magis capacem in hoc respectu serviet.

Educatio illa difficillima est, cum parentes ad iuventutem religiose educandam saepe saepius haud parva sacrificia debeant ponere, nec non ipsaque iuventus. Clarum est, atheistas Ecclesiae catholicae doctrinam non respicere,

tamen christifideles adiumentum excellens in iura sua naturalia deposcenda invenient. In regionibus sub dominio communistarum degentibus, nulla est epistula episcoporum vel homilia, quae hoc problema, valde dolorosum non tangat. Has obligationes iuraque ex lege naturae atque ex decretis Summorum Pontificum, praesertim Pp. Leonis XIII, Pii XI, Pii XII arguimus, sed evidens est, quod decretum Concilii maximam suam importantiam habeat. Cum Concilium ad finem pastoralem intentum sit, necesse est, ut clarius expressiusque problema tangat, problema illud, a quo alii Concilii fines dependent, prout disceptationes in aula conciliari dicunt. In hoc tramite futurum Ecclesiae decernitur in toto orbe terrarum, praesertim in orbe sub communistis.

Una propositio in pag. 4 (His enim primum ...) et in pag. 6 (secundo acapite) problema vix tangit. Quod verecundandum esset, si Charta Hominis Legum ab Organisatione Nationum Unitarum per clariorem iurium parentum expositionem plus procederet quam schema in praesenti sua forma.

14

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

1. Textum vere in melius mutavit commissio, et laudanda est pro labore. Sequentia tamen adnotare vellem ad textum ditiorem reddere.

2. Proprie loquendo, non invenitur in schemate declarationis, quid sit educatio christiana et in quo consistit. Insuper, meo humili iudicio, declaratio nimis videtur separare educationem humanam a religiosa educatione (« anima humana naturaliter christiana »! Tertullianus), nam apparent haec verba: *a*) educatio humana et religiosa (n. 1); *b*) perfectio humana et christiana (n. 7); *c*) scientia profana et sacra (n. 10).

3. Principium positum sub fine n. 2, est optimum, tamen, meo iudicio, extra chorum, nam in inscriptione numeri legitur: « De Ecclesiae collaboratione ».

Emendari posset, forsan istis vel similibus verbis, « Ecclesia insuper principium affirmat: omnibus (sine enim) hominibus etc. ... ».

4. In n. 7 affirmatur necessitas scholarum sine ulla restrictione, quod bonum, mihi, non videtur. Nam: *a*) si societas vere christiana esset; *b*) si magistri vere christiani essent, forsan declaratio non ita dixisset! Ideo necessaria est schola ubi christiani, qua tales, sunt fragiles et ubi civile gubernium non omnes attingit, ut accidit in missionibus.

5. Quattuor vicibus dicitur « Ecclesia cooperari » cum ceteris in educatione (in nn. 2, 4, 5, 11) et numquam de ipsa Ecclesia dicitur esse Magistra.

Ecclesia differt in hoc a Gubernio civili: ipsa est mater, ergo magistra; illud minime vocari potest magister quia pater non est, valet tantummodo parentes adiuvare sed nequit eos substituere!

Hic conceptus, forsan, esset nostro in schemate, meliori in luce ponendum!

6. Forsan vox « gravissimum » (unica nota negativa in integro numero primo!) primae lineae prooemii esset auferenda vel per aliam substituenda, v. g., « maximum, magnum » vel alia simili!

7. Commissio post-conciliaris serio perpendet *a*) educationem in scholis primariis (est fundamentum ex quo omnia et sine quo fere nihil!); *b*) educationem in scholis « magistralibus » in quibus efformantur magistri primarii; *c*) methodum educationis in scholis catholicis, quia e scholis: religiosorum, permulti evadunt indifferentes; religiosarum, permultae evadunt meretrices; *d*) taxas et omnia pecuniae adnexa in scholis catholicis; *e*) possibilitatem parandi in unaquaque natione religionis magistros et qua tales eos sustinendi; *f*) possibilitatem conferendi sacrum Chrisma in aetate adulta (18 annorum natis), imponendo subiectis quoddam tirocinium, militaris servitii ad instar.

15

REV.MUS P. D. PAULUS IOSEPH HOFFER

Superior generalis Societatis Mariae

Il n'est pas question de modifier la structure générale du schéma: il a été accepté par le Concile comme base de discussion. Du reste, il me semble que la structure générale est bonne. Le principal défaut c'est que le schéma est squelettique et que les idées essentielles ne sont pas suffisamment développées. Je crois qu'on a fort bien fait de partir de l'importance de l'éducation de nos jours. Après cela on parle de la mission de l'Eglise, qui est de donner l'éducation chrétienne à tous les enfants catholiques, en quelque école qu'ils soient. On définit ensuite en quoi consiste cette éducation chrétienne. Elle doit être la préoccupation principale, non seulement de l'Eglise, mais aussi des parents. Ceux-ci doivent être aidés dans cette tâche par l'Etat, car une liberté scolaire dont les parents ne pourraient pas profiter faute de ressources, serait une liberté vaine. L'Eglise doit avoir la possibilité d'approcher ses enfants catholiques même dans les écoles officielles. Et on remercie les Etats qui l'aident dans cette tâche. C'est seulement après cela qu'on parle des écoles proprement catholiques, pour insister sur l'idée que c'est dans les écoles catholiques que l'éducation chrétienne intégrale peut être donnée avec le plus de succès.

Il y a donc une suite d'idées assez rationnelle. Cependant:

1. On pourrait mettre un peu plus d'ordre à l'intérieur de ce schéma. Ainsi les titres du n. 1 et du n. 6 sont semblables. Le n. 2 pourrait devenir le n. 1. Après avoir dit que l'Eglise offre ses services à toutes les nations, on pourrait parler des fins et de la nature de l'éducation chrétienne.

2. Il faut surtout approfondir et développer la substance de certains

articles, afin qu'ils puissent être vraiment une charte de l'éducation chrétienne. Je donne quelques exemples des points qui seraient à développer:

a) Approfondir, à l'aide des interventions du Concile et des « modi » présentés, la fin et la nature de l'éducation chrétienne. Le n. 1 qui donne la définition, touche le problème seulement par le dehors. Il faudrait bien définir la nature de l'éducation chrétienne et les buts qu'elle poursuit: formation d'une foi vraiment personnelle; donner le sens de la prière; initier à la vie liturgique et à la réception des sacrements etc. L'intervention de Mgr. Gouyon au Concile donne pas mal d'idées. Je crois qu'une petite page sur ce thème ne serait pas de trop. Elle donnerait une orientation à l'éducation chrétienne et permettrait aux directeurs des écoles d'insister auprès des maîtres sur la réalisation d'une telle tâche.

b) Je crois qu'il ne faudrait pas, comme certains le pensent, développer davantage le droit des parents de fonder les écoles conformes à leur conscience. Ces droits sont suffisamment indiqués. Cependant on pourrait ajouter l'idée qu'une liberté qui n'a pas les moyens de s'exercer est une liberté vaine.

c) Pour les écoles catholiques proprement dites, c'est bien peu ce que disent les nn. 7 et 8. Tout cela est à refaire. Il faudrait en particulier insister sur le rôle et l'esprit des écoles proprement catholiques. Ce sur quoi il faut insister le plus, c'est que l'école catholique soit essentiellement un foyer où se préparent les élites catholiques. Une école doit être missionnaire, ou elle n'a plus sa raison d'être. De fait, on y consacre un argent et un personnel considérable pour éduquer à peine le cinquième des enfants catholiques. Il faut donc que ce cinquième soit formé de véritables apôtres.

d) Au n. 8 et dans la conclusion, de belles choses sont dites par rapport à l'apostolat de l'enseignement et aux maîtres qui s'y dévouent. On pourrait développer encore davantage et le dire d'une manière plus chaude. Pour faire comprendre cette vocation on pourrait ajouter que même en enseignant des matières purement profanes, un maître chrétien fait de l'apostolat, parce qu'on éduque, humainement et chrétiennement, par l'exemple et la présence de sa personne, plus que par les paroles. De même qu'un maître athée, parce qu'il a du prestige auprès de ses élèves, peut leur faire perdre la foi, sans dire un mot contre la religion, de même un maître chrétien admiré de ses élèves, fait passer tout son message à travers sa personne.

Je pense que ce sont là les points principaux qu'il faudrait développer. De cette manière le schéma deviendrait une charte pour les éducateurs, en quelque endroit qu'ils soient placés. Je n'ai personnellement aucune confiance dans les travaux possibles d'une commission post-conciliaire. Ce que ce schéma ne fera pas, ne sera jamais fait. Il y a d'ailleurs tellement de différences dans l'éducation suivant les pays dans lesquels on est, qu'il n'est guère possible de faire davantage que 7 ou 8 pages qui puissent s'appliquer absolument à tout le monde. C'est le schéma et non le travail d'une commission post-conciliaire qui pourra faire cela.

Je pense que j'exprime bien la pensée de la plupart des Pères conciliaires avec lesquels j'ai pu parler. Si on a voté en faveur du schéma, c'est parce qu'on avait promis de le développer et de l'étoffer. Corriger simplement par-ci par-là quelques mots, c'est aller contre la pensée des Pères conciliaires et s'exposer à un rejet pur et simple du schéma lors de la prochaine session.

16

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JÄGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Schema in multis placet; quaedam tamen proposita adhuc clarius exprimenda liceat mihi commendare.

I. Partis, quae cum n. 11, pag. 7 incipit, mutetur titulus. Loco verborum « De catholicis studiorum Universitatibus » potius dicatur « De studiorum Universitatibus ». *Ratio*: de facto haec pars loquitur etiam de Universitatibus non catholicis, et quidem iure meritoque. Nam in mundo universo ex centum iuvenibus catholicis circiter nonaginta frequentant Universitates non catholicas. Quibus iuvenibus aptis mediis provideri debet quantum ad efformationem catholicam. Nec dicatur eos adire debere Universitates catholicas, quia ista vel desunt in multis regionibus vel nimis distant a domestica sede. Missioni nostrae omnino esset contrarium, si nos solummodo de illis curam haberemus, qui Universitates catholicas frequentant. Nam Ecclesiae mandatum incumbit, ut dialogum cum mundo hodierno instituat, et ideo gravibus urgentibus rationibus cum ambitu academico, ex quo illi proveniunt, qui postea tantum valent auctoritate ad mentes et cogitationes et actiones omnium fere aliorum.

II. In eadem pag. 7, sub n. 12, sapienter dicitur, quod Universitates et Facultates catholicae potius quam numero, doctrinae studio eniteant. Hoc iure meritoque dicitur. Ad hanc postulationem confirmandam post verbum « doctrina » adhuc adiungantur verba: « et investigatione scientifica ». *Ratio*: in eo est, quia Universitates non solummodo doctrinam iam acquisitam tradere, sed etiam eius profectum procurare per investigationes scientificas debent. Omnino autem oportet, ut catholicae Universitates et Facultates hac in re adaequent alia huiusmodi Instituta et nequaquam illis sint inferiores.

III. In n. 12, pag. 8, linn. 1-4 iure meritoque desideratur, ut in omnibus Universitatibus catholicis habeatur Facultas theologica vel saltem sacrae Theologiae Institutum.

Haec postulatio valde placet et omnino debet retineri in definitiva huius schematis redactione. *Ratio*: Sacrae Theologiae facultas est ipsum culmen omnium facultatum. Et ipsa sacra doctrina est omnino necessaria praeter alias disciplinas, ut docet S. Thomas in primo articulo totius suae Summae

Theologiae. Experientia docet, Facultatem Theologiae radiare in omnes alias facultates et idoneam esse ad instaurandam illam cum aliis scientiis dialogum, de quo loquitur Paulus Papa VI in sua Encyclica *Ecclesiam suam*. Ut uno verbo omnia comprehendam: Universitas catholica sine Facultate theologica non repraesentat universalitatem scientiarum; deest enim illa scientia, quae est centrum et culmen et princeps omnium aliarum.

IV. Quae in pag. 8, n. 13 linn. 14-18 de episcoporum peculiari cura pro bono spirituali studentium dicuntur, sub speciali numero post n. 14 ponantur. *Ratio*: ita clarescit hanc curam adhibendam esse etiam studentibus, qui Universitates non catholicas frequentant. Ut iam dictum est, longe maior pars catholicorum hisce in Universitatibus studia sua peragit. Ut patet, eorum vitae spirituali et institutioni religiosae speciali modo provideatur oportet.

V. In n. 14 eadem in pag. 8 valde laudanda sunt illa, quae dicuntur de praeparatione iuvenum ad docendum et investigandum tam in Universitatibus catholicis quam in aliis Universitatibus. *Ratio*: summi momenti est efformatio illorum iuvenum, qui postea professores alicuius disciplinae in Universitatibus et catholicis et non catholicis erunt. Ab eorum mente praecipue dirigitur studentium habitudo tam intellectualis quam practica ad christianam religionem.

VI. Quae nunc in n. 15 pag. 9 linn. 4-7 inveniuntur, possint ad n. 14 pag. 8 post lin. 30 adiungi. *Ratio*: cohaerent intime cum illis, quae in n. 14 in fine dicuntur.

VII. Quae in n. 15 pag. 8 linn. 31-34 dicuntur apte possint inseri in n. 12 pag. 7 post lin. 36. *Ratio*: quia de eadem re loqui videntur.

* * *

Declaratio quantum ad substantiam placet. Quamvis haec declaratio brevis esse debet, tamen quaedam delineamenta ex priore schemate « De scholis catholicis » saltem brevissimo modo inserantur oportet, ut Commissio postconciliaris iam quasdam normas magis concretas habeat.

1. N. 9, in pag. 13, inscribitur titulus « De Facultatibus et Universitatibus catholicis ». Quamvis hic titulus inter uncos positus postea tolletur, tamen indicat textum huius numeri noni nonnisi de catholicis Facultatibus et Universitatibus tractare. Attamen in Relatione iam sapienter dictum est, Concilium curam habere debere etiam de multo maiore numero iuvenum, qui Universitates non catholicas frequentant et efformatione catholica imbui debent. Ideo addatur brevis phrasis, quae fere verbaliter ex priore schemate desumpta est: « Episcopis speciale officium incumbit, ut christianam curam habeant etiam de iuvenibus, qui Facultates et Universitates non catholicas frequentant ». Vel simili modo: « Episcoporum est convenienter providere spirituali bono et religiosae efformationi etiam illorum studentium, qui Universitates non catholicas frequentant ». *Ratio*: in ipsa nostra declaratione

sub n. 6 iam generaliter dicitur, Ecclesiam persentire officium sedulo curandi religiosam educationem filiorum suorum in quacumque instituantur schola. Quod principium hic convenienter applicetur.

2. In pag. 13, sub n. 9, sapienter dicitur, ut studiorum superiorum domicilia « potius quam numero, doctrinae studio eniteant ... ». Ad hanc postulationem confirmandam post verbum « studio » inserantur verba « et investigatione scientifica ». *Ratio*: in eo est, quia Universitates non solummodo doctrinam iam acquisitam tradere, sed etiam eius profectum procurare per investigationes scientificas debent. Omnino autem oportet, ut catholicae Universitates et Facultates hac in re adaequent alia huiusmodi Instituta et nequaquam illis sint inferiores.

3. In schemate *de scholis catholicis*, sub n. 12, pag. 13, linn. 1-4, postulabatur: « in omnibus Universitatibus catholicis habeatur Facultas Sacrae Theologiae, quae totius Universitatibus veluti centrum sit, aut saltem Sacrae Theologiae institutum vel cathedra, in qua lectiones laicis quoque studentibus aptae tradantur ».

Doleo hunc textum penitus deletum esse. Haec nostra nova Declaratio solummodo sat generaliter de momento S. Theologiae loquitur nec ullum verbum dicit de dialogo inter sacram doctrinam et alias scientias instituendo neque mentionem facit de aditu laicorum ad praelectiones theologicas. *Ratio*: S. Thomas in primo articulo totius Summae Theologiae docet, sacram theologiam omnino necessarium esse praeter alias disciplinas. Ideo Universitas catholica sine Facultate theologica non repraesentat universalitatem scientiarum, quia deest illa scientia sacra, quae est centrum et culmen et princeps omnium aliarum. Experientia insuper docet, sacram theologiam vivo modo edoctam radiare in omnes aliarum scientiarum Facultates. Permulti laici hodie ardenter desiderant, ut aditum habeant ad praelectiones sacrae Theologiae et iam plurimi eorum exinde profundiore fidei intelligentia ac maiori fidei firmitate imbuti sunt. Rogo ergo instanter, ut illud incisum supra memoratum in hanc declarationem rursus introducatur.

4. Valde laudanda sunt quae in schemate *de scholis catholicis* in fine n. 14 dicebantur, nempe: « Iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive aliarum Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores videantur, peculiari cura excolantur et ad magisteria suscipienda promoveantur » (pag. 8, linn. 27-30).

Hoc incisum retineri debet in nostra Declaratione, nam summi momenti est efformatio illorum iuvenum, qui in futurum erunt professores alicuius disciplinae in Universitatibus et catholicis et non catholicis. Ab iis praecipue diriguntur studentes in intellectuali et practica habitudine ad religionem christianam. Multum iam querebatur de quadam catholicorum minoritate vel inferioritate in publicis Institutionibus scientificis, et hoc non sine causa dicitur, ut statisticae probant. Ideo omnino oportet ut iuvenes apti tam in catholicis quam in aliis Universitatibus scientificae investigationis progressu adiuventur. Hac in re Ecclesia transgredi debet propria instituta, ut omnibus

sit coniunctissima. Sed quia de hac materia in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* iam quaedam sat praeclara dicta sunt, hic supra dicta brevis significatio sufficiat.

Conclusio. Multis mecum episcopis cordi est, ut haec principia in schemate *de scholis catholicis* iam fere omnia exarata in nova declaratione retineantur et adhuc magis confirmentur. Hoc summi momenti erit pro ulterioribus competentis commissionis studiis in elaborando textu definitivo.

17

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Schema in genere placet. In specie sequentes animadversiones profero:

Ad n. 6. Propono, ut in hoc numero praeter institutionem moralem et religiosam *in scholis* expresse etiam de tali institutione *extra scholam* aliquid dicatur, quod in praesenti textu deest aut tantum implicite continetur.

Quae institutio scholaris, de qua in textu sermo fit, certe magni momenti est, praeprimis, quia se ad multos discipulos vertere potest, et propterea omnibus mediis promovenda est. Experientia autem docet, multos homines institutionem religiosam in scholis recepisse, non tam multos autem fidem suam etiam in vita exercere. Quo pro defectu certe plures causae afferri possunt. Sine dubio ratio etiam in hoc invenienda est, quod tempore institutionis scholaris scientia religiosa et praxis christiana non satis coniunctae fuerunt, et propterea eruditio religiosa scholaris in vita posteriori, proh dolor, saepe non continuatur.

Necesse ergo est: 1) ut eruditio scholaris etiam cum *convenienti labore extra-scholari* coniungatur et ita ista coniunctio necessaria inter scientiam religiosam et praxim christianam iam in tenera aetate exerceatur et 2) ut institutio religiosa in schola *altera institutione religiosa post-scholari* (in lingua germanica « zweiter Bildungsgang ») suppleatur et continuetur, quae aetati, culturae et aliis circumstantiis singulorum correspondeat.

Institutio religiosa scholaris ita tantum fiet efficax in vita posteriori discipulorum scholarium.

Ad n. 8. Propono, ut inter scholas, quae ab Ecclesia fovendae sunt, etiam illae, quae pro futuris magistris erudiendis destinatae sunt, recipiantur.

Sine dubio scholae, « quae inferioris et medii ordinis sunt atque educationis fundamentum constituunt » magni momenti sunt. Pari modo autem aestimandae sunt etiam illae scholae, in quibus futuri magistri et magistrae educantur, qui postea ad illud « fundamentum educationis » ponendum apti sunt. Ecclesia in genere non multas, sed magis insignes scholas instituet, inter quas certe illae « paedagogicae » peculiari modo numerandae sunt, et quibus Ecclesia etiam magnum effectum « in latitudinem » (in lingua germanica « Breitenwirkung ») consequi potest.

18

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS IOACHIM LOPES DE MOURA
Episcopus Portalegrensis-Castri Albi

Ad par. 1 sic sonantem: (De educationis christianae fine): « Educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant ita ut, mysterio Christi Redemptoris participantes, salutem a Christo recipiant et, suae altioris vocationis conscii, consecrationi mundi collaborent, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum magnopere conferunt ».

Venerabiles Patres: « In omnibus respice finem » iam olim commendabatur et, hac nostra aetate actualitate adhuc gaudere nemo est qui non videat.

Et quidem, cum finis inter cognitionis causas seu rationes primatum teneat, summi momenti erit ut ea quae a nostra sacra Synodo docenda erunt circa educationis christianae finem, vigilanti cura, ponderentur et exprimantur.

Ne tempus teram, textum nobis propositum circa educationis christianae finem, sub numero primo, crisi non subiciam etiam quia quae ibi vel desunt vel redundantia apparent nimis evidenter conspiciuntur: v. g. de Deo simpliciter nec verbum, de Christo, autem, de quo absolute loquendo nunquam satis, tribus vicibus nominatur in una eademque assertione.

Igitur, ut cum perspicuitate procedatur, necessarium apparet quod in primis educatio hominis in genere per essentialia in luce ponatur; consequenter, autem, educatio christiana specificetur ut inter errores in hac materia serpentes, veritas, claritate qua fulget, incedat.

Conabor, proinde, venerabiles Patres, alium textum vestro sapienti iudicio proponere, nixus vestra benevolentia necnon auctoritate 104 Patrum qui mecum consentiunt et subscribunt:

Educatio in genere in eo tendit ut homo, eius subiectum, per seipsum, moderatoribus adiuvantibus, fiat quod est, scil., est ad imaginem et similitudinem Dei per creationem, talis veraciter efficiatur, sive per intellectum veritatem communicantem, sive per voluntatem omne vere suum bonum libere amplectantem, quovis individui tyrannico determinismo, a persona sic se perficienti, superato.

Ad finem autem educationis christianae quod attinet, praeter ea quae ad finem educationis in genere respiciunt, haec specificativa addantur: « Educatio christiana, tota in Christo suffulta, quia Ipse est figura Substantiae Dei (*Hebr.* 1, 3), verus Deus et verus Homo, pro omnibus hominibus Redemptor et Salvator, eo tendit ut homo christianus personaliter Eum qui est via, veritas et vita per fidem recipiat, testis eius in sua humana activitate sese exhibeat », vivum instrumentum missionis Ecclesiae exsistat, consecrationem

mundi promoveat, communi bono societatis inserviat, suaeque altiori vocationi respondeat, et sic aeternam salutem adipiscat.

Quae omnia magnopere conferre sive ad valores naturales assumendos, sive ad valores supernaturales non praetermittendos, vobis, venerabiles Patres, compertum omnino est.

19

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI

Archiepiscopus-episcopus Montis Regalis in Pedemonte

Momentum huius declarationis neminem fugit. At sincere dolendum est multos dies consumptos fuisse sermonibus sine fine dicentibus in disceptatione de Ecclesia in mundo hodierno, et temporis spatium omnino angustum relictum fuisse pro tractatione huius problematis, inter alia nostrae aetatis sane gravissimi, quod sollicitudinem pastoralem prae primis urgere debet quodque suavi spe una cum magna tristitia cotidie nos afficit. Ea quae iuventutem eiusque tentationes, exigentias spirituales et morales, pericula et exspectationes respiciunt, Vaticanum II non ut decebat consideravit. Agitur de lacuna revera gravi, cum sors iuventutis intime connexa sit futurae sorti Ecclesiae et humanae societatis. Declaratio quidem lacunam hanc ex parte complet, sed propter suam ipsam naturam, non adaequate rei momento.

Quibus praemissis, veniam ad aliquas adnotationes circa schema:

1. Optimo consilio, ut puto, prius schema « de scholis catholicis » nova materiae ordinatione novoque titulo ita mutatum est, ut non amplius ad problemata adolescentium scholas stricte catholicas celebrantium restringatur, sed totam multitudinem studentium — quae magis magisque fit multitudo iuvenum — amplectatur.

2. Talis peropportuna schematis renovatio nullam debet ansam praebere interpretationi, iuxta quam schola catholica tempus suum fecisset, irreversibili quodam motu ad ... occasum praecipitans, in omnibus et ubique a schola statali supplantata. Laudanda igitur est commissio, quia principia iterum iterumque a magisterio ecclesiastico enunciata, concise in textu inseruit. Attamen iura quae civili societati in schemate attribuuntur, praesertim sub n. 5, sermone magis accurato definienda essent, ne mens moderna — etiam intra catholicos aliquando sese insinuans — fovenda videatur, quae ius et munus educandi, in scholis et extra scholas, exclusive vel saltem principaliter reipublicae adsignat.

3. Etsi declaratio non ignorat delicatas et implexas quaestiones, educationem iuvenum extrascholasticam respicientes, non videtur eisdem tribuere decisivum momentum quod in solutione totius problematis habent. Quae sub nn. 2 et 3 dicuntur, huic gravi exigentiae, meo humili iudicio, non satisfaciunt. Quamvis schola « inter omnia peculiare semper momentum servat » — ut iure in nota introductiva legitur — immo et servare debet, nullum

tamen dubium est problema educationis christianae non posse infra septa scholae fere unice circumscribi. Si ergo volumus colloquium apertum et constructivum cum iuventute, praesertim scholas superiores quae celebrat, sollicite efficaciterque instaurare, perspectivas apostolicas atque incepta inde consequentia ultra scholam, etsi cum ea opportune colligata, dilatemus oportet. Verba enim, notiones, ideae, exempla, amicitiae, in aula ab alumnis hausta, sunt veluti semina bona vel minus bona, quorum vis educativa vel corruptiva extra aulas, in quotidiana vita familiari et sociali, producere solet effectus practicos profunde incidentes. Munus quidem familiae esset huiusmodi effectus intra fines positive formativos continere, et missio educativa familiae, proh dolor, in dies enervatur magisque ardua fit. Sequitur inde ambitum actionis apostolicae in campo iuvenili latiorem dimensionem assumere, cui generose ac fiduciose navitas nostra respondere debet. Liceat mihi, diuturna infra iuvenes studentes experientia innixus, vestro sapienti iudicio haec humiliter submittere:

a) ad integrandam et, si casus ferat, corrigendam functionem educativam scholae, magno fortique animo creanda sunt omnia illa incepta (circuli, centra, clubs etc.) quae in genere ambitum stricte paroecialem excedunt, omnibus studentibus patent eorumque moderamini — sub prudenti vigilantia spirituali sacerdotis idonei — committuntur, eo fine ut omnes iuvenes vivas ipsorum quaestiones serene agitent sub luce veritatis eaque solvere nitantur iuxta christianam vitae conceptionem, veritatem facientes in caritate; hae consociationes agiles et apertae, quin opponantur sodaliciis Actionis Catholicae vel id genus, eosve substituant, cum ipsis cooperantur, sive in eas inserendo iuvenes magis selectos ad profundiorem formationem, sive ab eis postulando adiutricem fraternamque operam, ita ut quasi pons exstruatur, per quem Ecclesia omnes filios suos materne adloqui possit eosque benigne audire et comprehendere;

b) haec apostolica activitas, in multitudinem iuvenum protensa, urgentior apparet hodiernis temporibus, quae duplici gravi phaenomeno « characterizantur »: ex una parte inceptum systematicum ingentibusque mediis praeditum, quo societas civilis campum educationis universum « monopolizare » nititur; ex altera organizatio capillaris eaque insidiosissima quia aliena veste induta (« camuffata ») qua partes marxistarum iuvenes alliciunt;

c) cum agatur de apostolatus formis, haud semel novis semperque arduis, sacerdotes et laici — praesertim qui munus docendi explent — speciali ratione parentur oportet ad munus hoc efficaciter aggrediendum, repulsa tamen omni diffidentia omnique timore erga iuvenes, qui maiorem fiduciam petunt merentque.

Relinquentes igitur querimonias minus opportunas de exemplari iuventute temporis acti, corda nostra suavissimo amore fragrantia convertamus ad immensam iuventutis multitudinem nostri temporis, eam adloquendo eamque amplectendo sublimi Christi dispositione, qua Magister bonus iuvenem occurrentem excepit: « Intuitus eum, dilexit eum » (*Mc.* 10, 21).

20

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Commissio quae hoc schema praeparavit sine dubio meretur nostram gratitudinem ob suum laborem sollicite impensum. Ex alia tamen parte, velim quaedam de hoc schemate observare, sperans fore ut utilia sint ad documentum adhuc melius elaborandum.

1. In prooemio, pag. 5, linn. 9 ss., dicitur: « Ipsam igitur educationem Evangelii lumine penetrare atque nobilitare Ecclesia *per omnem suae historiae decursum quam maxime studuit.* Instrumentum vero huic fini praecipue aptum *semper habuit* scholam christianam, in omnibus eius formis et gradibus, ab inferioribus usque ad Universitates studiorum ». Puto in his assertionibus non satis evitari notam « triumphalismi », quatenus non tantum dicatur Ecclesiam semper habuisse officium grave circa educationem, sed insinuari videatur Ecclesiam semper hoc officium sufficienter implevisse. Puto melius esse si emphasis ponatur in officium quod habet Ecclesia ut studium quam maximum habeat de educatione, cum salus hominum tam intime dependeat ab eorum educatione.

2. In n. 2, pag. 5: puto bonum esse ut hoc loco allusio fiat ad « Declarationem Universalem Iurium Humanorum ».

3. In n. 5, pag. 6, lin. 7, affirmatur etiam singulos homines ius habere scholas condendi et regendi. Puto hoc affirmari posse tantummodo de illis individuis qui omnes qualitates requisitas habeant ad tale munus suscipiendum.

4. In n. 8, pag. 6, linn. 26-27: explicite dicendum est munus docendi etiam disciplinas saeculares in scholis catholicis esse apostolatum dignum ut a sacerdotibus et religiosis exerceatur, ut sic excludatur opinio contraria quae hodie non raro auditur.

5. In n. 8, pag. 6, linea ultima: in loco vocis « vigilantia » propono ut substituatur vox « sollicitudo » vel alia quae non habeat connotationes vocis « vigilantia ».

6. In n. 12, pag. 8, lin. 1, puto melius esse ut dicatur: « habeatur *vel* Facultas S. Theologiae ... *vel* saltem S. Theologiae Institutum vel Cathedra ... ». Sedulo enim evitanda est multiplicatio Facultatum S. Theologiae ubi non adsit numerus sufficiens professorum qui ad hoc munus adaequate sint praeparati. Ex alia parte, optandum est ut in omni universitate catholica adsint professores sat bene praeparati qui omnibus alumnis tradant scientiam theologicam ipsis accommodatam, eo modo ut theologia habeat locum honoris inter disciplinas universitatis.

7 et ultimo. Hoc *schema propositionum de scholis catholicis* mihi videtur non tale esse documentum quod promulgari debeat tamquam sententia huius

Concilii Oecumenici, circa quaestionem gravissimam educationis catholicae in mundo hodierno. Hae propositiones, enim, cum non adaequeant difficultati et complexitati problematum quae tractant, vix aptae sunt ut impressionem desideratam habeant apud peritos et professionales in campo educationis. Praesertim ea quae spectant Universitates deficiunt, tum obiectivitate tum attentione sufficienti ad magnas differentias quae adsunt inter systemata educationis universitariae in diversis partibus mundi.

Has ob rationes, mihi videtur melius ut hoc Concilium Oecumenicum simpliciter exprimat votum suum esse ut tota haec quaestio de educatione catholica fiat obiectum studii profundioris apud commissionem peritorum, et sub ductu commissionis post-conciliaris promulgetur fructus huius studii, qui magni momenti esse debet educatoribus tum catholicis tum etiam non-catholicis.

21

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH

Episcopus S. Iacobi Veraguensis

Schema certe melior factus est in nova redactione. At scimus ex testimonio membrorum commissionis competentis quam celeriter facta est nova redactio per paucos dies quin tempus utile fuisset pro debita consideratione rei tanti momenti non tantum ex parte membrorum commissionis sed etiam peritorum ex potioribus regionibus mundi. Liquet autem nobis tam sollemne documentum, charta quaedam pro educatione christiana in posterum, sicut apte animadvertit em.mus card. Léger, non debere suffragio Patrum proponi nisi post longiorem considerationem commissionis, consultis etiam omni cum debita attentione multis peritis; et dico, denuo consultis, ex hoc quod scopus schematis non iam tantum de scholis catholicis agit sed etiam de tota educatione christiana. Nisi fallor etiam commissio competens voluerit aliam redactionem schematis parare antequam ad suffragium proponatur; et nulla est ratio quare illis opportunitatem non demus, reiiciendo simpliciter praesens schema, de quo ceterum nullum suffragium nisi generale possumus facere propter angustiam temporis.

Liceat mihi indicare aliqua elementa quae, mea saltem opinione, corrigenda essent in nova redactione:

1. Melius aptetur schema novo titulo « de educatione christiana ». Sedulo legenti apparet schema tantum superficialiter de educatione christiana in genere agere, nempe in brevissimo prooemio et duabus primis declarationibus, ex quibus transitus fit in omnes alias declarationes quae explicite de scholis et universitatibus catholicis agunt.

2. Expositio de educatione christiana, ut vere nobis utilis sit, debet omnino considerare statum realem educationis in mundo actuali et finem proprium educationis catholicae. Agitur, nempe, de renovatione educationis

christianae a nobis indicanda. Ad hoc, autem, paucum refert mera descriptio, et quidem potius abstracta, de mediis quibus magis Ecclesia nunc utitur, nempe scholis et universitatibus catholicis, nisi post analysim status rerum in mundo et finis seu missionis Ecclesiae ut magistra in hac nova situatione.

a) Analysis status actualis rerum multo melius fit in relatione, pagina sexta et sequentibus, quam in ipso schemate, cuius textus tam genericus remanet ut potuisset applicari indifferenter quocum saeculo historiae. Patet autem quod in nostro saeculo situatio educationis omnino nova est: quantum ad ingentes massas educandas; quantum ad nova media quae faciunt ut sit pro prima vice realiter possibilis ut omnis homo idoneam educationem recipiat, ita ut eius ius ad huiusmodi praeparationem pro vita non in vanum affirmetur; quantum ad structuram technicam et visionem scientificam quae ubique methodum ac contentum curriculi scholarum profunde immutat; quantum ad agnosticismum et materialismum practicum qui ex hac exclusiva insistentia in technica et scientia experimentali exoritur; quantum ad occasum philosophiae veri nominis inter scientificos et educatores huius temporis; et, denique, ut non nimia alia dicam, quantum ad media communicationis (radio, cine, « stampa », televisio, etc.) quae plerumque plus influunt in educatione nostrum coaetaneorum quam familia, schola et Ecclesia, et quae in genere, non ut media educationis in pretium habentur, sed potius sine debita responsabilitate fines sive lucri sive potestatis politicae inserviunt.

b) Ex eo quod schema non explicitius ex initio de fine seu missione Ecclesiae in educatione, generatim sumpta, loquitur, habetur ut media educationis christianae, et praesertim scholae catholicae, tractantur ac si essent finis ipse et non potius media plus minusve apta ad finem consequendum. Omnino hae scholae fovendae sunt, ubi opportunitas et libertas hoc permittit. Quid autem de tantis regionibus ubi nec opportunitas nec libertas ad hoc existit? Et quomodo reformandae seu renovandae sunt scholae catholicae nisi clara luce missionis Ecclesiae in educatione totali omnium praesertim christianorum examinentur? Multae sunt graves quaestiones quae ponuntur de nostris scholis hodie (de ingentibus expensis fidelium pro illarum manutentione, de occupatione sacerdotum et religiosorum in disciplinis secundariis et mere profanis, de practica exclusione, in aliquibus nationibus, pauperum ab illis, de dedicatione magnae partis cleri et religiosorum in scholis pro minima parte iuventutis in nationibus ubi maxima pars populi nullam vel quasi nullam attentionem religiosam recipit, et ita porro). Quomodo considerandae sunt hae quaestiones nisi annuntietur inde ab initio schematis modo concreto et explicito munus Ecclesiae ut magistra gentium esse verbum Dei omnibus hominibus praedicare, mediis aptioribus adductis ad hunc finem?

Sub hoc respectu, unam considerationem addam de universitatibus. Aliqua optima dicta sunt in schemate de illis. De theologia, autem, quae est ratio quasi essendi universitatum catholicarum, nullum indicium clare affirmatur de omnino necessario munere nostrarum universitatum catholicarum visionem christianam afferendi ad potiora problemata mundi et hominum

huius temporis. Dialogus cum mundo, qui in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis » initium felicem habebit, ubi melius colendum quam in et ex universitatibus catholicis? E contra, omnes novimus hunc dialogum nec intra ipsas universitates plerumque bene fieri, ubi sic dicti cursus religionis mediocres sunt et sine ulla relatione viva cum aliis disciplinis in ipsamet universitate traditis. Scholae theologicae, etiam quando seorsim ab aliis facultatibus universitatis existunt, et magis quidem quando una cum illis inveniuntur, debet audire de aliis de problematibus magnis quae proponunt, et lumen doctrinae Ecclesiae afferre ut ex communi labore efformetur visio christiana huius mundi in quo Deum et salutem quaerimus.

Concludo: Schema esset reficiendum et iterum ad Concilium pro disceptatione proponendum, non autem nisi post debitum studium tum missionis Ecclesiae in educatione, ut finis clare stabilietur, et conditionis realis educationis in nostro tempore, ad quod studium vocandi essent maximi periti ex pluribus nationibus. Alioquin nonnisi generalia dicemus de educatione christiana quae parum adiuvare possunt catholicis, praesertim educatoribus nostris, qui a nobis non laudem tantum sed etiam lumen petunt.

22

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Schema declarationis *de educatione christiana,* sive ob principia enunciata sive ob ordinem servatum, valde placet. Placet, praecipue, quod non tantum de scholis catholicis, sed de christiana educatione Concilium verbum faciat. Omnes sane scimus quanti momenti sit pro vita christiana recta educatio, cum haec essentialiter in formatione christiani integralis consistat, nempe in indicando iis qui per Baptismum habitum fidei, spei et caritatis acceperunt, quid christianus agere debeat ut testimonium propriae christianae professionis continuo exhibeat et finem suum supernaturalem consequi valeat. Ipsum Concilii opus, quod ad vitae christianae renovationem tendit, effectus, quos sibi proponit, non attingeret nisi congrua daretur pueris, adulescentibus et iuvenibus educatio.

Aliqua tamen animadvertenda censeo, quae iudicio vestro humiliter proponam.

1. Antequam de fine educationis christianae agatur, explicite affirmandum esset *ius* et *officium* Ecclesiae educationem impertiendi et consequenter omnia media adhibendi, quae in ordine ad educationem necessaria vel utilia videntur.

Ideo fundamenta biblica et theologica huius iuris-officii hic, etsi perbreviter, revocanda sunt. Potissimum nexus in lucem ponendus venit cum doctrina, quae in constitutione *de Ecclesia* et in decreto *de apostolatu laicorum* habetur. Ita haec declaratio non quid per se stans, sed quid ex doctrina

a Concilio tradita profluens et organice contextui totius Concilii insertum apparebit.

2. In n. 1 recte dimensiones christianae educationis assignantur, sed puto explicitius dimensionem apostolicam et communitariam indicandam esse; quae apostolica et communitaria dimensio educationis christianae uti canon fundamentalis sui muneris tenenda esset ab omnibus educatoribus, qui e contra non raro educationi sat individualisticae et pietisticae indulgent. Bene scio haec fusius tractari posse a commissione postconciliari, sed perutile erit in declaratione hoc basilare principium innuere.

3. Ad media educationis quod attinet, absque dubio scholae catholicae uti validissima educationis media censenda sunt. Optime in n. 7 ius Ecclesiae condendi atque regendi scholas cuiusvis ordinis et gradus affirmatur et declaratur hoc ministerium esse veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium, simulque verum servitium societati praestitum. At fortasse hic non tantum memorandum venit officium parentum liberos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis easque pro viribus sustinendi, sed etiam omnium christifidelium, praesertim eorum qui in vita publica responsabilitatem habent, officium scholas catholicas fovendi et sustinendi uti irrenuntiabilem manifestationem vitalitatis Ecclesiae. Evidens est Ecclesiam tot scholas condere non posse quot fidelium necessitatibus praesto esse queant. Haec est ratio cur Ecclesia maximam curam habet christianae educationis omnium scholarum alumnorum.

Sed scholae catholicae munere quoque fungi debent specimen offerendi integralis educationis humanae in luce fidei, specimen scilicet humanismum christianum in actum deducendi.

Quod officium omnium christifidelium, eorum praesertim qui responsabilitatem in vita publica habent, necessario videtur hic affirmandum, cum non desint inter catholicos qui retineant et sustineant in praesentis temporis conditionibus Ecclesiam tempus terere in defendendo, relate ad ordinationem hodiernae societatis, iure scholas condendi et regendi, cuius iuris exercitium hodie impar omnino esset Ecclesiae muneri veritatem docendi.

4. In n. 8, ubi de scholis catholicis inferioris et medii ordinis agitur, utpote quae educationis fundamentum constituunt, opportuna videtur non tantum generica commendatio, sed enixa adhortatio ut, quantum fieri potest, istius generis scholae apud paroecias instituantur. Scimus enim quantum inceptum hoc christianae formationi fidelium, quae sane munus est cui paroecia totis suis viribus incumbere debet, semper contulerit. Quod quidem et dialogo Ecclesiae cum mundo absque dubio maxime favebit, cum ope scholasticae institutionis influxus paroeciae ad familias etiam a praxi religiosa alienas benefice dilatabitur.

5. Valde igitur optandum ut inter uberiores huius Sacrosancti Concilii fructus scholae catholicae cuiuscumque ordinis et gradus exstent, quae in dies crescant atque floreant.

23

EXC.MUS P. D. CANDIDUS PADIN

Episcopus tit. Tremithusius, aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Pauca paucis. Pauca dicenda de tam paucis verbis dictis.

Revera, non multum necesse est dicere de pauperrimo textu quod nunc nobis subiicitur.

Si a Concilio desideratur ut simplicem declarationem approbet, forsan melius esset ut relationem a commissione factam approbaret. Quia ipsa clariore modo ante oculos nostros viam pastoralem indicat, quam Ecclesia nostris temporibus eligere debet. Textus autem Declarationis non perfecte congruit cum relatione. Figura namque scholae catholicae, quae in Declaratione invenitur, est adhuc ut quaedam insula vel « ghetto », ut dicitur. Quae bene dicuntur in relatione de dimensione universali educationis, in principiis Declarationis sufficienter non apparent. Nam principium de iure scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi, necessario debet componi cum exigentiis boni communis totius societatis. Si Ecclesia iam non vult insula esse in societate, sed potius fermentum quod totam massam penetrat, tunc aliena non potest esse ab exigentiis huius temporis quae planificationem educationis omnino expostulant. Hic non loquimur, ut patet, de formatione religiosa, vel potius catechetica, quae ab Ecclesia semper libere exerceri debet.

Loquimur autem de necessaria participatione christianorum in operibus educationis omnium hominum in societate pluralistica. Sed illa opera nullo modo possunt compleri sine accurata planificatione, saltem pro singulis nationibus. Cum autem haec planificatio valde technica est, norma pastoralis pro Ecclesia erit aliquos christianos excitare ac iuvare ad hanc missionem amplectendam. Solummodo sic societati vere demonstrabimus amorem erga omnes homines, et non tantum erga christianos.

Et consequentia huius principii erit, quod christianis incumberet magnam partem habere, praesertim in nationibus non plene evolutis, in educatione basica adultis destinata (gallice « éducation de base ») et in promotione sic dictae culturae popularis. Quia praesens momentum historicum exigit ab Ecclesia maxima cura pro humilibus hominibus qui adhuc vivunt abalienati a vera cultura humana.

Multa alia desideranda essent in documento quod Concilium Oecumenicum mundo praesentare vult. Haec autem sufficiunt ut intelligamus quod textus Declarationis funditus reficiendus est.

[*Subscripserunt etiam*] Helder Pessâo Camara; Cl. J. C. Isnard; B. Bueno Miele, ep. tit. Barara; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussala; E. de Araujo Sales.

24

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Propositum schema declarationis *de educatione christiana* sequenti modo placet:

1. Sub hoc oecumenistico aspectu: accepit rectum nomen: de educatione christiana. Loqui enim tantum de catholica educatione tempore oecumenismi, diebus unionis cum ceteris christianis est quidam anachronismus, qui vitandus est, quando unitatem quaerimus et ad hanc unionem tendit S. Synodus.

Quo quidem ex capite verbum: catholicum est substituendum consequenter in hoc schemate verbo unionistico: christiano. In schemate promiscue legitur educatio catholica, educatio, schola christiana. Sic in n. 5 legatur: christiani — non catholici — collaborationem ultro praestare debent ... etc. In n. 8: Quare hic ministerium (christianae nempe educationis) veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium, decernit simulque verum servitium societati praestitum; et parentibus christianis officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis christianis easque pro viribus sustentandi. (Minus recte utitur schema verbo: sustinendi, quod non est rectum; terminus technicus in lingua latina est in casu: sustentatio scholae). Deinde in n. 11: ... omni ope curanda est tum scholarum christianarum coordinatio ... loco catholicarum ...

Hoc nomen: christianus est nomen nostrum e S. Scriptura sumptum, origine tenus ex inspiratione Spiritus Sancti, ubi apparet ex Actibus apostolorum: de Barnaba et Saulo legitur: Docuerunt multam turbam, ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli Christi: christiani (*Act.* 11, 25-26). Nomen catholicum nostrum est iunioris aetatis et prima vice legitur in epistula S. Ignatii Antiocheni E. M. ad Smyrnaeos hoc in contextu: Ubi episcopus, ibi multitudo; ubi Iesus Christus, ibi catholica Ecclesia. Et multum iuvat adnotare Dominum Iesum Christum Eucharisticum hic intelligi tamquam signum christianitatis catholicae, ubi iste Sanctus et fidem et testimonium deponit de ipsa transsubstantiatione, quod affirmat in Slovaca versione, translatione epistularum S. Ignatii quidam professor theologiae evangelicae confessionis Ecclesiae.

Est etiam sub hoc historico respectu omnino iustum adhibere in hoc schemate nomen oecumenicum: christiana educatio, christiana schola.

2. Non placet in schemate, quod sit vel esset schema declarationis. Ageretur tantum de declaratione? Est quidem dignior denominatio, quam propositiones, prout fuit primum nomen decisionis S. Synodi. Tamen adhuc dignior categoria decisionum S. Synodi est eligenda, adaequata ad digni-

tatem ipsius christianae educationis. Educatio, formatio iuventutis est negotium summi momenti, quod attinet ipsam Sanctam Matrem Ecclesiam. Omnino specialis, singularis relatio est inter scholam, educationem, et Ecclesiam. Ecclesia scholam nominat suam filiam; est enim filia Ecclesiae. Maternitas foecunda, fructuosa Sanctae Matris Ecclesiae dependet ab educatione, ab individuali educatione in familia et a collectiva educatione in schola. Quod maxime dolentes sentimus nos nostris in regionibus, ubi scholae atheisticae militantes vastant et destruunt non tantum christianam educationem collectivam, sed destruunt omnes religiones, praesertim in educanda iuventute. Sollemnior forma decisionis est necessaria, ut ostendat S. Synodus coruscam aestimationem christianae educationis. Sic et Ius Canonicum decisionem S. Synodi in can. 227 Decretum vocat, nullibi declarationem.

Hinc nomen schematis recte sit: schema decreti *de educatione christiana.* Et consequenter dicatur in n. 1: Sancta Synodus fundamenta quaedam decernit et non declarat tantum, prout in textu habetur.

3. Ex ipsa denominatione decreti de christiana educatione fluit, sequitur omnino spontanee: non sufficit tantum in sinu S. Matris Ecclesiae manere et sic agere ergo latius diffundatur haec actio pro educatione christiana. Sit vere christiana haec actio. Non sufficit tantum post S. Synodum habere specialem commissionem infra limites Ecclesiae.

Sic iam anno Domini 1938 fuit inter nonnullos catholicos viros emotio qui operam navabant circa educationem christianam iuventutis in scholis. Et quidem in Westminster, Amsterdam, Düsseldorf et Bratislava, ut internationalis societas christianae educationis condatur, erigatur et nomen anglicum debuisset obtinere: International Society of Christian Education. Ob singularia adiuncta tunc temporis. Quae actio lucem videre non potuit. Bellicus furor suffocavit in embryone eam et solus vivus mansi ex istis viris, qui hac sollemni, omnino exceptionali occasione utitur, ut haec internationalis societas christianae educationis hic Romae, in corde christianitatis condatur, erigatur.

Atque impense rogo S. Synodum: mandet isti postconciliari commissioni suae, ut de erectione huius societatis curam habeat, eam foveat, protegat sub alis Sanctae Matris Ecclesiae, ut exinde maiora bona veniant pro Sancta Ecclesia, pro societate humana, pro christiano mundo nostri temporis et omnium temporum.

Hinc concludo: sit ubique verbum christianum in toto Decreto adhibitum; sit non propositio, non declaratio sed sollemnius Decretum, sit etiam: ista postconciliaris commissio mandatum accipiat a S. Synodo de erigenda Internationali Societate Christianae Educationis.

Cetera Deus Optimus providebit.

25

EXC.MUS P. D. ANTONIUS QUARRACINO

Episcopus S. Dominici Novem Iulii

De educatione christiana et de scholis catholicis agentes, magno cum realismo problema magni momenti memorandum est. Nemo est qui nesciat quot animae consecrationem Deo in docentia fecerunt et faciunt, quot pecuniae quantitas in isto labore impertitur et quot tempus in isto opere dilabitur. Nemo est qui neget sacrificium magnum quod haec omnia supponunt et holocaustum vitarum quod Deo offertur in labore tacito, continuo et exigenti. Sed quaestio est: utrum effectus respondeant his omnibus sacrifiiciis. Mea humilis opinio — sincere et dolenter dico — est negativa. Et tunc surgit alia quaestio: agitur de defectibus scholarum nostrarum aut significat quod revera institutio scholarum — ut fit — est opus quod maxime his temporibus non est ab Ecclesia curandum, vel saltem est alio modo attendendum?

Responsum directe huic quaestioni nolo praebere, sed utique desiderium exprimo quod commissio post-conciliaris de qua loquitur in prooemio declarationis, membris experimentatis in rebus pastoralibus et educationis composita, funditus cum realismo et sinceritate studeat et consideret quomodo se habeat hodie schola catholica, utrum exigentiis et caracteristicis temporis hodierni respondeat, et praesertim ubi et quibus adiunctis Ecclesia curam habere debeat de scholis, numquam obliviscentes missionem eius essentialem esse praedicationem fidei Evangelii et distributionem vitae divinae ope sacramentorum.

His dictis, tria propono redactioni finali declarationis, relate ad scholas sic vocatas « catholicas ».

1. Clarius et concretius determinanda est finalitas scholae catholicae. Puto quod schola catholica sibi proponere debet, tamquam finalitas concreta, authenticorum dirigentium laicorum formationem. Tamquam finalitas dico, vel meta, in quam omnia tendere oportet, scientes — sine dubio — non omnes alumnos certe valiosos dirigentes futuros esse. Hac finalitate sublineata, statim dicendum est authenticum laborem formativum possibilem non esse si — ut multoties accidit — alumni in collegio per centenas et etiam millia numerantur. Seria labor formativa numquam potest esse massiva. Quoties visibiliter laetamur quando alumnorum numerum nostrorum collegiorum dicimus; sed non dicimus quot veri dirigentes communitatum humanarum ex-alumni sunt; vel quot vere anticlericales ... vel quid egissent inimici nominis Dei si haec collegia in suis manibus fuissent vel essent ... De his prudenter tacimus ... Postea etiam dicendum est quod criterium selectionis alumnorum in schola quae dicitur catholica esse debet eorum positivus valor humanus, et nullo modo possibilitates oeconomicae.

2. Labor formativus modo speciali a religiosis est faciendus; tunc deducitur ex una parte, quam necessaria sit vera capacitatio; ex altera autem

parte, sequitur traditio laicis docentiae multarum assignatarum. Videtur quod praesertim hodie, possibile non est religiosum — virum vel mulierem — totam suam vitam degere in docendo mathesim, geographiam vel grammaticam ... Quod respicit ad altam directionem collegii, et praesertim quod attinet ad formationem spiritualem et moralem alumnorum, necessarium et logicum est quod cura religiosorum sit; sed est etiam logicum quod administratio et magna pars docentiae scientificae sit in cura laicorum peritorum. Forsitan quis dicere posset hoc nunc possibile non esse; sed revera puto Concilium in multis loqui pro futuro, sine « immediatismi » anxietate.

3. Nullo modo deesse potest in declaratione verbum hortationis et alitus fervorosi erga laicos catholicos in scholis et universitatibus statalibus docentibus; ibi laicatus Ecclesiae magnam habet missionem, et suum personale testimonium — una cum magna capacitate scientifica — valde efficax erit. Tempus est enim examinandi utrum Ecclesia non debeat maiores conatus impendere in praeparatione horum laicorum — verum fermentum in farina — quam in constructione suorum collegiorum et in multiplicationem suarum universitatum. Non haec excludo, principaliter quando agitur de vera applicatione principii subsidiarietatis, sed recordari debemus illius primi laboris, quod sine cum magna patientia et intelligentia revera non fit.

[*Subscripserunt etiam*] A. Devoto, ep. Goya; A. Aguirre, ep. San Isidro; M. Tato, ep. Santiago del Estero; V. Zazpe, ep. Rafaela; E. Pironio, ep. tit. Ceciri; G. Huyghe, ep. Arras.

26

Exc.mus P. D. IOSEPH CALASANCTIUS ROSENHAMMER

Epscopus tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitosensis

Inter signa huius temporis censeri posse videntur: crisis moralis iuventutis et augmentum criminum inter iuvenes.

Mala tam obnoxia per educationem christianam, ad quam patres familiae ius et obligationem habent, restringi et evitari possunt.

Sed his temporibus haec educatio coarctatur et frustratur per duos fontes malorum — per educationem laicam et per propagationem sexualem immundam.

Qua de causa Concilium Vaticanum II quod omnes homines adloquitur appellationem vigorosam et claram ad omnes homines, nationes et organizationes nationales et internationales dirigere debet, ut haec duo gravissima mala expurgentur.

Necesse est, ut ius educationis religiosae et perinde conscientiae et fidei iuvenum salvetur per instructionem religiosam in omnibus scholis etiam statalibus, nam non omnibus patribus familiae possibile est, ut filios suos ad scholas confessionales mittant.

Educatio vero sine Religione ad perditionem fidei et inde conscientiae perducit et viam ad crimen pandit.

Necesse est, ut educatio christiana non frustretur per commercium immorale sive impressis sive televisione sive cinematographo. Appellatio urgens ad omnes homines bonae voluntatis mundus exspectat nam patres familiae maximis angustiis de educatione filiorum vexantur, quia filii sui vix illis propagationibus immundis quae omni modo omnibus mediis libere offeruntur et exponentur, evadere possunt.

Clamor iste non inanis erit et, si clamori facta sequuntur, mundus a tam gravibus liberabitur.

27

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

Hoc schema mihi in genere placet, sed in quibusdam perfici potest. Quasdam mihi liceat animadversiones proponere.

Ante omnia deberet in lucem poni quid intelligitur per ista vocabula « scholae catholicae ». Etenim ut schola catholica reapse sit non sufficit nomine tantum catholico ornari et honorari, sed potius catholica esse debent in suis magistris, principiis, doctrina et educatione; uno verbo ambitus, vulgo ambiance, debet esse vere et realiter spiritu catholico ita imbutus ut alumni ibi inveniant veram vitam christianam secundum veritates fidei et principia moralitatis christianae. Tantummodo hoc modo scholae nostrae finem suum obtinent si una cum disciplinis profanis cor etiam et characterem christianum tradere valent.

Unde elucet opportunitas immo et necessitas scholae catholicae pro formatione iuvenum et totius populi christiani.

Exinde patet ius quod habet Ecclesia ad scholas instituendas et dirigendas, quod ius saepe saepius ei a guberniis civilibus denegatur aut exerceri impeditur. Concilium nostrum proclamare debet solemniter hoc ius, ne gubernia sibi arrogent ius exclusivum instituendi et dirigendi scholas. Status civilis potest utique leges ferre ad obligandos cives ad scholas frequentandas, ius habet ad vigilandum pro bono ordine servando in scholis et institutiones tradenda; sed ius non habet imponendi doctrinas et institutiones offendentes iura parentum et conscientiam alumnorum.

Ius habet Ecclesia docendi etiam in scholis et praesertim iuvenibus quos dilexit quam maxime Christus Dominus. Ipse enim nobis manifestavit mentem suam circa formationem parvulorum in via recta cum contra scandalum praebentes pueris poenas quam maximas invexit.

Inde ab initiis Ecclesia ius suum vindicavit et exercuit, scholas suas habuit in quibus magistri utriusque sexus, laici et religiosi vere fuerunt et sunt milites Christi et propagatores doctrinae christianae, omni consideratione et laude digni sunt. Silentio nobis non licet praeterire, instituta et associationes quae decursu saeculorum erectae quae munus suum exercent pro bono Ecclesiae in educatione iuventutis quae est spes Ecclesiae in futuro.

Parentes primarium et inalienabile ius habent seligendi pro educatione prolis suae scholas quas maluerunt, illas dico quae eorum convictioni religiosae magis aptae. Et ideo ius Ecclesiae denegari nequit sine magno damno religionis christianae. Exinde patet monopolium scholarum in commodum status civilis admitti nequit.

Haec omnia clare in lucem poni debent in schemate nostro ut sit vere documentum solemne pro futura activitate scholarum catholicarum.

Pergratum mihi est hic mentionem facere institutorum quae tamquam finem specificum habent educatio iuvenum in scholis christianis ut e. g. Fratres Scholarum Christianarum Sancti Ioannis Baptistae de la Salle et alia similia instituta. Sodales istorum institutorum magno cum zelo adlaborant in sacro ministerio verbi, tradendo una cum scientiis profanis, moralem educationem verbo et praesertim exemplo. Exemplum magis trahit quam praecepta. Et ideo schema nostrum fovere debet vocationes in illis institutis addictis doctrinae christianae tradendae. Efformare debemus militiam salutis ad transmittendam et diffundendam vitam christianam. Professores isti etsi ad sacerdotium non promoveantur tamen pretiosum opus salutiferum Ecclesiae Dei praestant. Huiusmodi institutoribus applicari possunt verba Christi dicentis: « Ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis » et alibi « Euntes docete omnes gentes ».

Notiones religiosae et morales quae ab infantili aetate accipiuntur, firmae manent et maximum influxum exercent usque ad provectam aetatem.

Ad concludendum duas propono emendationes: 1) Maiori cum solemnitate in schemate declaretur ius divinum Ecclesiae in scholas catholicas condendas et dirigendas secundum sua principia. Et ubi hoc ius ei denegatur conari debet per hierarchas locorum et praesertim per nuntios et internuntios ad vindicandum ius sacrum; 2) exhortationem facere ad suscitandas vocationes in institutis religiosis ad christianam doctrinam tradendam addictis.

28

Exc.mus P. D. SYRUS SILVESTRI

Episcopus Fulginatensis

Quandoquidem Concilium Oecumenicum Vaticanum II conceptum est et re convocatum pastorali potissimum proposito fieri non poterat quin de educatione scholastica tractaret.

Pastorale enim officium vel magna reperit in schola auxilia vel magnas difficultates.

Scimus praeterea solum christianam plane educationem atque solum disciplinam cui christiana mundi species lumen proferat, comparare posse substratum primum ad pastorale munus efficaciter profitendum.

Ceterum Ecclesiae bis mille annorum experientia hoc quidem demonstrat, homines qui plus ponderis habuerunt ad humanae societatis christianam

progressionem excolendam, ex christianis scholis prodiisse. Sed schema quod nobis proponitur et qui inscribitur *Declaratio de christiana educatione* et substituit propositiones *de scholis catholicis,* minus placet.

Declaratio mihi videtur nimis generica et forsan non necessaria.

Insuper videtur periculosa. Non est valida ad repellendos errores qui grassantur circa scholas Ecclesiae et circa ius Ecclesiae ad educationem christianam impertiendam.

Idea centralis schematis est servitium scholasticum Ecclesiae servitium quod praestat familiae et communitati.

Hoc quidem verum est sed si nihil aliud adiungatur in huius temporis adiunctis schema potest in discrimen adducere ius Ecclesiae ad scholas instituendas et regendas. Hac nostra aetate nonnulli etiam christiani catholici in quaestionem vocaverunt an necesse sit Ecclesia prosequatur suas proprias scholas conservandi et creandi consilium: nam Ecclesiam ibi ad hoc faciendum impelli ubi rei publicae consortium ad id non valet, facile est intellectu; sed facere velle ubi scholis satis potest a rei publicae consortio provideri, hoc est minus facile, dicunt, ad intellegendum.

Excellentissimus relator postulat nomine commissionis, mandatum Concilii ad conficiendum sollemne documentum aliquod postconciliare. Quod quidem mihi valde placet. Sed tunc declaratio nostra aut supprimatur aut habeat saltem aliquod essentiale principium ne interea damnum capiant scholae catholicae in quibusdam nationibus.

Principium essentiale non praetermittendum mihi videtur esse ius naturale Ecclesiae ad scholas habendas, quod principium habebatur in n. 5 praecedentis schematis.

Sollemnis pronuntiatio de iure naturali Ecclesiae ad suas scholas erigendas et regendas adiumento erit profecto in difficultatibus quibusdam vincendis.

Namque licebit ab hominibus, undique gentium, dummodo iis aliquantum sit recti iudicii et probitatis, hoc sane repetere, postulationem religionis et declarationem (la esigenza e la espressione religiosa) atque inde religiosam educationem, atque inde scholam educationis huius instrumentum, ad naturalia hominis iura pertinere.

Schola videlicet catholica existendi ius habet, non modo ad missionale munus explendum, quod Ecclesiae Divinus eius Conditor commisit, sed etiam sub naturali aspectu; homo enim iure fruitur humanam recipiendi educationem humanumque cultum quae religioni scilicet elementa et impulsus complecti debeant.

Talis necessitudo cum naturali iure erit utique facultas ut interponatur ubicumque scholae catholicae infesto quodam animo, etsi non sine aliqua interdum libertate, laicorum principia (laicismo) minantur.

Ex hac praecipua ratione semper, in qualibet Natione, aliqua definienda « Charta scholastica civis » poterit initium capere.

Quae Charta a conferentiis episcopalibus confici poterit et si omnibus

utatur potestatibus quas naturale ius et ius positivum seu leges praebent, efficiet ut ea iura vindicentur quae singulis hominibus, singulis familiis, et Ecclesiae inalienabilia et necessaria censentur.

Charta autem iuris scholastici civium haec contineat.

1. *Ius civis ad suam educationem.* Omnis civis ius habet recipiendi educationem, idest rectum incrementum corporeum et intellectivum, religiosum, morale et civicum.

Omnis civis ius habet ut rei publicae consortium, etiam quod attinet ad educationem et scholam, omnia removeat, in ordine rerum seu oeconomicarum seu socialium, impedimenta quae libertatem et aequilibritatem imminuendo, obstant quominus suum plenum profectum hominis persona consequatur.

Omnis civis videlicet ius habet talem recipiendi educationem quae ex toto curet corporis et spiritus exigentias.

Et quoniam hominis persona quae ex corpore et anima immortali constat, non in terrestri ambitu vitam exhaurit neque ad suam quisque perfectam felicitatem in illo pervenit, debet eius educatio transterreni atque aeterni finis adeptionem commodare.

Oritur ea de re civis debitum hanc persequendi, quantum potest educationem.

2. *Iura parentum.* Parentes ius habent, necnon etiam officium, educandi atque erudiendi filios iuxta ea quae de Religione sentiunt philosophicisque rationibus.

Tale ius-officium parentum se convertit in ius-officium condendi sua sponte scholas aut sibi consortii rei publicae cura suppeditandi, in quibus generalis descriptio rationis studiorum (programmi) atque praeceptorum opera non discordent cum ipsorum educandi normis, quin etiam confirment, prout est institutioni scholasticae proprium et peculiare.

Non possunt extra noxiam parentes se hoc iure abdicare suumque hoc officium neglegere informandi filiorum vitam ad privatam suam sententiam suaeque conscientiae monita.

Ultima adnotatio: de characterizatione scholae catholicae. Sententiam exprimam ac desiderium ut singularem characterizationem — ut dicunt — scholae catholicae habeant, scil. distincta quaedam *alacrizatio* alumnorum ad apostolatum.

Schema *de apostolatu laicorum* nos commonuit omnem vocationem christianam esse ad apostolatum vocationem et christianam ergo educationem esse ad apostolatum educationem debere.

Scholae catholicae centrum sint naturale, ubi haec ad apostolatum educatio suppeditari possit.

Conclusiones: 1) Affirmetur ius Ecclesiae ad suas scholas in iure naturae esse fundatum; 2) suggeratur conferentiis episcoporum redactio *Chartae iurium scholasticorum pro civibus*; 3) declaretur characterizatio scholae catholicae ut centrum educationis ad apostolatum.

29

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

1. Propositiones singulae plus minusve placent. Generatim autem dolendum est, quod campus educationis, de quo in tota societate humana huius temporis, in omnibus fere terris, in permultis associationibus, in partibus politicis non solum discutitur, sed etiam immensae difficultates et impugnationes gravissimae sunt exortae quae saepe saepius relationes inter Ecclesiam et statum aggravant, hic in nostro schemate ad quaestiones quasdam de scholis catholicis restringitur. In singulis punctis vix melius et latius quid dicitur, quod non iam in Encyclica Pii XI, piissimae memoriae, et in aliis documentis ecclesiasticis pronuntiatum est. Sed hac de causa commissionem de scholis catholicis accusare vel inculpare non licet, quia ista commissio mandatum « commissionis de coordinandis Concilii laboribus » optime complevit et inter limina certe severissime a commissione sic dicta coordinationis praescripta in paucissimis paene quinque paginis quaestiones gravissimas magna cum claritate et prudentia tractavit et opus mirandum Concilio proposuit.

2. Sed melius esset — et populus Dei in Ecclesia et omnes homines bonae voluntatis hoc certe exspectant — si haec sacra synodus curam haberet ut hae propositiones idoneo modo amplificentur et istis nempe elementis doctrinae et vitae catholicae, quae hodierna adiuncta et circumstantias educationis melius et latius respiciunt, hodiernis necessitatibus expresse respondent vel responsum sic dictum modernum excitant et suggerunt.

3. Certe tunc loco propositionum nimis brevium proprium schema esset elaborandum. Quid enim prodesset declaratio sollemnis Concilii, si neque intra nec extra Ecclesiam audiretur et mundo hodierno minus adaptata intelligeretur. Puncta amplificationis optata sunt:

a) *de momento educationis catholicae in sinu familiae,* de hodiernis adiunctis, periculis et facultatibus huius educationis; de mediis et subsidiis familiae praestandis; de formatione parentum pro munere suo in educandis liberis; de debita subsidiis familiae a tota societate et ab Ecclesia praebendis, etc.

b) *De educatione praescholari* in institutionibus saepe saepius ab Ecclesia fundatis a religiosis et laicis moderatis, etc.

c) In propositionibus nostris praeter ius parentum, Ecclesiae, rei publicae *munus et ius paedagogorum* fere omnino in obliquo manere videtur. Revera autem status, substantia, valor et processus scholae catholicae a magistris catholicis eorumque spiritualitate pendet. Sacra Synodus teneri mihi videtur, ut dignitatem et merita paedagogorum catholicorum et omnium paedagogorum bonae voluntatis utriusque sexus et omnium scholarum et institutionum in campo educationis summa cum aestimatione in plenam lucem

poneret et principia de eorum formatione necnon de eorum iuribus in campo paedagogico elucescere faciat.

d) Denique, si in schemate nostro solummodo de educandis liberis tractaretur, Concilium pro dolor demonstraret, vel saltem opinionem foveret, Ecclesiam latissimum campum educationis nondum vidisse vel in laboribus suis pro « aggiornamento » prae oculis non habuisse. Et in scientiis paedagogicis et in praxi plurimarum nationum iam multis ab annis praeter liberorum educationem *theoria et praxis educationis adultorum* locum suum tenet.

Institutiones educationis adultorum hodie ubique valde foventur, immo gubernia partes politicae, syndicatus operariorum associationes civiles necnon saepius pseudoreligiosae dictas institutiones fundare et propagare intendunt. Aliquae species educationis adultorum indifferentes, religionem non respicientes, necessitatibus fidelium minime satisfaciunt; immo perpluries Ecclesiae periculum necnon damnum gravissimum parant. Ex altera parte autem instituta catholica pro formandis adultis optimam occasionem praebent pro isto dialogo Ecclesiae cum mundo hodierno et cum omnibus hominibus bonae voluntatis, de quo et in hac aula conciliari saepe saepius sermo factus est et de quo Sanctissimus Pater Paulus VI in Encyclica *Ecclesiam Suam* argumenta principaliora lucide demonstravit.

Efformatio enim religiosa per scholas elementares generatim fidelibus non dat eruditionem sufficientem ad implenda omnia officia vitae privatae et publicae.

Praecipue e. g. media publicationis (diaria vel periodica typis impressa, radiophonica, cinematographa, televisio) non solum in iuvenes sed etiam in adultos maximam vim exercent. Institutiones autem catholicae ad erudiendos adultos optima remedia ad efformationem sanae conscientiae se praebent. Haec speciatim valent apud nationes, quae nuper ad autonomiam pervenerunt, respective quarum autonomia mox est expectanda. Fideles institutis praedictis catholicis optime eruditi, praeprimis in regionibus terrae sic dictis evolvendis, efformare religiosa una cum meliore eruditione ad professionem exercendam muniti, uniuscuiusque nationis vitam socialem, politicam, culturalem, oeconomicam recta via promovere queunt. Perplures res publicae, imprimis in partibus terrae evolvendis a periculo communismi vel aliarum associationum pseudo-religiosarum tuendae sunt. Ad haec pericula vincenda efformatio catholicorum adultorum, systematice peracta, efficaciter adiuvare valebit.

Opera ad erudiendos adultos, ab unitis nationibus (UNESCO) aliisve associationibus internationalibus coordinata, nisi Ecclesia cum operibus catholicis sufficientem participationem ibidem praebere valet, viam Ecclesiae hostilem vel saltem indifferentem persequentur. Cooperatio autem Ecclesiae efficax solummodo possibilis evadet, si tota Ecclesia munus laicorum in institutionibus paroecialibus et supraparoecialibus in toto mundo sufficienter aestimat et adiuvat.

Itaque necessarium videtur a) *Ecclesiam ubique terrarum opera et organisationes pro educatione adultorum fundare, fovere, prudenter et patienter ad effectum perducere debere,* b) *Ecclesiam cum iis institutis, quae legem Dei verentur, secundum principia Ecclesiae cooperare ad bonum commune fovendum.*

Actiones istae uti egregium officium laicis competunt catholicis, cooperantibus quidem intime cum sacerdotibus iis destinatis, ad hoc munus rite adimplendum (cf. allocutionem Pii Papae XII de die 19-3-1953 ad docentes et discentes institutionis sic dictae « Volksbildungsschule »). Vera et efficax praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis talem apostolatum educationis fortissime expostulat.

4. Ergo proponere mihi liceat, ut « propositiones » nostrae commissioni competenti reddentur, ut eas amplificet et denuo Concilio proponat. Certe labor iste spatium temporis sat longum postulat. Sed sententiae ab exc.mo ep. Ioseph Stangl in hac aula die 15 oct. prolata accedo: homines futuri saeculi Concilium nostrum non diiudicant quoad celeritatem discussionum, votationum, emendationum, sed quoad veritatem, opportunitatem, idoneitatem decretorum Concilii pro reformanda et renovanda vita Ecclesiae in mundo huius temporis et pro eius servitio in mundo futuro.

30

REV.MUS P. D. RENATUS ZIGGIOTTI
Rector maior Societatis S. Francisci Salesii

Loquor nomine quadraginta episcoporum familiae salesianae et plurium superiorum congregationum quae iuvenum educationi praesertim sunt consecratae.

Placet in hoc schemate de *scholis catholicis* titulum immutare, considerando problema magis generale « educationis christianae ». Iamvero, etiam ratione habita intentionis ex parte commissionis post-conciliaris exarandi documentum magis amplum et adaequatum, mihi videtur declarationem prout iacet nimis fuisse restrictam cum praeiudicio claritatis et efficaciae documenti.

Forma enim propria educationis est habitualis et rectus usus libertatis in ordine ad ultimum finem — nempe educatio moralis et religiosa — quia talis usus libertatis est id quod hominem specificat, in quantum agit ut homo. *In hac educatione ad libertatem et mediante methodo usus progressivi libertatis, iure meritoque agnoscitur instantia paedagogica magis viva nostrorum temporum.*

Essentia educationis statuta, elucet *unitas educationis,* vi cuius v. g. nullo modo instructio separanda est ab educatione proprie dicta et schola debet esse vere educativa; ex quo ulterius deducitur officium parentum christianorum eligendi, quatenus fieri potest, pro suis filiis scholam quae christiane educativa sit, neque oportet ut sit religiosa praeter quam humana

— sicut textus nobis propositus videtur dicere — sed quod consideret expresse hominem ut elevatum ad ordinem supernaturalem in Christo et in Ecclesia et quod tendat ad formandum Christum in educando, « donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19). Educatio christiana tamen remanet vera et perfecta hominis educatio et pro tanto non solum non respuit sed includit et elevat omnem authenticum valorem humanum, ita ut ille qui christiano more educatus fuerit, paratus sit ad *consecrationem mundi* promovendam, quia vix intelligi potest educatio christiana quae non sit praeparatio ad apostolatum et ad officium adlaborandi pro constructione mundi magis humani, idest iusti et fraternalis, iuxta spiritum Evangelii.

Missio educativa Ecclesiae: intime connectitur cum eius missione fundamentali nuntiandi salutem quae est in Christo, nam christianus non construitur nisi super homine, praesertim in eo quod est homini specificum, nempe eius vita moralis et religiosa.

Schola undequaque catholica est necessitas, quae exsurgit in societate pluralistica sicut est hodierna, ad hoc ut servetur libertas parentum catholicorum eligendi pro suis filiis scholam quae christianam educationem praestet et quacum intime collaborare possint. Atqui talis libertas effectiva non est pro omnibus, idest talis non est pro iis qui suis sumptibus scholam sustinere non valent, sine subsidio oeconomico Status. Oportet modo perspicuo affirmari non esse iustitiae distributivae conforme pauperiores non posse scholam pro filiis suis seligere iuxta proprias persuasiones morales et religiosas; ita etiam vitari potest ut scholae catholicae ut scholae divitum habeantur.

Multum placet ministerium educativum dici in schemate *veri nominis apostolatum,* nam hoc in vocatione sua confortat sacerdotes, religiosos et laicos qui in hoc opus incumbunt; ipsis tamen commendetur ut munus suum, etiam quando de profana disciplina agatur, animo apostolico absolvant et Superiores ecclesiastici eorum formationem et ad diem accommodationem (aggiornamento) sive psychologicam, sive paedagogicam et didacticam, cum omni cura promoveant, non exclusa frequentia cursus superioris de his disciplinis.

Quid dicam de educatione sic dicta *professionali? In schemate ne verbum quidem!* Et hodiernis temporibus haec debet esse nova praeoccupatio Ecclesiae: salvare operarios a materialismo atheo, a propaganda communistarum, educando ad varias professiones nostros iuvenes catholicos ut sint operarios exultos et perfectos mente et opere, in societatibus et associationibus paroecialibus validi defensores doctrinae socialis catholicae, apostolos laicos in omnibus locis et in ipsis missionibus.

Adnotare quoque vellem ex multiplici atque diuturna experientia, *apud infideles populosque primitivos* puerorum puellarumque christianam educationem seu institutionem viam sternere ad formationem societatis christianae efficacius quam per adultorum conversionem.

Quibusdam in missionibus spatio quadraginta vel quinquaginta annorum,

tempore videlicet duarum generationum, per novas familias hic inde rite constitutas, uberrimos fructus vitae christianae colligere licuit.

Concludendo, aestimo schema esse saltem in prima parte emendandum, ita ut prius exponatur conceptus adaequatus educationis humanae et sermo fiat de iuribus et officiis familiae et societatis civilis relate ad educationem, deinde fiat transitus ad christianam educationem enucleandam et ad eius habitudines ad valores humanos; demum tractetur de missione educativa Ecclesiae et de scholis catholicis in genere et quoad diversos gradus et typos. Quod, puto, fieri potest quin nimium declaratio extendatur.

31

EXC.MUS P. D. IOANNES ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

Mihi valde placet quod expressio *de educatione christiana* substituta est expressioni *de scholis catholicis.* Attamen contentum propositionum plus minusve contradicit intentioni tituli mutatione proclamatae. Cum mutatione tituli reales consequentias proponere et scrutare debemus. Nonne oportuisset factum scholaritatis in mundo hodierno et eius evolutionem per prius enuntiare, ut clarius appareat missio universalis Ecclesiae? Mihi videtur quod valde insufficientes sunt illae declarationes extollentes valorem scholarum catholicarum vel « de l'enseignement libre », quando non examinatur quid debeat facere Ecclesia pro evangelizatione mundi scholaris. Quare reiiciendas esse has propositiones puto, et ad clarificandam meam positionem — quae est positio permultorum episcoporum in regionibus in celeri progressu evolventibus — aliquas animadversiones breviter exponere velim.

1. Scholae catholicae sunt servitia quae Ecclesia reddit constanter populis in celeri progressu evolventibus. Quae servitia hodie Ecclesia debet magis magisque facere, cum agnitio iuris pro unoquoque homine ad culturam accedendi vehementer postulatur, cumque ut scandalum percipitur adhuc maiorem partem hominum hac intellectuali et sociali miseria affici, quae analphabetismus nuncupatur.

Illum modum agendi semper habuit Ecclesia ab Imperio Romano dissoluto. Quare permulti catholici existimant quod haec opera suppletiva Ecclesiae quae sunt scholae catholicae sunt missioni Ecclesiae essentialia. Mihi videtur quod valde insufficienter distinguuntur educatio christiana et schola catholica.

Educationem christianam semper necessariam esse affirmat et affirmare debet Ecclesia, sed educatio christiana non aequiparatur scholae catholicae: educatio vere principium est, quo Ecclesia tenetur, sed schola catholica est tantum expressio relativa, conditionata historicis situationibus huius principii. Confusio inter principium et applicationem relativam enutriet gravis-

sima obstacula ad evangelizationem mundi. Hodie enim societates civiles magis magisque consciae sunt suae responsabilitatis in educationis campo; putant se omnes habere ius vel potius vocationem ad iuvenes instituendos et educandos. Quod factum catholici considerari debent cum perspicacitate desiderantes exigentias autonomiae ordinis temporalis et processum distinctionis et diversitatis propriarum competentiarum. Nonne permulti obliviscuntur quod in Encyclica *Divini illius Magistri* Papa Pius XI affirmaverit tres responsabilitates in educatione, familia, status et Ecclesia. Melius tamen esset si clarius distinguerentur Status et societas civilis.

Si illa puncta prae oculis habeamus, certe dolebimus si Status nostras scholas ad suum servitium nationalizatione vel quocumque modo assumat. Sed hoc esse maximam calamitatem et totalem ruinam pro Ecclesiae munere, putare non deberemus.

Immo, si universalitas missionis Ecclesiae erga omnes iuvenes agnosceretur, Ecclesia poterit sponte scholas suas offerre novis statibus qui aliquando putant nos potentiam politicam quaerere mediantibus scholis confessionalibus.

2. Consequentia immediate apparet: scholae nostrae quando existunt integrandae sunt in plano generali expansionis populi. Impossibile est pro illis extra illius motus manere. In campo educationis non debet Ecclesia, ut aiunt gallice: « faire bande à part », i. e. sola manere cum suo opere. Si ita maneret et si tantum per medium scholarum catholicarum ageret in hoc mundo scholari, magna calamitas esset, nam segregaretur et absens esset ab omnibus aliis regionibus ad scholam spectantes. Quam magnum periculum existit pro evangelizatione mundi, si Ecclesia « dans son coin » manet, cum hodie iuvenes $2/3$ humanitatis sint!

Ecclesia, recognoscens necessitates socializationis, ut commendat Encyclica *Mater et Magistra,* poterit facilius recognitionem suae missionis universalis erga omnes iuvenes poscere. Necesse est ut christiani magis ac magis in campo scholari praesentes sint. Quomodo possunt christiani absentes esse a magnis decisionibus a novis statibus statuendis?

3. Necesse est ut, in nova situatione mundi, affirmetur ubique missio universalis Ecclesiae erga mundum scholarum: si schola catholica consideratur ut solum medium evangelizationis, hoc valde erroneum est. Nam iuvenes quos Ecclesia evangelizare debet sunt pro maiori parte in scholis publicis.

Melius esset pro evangelizatione mundi si fratres vel sorores qui ad educationem promovendam vocati sunt, in scholis publicis essent vel si ad educationem fidei tempus suum darent: Ecclesia exigere debet ut in omnibus scholis *possibilitas* detur educationis religiosae et magistros catecheseos formare. Ex his quae iam dicta sunt apparet necessitas novae doctrinalis et pastoralis visionis.

32

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Pag. 11, n. 1, lin. infima: « educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant ... »; legatur: « educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam formentur ». *Ratio*: ad perfectionem humanam simul et religiosam *pervenire* non est de hoc mundo.

Pag. 12, n. 4, linn. 3 ss.: « His enim ... ius est filios educandi ideoque scholas *libere condendi* ... »; scribatur: « scholas libere eligendi, etiam condendi observatis conditionibus a gubernio civili rationabiliter et iuste statutis, quovis ... ». *Ratio*: experientia docet quod aliqua supervisio a gubernio v. g. quoad qualificationem institutorum, conditionem localitatum hygienicam e. a. scholis particularibus proficiunt.

Pag. 13, n. 7, linn. 1 ss.: « ... in quibus alumni eam perfectionem humanam simul et christianam assequantur qua ... »; legatur: « ... in quibus alumni eam formationem humanam simul et christianam assequantur ... ». *Ratio*: verbum « perfectio » nimis grave sonat, scil. ad eam religiosi tendere debent.

33

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

We, the undersigned Bishops, disturbed at a report that we are doubtful and divided on the question of schools, hereby wish to assure the Commission de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica that we are unanimous in wishing to retain our Catholic Schools as defined in No. 9, page 22 of the Schema Propositum de Scholis Catholicis.

[*Subscripserunt*] A. — J. Theunissen, arch. Blantyre; A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; W. Dunne, ep. Kitui; J. Corboy, ep. Monze; C. Chabukasansha, aux. Fort Rosebery; H. Winkelmolen, praef. ap. Same; H. van Elswijk, ep. Morogoro; M. Mihayo, arch. Tabora; N. Agnozzi, aux. Ndola; C. Davies, praef. ap. Ngong; J. Komba, ep. tit. Tignica; J. Cesana, ep. Gulu; M. Maradan, ep. Port Victoria; C. Chitsulo, ep. Dedza; J. De Reeper, ep. Kisumu; E. Mchonde, ep. Mahenge; C. Kihangire, aux. Gulu; A. van Oorschot, ep. Mbeya; J. Siedle, ep. Kigoma; J. Houlihan, ep. Eldoret; E. Butler, ep. Mombasa et Zanzibar; G. Nkalanga, aux. Bukoba; E. McGurkin, ep. Shinyanga; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; A. Lanctot, ep. Rulenge; E. Spiess, ep. tit. Cemerinianus; L. card. Rugambwa; F. Mazzieri, ep. Ndola; J. Vos, vic. ap. Kuching; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; H. Te Riele, praef. ap. Malakai; J. Boerkamp, praef. ap. Kashmir et Jammu; N. Hettinga, ep. Rawalpindi; J. Buis, vic. ap. Jesselton; F. Hall, ep. tit. Castra Nova; J. Peeters, ep. Buea; V. Billington, ep. Kampala; G. Mahon, sup. gen. MHM; A. Cotey, ep. Nachingwea; G. Bertrand, ep. Navrongo; T. O'Shea, ep. Livingstone; J. A. Pesce;

F. Lacoursière; F. Esser; J. Trudel; V. Haelg, ep. tit. Baia; P. Winters, ep. Mblulu; E. Maranta, arch. Dar-es-Salaam; L. Bessone, ep. Meru; C. Cavallera, ep. Nyeri; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; J. Nepote, prael. Roràima; F. Niza Ribeiro, ep. Tete; H. Golland Trindade, arch. Botucatù; D. Fiorina, sup. gen. IMC; C. Re, ep. tit. Aspona; D. Durning, ep. Arusha; T. Brosnahan, ep. Freetown and Bo; J. Reddington, ep. Jos; Th. McGettrick, ep. Ogoja; J. Moynagh, ep. Calabar; M. Moloney, ep. Bathurst in Gambia; W. Field, ep. Ondo; G. Okoye, ep. Port Harcourt; W. Mahony, praef. ap. Ilorin; J. Whelan, ep. Owerri; A. Nwedo, ep. Uamahia; J. Mendonça, ep. Tiruchirappalli; T. Cotter, praef. ap. Maiduguri.

B. — V. McCauley, ep. Fort. Portal; J. Ogez, ep. Mbarara.

34

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES

We, the undersigned Bishops, earnestly ask the Commission de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica that the Declaratio de Educatione Christiana include:

1. A definition of Catholic Schools as in No. 9, page 22 of the Schema Propositionum de Scholis Catholicis.

2. A clear statement on the following points:

a) The Church's right to institute and manage schools.

b) The sacred and inalienable rights of parents to choose such schools as are best suited for the religious and moral training of their children.

c) The citizen rights of Catholics and other religious groups as taxpayers (especially in the light of religious liberty) to a fair share of any financial assistance provided by the State for the education of its citizens.

3. An amendment to the Declaratio de Educatione Christiana of October 1st as follows: In art. 5, line 3, after the words " praestare debent " add "provided that the rights of parents are safe-guarded".

[*Subscripserunt*] *A.* — Cf. *supra, pag. 543.*

B. — J. Anayogu, ep. Enugu; A. McCann, arch. Capetown; M. Daubechies, ep. Kasama.

35

PLURES EXC.MI EPISCOPI MEXICANI

I. Natura problematis educationalis. - Nec exclusive nec primario consistit in exiguo scholarum et magistrorum numero relate ad ingentem numerum educandorum, sed est essentialiter problema morale et sociale, a cuius debita solutione pendet felicitas temporalis et aeterna educandorum et consequens vera unitas et prosperitas Nationis.

II. Institutiones quibus opus educationis competit. - Tres sunt praecipuae communitates, in quibus puer nascitur et evolvitur: Familia, scilicet, Status et Ecclesia.

Familia: Iure naturae familia est prima societas ad quam puer, ad imaginem et similitudinem parentum natus, pertinet; a parentibus accipit alimenta, aliaque ad evolutionem physicam, intellectualem et moralem necessaria subsidia.

Consequenter tale ius est naturaliter primarium et inalienabile, puer enim est aliquid parentum ad eosque vi generationis pertinet, priusquam civitatem ut eius membrum et civis ingrediatur.

Negare familiae naturale ius seligendi pro suis filiis formam qua ipsis educatio praebeatur, gravissimus est error! Ecclesia catholica semper hoc sacrum et naturale ius defendit, dum e contra, totalitaria gubernia illud ignoravere et absorbere tentarunt.

Patrumfamilias ius, ad educationem filiorum, a Nationibus quae in suis legibus naturale ius reverentur, sollemniter proclamatum est in Declaratione Universali Nationum Unitarum (10 dec. 1948, Art. 26): « Patres familias praeferens ius habent seligendi genus educationis propriis filiis impertiendae ». Grave officium est parentum tale ius exercendi, tum intra propriae domus parietes, tum institutionum scholarium fundatione cuiusque ordinis, quae pretiosi fructus existunt privati conaminis, qui a Statu sustineri, invigilari et etiam oeconomice sustineri debet.

Hoc ius exercere debent parentes et defendere, curare ut publice ipsis legibus et de facto hoc ius agnoscatur, educandi filios suos ad normam propriae rectae conscientiae: necque perperam intellecta nationalis unitas neque defectus praeparationis ad munus educandi implendum causa sufficiens esse possunt ut suo iure naturali priventur.

Gravissimum parentum officium est impertire et ut impertiatur propriis filiis conari religiosa educatio, non modo in sinu familiae, aut in templis, sed in ipsa schola: omnis quippe educationis forma, a quacumque institutione impertiatur, merito aestimari debet prolongatio operis educativi familiae.

Status. Natura sua Status humanae personae inservit, individualiter et socialiter considerato. Ex ipsa Status natura profluit immediate quale munus adiuvandi et supplendi ipse habeat in opere educationis. Finis quem Status prosequitur, bonum scilicet commune nequaquam potest haberi ut finis ultimus: bonum commune est medium pro bono et dignitate personae humanae.

Ratione boni communis Statui competit munus, auctoritate qua exercet, tuendi sustinendi et ad ordinatam cooperationem dirigendi activitatem communitatum et institutionum privatarum et publicarum ipsius potestati subiectarum, educativam missionem implentium, semper earum servatis iuribus et legitima autonomia.

Debet Status invigilare ad hoc unaquaeque institutio vel communitas ita suam actuositatem dirigat in servitium infantiae et iuventutis, ut omnibus concurrentibus compleatur opus instructionis et educationis.

Ipsi Statui pariter competit activitate sua uti, ut suscitet, ubi non adest, collaborationem, ut ab omnibus civibus habentibus responsabilitatem quamdam erga formationem puerorum, exigat obligationum adimpletionem.

« Praeterea praecipere Civitas potest — ait Pius XI — ac proinde curare ut cives omnes cum civilia et nationalia iura perdiscant, tum a scientia, doctrina, morum physicisque ludis instructi sint quantum decet atque hisce nostris temporibus commune bonum reapse postulat » (Enc. *Divini illius Magistri*).

Ubi labor aliorum institutorum educationalium non protenditur, ibi in suo munere suppletorio hoc opus suis scholis et institutis sibi propriis complere debet, Civitas siquidem « magis quam ceteri opibus pollet quas sibi pro communibus omnium necessitatibus traditas, aequum omnino est et consentaneum ut in eorum utilitatem, a quibus accepit, impendat » (Enc. *Divini illius Magistri*).

Quum genitores libertatem docendi exigunt, expetunt ius naturale a Statu in tuto collocandum; adstruere ideo possibilitatem libertatis docendi est impensabile patrimonium ab omnibus hominibus bonae voluntatis defendendum, quaecumque aliunde sit eorum religiosa fides.

Ecclesia. Ex divino Fundatoris eius expresso praecepto, munus et ius Ecclesia habet docendi quidquid ad fidem et ad bonos mores, aliis nempe verbis, quidquid ad instructionem religiosam et ad formationem moralem pertinet.

Ecclesia, aliunde, non mera humana societas religiosa est, verum vitam supranaturalem hominibus communicat, conservat et fovet, eis auxilia praestando tam externa quam interna, quae eos adiuvent in realizationem finis supremi, salvationis sc. animarum, in ordinem ad quam eius educatrix missio clare apparet.

Consequenter ius habet invigilandi ut omnis forma educationis impertiendae filiis suis, non fidei moribusve bonis contraria sit.

Habet Ecclesia communitas sc. christiana, ius quoque ad exigendas cuiusvis disciplinae scholas, non modo elementares, sed mediae quoque superiorisque disciplinae, sic temporis decursu, et nostris quoque temporibus cum mirando profectu pro humano progressu et fecit et facit.

III. *Bases ad solutionem.* - Vera quidem problematis scholaris consistit solutio in concordia iurium et obligationum earum institutionum quae ex sua natura in educationem interveniunt, consistit scil. in pace scholari. Verae civilizationis indicium revera adest ubi in regimine scholari cunctarum institutionum societatem efformantium, iura et obligationes et exercentur et inter se componuntur.

Sub diversis revera modalitatibus possunt sese ostendere nobis relationes Ecclesiam inter et scholam. Hoc sane a natura graduque uniuscuiusque nationis culturae, ab inceptis quoque, a spiritu collaborationis impraesentiarum pendet. Unaquaeque situatio propriam exigit solutionem.

Tempus advenisse putamus quo, practicam quaerentes solutionem non

debemus in mutua ignorantia versari quicumque missionem educativam evolvimus. Nec familia, nec Ecclesia amplius ignorari debent uti educatrices institutiones.

Aliquid novi exurgere debet. Ut reformatio de qua sermo est, in actu deduci possit, circumdata esse debet propitio climate, athmosphaera sincerae comprehensionis, bonae voluntatis et pacis; tale nostrum desiderium est. Ita tantummodo eveniet bonum, pax et profunda inter nationes unitas.

In tuto posito fundamentali iure libertatis docendi — inaestimabile patrimonium ab omnibus hominibus bonae voluntatis defendendum, quaecumque sit eorum religiosa convictio —, inveniri possunt diversae formulationes practicam habentes applicationes. Sive relationis scholam publicam inter et scholam privatam, inter utramque et patres familias; sive interventus subsidiarii et interventus civitati proprii; sive loci disciplinae religionis in instructione, programmatum studii, librorum textus; haec omnia attente considerari debent quaerentes accurate tam servare unitatem moralem nationum, quam iura patrisfamiliarum tueri.

Magnae et parvae nationes non paucae, sive non habuerint luctas religiosas, sive sciverint errorum, discordantiarumve praeteritarum saepe transilire, pacem in scholis invenerunt plus minusve harmonicam, plus minusve firmam, plus minusve idealem, in qua conscientiae libertas ac dignitas personae humanae, sub diversis quidem formis, traditiones et circumstantias locales servantibus, locum suum invenerunt, tali modo organicum progressum lucrantes.

Necesse ideo omnino est ut omne praeiudicium reicientes deponentesque discordias, omnes quibus interest problemati urgenti i. e. puerorum et iuvenum educationi praebeat solutionem, una simul coadunatis viribus suis conspirent ut pax scholaris statuatur in historia uniuscuiusque nationis innixa, cum iusta momenti instantis evaluatione et cum clara futuri temporis visione.

Ad hoc tendit praecise haec expositio eorum principiorum quibus regi debet istius problematis compositio; quod quidem facimus nostrum pastorale munus adimplentes.

[*Subscripserunt*] F. Gómez, arch. Antequera; A. Szymanski, adm. ap. S. Andrés Tuxtla; I. Arroyo, ep. Taxpan; J. Alba Palacios, ep. Tehuantepec; D. Ruiz, ep. Chiapas; F. Romo, ep. Torreón; F. Cortés, ep. Chilapa; Alfonso M., ep. Papantla.

CONGREGATIO GENERALIS CXXVII

20 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXVII

20 novembris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, Arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii Oecumenici Vaticani II secretarius generalis*:

Patres venerabiles, celebratur hodie congregatio generalis 127, quae est ultima huius sessionis, et eam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione, dabitur vobis, Patres, et tantummodo vobis, aliquod veluti mnemosynon huius sessionis; est numisma aureum, referens effigiem nostrae dulcissimae Matris [*plausus*]. Ne pennis aliorum pulchri fiamus, dicimus statim hoc mnemosynon oblatum fuisse tum ob devotionem erga nostram Matrem, tum ob reverentiam erga Patres Concilii a quibusdam christifidelibus cultoribus Beatae Mariae Virginis, qui sine nomine manere cupiunt; sed, si sine nomine manere cupiunt, ipsorum nomina certe sunt scripta in libro vitae et nostrae gratitudinis [*plausus*].

In hac congregatione, hi fasciculi distribuentur: Imprimis — et iam est in distributione, ni fallor — schema decreti *de Oecumenismo,* de quo erit mox suffragatio. Deinde: *Rescriptum Pontificium,* quo supremis moderatoribus religionum clericalium iuris pontificii atque abbatibus praesidibus congregationum monasticarum facultates quaedam ab Apostolica Sede delegantur. Si erit tempus, hoc rescriptum legam, secus pro lecto habeatis.

Deinde *schema decreti de ministerio et vita presbyterorum,* textus emendatus et relationes; et *schema constitutionis dogmaticae de divina revelatione.*

Ut comprehendere potestis, Patres venerabiles, non possumus suffragationi subicere haec tam momentosa schemata. Sed dantur vobis ita ut possitis vestras animadversiones intra diem 31 ianuarii proximi anni ad nostram secretariam mittere; et ita labor discussionis vel suffragationis in proxima sessione facilior erit.

Revera sodales commissionis de disciplina cleri et populi multum adlaboraverunt et spem fovebant fore ut hoc schema in hac sessione discuteretur et suffragationi subiceretur, sed non fuit possibile, Patres venerandi.

Ita non fuit possibile suffragationi subicere modos respicientes capita schematis *de Episcopis* (ut brevius dicam). Commissio iam totum laborem perfecerat et nobis erat traditura hoc opus ut typis imprimeretur, sed forsan nonnisi hodie vel crastina vel post duos tresve dies fuisset promptus hic labor. Ergo extra tempus. Ceterum, quoad illud schema, suffragandi sunt tantum modi et hoc fiet in proxima sessione.

Labor, ut videtis, fuit ingens in hac sessione, sed tempus momentis computatur et momenta sunt quae sunt ...; non possunt protrahi nostro arbitrio.

In fine huius congregationis necessario finem habere debet disceptatio schematis voti *de sacramento matrimonii.* Et, in fine disceptationis, moderatoribus visum est hoc quaesitum Patribus proponere (et proponetur suo tempore, sed bene attendatis iam nunc): « An, post discussionem, placeat Patribus totam materiam hoc Votum respicientem cum animadversionibus factis a Patribus deferre Summo Pontifici ut ipse, per organa competentia, provideat ».

Agitur enim de materia iuridica, plerumque. Ergo hoc quaeretur a Patribus: remittere totam materiam cum animadversionibus Patrum ad Summum Pontificem, ut ipse per organa competentia, quae sibi bene visa fuerint, decernat de his materiis, quae, uti videtis, sunt etiam maximi momenti, praesertim cogitate ad matrimonia mixta. Sed haec quaestio proponetur suo tempore, in fine disceptationis. Sed iam nunc cogitare potestis ad responsionem, quae uti patet erit tantummodo *placet* et *non placet.* Agitur de *voto,* non est neque *declaratio,* neque *decretum,* neque *constitutio.* An placeat hoc votum? Certissime, si aderunt etiam aliae observationes, poterunt Patres mittere intra terminum qui dicetur; sed sensus suffragationis hic est: potestis respondere *placet* vel *non placet* cum omni libertate.

Lego nunc exitum suffragationum heri peractarum, quarum exitus nondum communicatus est.

En exitum secundae suffragationis:

Praesentes votantes	. . . .	1.906
Dixerunt *placet*	. . . .	1.465
non placet	. . . .	159
placet iuxta modum	. . . .	280
et suffragia nulla	. . . .	2

Ergo textus placuit, sed modi examinandi sunt.

Tertia suffragatio:

Praesentes votantes		1.891
Dixerunt	*placet*	1.592
	non placet	155
	placet iuxta modum	141
et suffragia nulla		3

Ultima demum suffragatio *de educatione christiana*:

Praesentes votantes		1.873
Dixerunt	*placet*	1.588
	non placet	173
	placet iuxta modum	110
et suffragia nulla		2

Etiam hi textus ergo sunt a congregatione probati, sed modi examinabuntur.

Patres venerabiles, peto veniam ob errorem quem commisi (multos errores forsan commisi, sed hic est ultimus!). Dixi — mea intentio erat omnino alia —, dixi quod experimenta pro Missae concelebratione fieri deberent feria V, et revera Patres convenerunt in hanc Basilicam hora quinta heri, sed invenerunt Basilicam cum suo silentio. Nullum invenerunt qui experimenta moderaretur. Forsan culpa est mea. Sed hoc experimentum fiet certissime, sine dubio, hoc vespere, item hora quinta; ergo velint iidem Patres convenire in hanc Basilicam, ad quam certo semper libenter convenitur. Hora quinta vespere.

Praefecti apostolici quaesierunt quo vestitu deberent participare sessioni publicae, quae crastina celebrabitur. Mihi dictum est habitum horum Praefectorum eundem esse ac praelatorum nullius qui non sint episcopi; hoc mihi dictum est, et hoc refero. Quapropter conveniant modo meliori quo poterint!

Ordo nostrae congregationis ultimae, Deo favente, in hac sessione, hic erit. Imprimis fient duo suffragationes quae respiciunt schema *de Ecclesiis Orientalibus* et quae sunt circa modos; dein fiet suffragatio totalis, globalis super schemate *de Oecumenismo,* cum clarificationibus introductis, quas vos videre potestis in libello, de quibus notitiam dedimus heri. Post hanc suffragationem, procedemus ad suffragationem totalem, intuitu quidem sessionis publicae, schematis *de Ecclesiis Orientalibus*. Formulas suffragandi dicam suo tempore pro unaquaque suffra-

gatione, sed iam vos scitis. Postea fiet transitus ad suffragandum schema *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*: sunt, uti dixi, duo suffragationes: per *placet* et *non placet;* deinde suffragatio totalis per triplicem formulam.

Exeunte autem congregatione, versus hora 12, habebitur illa suffragatio circa Votum *de matrimonii sacramento*. Interea prosequetur disputatio, disceptatio circa hoc schema Voti.

Habeo alias communicationes faciendas, Patres, sed faciam exeunte hac congregatione, quia respiciunt etiam sessionem publicam, quae crastina celebrabitur.

Tandem lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt supra schemate *de matrimonii sacramento*. Sunt em.mi ac rev.mi DD. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ioseph Bueno, arch. Hispalensis in Hispania; Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis in Germania; Ioseph Ritter, arch. Sancti Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Deinde, nomine plurium, em.mus D. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Stat. Foed. Americae Sept.; exc.mi DD. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis in Stat. Foed. Americae Sept.; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis in Helvetia; Paulus Taguchi, ep. Osakensis in Japonia; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Petrus Moors, ep. Ruremondensis in Neerlandia; Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia; Adrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus in Indonesia; Simon Lourduswamy, ep. aux. Bangalorensis in India; Hermannus Tillemans, ep. vic. ap. Meraukensis in Indonesia.

Deinde, nomine proprio, exc.mi DD. Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis in Helvetia; Narcissus Jubany, ep. Gerundensis in Hispania; Ioannes Amissah, arch. Litoris Capitis in Ghana; Leontius Van Peteghem, ep. Gandavensis in Belgio; Ioseph Bank, ep. aux. Jaurinensis in Hungaria; Robertus Bézac, ep. Aturensis et Aquae Augustae in Gallia; Ioannes Willebrands, ep. tit. Maurianensis; Laurentius Bereciartua, ep. S. Sebastiani in Hispania.

Nomine autem 70 Patrum, exc.mi DD. Gordonius Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensis in Scotia; Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis in Brasilia; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania.

Et hic, Patres venerabiles, finis est chartaeque viaeque. Gratias.

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant:

Venerabiles Patres, multi Patres, magno dolore affecti quod habita non sit suffragatio schematis declarationis *de libertate religiosa,* sup-

plices Summo Pontifici porrexerunt preces, ut suffragatio quocumque modo fieret antequam haec sessio finem haberet.

Nomine Summi Pontificis haec communico: noverint hi Patres dilationem in suffragando fuisse a Consilio Praesidentiae concessam, quia ad normam Ordinis Concilii celebrandi concedenda erat.

Eam insuper postulabat reverentia quaedam erga libertatem Patrum Conciliarium, quibus maxime cordi est rite et profunde schema tanti momenti examinare atque perpendere.

Itaque schema declarationis *de libertate religiosa* in proxima Concilii sessione tractabitur, et si possibile sit, antequam alia schemata tractentur.

Moderator: Transeamus, nunc, ad disceptationem de schemate voti ... Excusatum me habeatis. Loquatur nunc prior exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur, Patres venerabiles, primum quaesitum circa modos respicientes schema decreti *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis*.

SCHEMA DECRETI
DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS CATHOLICIS *

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS EXAMINATI

[3] ## 1 – MODI PROPOSITI ET EXAMINATI

RELATIO GENERALIS

Suffragatio:

Schema decreti « De Ecclesiis Orientalibus » die 15 oct. a. c. in Aula conciliari introductum fuit, de quo diebus 15, 16, 19 et 20 disceptatum est. Disceptatione peracta, die 20 suffragata fuit quaestio: « An placeat Patribus, ut, post expletam disceptationem, procedatur ad suffragationem de singulis partibus schematis decreti? ».

Responsum vero Patrum fuit: praesentes in Aula 2180; placet dixerunt 1911; non placet 265; iuxta modum 1; vota nulla 3. Schema proinde diebus 21 et 22 suffragationi Patrum submissum, sequens obtinuit responsum:

	Praesentes	*Placet*	*Non placet*	*Iuxta m.*	*Nulla*
I Suffragatio (tit. + n. 1)	2176	1790	119	265	2
II Suffragatio (nn. 2-4)	2170	1373	73	719	5
III Suffragatio (nn. 5-6)	2172	2005	31	136	—
IV Suffragatio (nn. 7-11)	2167	1790	183	186	8
V Suffragatio (nn. 12-18)	2146	1920	103	118	5

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 126, die 19 novembris 1964.

VI Suffragatio (nn. 19-23)	2157	2104	22	27	4	[3]
VII Suffragatio (nn. 24-29)	2154	1841	111	195	7	

Modi:

Modis ad Commissionem transmissis et coordinatis, apparuit 1446 Patres ad totum schema 1920 modos proposuisse, qui omnes considerari et examinari a Commissione vel potuissent vel debuissent. Item clare apparuit, modos ad unum eundem- [4]
que textum propositos potius per quamdam diffusionem paucorum modorum ad plures Patres, quam per quamdam convergentiam plurium Patrum in unum eundemque modum processisse. Hoc factum examen facilius reddidit, ideoque Commissio statuit omnes modos attento subicere examini.

Examen modorum:

Ad examen hoc expeditius exsequendum, Commissio 5 Subcommissiones selegit, quae constabant 3 Membris et 2 Peritis Commissionis. Prima Subcommissio constabat Beatissimo S. Sidarouss, Praeside, et Exc.mis DD. G. Bukatko et Asrate Mariam Yemmeru, Membris, nec non RR. PP. A. Mitnacht et P. Stephanou, Peritis; huic Subcomm. adsignatus fuit n. 1, titulus et conclusio; II Subcomm. constabat Exc. D. M. Baudoux, Praeside, et EE. DD. A. Baraniak et Y. Gad, Membris, cum duobus Peritis: RR. PP. M. Wojnar et B. Talatinian; assignatos vero sibi habuit nn. 2-6, seu suffragationem II et III. Tertia Subcommissio pro praeside habuit Beatissimum P. Cheikho, et pro Membris EE. DD. N. Edelby, A. Sapelak, nec non R. P. Abbatem I. Hoeck, quibus adlaborabant duo Periti: Ill.mus S. Chereath et R. P. I. Khalife; huic Subcomm. adsignati fuerunt numeri schematis 7-11, seu suffragatio IV. Quarta Subcommissio, sub praesidentia Beatissimi I. P. Batanian, cooptatos habuit EE. DD. I. Bucko et I. Perniciaro pro Membris et Ill.mum C. De Clercq et R. P. I. Malak pro Peritis, ad nn. 12-23 examinandos. Tandem V Subcommissio constabat: EE. DD. I. Slipyj, Praeside, et C. De Provenchères et G. Thangalathil, Membris, nec non RR. PP. E. Eid et D. Faltin, Peritis. Huic Subcommissioni suffragatio VII, seu nn. 24-29 adsignati sunt.

Pluribus sessionibus habitis, ordinatio, coordinatio et examen

[4] factum fuit a Subcommissionibus, et dein sessionibus plenariis Commissionis submissa fuit expensio modorum, quae, septem sessionibus plenariis habitis, et omnibus recte examinatis, quaedam probavit, et quaedam admittere non valuit.

Ratio modorum examinatorum:

Visis omnibus modis propositis et debite examinatis, Commissio in sequentibus stetit:

1) Cum schema decreti, exceptis paucissimis excipiendis (n. 4, linn. 6-10), in Congregatione generali probatum sit, eius substantia quoad textum et formam conservanda est;

2) Cum character schematis sit disciplinaris et dispositivus, visum fuit eius destinatarium praecisius determinare, addendo in titulo determinationem « *catholicis* », salvis manentibus iis omnibus declarationibus quae omnibus Orientalibus communes sunt, sive catholicis sive fratribus seiunctis;

[5] 3) Ob difficultates in usu dictionis « Ecclesiae particulares », opportunum visum fuit dictionem hanc aequiparare aliae, nempe « *Ritibus* », quae hucusque in usu est tum canonico tum quotidiano, tum etiam in ipso schemate proposito; hoc modo maior claritas obtinetur tum quoad alia schemata tum quoad usum quotidianum; ubi dictio « ritus » sensu liturgico adhibetur, id clare notatur;

4) Quoad libertatem pro acatholicis transeundi ad alium ritum, Commissio, ob rationem oecumenicam, conservationem proprii ritus commendat, pari tamen tempore necessitatibus personarum singularum, communitatum vel etiam regionum providere cupit, recursum amplissimum ad superiorem Auctoritatem commendando in casibus peculiaribus personarum, communitatum, regionum, quibus Sedes Apostolica vel de eius mandato aliae Auctoritates viciniores providere valeant; recursus enim ad superiorem auctoritatem non est considerandus ut limitatio libertatis, sed ordinatus eiusdem libertatis usus, bono communi prae oculis etiam habito. Exinde sequentem « *compromissum* » in textum induxit: « Omnes denique et singuli *catholici,* necnon baptizati *cuiusvis Ecclesiae vel communitatis acatholicae, ad plenitudinem communionis catholicae* convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent; salvo iure recurrendi ad Sedem Apostolicam in casibus *peculiaribus personarum, communitatum vel regionum, quae, uti Suprema relationum inter-*

ecclesialium Arbitra, providebit necessitatibus in spiritu oecumenico, ipsa vel per alias Auctoritates, datis opportunis normis, decretis vel rescriptis » (Votum Comm. plenariae fuit pro hoc « compromisso »: 19 placet, 2 non placet, 1 iuxta modum); [5]

5) Quoad institutum patriarchale, Commissio stetit pro textu probato, quaedam perpoliendo, exactius determinando, hac potius ratione ducta, quod res agatur de praesenti statu rerum, et quidem quoad patriarchas catholicos et donec in futuro meliori modo provideatur de hoc instituto pro universa Ecclesia, concurrentibus omnibus iis, qui hodie a communione Sedis Romanae adhuc seiunguntur;

6) Circa « conversationem cum fratribus Ecclesiarum seiunctarum », ratio habita fuit eius characteris ecclesialis, et non solum necessitatis singulorum; ideo expresse admissa est necessitas dialogi in hac materia cum Ecclesiis seiunctis;

7) Tandem Commissio censuit opportunum, ut decreto quaedam *conclusio* addatur, in qua valor dispositionum canonicarum disciplinarium pressius determinetur, et communibus precibus omnium negotium ecclesiasticae unitatis omnium christianorum commendetur ac divinum solatium fratribus ob Christi nomen patientibus imploretur.

* * * [6]

His praemissis, Patribus Concilii proponuntur haec quaesita:

PRIMUM QUAESITUM

An placeat textus emendatus nn. 2-4 cap. I schematis decreti « de Ecclesiis Orientalibus Catholicis »? (pag. 55-57, nn. 2-4, textus emendati).

SECUNDUM QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione circa Modos ad Schema decreti « de Ecclesiis Orientalibus Catholicis » pertinentes, cum correctionibus in textu emendato indicatis? (pag. 55-65).

N. B.: Ut clarius pateat sensus et momentum « modorum » a Commissione admissorum, hi modi directe in textum introducti attentioni Patrum praesentantur, litteris MAIUSCULIS notati.

[7]

2 – RELATIO PARTICULARIS

AD TOTUM SCHEMA

1 — 14 Patres petierunt ut schema « funditus » recognosceretur a Secretariatu ad unionem christianorum fovendam, in spiritu schematis « De Oecumenismo ».

R. — Schema iam a Congregatione generali approbatum est.

2 — 2 Patres schematis suppressionem, potius quam modos, proponunt, petentes ut variae schematis partes ad alia remittantur schemata (De Oecumenismo, De pastorali Episcoporum munere, etc.).

R. — Schema a Congregatione gen. quoad suam existentiam et substantiam iam approbationem obtinuit.

3 — 4 Patres petunt ut schema comparetur cum schematibus « De Ecclesia » et « De pastorali Ep.porum munere » ad vitandas repetitiones et divergentias. Idem petit alius Pater addens citatis schematibus etiam illud « De Oecumenismo ».

R. — In schemate « De Oecumenismo » sermo fit de Ecclesiis Orientalibus quae communionem cum Sede Apostolica non habent, et in contextu omnino diverso ac in nostro schemate. Quoad alia schemata, iam provisum fuit per explicationes datas occasione examinis modorum ad nn. 2-6.

4 — 2 Patres optant ut dicatur relationes inter varios ritus inspirari debere sensibus charitatis et benevolentiae.

R. — Provisum in schemate, in n. 4, pag. 6, linn. 2-6.

AD TITULUM DECRETI

5 — 95 Patres optant ut titulo addatur vox « catholicis ». Quia de facto schema agit de catholicis Ecclesiis.

R. — Commissio posuit hunc generaliorem titulum ob enuntiationes seu declarationes quae in schemate inveniuntur,
[8] quaeque etiam fratres seiunctos indirecte respiciunt, ut e. gr. de patrimonio spirituali. Hoc praemisso, admittitur a Commissione additio, ne maneat quoddam dubium de dispositionibus disciplinaribus decreti.

6 — 17 Patres proponunt ut titulus sic sonet: « De Ecc. Orientalibus communionem cum Sede Apostolica habentibus ». [8]

R. — Provisum in praecedenti modo accepto; de eadem re agitur.

7 — 1 Pater petit ut titulus sit: « De Ecclesiis particularibus ».

R. — Schema non agit de Ecclesiis particularibus quibuscumque, sed praecise de orientalibus, propter rationes in prooemio adductas.

8 — 31 Patres, quamvis diversimode, omnes tamen petunt ut vox « ritus » introducatur in titulo.

R. — Provisum per emendationem acceptam (sub 5).

AD NUMERUM 1 (Prooemium)

9 — 70 Patres petunt ut textus ita modificetur ut non videatur distinguere Ecclesias Orientales ab Ecclesia Catholica. Ad hos reducendi sunt et alii 57 Patres, qui propter eandem rationem petunt ut loco « Ecclesia catholica » (lin. 2) dicatur « Sancta Synodus ». Eidem difficultati obviam ire desiderant alii 5 Patres, qui primas tres lineas supprimentes, addunt: «In Ecclesiis Orientalibus cum Sede Apostolica iunctis, utpote veneranda antiquitate praeclaras elucet ... ».

R. — Ecclesiae Orientales quamvis pars sint Ecclesiae Catholicae, ab illa tamen distinguuntur distinctione inadaequata, sicut membra corporis, quamvis omnes in corpore sint et simul corpus componunt, a corpore tamen distinguuntur. Ideo Commissio censuit prooemium esse servandum, etiam ob respectum debitum maioritati, quae ei assensum iam dedit.

10 — 2 Patres petunt ut omittantur lineae 5-11, quia eadem dicunt ac illa quae in schemate « De Oecumenismo » sunt.

R. — Non sunt supprimendae, quia diversus est in duobus casibus et sensus et contextus.

11 — 5 Patres desiderant ut omittantur verba « divinitus traditi », quia peculiaritates patrimonii orientalium non pertinent ad « divinitus tradita ». Nam, arguunt obiicientes, [9]
quae divinitus tradita sunt, ad universam pertinent Ecclesiam.

R. — In schemate non tantum de « peculiaritatibus » patrimonii orientalium sermo fit. Immo, etsi omnia quae divi-

[9] nitus revelata sunt universae pertinere Ecclesiae, sed divina disponente Providentia, per Patres et per Orientales Ecclesias multa sunt quae universae Ecclesiae tradita et servata existunt (ex. g. de Chrismate conferendo a sacerdote simplici, etc.).

12 — Accedunt quidam tres modi, qui textum gravant, nihil novi afferentes.

13 — 5 Patres petunt ut conficiatur quidam epilogus.

R. — Provisum per epilogi redactionem (n. 30).

14 — 3 Patres petunt fluentiorem dictionem et citationem textuum S. Scripturae.

R. — Instructiones Commissionis de coordinandis laboribus textus brevissimos praescripserunt, quae legitima auctoritate emanatae sunt.

15 — 19 Patres, non attendentes ad emendationes a Commissione iam ante disceptationem in Aula probatas et introductas (Relatio, pag. 14-16), eas iterum proponunt.

16 — 13 sunt praeterea modi sine debita subscriptione.

17 — 23 Patres textum infra transcriptum inserendum proponunt: « De rebus disciplinaribus Ecclesiarum Orientalium, quamvis ordinarie non sit Conciliorum Oecumenicorum decernere, cum iuxta traditionem ipsae de hisce providendi ius habeant et officium, tamen, votis plurimorum Patriarcharum et Hierarcharum orientalium obsecundans, haec S. Synodus his quae sequuntur urgentioribus decisionibus libentissime praebet assensum ».

R. — Concilia Oecumenica supremam in Ecclesia potestatem legislativam constituunt, ideoque pleno iure de Ecclesia universali et, a fortiori, de Ecclesiis particularibus decernunt. De facto Concilia Oecumenica et de fide et de disciplina Orientalium non minus quam Occidentalium decreverunt. Illa praeterea quae in hoc decreto continentur, Romani Pontificis iussu, a Commissione ab ipso inde ab initio praeparationis Concilii constituta, exarata et con-
[10] gregationi generali Concilii praesentata fuerunt. Ideo Commissio censuit textum hunc inseri non posse.

18 — 1 Pater proponit ut in linea 4 (pag. 5) dicatur: « ea quae ab Apostolis per Patres est traditio quaeque partem constituit divinitus revelati atque indivisi ... ».

R. — Admittitur utpote dictio politior (evitatur repetitio: traditio-traditi).

19 — 1 Pater notat verbum « spectare » (linn. 8-9) in eadem structura logica diverso sensu usurpari. Proponit sequentem dictionem: « ... haec S. Synodus cupiens ut eaedem floreant et, novo robore apostolico, concreditum sibi munus absolvant (omissis quae sequuntur), capita quaedam statuere ... ». [10]

R. — Admittitur solummodo dictio « cupiens », ceterum maneat textus.

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

(Suffragatio: praesentes 2170; placet 1373; non placet 73; placet iuxta modum 719; suffr. nulla 5).

AD SUBTITULUM

20 — Loco « De Ecclesiis particularibus » quattuor suggeruntur tituli:

9 Patres proponunt ut dicatur: « De Patriarchatibus »;

9 Patres suggerunt etiam ut dicatur: « De Coetibus Ecclesiarum »;

3 Patres proponunt: « De Ecclesiis Rituum Orientalium ».

Ratio omnibus communis est: Schema « De Ecclesia » (n. 23) et schema « De pastorali Episcoporum munere » (n. 11) significationem « ecclesia particularis » attribuit « dioecesi »; in schemate « de Ecclesia » dictio « coetus Ecclesiarum » adhibetur ad significandum hoc, quod in nostro schemate sub nomine « Ecclesiarum particularium » exprimitur.

21 — 2 Patres proponunt titulum: « De Ecclesiis Patriarchalibus, Archiepiscopalibus seu Metropolitanis ».

Ratio: Natura Ecclesiarum particularium nullatenus differt inter omnes ecclesias catholicas; insuper, cardo Ecclesiarum Orientalium est institutio patriarchalis seu [11] archiepiscopalis vel metropolitana.

R. — Omnes hi tituli non placent. Ab immemorabili invaluit usus dictionis « Ecclesia », etiam « Ecclesia particularis ». Est terminus analogus et est in usu ad denominanda templa (ecclesia-aedes), usque ad « Ecclesia universalis ». Nihil obstat, quod in aliis schematibus etiam dioecesis

[11] vocatur « Eccl. particularis ». Sensus nostri termini est determinatus claris verbis in n. 3. Nulla proinde confusio timenda est. Si tamen placeret etiam dictio « ritus », posset poni hic titulus: « De Eccl. particularibus seu Ritibus »; hoc modo tum una tum alia dictio sese ad invicem collustrarent. In nostro schemate una et alia est in usu, permiscue et eodem sensu.

AD NUMERUM 2

22 — 1 Pater desiderat suppressionem huius numeri; quia continet materiam schematis « De Ecclesia » (n. 23) et « De Oecumenismo » (n. 14), sapit ecclesiologiam latinam (Corpus Christi Mysticum), expressio « eodem regimine » veritati plene non respondet, et quae in linn. 17-20 scribuntur, offendunt Orientales.

R. — Commissio iam de hoc expresse egit, et standum est pro eius decisione.

23 — 8 Patres existimant hunc numerum iuxta schemata « De Ecclesia » et « De Pastorali munere Epp. » esse recognoscendum, ut concordia inter schemata Concilii appareat et repetitiones vitentur.

R. — Adest concordia, praeterquam in dictione « ecclesiarum particularium », quae voces tamen complendae sunt (ut dictum est ad titulum); repetitiones vero necessariae sunt ex ipsa rei natura.

24 — 1 Pater vult ut expresse dicatur Ecclesiam latinam esse Ecclesiam particularem.

R. — Non videtur necessarium, cum schema agit de omnibus Ecclesiis, latina haud exclusa, quod affirmatur expresse in n. 3.

25 — 9 Patres modificant textum (pag. 5, linn. 14-15) hoc modo: « ... quique in varias portiones Episcopo iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. Diversae autem particulares Ecclesiae, decursu temporum, in varios
[12] coaluerunt coetus, qui organice coniuncti, propria disciplina, proprio liturgico usu, theologico spiritualique patrimonio gaudent quique Patriarchatus vocantur. Horum Ecclesiarum coetuum varietas ... », etc.

R. — Non vult schema nostrum loqui de dioecesibus, sed de illa realitate, quae in schemate « De Ecclesia » (n. 23)

aequivalet « coetui Ecclesiarum »; quoad « Ecclesiae particulares » provisum ut supra, in titulo. [12]

26 — 4 Patres censent addenda post « Ecclesias constituunt » (pag. 5, lin. 15) sequentia: « inter se mirabili modo communionem efformantes ».

R. — Haec additio iam facta est, prout ad calcem Relationis, pag. 14.

27 — 1 Pater vellet ut de « communione » ad mentem Orientalium fusius tractetur; cum haec tractatio desit, ideo paragraphus (nn. 2-4) insufficiens est.

R. — Nostrum schema agit de communione inter omnes Ecclesias. Non necessaria tamen videtur tractatio de hac communione ad mentem Orientalium.

28 — 1 Pater desideraret ut in nostro textu sermo fieret de *Ritibus,* v. g. De ritibus orientalibus Ecclesiae, et non de Ecclesiis, quia Ecclesia est unica.

R. — Dictio « ritus » sensu stricto in nostro schemate refertur ad res liturgicas, et unum tantummodo est ex elementis quae constituunt « ritum » sensu latiori sumpto, seu pro quadam particulari Ecclesia. In nostro schemate hoc secundo sensu utimur pluribus in locis, ut dictione aequivalente.

29 — 1 Pater vult emendare lin. 17, et loco « declarat » ponit: « eam potius efficit pulchriorem; ideo Ecclesia ... ».

Ratio: Quia « varietas » non potest declarare « unitatem », sed conferre ad « pulchritudinem »; ideo Ecclesia servat varietatem.

R. — Schema nostrum instat potius in unitate, et non in pulchritudine. Ratio vero existentiae varietatis in Ecclesia non ex sola deducitur pulchritudine, sed potius ex ipsa necessitate, ex traditione, etc.

30 — 9 Patres loco « particularis Ecclesiae » (pag. 5, lin. 18) ponunt « coetus Ecclesiarum ».

R. — Rationes et responsiones iam supra propositae sunt.

AD NUMERUM 3 [13]

31 — Patres qui postulaverunt, ut numerus 2 recognosceretur (cf. n. 2, mod. 23), idem postulant etiam quoad numerum 3 et speciatim pro usu vocis « coetus Ecclesiarum ».

R. — Idem ac supra ad numerum 2.

[13] 32 — 1 Pater sic dicit: « Cum omnes Ecclesiae Orientales unitae realitatem primatus Petri scrupulose admittant, et de primatu Petri iam in aliis schematis sat sermo est, melius esset hic in spiritu traditionis orientalis *unitatem sublineare* communionis ecclesiarum orientalium inter se, fundatam in SS. Eucharistia et in Collegio Episcoporum ».

R. — Non agitur tantummodo de Ecclesiis Orientalibus, verum etiam occidentalibus. Quoad primatum Petri, Commissio non vidit dictiones superfluas in textu.

33 — 1 Pater suadet suppressionem totius numeri 3, quia: *a*) iam satis provisum in materia in schemate « de Oecumenismo », *b*) lineae 23-24 non respondent veritati historicae, eo quod non eadem ratione concreduntur Ecclesiae Orientales gubernio R. Pontificis, ac occidentales, *c*) lineae 25-28 non respondent veritati historicae, eo quod olim R. Pontifex non moderatus est propagationem fidei, *d*) verba « ad propagandam fidem catholicam » sapit proselytismum erga Orientales et illos offendit.

R. — Non est mera repetitio schematis « De Oecumenismo »; agitur de iure R. Pontificis in primatu, non de eiusdem evolutione historica et exercitio; paritas omnium Ecclesiarum in propaganda fide, nullomodo potest offendere Orientales.

34 — 2 Patres postulant additionem post « particulares Ecclesias » (pag. 5, lin. 21) sequentium verborum: « cum Orientis tum Occidentis ».

R. — Provisum iam antea (cf. Relatio, pag. 14).

35 — 1 Pater addit post « patrimonio spirituali » (pag. 5, lin. 22) « et doctrinali ».

R. — Non placet, quia oppositionem quamdam creat inter patrimonium spirituale et doctrinale, cum econtra doctrinale continetur in patrimonio spirituali.

[14] 36 — 2 Patres modificant lineas 22-28 (pag. 5) ita: « ... differant tum inter se, tum ab Ecclesia latina, eiusdem tamen Ecclesiae Catholicae partes integrantes sunt in communione cum Ecclesia Romana. Pari proinde pollent dignitate omnes Ecclesiae cuiusvis ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, praesertim ad propagandam fidem ».

R. — Substantia huius emendationis iam adest in emendatione antea admissa a Commissione (Relatio, pag. 14). [14]

37 — 2 Patres loco « pastorali gubernio » ponunt: « pastorali sollicitudini » vel « pastorali curae et responsabilitati », quia faveret menti oecumenicae, et quia vox « gubernium » est nimis iuris latini (pag. 5, lin. 23).

R. — Non placet, quia mutat sensum textus, qui verbo « gubernio » vult significare potestatem R. Pontificis.

38 — 1 Pater, post « tamen modo » addit: « eodem modo ac Ecclesia Occidentalis » (pag. 5, lin. 23).

R. — Provisum iam in textu emendato, in principio numeri.

39 — 1 Pater, post « differant » (pag. 5, lin. 23) sequentia addit: « omnes tamen aequo iure constituant Ecclesiam, quae concreditur pastorali gubernio », etc.

R. — Idea iam continetur in textu, unde additio superflua est.

40 — 17 Patres desiderant ut supprimantur lineae 23-25: « aequali tamen modo ... succedit ». Et in fine lin. 28 addunt: « Successoris Petri », quia hoc modo evitatur quaestio disputata « de aequali modo » et tamen servatur primatus R. Pontificis.

R. — Pluries de hoc tractavit Commissio, et iterum renuit suppressionem suffragio expresso, quia agitur de substantia textus iam probati.

41 — 1 Pater post « differant » (pag. 5, linn. 23-24) ita modificat textum: « omnes tamen iure divino eadem ratione concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis ».

R. — Cum in textu agatur de organizationibus ecclesiasticis hierarchice constitutis, v. g. de patriarchatibus, etc. (et non de dioecesibus), non est intentio Concilii quaestionem de his organizationibus dogmatice definire.

42 — 1 Pater desiderat suppressionem linn. 25-28, utpote superfluarum.

R. — Non sunt superfluae, sed est res opportuna ad vitandos quosdam abusus. [15]

43 — 1 Pater vult retinere verba textus non emendati, scil. « ad propagandam fidem catholicam » (pag. 5, lin. 27).

R. — Textus emendatus (Relatio, pag. 14) desumptus est ex Evangelio.

44 — 1 Pater desiderat ut deleantur verba: « sub moderamine R. Pontificis » (pag. 5, lin. 28), quia superflua, nimis frequens recordatio R. Pontificis, quae frequentia suggerit

[15] quamdam suspicionem acsi doctrina de primatu non satis agnita sit.

R. — Non placet, quia adsunt rationes gravissimae huius moderaminis in hoc gravissimo negotio propagationis fidei.

AD NUMERUM 4

Numerus hic maximo notatur numero modorum, praesertim in ultima eiusdem parte, scil. pag. 6, linn. 6-10.

A) *Quoad primam partem* eiusdem numeri 4 (de incremento et conservatione Eccles. p.).

45 — 94 Patres substituere cupiunt hanc partem (pag. 5, linn. 29-30) usque pag. 6, linn. 1-2 hoc textu ex schemate « De pastorali Epp. munere » (n. 21, ad 3) desumpto: « Provideatur... incremento omnium Ecclesiarum coetum, sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem ritus, sive per Vicarium episcopalem aptis facultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per ipsum Ordinarium diversorum rituum proprio munere fungentem, sive per propriam cuiusque hierarchiam, ubi id bonum spirituale, iudicio Apostolicae Sedis, postulat fidelium ».

R. — Huic desiderio opponi videtur tam n. 9 emendatus nostri schematis, quam n. 11 cap. II schematis « De pastorali Epp. munere », ubi expresse dicitur: « Episcopi tamen agnoscant iura, quae sive patriarchis Ecclesiarum Orientalium sive aliis hierarchicis Auctoritatibus legitime competunt ».

46 — 12 Patres desiderant simpliciter *unum Ordinarium in territorio*.

R. — Provisum.

[16] 1 Pater desiderat ut *statim* provideatur huic incremento (pag. 5, lin. 29), uti habetur in n. 9 de Patriarcharum iuribus.

R. — Haec omnia excedunt competentiam Commissionis. Ad Comm. post-conc.

47 — 8 Patres postulant, ut post verba « ubi id » (pag. 6, lin. 1) addatur: « *revera* postulat ».

R. — Non videtur necessaria additio. Subintelligitur.

48 — 1 Pater desiderat ut post verbum « fidelium » (pag. 6,

lin. 2) addantur haec: « quando hoc fieri possit sine detrimento hierarchiae localis aut alius ritus fidelium ». [16]

R. — Additio superflua, quia haec omnia subintelliguntur.

B) *Quoad secundam partem* eiusdem numeri 4^{ti} (de collaboratione interrituali).

49 — 9 Patres desiderant ut redeatur ad textum schematis « de pastorali Episcoporum munere », n. 38, ad 6um, qui sic sonat:

« Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni totius territorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum extant, consiliis in conventibus interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas ».

R. — Non placet mutatio, quia *a*) noster textus latius patet, quia considerat omnes Ecclesias, latina haud exclusa, *b*) agit de relationibus et collaboratione interrituali, quae etiam infra Synodos et conferentias episcopales valet, i. e. etiam in singulis dioecesibus et fere quotidie actuatur, ubi opus est.

50 — 2 Patres desiderant ut dicatur loco « conferentiis » (pag. 6, lin. 4) « *conventibus* ».

R. — Admittitur emendatio.

51 — 49 Patres (ex quibus 2 passum de laicis omiserunt) desiderant ut addatur post verbum « tuendum » (pag. 6, lin. 6) sequens textus:

« Hierarchae provideant etiam, ut ascendentes ad Ordines sacros bene instruantur de ritibus et praesertim de normis practicis in materiis interritualibus, immo et laici in instructione catechetica de ritibus, eorum momento et de libera communione secundum normas Ecclesiae Universalis doceantur ». [17]

R. — Admittitur, quibusdam melius aptatis: « Omnes clerici et ascendentes ... de ritibus eorumque normis doceantur ».

C) *Quoad tertiam partem* eiusdem numeri, scil. de servando proprio ritu (linn. 6-10).

Plures de hoc textu agunt et varii varia proponunt (circa 620 Patres). De his omnibus Commissio examen

[17] instituit et difficultatem per suffragationem horum modorum solvere conata est. Loco enim verborum: « omnes denique ... observent » (pag. 6, linn. 6-10) haec proposita fuerunt:

52 — 355 Patres desiderant talem textum:

« Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent, salvo iure, pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus, eligendi alium ritum, si hoc ab eis ut conditio necessaria interponatur ».

Ex his 1 Pater id ad latinum ritum tantum applicat; 1 Pater omisit « ubique terrarum », et addidit post « salvo iure »: « recurrendi ad S. Sedem in casibus particularibus et ... »; 1 Pater omisit verbum « necessaria ».

R. — Textus hic placuit 8, non placuit 14 Membris Commissionis.

53 — 131 Patres proponunt talem textum:

« Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure in casibus particularibus recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent. Baptizati tamen acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen ut ritum proprium retineant ».

54 — 78 Patres sic proponunt:

« Omnes denique ... observent, salvo iure, pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus, eligendi alium ritum ».

R. — Modus placuit 7, non placuit 15 Membris Commissionis.

55 — 23 Patres talem textum proponunt, quoad ultimam partem textus: « Baptizati acatholici ritus orientalis, qui ad catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen ut ritum proprium retineant ». Textus est talis qualis can. 11 MP. « Cleri sanct. ».

[18] R. — Est lex vigens. Modus placuit 8, non placuit 14 Membris Comm.

56 — 15 Patres hanc vel similem formam proponunt:

« Omnibus et singulis fidelibus necnon baptizatis acatholicis ad Ecclesiam catholicam convenientibus conceditur plena libertas ritum quem maluerint amplectendi ».

Unus autem Pater et talem adiungit rationem: « Ritus debent esse territoriales (et utinam ad paucos reducantur in Oriente); si omnes eandem fidem habemus, cur non debent mutare ritum ii, qui mutant territorium? » Alter vero Pater sic et simpliciter petit ut restituatur libertas eligendi ritum, ut videtur, pro omnibus. [18]

R. — Modus placuit 2, non placuit 20 Membris Commissionis.

57 — 5 Patres sunt pro libertate eligendi ritum a baptizatis acatholicis extra territoria proprii ritus; 1 Pater et sequentem proponit textum:

« Baptizati autem acatholici ad catholicam Ecclesiam convenientes, in territoriis sui proprii ritus degentes, servant ritum proprium; extra vero territoria sui proprii ritus versati, ritum viciniorem suo proprio assumant, salvo tamen iure ob gravissimas causas ad alium transeundi ».

R. — Modus placuit 1, iuxta modum 2, non placuit 19 Membris Comm.

58 — *Modi peculiares*: 1 Pater est pro libertate eligendi ritum a minorennis ante 21 aetatis annum; 1 Pater petit libertatem eligendi ritum iis, qui ab infantia ritum proprium non exercent.

R. — Sunt casus peculiares, de quibus provideatur in Codice iuris canonici.

59 — *Modi quoad formam recursus*: 1 Pater est pro recursu ad Delegatum Apostolicum; tres P. ad Ordinarium novi ritus eligendi, si necessitas ad hoc urget; unus tandem quaestionem totam remittit ad codicem iuris canonici.

R. — Sunt casus de quibus Sedes Apostolica providere potest, salvo decreto conciliari pro retentione ritus.

60 — *Correctiones textus schematis*:

a) Loco « ad Ecclesiam catholicam » (pag. 6, lin. 7) dicatur: « ad *unitatem Ecclesiae* convenientes ».

R. — Provisum in sequenti emendatione. [19]

b) Corrigantur lineae 6-7 sic: Omnes et singuli fideles, nec non baptizati *cuiusvis Ecclesiae acatholicae ad plenitudinem communionis catholicae* convenientes ... ».

R. — Magis placet haec dictio, quae favet oecumenismo.

61 — *Quaedam additiones proponuntur*:

a) Post « acatholici » (lin. 7) addatur: « ritus orientalis » (*1 Pater*).

[19] R. — Non placet additio, quia limitativa ad solos Orientales.

b) 1 Pater vult addatur in fine: « Salvoque iure mulieri baptizatae acatholicae transeundi ad ritum catholicum suis coniugis in actu contrahendi matrimonii aut eo perdurante ».

R. — Non placet, quia est casus peculiaris, de quo provideatur in Codice iuris.

c) 1 Pater proponit ut dicatur: « Omnes denique et singuli fideles *catholici* ... ».

R. — Placet additio, et magis adhuc placeret omisso verbo « fideles ».

d) Dicatur expresse hoc decretum nullam praebere basim pro unione orthodoxorum (*1 Pater*).

R. — Non placet; provisum in decreto « De Oecumenismo ».

62 — Omnibus « modis » circa libertatem eligendi ritum pro acatholicis examinatis et suffragationibus debitis subiectis, nullus praescriptam maioritatem suffragiorum obtinuit (i. e. 2-3 partes), imo omnes maioritate absoluta reiecti sunt. His ita stantibus, proponente Secretario Commissionis sequens compromissum, Commissio ipsum probavit. Textus vero sequens est: « *Omnes denique et singuli catholici, nec non baptizati cuiusvis Ecclesiae vel communitatis acatholicae ad plenitudinem communionis catholicae convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent; salvo iure recurrendi ad Sedem Apostolicam in casibus peculiaribus personarum, communitatum vel regionum, quae, uti Suprema Arbitra relationum interecclesialium, providebit necessitatibus in spiritu oecumenico, ipsa vel per alias Auctoritates, datis opportunis normis, decretis vel rescriptis* ».

Responsum fuit: Placuit 19, non placuit 2 Membris Commissionis, et 1 voluit ulteriorem modum proponere.

DE SPIRITUALI ECCLESIARUM ORIENTALIUM PATRIMONIO SERVANDO [20]

(Suffragatio III: praesentes 2172; placet 2005; non placet 31; placet iuxta modum 136)

AD NUMERUM 5

63 — Observationes nonnullorum Patrum ut numerus recognoscatur iuxta schemata « De Ecclesia » et « De Oecumenismo », iam examinatae sunt sub n. 2, et responsum datum.

64 — 1 Pater optat ut in hoc n. notetur character transitorius normarum datarum, ut minoritates paulatim evanescant et ut in unoquoque territorio unus tantum adsit Episcopus.

R. — Ecclesia non vult destructionem Ecclesiarum « particularium », verum delectatur earum varietate. Cetera superant limites Commissionis.

65 — 1 Pater censet numerum esse nimis laudativum Orientalium, et desiderat ut ritus orientales ad pauciores reducantur. Insuper ut in uno territorio sit tantummodo unus Episcopus.

R. — Idem ac sub n. 2.

66 — 3 Patres cupiunt ut lineae 11-12 (pag. 6) supprimantur et loco linn. 13-14 sequens ponatur textus: « Patrimonium ecclesiasticum et spirituale Ecclesiarum Orientalium utpote ab Apostolis, Patribus et Conciliis Oecumenicis traditum, Sacrosancta Synodus non solum aestimatione debita prosequitur, sed ... ».

R. — De hoc iam dictum in prooemio.

67 — 1 Pater post verbum « considerat » (pag. 6, lin. 16) ulteriorem textum hoc modo modificat: « Propter eandem causam, sicuti cum sollemnitate hortatur Orientales omnes ut suos legitimos ritus suamque disciplinam propriam melius in dies cognoscant et servent, eodem modo vehementer optat ut illi, qui ... », ne statuatur officium quod ante hanc declarationem iam existebat.

R. — Iteratio obligationum in Conciliis non est res nova.

68 — 1 Pater vult ut adverbium « sollemniter » auferatur, quia [21]

[21] hoc adhibetur in declarationibus dogmaticis (pag. 6, lin. 16).

R. — Positum ad exprimendum sincerum respectum PP. Concilii erga omnes Ecclesias Orientales.

69 — 1 Pater vult ut retineantur verba « Ecclesias Orientales », prout in textu.

R. — Textus emendatus fuit, instantibus aliis, et ob doctrinam in nn. 2-3 contentam.

70 — 1 Pater vult expungantur verba « et occidentales » (pag. 6, lin. 16), quia referentia non pertinet ad rem.

R. — Exacte est sermo de Eccl. orientalibus, sed contraponitur similitudo Ecclesiarum occidentalium.

71 — 1 Pater in fine lin. 17 addit: « intra fines sui territorii », quia, extra, mores et conditiones vitae valde differunt.

R. — Quae stricte ad ritus pertinent, sunt leges personales ubique terrarum obligantes.

72 — 11 Patres loco linn. 17-20 sequentia sufficiunt: « ... peculiares regendi, quae veneranda antiquitate commendatur, moribus suorum fidelium sunt congruae atque ad bonum animarum consulendum aptae videantur ». Etiam 2 alii Patres malunt omittere formas comparativas « magis congruae », « aptiores », sicut et verba « officio teneri », quia non sunt omnia talia, ut ex. gr. disciplina coelibatus; unde sufficit notare ius retinendi propriam disciplinam ».

R. — Quoad « officio teneri » — standum pro textu, quia Concilium potest iterare praecepta iam obligantia; quoad modos comparativos, notandum in textu eos referri ad mores orientales proprios, quin affirmetur quid absolutum vel in genere.

73 — 1 Pater proponit ut auferantur lineae 16-20, i. e. dictio: « Quamobrem ... videatur », quia hoc ius est sat indeterminatum, fundamenta allegata non sufficiunt, in liturgicis et disciplinaribus disponat Codex. Alioquin etiam Ecclesiae particulares occidentales possent sese regere secundum propriam disciplinam cum periculo Ecclesiarum nationalium, et moderamen est necessarium ob necessariam unitatem.

R. — Non videtur adesse ratio timendi ex his quae dicta sunt in nostro schemate.

[22] 74 — 2 Patres inde a « moribus suorum » (pag. 6, linn. 18-20) sequentem textum substitutivum proponunt: « Maxima

igitur prudentia aptandae sunt, attentis rerum conditionibus, ne mutationes mirationem populi suscitent, praesertim in Ecclesiis eiusdem ritus ». Quia « de factis non est statuendum. Insuper porta non est claudenda adaptationibus, nec immobilitas ponenda est ut principium ». [22]

R. — In numero 6 satis provisum est ad vitanda mala ex mutatione provenientia. Hae fieri debent ex organico progressu.

AD NUMERUM 6

75 — Ea quae dicta sunt initio numeri 5 circa recognitionem faciendam, valent etiam de praesenti numero 6.

76 — 1 Pater vult expungere verbum « debere » (pag. 6, lin. 22).

R. — Ratio non apposita, nec Commissio eam videt.

77 — 1 Pater vult suppressas lineas 21-23 (pag. 6), quia inutiles et adulationem quamdam continent.

R. — Rationes allatae non habent fundamentum in nostro textu; immo valde absunt a sensu eiusdem.

78 — 2 Patres desiderant supprimantur dictiones « proprii » (lin. 23) et « debere » (lin. 22), quia Orientales in mutationibus inducendis debent habere rationem non solum proprii progressus, sed etiam conditionum universalis Ecclesiae.

R. — Non placet suppressio, quia in textu non excluditur hoc desiderium Patrum.

79 — 1 Pater praefert praecedentem dictionem « convenientis progressus » loco « organici ».

R. — Non affertur ratio et Commissio satisfecit antea rationabili propositioni aliorum Patrum.

80 — 2 Patres desiderant ut deleantur lineae 21-28 (usque ad « satagant », pag. 6), quia « vel iam dictum est, vel paternalismum sapit et insinuatur Orientales sua culpa aliquando defecisse ».

R. — Orientales non se existimabunt iniuria affectos esse.

81 — 1 Pater praefert ut dicatur in lin. 31 (pag. 6): loco accepti nunc « instituantur » « *magis magisque in dies crescant* ». [23]

R. — Melius videtur loqui de hac re modo magis absoluto. Proinde maneat textus.

82 — 3 Patres loco textus in linn. 34-35 ponunt hunc alium: « ut aptioribus mediis hierarchiam orientalem adiuvent

[23] ad maiorem apostolatus efficaciam ». Quia « saepe saepius fratres Orthodoxos suspicio et diffidentia afficiunt spectaculum clericorum ritus latini qui in cleros orientalis ritus mutati sunt, nam in hac ratione faciendi timent ne insidiae et proselytismus lateat. Proinde melius videtur ut quisquis in proprio ritu maneat, ut motui oecumenico obstaculum non obiciatur ».

R. — Quidquid sit de rationibus allatis, textus propositus est nimis vagus in comparatione cum forma concreta schematis.

83 — 1 Pater in lin. 34 verba textus sic mutat: « cum maior efficacia apostolatus id exigat », quia « non potest sic modo absoluto statuere semper efficaciam apostolatus rem propositam postulare ».

R. — Emendatio videtur superflua. Est tamen ratio principalis.

84 — 1 Pater exoptat post verbum « constituant » (lin. 35) addatur: « quas cultura et indole orientali imbuant ».

R. — Provisum per emendationes iam acceptas, in Relatione, pag. 14.

85 — 12 Patres in fine lineae 35 haec addunt: « de consensu Patriarchae vel Hierarchae eiusdem ritus ».

Ratio: « Ne dentur abusus latinizationis vel " concurrentiae ", et ut cooperatio bene evadat ».

R. — Commissio de his ample egit, et propositiones similes reiecit iam ante diem 15 octobris a. c.

86 — 73 Patres petunt, ut quod statuitur de domibus ritus latini, statuatur etiam de domibus ritus orientalis inter latinos, et quidem vel:

a) modo generali: « Quae dicta sunt de Religionibus et Associationibus latini ritus, valent etiam pro Religionibus orientalibus inter latinos operantibus » vel:

b) modo specifico: « et e converso, Religionibus et Associationibus orientalis ritus, quae in regionibus determinatis inter fideles latinos operam praestant, enixe
[24] commendatur, ut ad maiorem apostolatus efficaciam domos aut etiam provincias latini ritus, quantum fieri potest, constituant ». Et quidem ratione paritatis inter omnes Ecclesias, ut vitetur omnis discriminatio, et ne Orientales minoribus aequiparari et tutela indigere videantur.

R. — Etsi rationes allatae non sunt spernendae, tamen est res

nimis nova et particularis ut hoc Concilium eam decernat. [24]

87 — 5 Patres post ultimum verbum « constituant » (lin. 35), sequentia addunt: « Denique persuasum sibi habeant omnes fideles se per rectam cognitionem huius patrimonii spiritualis Orientalium, sinceram venerationem et fidelem conservationem revera multum conferre ad plenitudinem traditionis christianae custodiendam et reconciliationem inter Orientem et Occidentem perficiendam ».

R. — De hoc iam sufficienter provisum in n. 4, et in decreto « De Oecumenismo ».

DE PATRIARCHIS ORIENTALIBUS

(Suffragatio IV: praesentes 2167; placet 1790; non placet 183; placet iuxta modum 186; suffr. nulla 8)

AD NUMEROS 7-11

Observationes generales de textu et de titulo recognoscendo:

88 — Petitur ab uno Patre, ut ea *omnia, quae de Patriarchatibus et Patriarchis agunt, omnino omittantur,* quia institutum « antiquatum » est et nullum sensum hoc tempore habet et ortum est ex causis practicis et politicis.

R. — Modus contradicit Decretis iam acceptis et expressae intentioni et historiae Ecclesiae, ergo reiciendum.

89 — Petitur a 3 Patribus, « *ut schema funditus recognoscatur a Secretariatu ad unionem christianorum fovendam* in spiritu Schematis de Oecumenismo ». Pater sub n. 1418 suppressit verbum « funditus ».

R. — Textus iam votatus est et approbatus; praeterea huiusmodi recognitio non fuit imposita ab organo competenti, sc. a Commissione de coordinandis laboribus Concilii.

90 — Petitur ab 1 Patre, ut « *recognoscatur totum istud caput a Commissione mixta,* ad mentem interventus facti a Rev.mo Abbate Hoeck, O.S.B. in aula conciliari die 19 octobris 1964 ». [25]

R. — Suggestio tardius venit, cum textus iam approbatus sit.

91 — Petitur a 3 Patribus, ut caput istud mutetur vel reco-

[25] gnoscatur « *ad mentem interventionis in aula Rev.mi Abbatis Hoeck* ».

R. — Hoc in singulis numeris ad effectum deductum est, in quantum possibile erat.

92 — Petitur ab 1 Patre, ut caput istud de Patriarchis « *transferatur* in Schema de Ecclesia (cap. III) post adaptationem (sc. factis necessariis emendationibus) ».

R. — In Schemate De Ecclesia (cap. III, n. 23) iam habetur aliqua introductio historico-theologica de Patriarchatibus. Caput nostrum est indolis disciplinaris, sicut totum Schema De Ecclesiis Orientalibus.

93 — Petitur a 4 Patribus, ut nn. 7-9 *transferantur in Decretum De Episcopis,* quia institutio patriarchalis pertinet ad totam Ecclesiam et retinenda est ex rationibus praesertim oecumenicis. Ideo etiam vox « Orientalis » ubique delenda.

R. — Res et rationes iustae quidem sunt, sed institutio patriarchalis nunc temporis et de facto viget fere tantum in Oriente; ideo hoc caput melius pertinet ad Schema « De Eccl. Or. ».

94 — 22 Patres proposuerunt *circa integrum istud caput redactionem novam,* quae includit tum praecipuas partes textus iam probati tum novas emendationes propositas. Illa redactio nova, quae tribuitur Rev.mo Patri Hoeck O.S.B., continetur in modis n. 1326-1347, et paragraphos complectitur a 7ª, ad 12ᵃᵐ. Aliqui tamen Patres expunxerunt in textu proposito unam aliamve paragraphum. De his omnibus ratio habetur in excutiendis singulis modis ad unamquamque paragraphum.

95 — Iidem 22 (et 1) Patres proponunt, ut *titulus* huius capitis sic tantum sonet: « De Patriarchis » (omissa voce: « Orientalibus »).

[26] R. — Etsi ex ipso loco in nostro schemate patet agi de Patriarchis orientalibus, tamen ne fiat quoddam dubium, placuit Commissioni hanc retinere dictionem.

96 — 1 Pater proponit ut in tota hac parte (nn. 7-11) tollatur dictio « orientalis »; 1 Pater desiderat hoc quoad n. 7; 4 Patres quoad nn. 7, 8, 9; unus item quoad nn. 8, 9, 11.

R. — Haec dictio non potest deleri sic et simpliciter ubique, sed debet adhiberi quando agitur de rebus, quae pertinent ad solos Patriarchas orientales.

Observationes particulares [26]

AD NUMERUM 7/A

Textus: « Ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viget institutio patriarchalis, iam in primis Synodis oecumenicis agnita ».

97 — 2 Patres proponunt aliquam *introductionem historico-theologicam* ad totum istud caput:

« Ius agnoscit iurisdictionem conservatam aut acquisitam a quibusdam episcopis ultra eorum particulares Ecclesias. Qui episcopi vel metropolitae sunt vel patriarchae et autocephales et archiepiscopi. Congregatio enim particularium Ecclesiarum apud Orientales praesertim fit in patriarchatu, id est in communitate particularium traditionum a particulari iure recta. Patriarchatus vero non est nisi determinatae regionis episcopatus, unificatus in persona praesidis aut in synodo episcoporum, et omnibus facultatibus ab Apostolis obtentis sine canonica obice pollens ».

R. — Haec introductio non convenit indoli disciplinari nostri Decreti. Similis vero introductio continetur in Schemate De Ecclesia cap. III n. 23.

98 — 24 Patres post vocem « agnita », addere volunt aliquid *circa ordinem sedium patriarchalium* hoc (vel simili) modo: « *et quidem hoc ordine*: *prima Sedes Romana, deinde Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana* ». Pater sub numero 1336 adiungere proponit: « *Quibus sedibus aliae decursu temporis legitime adiunctae sunt* ». 1 Pater *etiam iuniores Patriarchatus nominandos esse* censet.

99 — 56 Patres proponunt ut, post vocem « agnita », sic compleatur sententia: « *in qua primum tenet locum Romanus Pontifex* », cui addi deberet iuxta 1456 et 1432: « tamquam Patriarcha Occidentis », vel iuxta 1459: « dux totius Ecclesiae », vel iuxta 1415: « Successor Petri ». [27]

100 — Alii 3 Patres commendant, ut *sedes patriarchales nominentur* (sed hoc ponunt initio numeri 8). Pater sub n. 1475 praebet etiam formulam sequentem: « secundum primaevam Ecclesiae traditionem et oecumenico-

[27] rum conciliorum decreta, hi sunt tituli et ordo maiorum sedium patriarchalium: Prima Sedes Romana Beati Petri principis Apostolorum, secunda Constantinopolitana, tertia Alexandrina, quarta Antiochena, quinta Hierosolymitana ».

R. — Quia decretum agit de statu praesenti rerum orientalium, non expedit enumeratio sedium; ordo sedium patriarchalium Synodorum oecumenicarum manet semper in vigore; eius vero perfectio vel mutatio reservatur temporibus plenae communionis omnium Ecclesiarum.

101 — 1 Pater proponit ut in nota 8 (pag. 11) deleatur mentio can. 28 Chalcedonensis in Ecclesia Latina numquam agniti.

R. — Quidquid sit de historia huius canonis, notae non constituunt partem textus conciliaris. Potest hic citari saltem ut documentum historicum.

AD NUMERUM 7/B

Textus: « Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, cui canones tribuunt iurisdictionem in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus, ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis exercendam ».

102 — Unus Pater proponit, ut deleatur vox « Orientalis ».

R. — Non potest haec vox deleri, quia in statu rerum praesenti alia est notio Patriarchae in iure canonico latino.

103 — 1 Pater proponit, ut loco « cui ... episcopos » dicatur: « *cuius est honor primatus super omnes episcopos* », quia secundum ipsum primatus iurisdictionis contradicit collegialitati, qua omnes episcopi sunt aequales excepto S. Pontifice.

[28] R. — Patriarchatus non est primatus honoris nec contradicit collegialitati episcoporum, immo illam melius exprimit, quia patriarchatus est coordinatio laboris apostolici episcoporum alicuius regionis vel ritus.

104 — 2 Patres proponunt, ut post « canones tribuunt » addatur: « *una cum sua Synodo* ».

R. — Non convenit mentio Synodi in hoc loco, quia Synodus non habet, stricte loquendo, iurisdictionem in episcopos, clerum et populum.

105 — 1 Pater proponit, ut post verba « ad normam iuris » addatur: « *vi cuius iurisdictio Patriarchalis limitatur a S. Synodo, cui ille praeest et quacum Ecclesiam suam regit* ». [28]

R. — Cf. modum antecedentem. Ceteroquin, verba « ad normam iuris » sufficiunt, quia ius determinat modum exercitii potestatis patriarchalis.

106 — 1 Pater proponit, ut supprimantur verba « *salvo primatu S. Pontificis* », quae semper supponuntur.

R. — Semper primatus R. Pontificis supponitur, sed convenit ut hic expresse nominetur.

107 — 10 Patres proponunt, ut loco « salvo primatu S. P. » dicatur: « *sub Romano Pontifice* », ne nimis spastice exprimatur timor, quod ille primatus de facto negaretur. Accedit 1 Pater (1472) cum formula: « *sub ductu Rom. Pontificis* ».

R. — Formula Schematis videtur melior.

108 — 1 Pater proponit, ut post verba « salvo primatu » addatur: « iurisdictionis », claritatis causa.

R. — Certe non agitur de primatu honoris. Sed notio primatus clare definitur in aliis Schematibus.

109 — 1 Pater proponit, ut in lin. 6 addatur: « *Sic dicta autonomia vero, praesertim in nominatione episcoporum non est doctrina Ecclesiae* ».

R. — Iuxta disciplinam orientalem designatio episcoporum non necessario reservatur Romano Pontifici.

110 — 22 Patres proponunt *novam redactionem,* quae tribuitur R. P. Hoeck: « Nomine vero *huiusmodi Patriarchae* venit episcopus, cui *una cum sua Synodo competit* (alii dicunt: « *canones tribuunt* ») *plena autonomia canonica* [29] *et disciplinaris in suo territorio* et iurisdictio in omnes episcopos, metropolitis non exceptis, clerum et populum (omissis: " territorii vel ritus " et " ad normam iuris "), salvo *tamen* primatu R. P. » (omissa voce: «exercenda » vel « exercendam »).

R. — *a*) Melius est pressius exprimere, quod agitur tantum de Patriarchis *orientalibus; b*) de mentione synodi, vide supra ad modos 3 et 4; *c*) « competit » melius exprimit originem consuetudinariam iurium patriarchalium; *d*) formula « autonomia canonica et disciplinaris » videtur ansam praebere falsis interpretationibus; *e*) melius est

[29] retinere verba: « territorii vel ritus » *f*) « ad normam iuris » et potest omitti et potest dici; *g*) melius est omittere verbum « exercendam ».

111 — 3 Patres proponunt, ut dicatur: « clerum et populum *proprii* territorii vel ritus ... », sed ratio emendationis non datur.

112 — 1 Pater proponit, ut *omittantur verba « vel ritus »* et dicatur simpliciter: « clerum et populum territorii, ad normam iuris ... », quia, inquit, non convenit, ut iurisdictio episcopi extendatur extra sui territorii fines.

R. — Hoc non potest admitti, quia, in praesenti statu rerum, omnes Patriarchae non necessario habent territorium proprium, sed habent semper saltem ritum proprium.

113 — *Circa unificationem Patriarchatuum vel iurisdictionis in Patriarchatibus* 2 Patres proponunt iisdem verbis, ut « *unicuique Patriarchatui territorium proprium limitandum sit,* ut unitas iurisdictionis in eodem territorio habeatur ». Alius (1484) scribit: « *Ideo omnino vitandum est, ut in eodem territorio sint plures.* Unus tantum pro una sede. Unus pro uno territorio. Si sint rationes pro statuendo alio Hierarcha, detur alius titulus, sitque Patriarchae subordinatus, non Patriarcha ». Alius refert (1363) realitatem hodiernae situationis, cum dicit: « *Non videtur, quomodo* finis detur praesentiae multarum iurisdictionum in eodem territorio ».

R. — Concilium in hodiernis adiunctis non potest resolvere hanc spinosam quaestionem.

[30]

AD NUMERUM 7/C

Textus: « Ubique Hierarcha alicuius ritus constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus, etiam extra fines territorii patriarchalis ».

114 — 20 Patres proponunt novam redactionem, quae tribuitur R. P. Hoeck:

« Etiam Hierarchae, qui extra fines territorii alicuius ritus constituuntur, aggregantur hierarchiae patriarchatus vel territorii respectivi ».

R. — Dicere: « extra fines territorii alicuius *ritus* » non sufficit, quia debet supponi existentia vel patriarchatus vel archiepiscopatus maioris. In commate finali « ag-

gregantur hierarchiae patriarchatus *vel territorii* », melius est dicere « vel ritus ». [30]

115 — Aliam redactionem proponit 1 Pater (1914):

« Ubicumque Hierarcha alicuius ritus extra fines territorii patriarchalis constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus in rebus ad liturgiam pertinentibus ad normam iuris communis ». Ratio autem est « ne verbum aggregatus videatur implicare iurisdictionem Patriarcharum super hierarchas a Sancta Sede constitutos ».

R. — Verba « in rebus ad liturgiam pertinentibus » nimis limitant hanc aggregationem. Ille hierarcha potest etiam admitti, v. g., in deliberationibus vel electionibus synodi patriarchalis, sicut iam admittitur in praxi Sanctae Sedis.

116 — 1 Pater dubium exprimit, dicens: « Quid praecise significat terminus ille " aggregatus " sensu iuridico? ».

R. — Ius canonicum postea determinabit modum illius « aggregationis » quae exprimit generico modo nexum cum hierarchia patriarchatus.

117 — 1 Pater notat quod « aggregatio de qua hic sermo est (sc. ad hierarchiam Patriarchatus eiusdem ritus) non debet intelligi de communitatibus iam existentibus cum hierarchia propria et characteribus propriis, etsi ratione originis ritus aliquid commune habeant cum alio ».

Sensus huius animadversationis hic est: textus videtur submittere potestati Patriarchae omnes hierarchas eiusdem ritus, etsi pertineant ad alias Ecclesias.

R. — In nostro Schemate, « ritus », non pro ritu liturgico, sed pro « Ecclesia particulari » hierarchice constituta sumitur. Ceteroquin, quod dicitur de patriarchatibus valet etiam, congruis referendo, de archiepiscopatibus maioribus. [31]

118 — 9 Patres petunt ut omittatur tota haec paragraphus (introducta per emendationem) de aggregatione hierarcharum extra territorium patriarchale, ut vitetur « permixtio Ordinariorum in eodem territorio; si autem huiusmodi hierarcha constituatur, sit oportet omnino sui iuris, Sanctae Sedi immediate subiectus » (1471). Praeterea, dicit Pater sub n. 1466, « praxis pastoralis, etiam apud Ecclesias orientales, in regionibus occiden-

[31] talibus valde differt a praxi in Oriente... Bonum animarum Ecclesiae orientalis in Occidente ab iis qui degunt in Oriente difficile promovetur. Aggregatio proposita proponit actionem in distans ».

R. — Modus contradicit textui iam approbato. Ceteroquin, non agitur nec de iurisdictione proprie dicta, sed de aliquo nexu, a iure determinando, inter huiusmodi hierarchas et Ecclesiam matrem seu ritum originalem.

119 — 1 Pater eundem effectum obtinet proponendo ut omittantur tantum verba: « etiam extra fines territorii patriarchalis ».

R. — Nulla difficultas habetur, si hierarcha constituitur intra fines territorii patriarchalis. Textus Schematis aliud quid respicit.

AD NUMERUM 8

Textus: « Patriarchae Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta ».

120 — 22 Patres *novam redactionem* proponunt huius numeri, quem, alia ex parte, postponunt alio numero de iuribus patriarcharum: « *Ceterum omnes Patriarchae qua tales excepto Romano Pontifice,* licet alii aliis sint tempore posteriores, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, *salvis privilegiis singulis propriis* ».

[32] R. — Post votationem Commissionis super totum caput, opportunum erit ut revideatur ordo paragraphorum, quia in n. 7 agitur de iuribus Patriarcharum, et in n. 9 de iisdem iuribus denuo tractatur, dum n. 8 stat in medio. Ceteroquin, nova redactio non convenit perspectivae nostri Schematis quod de Patriarchis praesertim orientalibus loquitur.

121 — *De aequalitate Patriarcharum,* 1 Pater petit ut « omnes Patriarchae, *sine ulla omnino distinctione,* aequo honore aestimentur ».

R. — Hoc convenire videtur cum textu Schematis, nisi intendat ille Pater supprimere etiam ius praecedentiae, id quod contradiceret textui approbato.

122 — *Praecedentiam tribui Patriarchis ante Cardinales* petunt 3 Patres: « Patriarchae habeant praecedentiam an-

te Cardinales post Papam ». Ex his, duo (1438, 1424) pressius determinant sic dicendo: « Patriarchae Antiochiae, Constantinopolis et Alexandriae habeant praecedentiam ... », dum modus sub n. 1480 loquitur de Patriarchis in genere, pro quibus petit praecedentiam ante Cardinales « dans les sessions ou réunions œcuméniques de toute l'Eglise ». [32]

R. — Res relinquitur Romano Pontifici.

123 — *Dignitatem patriarchalem aequiparari dignitati cardinalitiae* volunt 3 Patres, his formulis: « Patriarchae aequiparentur in dignitate et honore Cardinalibus Ecclesiae Romanae » (1362); vel addatur in n. 9, post verba « singulari honore »: « S. R. E. Cardinalibus aequiparato »; vel ad finem n. 9: « In specie censet dignitatem Patriarcharum aequiparandam esse dignitati Cardinalium ».

R. — Res relinquitur Romano Pontifici.

124 — *Patriarchas constituere in Sacro Collegio primum et specialem ordinem Cardinalium Patriarcharum* petunt 2 Patres his formulis: « Optandum est ut, si ita Summo Pontifici placeat, instituatur ordo Cardinalium Patriarcharum qui sit primus in Purpuratorum Patrum coetu ... Hoc non valet de Archiepiscopis » (1357); vel: « Patriarchae Orientales polleant etiam dignitate cardinalitia atque efforment in Sacro Collegio " Ordinem Cardinalium Patriarcharum " cum et sub Patriarcha Occidentis Summo Pontifice ».

125 — A 2 Patribus proponitur, *ut Patriarchae sint Cardinales et quidem Cardinales Episcopi.* [33]

R. — Res relinquitur Romano Pontifici.

126 — *Ius eligendi Romanum Pontificem* maioribus Patriarchis tribui vult 1 Pater (1417), hac formula: « Maximi Patriarchae ius Summum Pontificem eligendi obiective et subiective habeant ». Idem pro omnibus Patriarchis proponunt 2 Patres (1325, 1461) dicendo: « Sint membra Conclavis ».

R. — Res relinquitur Romano Pontifici.

127 — A 4 Patribus proponitur, ut « *Patriarchae ipso iure sint membra Senatus Ecclesiae a Summo Pontifice instituendi* ».

R. — Res relinquitur Romano Pontifici.

[33] AD NUMERUM 9/A

Textus: « Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium Patriarchae, quippe qui suo quisque patriarchatui tamquam pater et caput praesint ».

128 — 2 Patres proponunt hanc emendationem: « quippe qui in sedibus *apostolica origine* (sic!) suo Patriarchatui praesint *tamquam signum unitatis. Ideo servanda est consuetudo Synodi Patriarchalis* ».

R. — Indoles apostolicitatis et institutio patriarchalis sunt res distinctae. Mentio synodi iam fit sub n. 9/D, quando sermo est de exercitio potestatis patriarchalis.

AD NUMERUM 9/B

Textus: « Ideo statuit haec Sancta Synodus ut eorum iura atque privilegia quamprimum restituantur, iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et synodorum oecumenicorum decreta ».

129 — 22 Patres sequentem modum proponunt: « Statuit ergo haec S. Synodus, ut, ubi haec iura decursu temporum obsoleta vel restricta sint, quam primum restituantur ... ».

[34] R. — Hic modus idem affirmat, sed hypothetice. Revera haec iura ubique restricta sunt. Hypothesis non videtur necessaria.

130 — 1 Pater proponit sequentem textum: « Statuit S. Synodus ut iura Patriarchatuum ubi decursu temporum restricta sunt, restituantur » (omisso « quamprimum »).

R. — Dictio « patriarchatuum » minus exacta videtur; de « quamprimum » provisum per emendatum textum.

131 — 3 Patres proponunt ut paragraphus sic concludatur:

« Iuxta *antiqua* uniuscuiusque Ecclesiae (omittitur vox: « traditiones ») et synodorum oecumenicarum decreta ».

R. — Textus schematis videtur melior, in quantum distinguit inter ius consuetudinarium et canones synodorum.

132 — 1 Pater proponit ut, loco « haec autem iura et privilegia ... restituantur », dicatur:

« Haec *enim* iura et privilegia ... *redintegrentur* ... ».

Ratio: 1) Dicitur « enim » quia videtur dari ratio, cur restituenda sint iura ac privilegia, 2) melius « redintegrentur », ne videatur argui S. Sedes de furto ». [34]

R. — Adiunctio verbi « enim » non est ad rem, quia auctor modi confundit duas ultimas phrases. Verbum « redintegrentur » significat: « restaurare in integrum », ideo idem dicit. Provisum per dictionem: « instaurentur ».

133 — 4 Patres sunt *contra restitutionem iurium patriarchalium,* quia, dicit Pater sub n. 1483: « Concilium non potest ullum limitem imponere potestati Romani Pontificis », vel quia, dicunt Patres sub nn. 1490 et 1493, per huiusmodi verba, « reverentia erga Sanctam Sedem minus servatur; ista verba fere supponunt haec omnia quasi iniuste ablata fuisse ». Ideo proponit Pater sub n. 1479, ut maneat textus prior, sc. dicatur: « ut eorum iura atque privilegia *salva maneant* », nec dicatur: « quamprimum restituantur ».

R. — In aliqua restitutione disciplinae ecclesiasticae, v. g. in restitutione diaconatus vel iurium episcoporum etc. ..., nulla fit iniuria competenti auctoritati ecclesiasticae. Ceteroquin, ipse Summus Pontifex *cum* Concilio decernit. Verba « salva maneant » non satis exprimunt reformationem seu restaurationem iurium patriarcharum, quam Concilium intendit.

134 — 1 Pater proponit, ut adiungatur in fine huius paragraphi: « *et Patriarchae in suis sedibus habitualiter resideant* ». [35]

R. — Modus non est clarus. Residentia est certe obligatio pro omnibus Hierarchis.

AD NUMERUM 9/C

Textus: « Haec autem iura et privilegia sunt illa quae in unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando aptanda sint, minime vero minuenda ».

135 — In nova redactione totius capitis quam obtulerunt 22 Patres sequens modus proponitur, quem amplexus est etiam Pater, qui obtulit modum n. 1474:

« quamprimum restituantur, *et quidem uti viguerunt toto millenario unionis Orientis et Occidentis,*

[35] etsi ad nostra tempora sint aliqualiter aptanda » (omittitur: « minime vero minuenda »).

R. — « Millenarium unionis » non valet historice de omnibus Ecclesiis. Melius dicitur: « *tempore unionis* ... ». Expressio « minime vero minuenda » sapit aliquam suspicionem, igitur delenda videtur, eo magis quod continetur in verbo « restituantur ».

136 — 2 Patres alium modum proposuerunt:

« ... restituantur (omisso verbo " quamprimum ") *ad pristinam formam* primi millenarii ». Ratio autem est, dicunt illi Patres, quod « secus unio est impossibilis ».

R. — Provisum.

137 — 1 Pater *novam redactionem* proponit:

« Ut eorum iura atque privilegia, illa *nempe* quae in unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi *a suprema vel competenti auctoritate ecclesiastica* ad nostra tempora aliquando aptanda, iuxta antiquas uniuscuiusque Ecclesiae traditiones et synodorum oecumenicarum decreta *salva tectaque serventur* ».

R. — Obvium est aptationem iurium patriarchalium fieri non posse nisi a Suprema Auctoritate vel a competenti auctoritate. Alia expressio « salva tectaque serventur » non satis indicat ideam restaurationis.

138 — Positionem aliquantulum contrariam assumpserunt 4 Patres (sc. contra assertam necessitatem restaurandi
[36] iura patriarchatuum sicut tempore unionis viguerunt) simulque petierunt aliquod « aggiornamento » iurium patriarchalium:

Pater de quo in n. 1455 vult ut haec omnia remittantur Codici Iuris Canonici, « nam agitur de institutione mere ecclesiastica et melius convenientiae pastorales attendi possunt ».

Alius de quo in n. 1359 petit ut « recognoscatur doctrina de patriarchatu. Si patriarchatus est forma valida adhuc, cur non introducendus esset etiam in Ecclesiam occidentalem? Si vero est forma obsoleta, cur non supprimendus esset etiam in Ecclesiis orientalibus? ». Putat idem Pater patriarchatum aequiparari posse, nostris diebus, conferentiis episcopalibus et vice versa.

Alius de quo in n. 1355 putat quod « tanta Patriarcharum iura etiam super Episcopos videntur non bene

convenire cum Collegialitate Episcoporum... Ad quid ergo tot privilegia, si hodie necessaria amplius non sunt? [36]

Alius de quo in n. 1352 petit ut « *iura atque privilegia institutionis patriarchalis sint illa, quae conveniunt ordinationi Ecclesiae in nostris temporibus* ».

R. — Concilium non agit tantum de institutis iuris divini. Patriarchatus aequiparari non potest conferentiis episcopalibus, nec mere constituitur privilegiis, nec contradicit collegialitati episcoporum. Aliqua aptatio huius instituti ad nostra tempora iam in textu praevidetur.

139 — 3 Patres petunt *ut deleatur comma finale*: « *minime vero minuenda* ».

Rationes: *a*) quia est repetitio inutilis, cum asseratur, quod iura patriarchalia salva manere debent, *b*) est quasi suspicatio de animo sincero huius decreti vel Sanctae Sedis, *c*) portam omnino claudit ad futuram et possibilem diminutionem iurium et privilegiorum Patriarcharum a competenti auctoritate, si novae conditiones hoc petant, sc. necessitas aptationis ad tempora nostra.

R. — Iam provisum.

140 — Alii 6 Patres petunt, *ut tota haec paragraphus tollatur.* Sapit enim desiderium retinendi privilegia antiquata; Ecclesia non est « corpus mumificatum ». Reiciatur ergo emendatio et fiat reditus ad textum anteriorem Schematis.

R. — Hic modus contradicit votationi Concilii. Non agitur de conservando « corpore mumificato », sed de « instituto revivificando ». [37]

141 — 1 Pater econtra non approbat textum « *nisi emendatio p. 15 Relationis in textu inseratur* ».

R. — Emendatio est iam inserta.

AD NUMERUM 9/D

Textus: « Patriarchae, cum suis Synodis, superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non excluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus ubicumque

[37] hoc opportunum videbitur, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi ».

142 — 4 Patres volunt, ut deleatur tota haec paragraphus, uti excessiva.

R. — Hic modus contradicit votationi Concilii.

143 — 2 Patres volunt, ut haec quaestio remittatur ad benignitatem S. Sedis, quae « singula in concordia cum Patriarchatibus disponet ».

R. — Concilium ad hoc convocatur, ut tractet huiusmodi quaestiones maioris momenti pro vita Ecclesiae.

144 — 3 Patres loquuntur de concedenda Patriarchis cum eorum synodis *autonomia canonica*:

a) Primus Pater proponit haec verba vel similia: « Debent omnes Patriarchae Orientales iterum habere *iurisdictionem pastoralem autonomam in suos fideles, sine recursu ad Sedem Apostolicam. Sic erat per quasi mille annos antea* ».

b) Secundus Pater hoc proponit: « Dicatur restituenda esse unicuique patriarchatui non solum externa honoris signa, sed *autonomiam, salvo Primatu Summi Pontificis et iuxta antiquas traditiones. Nulla admittatur iurisdictio subtracta auctoritati Patriarchae et eius Synodi* ».

c) Tertius Pater proponit, ad modum definitionis, sequentem formulam: « *Patriarchae suaeque Synodo competit plena autonomia canonica et disciplinaris in suo territorio, et iurisdictio in omnes episcopos, metropolitis non exceptis, clerum et populum, salvo tamen primatu Romani Pontificis* ».

[38] R. — Expressio « autonomia canonica » ansam praebere potest falsis interpretationibus. Igitur vitanda videtur. Ceterum hi modi nil novi adiungunt textui Schematis.

145 — 1 Pater proponit *novam redactionem* totius paragraphi:

« Patriarchae, cum suis synodis, *salvis Romani Pontificis reservationibus,* superiorem constituunt instantiam pro negotiis (omittitur « quibusvis ») Patriarchatus, non secluso iure, *intra fines territorii patariarchalis,* novas eparchias constituendi atque episcopos sui ritus nominandi, *iuxta normas a suprema auctoritate ecclesiastica editas* ».

R. — Ius « interveniendi » sensum melius exprimere videtur quam ius « reservandi ». « Intra fines territorii patriarchalis » retinenda videtur, sed addi debet aliquid de huiusmodi iure *extra* fines territorii patriarchalis. Ultima phrasis superflua videtur. [38]

146 — 1 Pater proponit, ut loco « *iure constituendi* » dicatur « *negotio* constituendi », sed non dat rationem.

R. — Haec competentia est verum *ius,* non solum *negotium.*

147 — 1 Pater proponit, ut loco « *nominandi* » episcopos dicatur: « *Sanctae Sedi praesentandi episcopos nominandos* ».

Ratio: Quia nominatio episcoporum uni Sanctae Sedi reservatur.

R. — Hoc contradicit sanae disciplinae et historiae.

148 — 3 Patres proponunt, ut post verba « constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus, ubicumque hoc opportunum videbitur » addatur haec clausula: « *intra limites sui territorii sui ritus orientalis traditionalis* ».

Ratio est, quia auctoritas Patriarchae exerceri non potest nisi in suo territorio, et quia pluralitas iurisdictionis in eodem territorio est gradatim reducenda, non amplificanda.

R. — Provisum est in n. 9/D.

149 — 1 Pater petit, ut post verba « ubicumque hoc opportunum videbitur » addatur haec clausula: « *cum consensu Conferentiarum episcopalium localium quibus interest* ».

R. — Provisum dicendo: « de consensu Romani Pontificis ».

150 — 1 Pater petit, *ut tollantur verba* « *in casibus particularibus* ». [39]

R. — In textu non dicitur « in casibus particularibus », sed « in *singulis* casibus » (quod non est idem).

151 — 1 Pater petit, ut haec paragraphus « *concordetur cum iis, quae dicuntur de creatione novarum eparchiarum in Schemate de Regimine Episcoporum* ».

R. — Concordantia habetur in verbis « de consensu Romani Pontificis » (cf. Schema de pastorali munere episcoporum cap. II, n. 23/3, p. 38, linn. 38-39, ubi dicitur: « iudicio Apostolicae Sedis »).

152 — 1 Pater petit, *ut Patriarchatus mere titulares aboleantur.*

R. — Hoc non pertinet ad nostram Commissionem.

[39] AD NUMERUM 10 (De Archiepiscopis maioribus)

153 — 6 Patres petunt, ut deleatur hic numerus, quia, ait Pater quidam, « inutilis, immo nocivus pro unione Ecclesiae in Oriente » vel quia « Archiepiscopus maior non est patriarcha sic et simpliciter ».

R. — Contradicit textui probato.

154 — 22 Patres novam redactionem proponunt: « Quae de Patriarchis dicta sunt, valent etiam congrua congruis referendo (vel mutatis mutandis) pro Archiepiscopis maioribus, qui ... ».

R. — Admittitur vox « valent », quia melior quam « pertinent ». Loco aliarum expressionum dicatur « ad normam iuris» post verbum « etiam».

155 — 2 Patres quandam distinctionem faciendam censent inter iura Patriarcharum et Archiepiscoporum maiorum et proponunt ut dicatur: « Quae de Patriarchis sunt dicta, aliquo modo pertinent ... ».

R. — Expressio « aliquo modo » est nimis vaga nec satis decorosa.

156 — 1 Pater proponit definitionem Archiepiscopi maioris: « Nomine Archiepiscopi maioris venit Episcopus, qui universae cuidam Ecclesiae particulari non patriarchali praeest, cuique tribuuntur quaedam iura atque privilegia patriarcharum secundum antiquam uniuscuiusque
[40] Ecclesiae particularis traditionem servandam, necnon iuxta normas a Suprema Auctoritate ecclesiastica statutas exercendas ».

R. — Est potius descriptio, quae in iure dari non solet. Brevius dici potest substantia rei addendo textui « ad normam iuris ». Cf. supra.

AD NUMERUM 11

157 — 2 Patres proponunt aliquam veluti *introductionem doctrinalem circa ius condendi novos patriarchatus*:

« Pastoralium necessitatum causa Ecclesia potest novos patriarchatus aut novas regiones autonomas creare, eis auctoritatem tribuens edictandi proprium ius, quod nec episcoporum dioecesanorum praerogativis obstat nec Summi Pontificis. Propriae traditiones antiquorum pa-

triarchatuum non impediunt, quominus, novis rerum conditionibus attentis, sibi formam novam dent. Nec illi patriarchatus institutionis venerabilis recentibus Conferentiis Episcoporum ullo modo obstant vel nocent ». [40]

R. — Est potius expositio quam dispositio stricte dicta. Ergo non pertinet ad formam disciplinarem huius Decreti.

158 — 21 Patres proponunt redactionem P. Hoeck, quae sic sonat:

« Cum institutum patriarchale in *Ecclesia* (omissa voce « Orientalibus ») sit forma regiminis traditionalis *inde a primordiis Ecclesiae,* haec Sancta Synodus (omissa voce « et Oecumenica ») exoptat, ut *ubi* opus sit, novi patriarchatus erigantur, *et quidem non tantum in Ecclesiis Orientalibus, sed et in Ecclesia Latina, approbante utique* Oecumenica Synodo vel *Summo* Pontifice ».

R. — Modus non placuit Commissioni, quia in quibusdam implicat iudicium de historia, in aliis excedit ambitum schematis; acceptum fuit ut dicatur « ubi opus sit », loco « si opus sit ».

159 — 1 Pater postulat, ut post verba « novi erigantur patriarchatus » addatur: « *in Ecclesiis Orientalibus* ».

R. — Hoc per se patet, quia Decretum dirigitur tantum ad Ecclesias Orientales.

160-4 — 5 Patres desiderant, ut magis explicite tractetur de erectione novorum patriarchatuum. Ideo proponunt, ut loco verborum « si opus sit » substituatur haec locutio: [41]
« *erigantur patriarchatus in omnibus Ecclesiis Orientalibus, quae adhuc hanc institutionem non habent, et si eam indigeant ...* ».

R. — Est quaestio nimis particularis, quae exigit profundam inquisitionem adiunctorum sive personarum sive locorum sive temporum.

165 — 1 Pater explicite proponit, ut *Archiepiscopus maior Ucrainorum necnon Archiepiscopi Malabariorum et Malancarensium* dignitate patriarchali polleant.

R. — Commissio Praeparatoria votum simile iam submisit Summo Pontifici.

166 — 1 Pater optat, ut titulo « Patriarchae » insignentur *omnes Archiepiscopi Orientales* in nova quadam structura totius Ecclesiae, in qua hierarchia Orientalis cum Oc-

[41] cidentali aequiparetur. Simul Patriarchae Occidentales *titulares* aboleri debent.

R. — Spectat ad reformationem funditus novam totius organisationis ecclesiasticae, quae non pertinet ad nos.

167 — 7 Patres proponunt, ut in lin. 19, post verbum: « traditionalis », addantur haec verba: « *nec desit in Ecclesia Latina* ».

R. — Normas dare de Ecclesia Latina non pertinet ad nos.

168 — 1 Pater censet institutionem patriarchalem magis quam Collegium Cardinalium favere collegialitati Episcoporum. Ergo *mundus universus dividendus est in patriarchatus,* abstractione facta a ritu. Patriarchae senatum Romani Pontificis constituant et electores Papae fiant.

R. — Non pertinet ad nos, quia esset mutatio totius organisationis ecclesiasticae.

169 — 8 Patres sunt contra erectionem novorum patriarchatuum, quare proponunt, *ut n. 11 deleatur.*

R. — Modus contradicit textui iam approbato.

[42]

DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

(Suffragatio V: praesentes 2146; placet 1920; non placet 103; placet iuxta modum 118; suffr. nulla 5).

OBSERVATIONES GENERALES

170 — 7 Patres proponunt ut nn. 12-18 remittantur ad Directorium « De Oecumenismo »;

4 Patres desiderant ut nn. 12-17 remittantur ad competentiam Patriarcharum;

3 Patres cupiunt ut nn. 12-23 remittantur ad Patriarchas cum Synodo, vel ad Conferentias Episcopales.

R. — Commissioni visum fuit hos modos esse contra suffragationem Patrum.

AD NUMERUM 12 (De instauranda disciplina)

171 — 1 Pater proponit ut dicatur tantummodo: « Synodus confirmat » (pag. 7, lin. 24), reliqua omittendo.

R. — Debet servari textus, quia instauratio respicit ea quae non respondent antiquae disciplinae.

AD NUMERUM 13 (De Ministro S. Chrismatis) [42]

172 — 1 Pater petit ut dicatur pag. 7, lin. 29: « ordinarie fidelibus sui ritus ».

R. — Haec propositio videtur esse contra numerum 14.

173 — 2 Patres proponunt ut dicatur, in pag. 7, lin. 27, loco: « plene instauretur » hoc modo: « ubi viget, conservari potest ».

R. — Provisum in numero 12 schematis, ubi confirmatur et laudatur vetus disciplina Orientalium de sacramentis in genere.

AD NUMERUM 14 (idem)

174 — 1 Pater vult ut post verbum « separatim » (pag. 8, lin. 1), addatur: « in proprio territorio ».

R. — Haec additio potest gignere confusionem.

175 — 1 Pater vult ut restringatur facultas ad fideles proprii ritus. [43]

R. — Propositio non videtur conformis menti generali schematis.

176 — 2 Patres proponunt ut auferantur verba « sive una cum baptismo sive separatim ».

R. — Ratio apposita valet pro Latinis, non vero pro Orientalibus.

AD NUMERUM 15 (De Ss.ma Eucharistia)

177 — 5 Patres proponunt ut obligatio adimpletionis inde a vigilia extendantur ad ritum latinum.

R. — Hoc est extra ambitum competentiae Commissionis.

178 — 2 Patres dicunt: insistendum est in primis pro Missa, deinde pro Divinis Laudibus; dicatur proinde: « iuxta proprium ritum ».

R. — Admittitur, quia res fit clarior et magis conformis diversis ritibus.

179 — 3 Patres proponunt ut dicatur: « concedi potest ab Hierarcha loci », loco « conceditur ».

R. — Restrictio non videtur opportuna.

180 — 1 Pater proponit ut dicatur: « Assistentia laudibus tantummodo casu quo deest sacerdos celebrans ».

[43] R. — Propositio non videtur retinenda; si deest sacerdos, nulla adest obligatio.

181 — 3 Patres volunt ut deleatur possibilitas praeceptum adimplendi « inde a vigilia ».

R. — Modus est contra mentem schematis, quae est, ut facilior reddatur adimpletio obligationum christianarum.

182 — 2 Patres proponunt ut dicatur: « tempus utile pro hoc praecepto adimplendo decurrit inde a ... ».

R. — Admittitur, quia textus fit clarior.

[44] AD NUMERUM 16 (De Ministro S. Poenitentiae)

183 — 1 Pater proponit ut hic numerus remittatur ad Commissionem Codificationis.

R. — Est contra suffragium Patrum.

184 — 1 Pater proponit ut expungantur verba: « ... nisi Hierarcha loci, quoad loca sui ritus expresse renuerit », quia esset confusio: fideles enim nescirent plerumque mentem Hierarchae.

R. — Ratio non valet: sacerdoti pertinet noscere mentem Hierarchae.

AD NUMERUM 17 (De Diaconatu et Ordinibus minoribus)

185 — 1 Pater vult ut tollatur prima pars; alii duo desiderant ut auferatur secunda pars.

R. — Propositiones sunt contrariae suffragio Patrum.

186 — 2 Patres proponunt ut dicatur: « ... instaurari poterit, si competenti auctoritati expedire videatur »; hoc modo concordia haberetur cum Const. « De Ecclesia ».

R. — Provisum per verbum « exoptat » (pag. 8, lin. 22).

AD NUMERUM 18 (De matrimoniis mixtis)

187 — 26 Patres proponunt: « Conservetur textus primitivus; reiciatur emendatio, quae videtur damnosa indissolubilitati, sanctitati, necnon stabilitati familiae ».

188 — 1 Pater dicit: « Satis provisum est per facultatem dispensandi »; alius vult ut potestas sit delegabilis parochis; 1 vult ut inseratur in schemate legislatio MP « Crebrae allatae »; item alius dicit: nihil stabiliatur

antequam normae generales in materia promulgandae cognoscantur. [44]

R. — Omnes isti modi videntur contra probatam substantiam textus.

189 — 11 Patres proponunt ut supprimatur « Orientis » et dicatur: « catholici cuiusvis ritus », ita ut consuletur validitati matrimoniorum latinorum cum acatholicis orientalibus baptizatis.

R. — Propositio videtur extra ambitum schematis, quod agit de Orientalibus catholicis. [45]

190 — 4 Patres proponunt ut dicatur: « ... facultas conceditur dispensandi a forma, tantum ad liceitatem requisita »; 1 Pater dicit: « ... obligat tantum ad liceitatem, et quidem sub levi »; alius vult ut dicatur: « ... forma est tantum valde commendata ».

R. — Non videtur opportunum Commissioni similia affirmare.

191 — 1 Pater proponit ut dicatur loco « ministri sacri », « sacerdotis », ut tollatur ambiguitas.

R. — Non admittitur haec restrictio, et ut latius pateat possibilitas, pro necessitatibus diversarum Ecclesiarum.

192 — 2 Patres volunt ut addatur « in Oriente tantum », quia in Occidente sensus communis hac de re est alius.

R. — Non videtur opportunum, quia solos tangit Orientales.

193 — 1 Pater observat: non licet legem conficere non audita altera parte.

R. — Ecclesia facit quod in se est in bonum animarum sibi commissarum.

194 — 1 Pater assentit textui, dummodo emendatio in textu inseratur.

R. — Iam provisum, prout ad calcem Relationis, pag. 15.

195 — 1 Pater commendat ut caute procedatur quoad matrimonia mixta.

R. — Provisum in textu schematis.

Proponit commissio emendationem dictionis: « servatis aliis de ritu servandis » in aliam « servatis aliis de *iure* servandis ». Quia hoc modo melius videtur provisum et aliis requisitis ad validitatem matrimoniorum.

[46]

DE CULTU DIVINO

(Suffragatio VI: praesentes 2157; placet 2104; non placet 22; placet iuxta modum 27; suffr. nulla 4)

AD NUMERUM 19 (De temporibus sacris)

196 — 1 Pater dicit: supprimatur « Orientalibus », vel mutetur « particularibus ».

R. — Provisum in textu emendato.

197 — 2 Patres proponunt ut dicatur « Ecclesia universalis ».

R. — Non videtur necessarium.

198 — 1 Pater proponit ut deleatur « Praeter Apostolicam Sedem »; agitur enim de re minoris momenti.

R. — Provisum in textu, ubi nullimodo limitatur potestas inferioris.

AD NUMERUM 20 (De celebratione Paschatis)

199 — 1 Pater proponit ut numerus amplectetur totam Ecclesiam.

2 Patres volunt ut extendatur haec ordinatio ad dies festos et ieiunii.

R. — In praxi difficilius obtineri potest uniformitas. Et haec provisio est tantummodo ad tempus.

200 — 1 Pater proponit ut excludatur possibilitas intromissionis auctoritatis civilis.

R. — Admittitur, addendo post « Auctoritatibus » (lin. 11) verbum « *ecclesiasticis* ».

201 — 1 Pater dicit: « non placet hic numerus ».

R. — Contrarium voto Patrum Concilii; ipse non affert ullam rationem, et pro Oriente est res magni momenti.

202 — 1 Pater vult ut Pascha celebretur eadem die cum Latinis, saltem ad tempus.

R. — Est extra ambitum schematis, et in hodierno statu rerum res omnino difficilis.

[47] 203 — 1 Pater proponit ut addatur in fine huius numeri, post verbum « conveniant », hoc: « actis ab Apostolica Sede approbatis ».

R. — Non placet ob rationem oecumenicam et practicam, cum agatur de pertractationibus etiam cum fratribus seiunctis; ex parte catholica est res prudentiae certiorare Auctoritatem superiorem. [47]

AD NUMERUM 23 (De usu linguarum vern.)

204 — 1 Pater vult ut addatur: « ad Conferentiam episcopalem cuiusque ritus ».
R. — Provisum in textu.
205 — 1 Pater timet quamdam confusionem, cum dicatur « vel supremae cuiusque Ecclesiae auctoritatem ».
R. — Quia dicitur « Ecclesiae », nulla timenda est confusio.
206 — 1 Pater proponit ut addatur post « nec non » (lin. 26) hoc: « facta relatione ad Sedem Apostolicam probandi ».
R. — Admittitur, ne diversae fiant versiones eiusdem linguae.

DE CONVERSATIONE ECCLESIASTICA CUM FRATRIBUS SEIUNCTIS

(Suffragatio VII: praesentes 2154; placet 1841; non placet 111; placet iuxta modum 195; suffr. nulla 7)

AD TITULUM ARTICULI

207 — 49 Patres petierunt ut titulus sic immutetur: « *De conversatione cum fratribus Ecclesiarum Orientalium seiunctarum* ».
R. — Placet, utpote magis clarus atque materiae tractatae apprime aptus, et etiam propter rationem oecumenicam.
208 — 2 Patres desiderant ut dicatur: « De conversatione cum Ecclesiis orthodoxis ».
R. — Provisum per emendationem priorem.

AD NUMERUM 24 (De unitatis ecclesiasticae studio) [48]

209 — 1 Pater simpliciter petit, ut numerus deleatur, ullam rationem adducendo.
R. — Est contra votum PP. Conciliarium.
210 — 19 Patres sequentem proponunt emendationem: « Ad Ecclesias Orientales, communionem cum Sede Apostolica

[48] lica Romana habentes, peculiare pertinet munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi, precibus imprimis assiduis, tam publicis quam privatis, *ad Matrem Dei Mariam fiducialiter invocando,* vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione *tum per studia rerum orientalium acquisita tum per contactus personales, apostolatum unionis variis modis, praesertim per associationes catholicas promovendo, in omnibus mutuum auxilium ac fraterna rerum animorumque aestimatio vigeat* ».

R. — Provisum in decreto « De Oecumenismo », et providebitur infra (cf. n. 213).

211 — 2 Patres cupiunt delere verbum « peculiare » (pag. 9, lin. 29), nulla valida ratione adducta.

R. — Manet dictio, quia non habet sensum exclusivum, ut patet ex textu.

212 — 6 Patres proponunt hanc emendationem: « ... peculiare pertinet munus unitatem orientalium fovendi ».

R. — Non expedit limitare hoc munus ad solos Orientales, sed extendi ad omnes christianos ad magis affirmandam universalitatem Ecclesiae catholicae.

213 — 19 Patres exoptant ut post verbum « fovendi » (pag. 24, lin. 31) addatur: « *iuxta principia decreti huius S. Synodi de Oecumenismo* », precibus ... etc.

R. — Omnibus attente perpensis, placet additio, qua etiam aliis PP. fit satis.

AD NUMERUM 25

214 — 46 Patres desiderant ut numerus 25 deleatur, quia « hic non est locus loquendi de reunione singulorum et ne proselytismum fovere videamur ».

[49] R. — Numerus a PP. Concilii praescripta maioritate probatus est. Non agitur de proselytismo, sed ut satis fiat conscientiis singulorum.

215 — 18 Patres proponunt sequentem emendationem: « Ab Orientalibus *seiunctis,* in unitatem catholicam *sub influxu gratiae Spiritus Sancti* convenientibus, ne plus exigatur quam quod simplex fidei catholicae professio exigit ».

R. — Placet emendatio proposita. [49]
216 — 2 Patres petunt ut verbum « simplex » supprimatur, quia interpretari possit de quadam professione « compendiosa ».
R. — Precise in intentione Commissionis est, ne sit compendiosa, sed brevis, etsi sufficiens et singulis accommodata.
217 — 4 Patres proponunt, ut loco « facultas sit » (pag. 10, lin. 4) dicatur: « detur a suo hierarcha facultas proprium Ordinem exercendi ... ».
R. — Provisum in eodem numero per dictionem: « iuxta normas a competenti Auctoritate statutas ».

AD NUMEROS 26-29 (De communicatione in sacris)

218 — Antequam respondeatur ad singulos « modos » propositos, in genere de quibusdam animadversionibus Patrum sequentia notare iuvat.

Nemo est qui non videat maximum momentum pastorale et oecumenicum communicationis in sacris. Inde peculiaris cura Patrum de hac materia. Animadversiones eorum dividi possunt in tres classes, quarum una peccat per defectum, altera per excessum, et ultima viam mediam selegit, emendationes concretas proponendo.

Per defectum peccare videntur qui proponunt restrictionem disciplinae de comm. in sacris hucusque vigentem, et quidem aliqui eam limitatam volunt ad territoria et regiones orientales, alii petunt ne detur facultas catholicis petendi Sacramenta a ministris schismaticis, aliqui denique volunt eam limitare ad identicum ritum et tandem aliqui censent disciplinam in schemate propositam nimis laxam esse. - Ad hanc classim modi 8 Patrum pertinent.

Per excessum peccare videntur duo Patres, quatenus propendunt pro omnimoda libertate, sine ulla limitatione.

R. — Evidens est, huiusmodi propositiones admitti non possunt. Ratio patet. Viam mediam emendationis textus secuti sunt sequentes Patres, et quidem: [50]

[50] AD NUMERUM 26

219 — 46 Patres proponunt emendationem primae partis hunc in modum:

« Quamvis doctrina catholica teneat " communicationem in sacris ", quae dicitur, lege divina prohiberi, si formalem errori adhaesionem vel periculum aberrationis in fide, scandali et indifferentismi includit, tamen praxis pastoralis demonstrat ... » etc. (inde a lin. 10, pag. 10).

220 — 46 Patres alii desiderant ut integer numerus 26 sic mutetur:

« Praxis pastoralis demonstrat " communicationem in sacris " cum Orientalibus seiunctis saepe pericula aberrationis in fide, indifferentismi et scandali non includere, immo etiam varia considerari posse adiuncta in quibus quamdam communicationem necessitas salutis et bonum spirituale animarum commendat. Itaque, donec perveniatur inter Ecclesias ad optatam conventionem de ratione agendi in his rebus, Sancta Synodus « ne impedimento ... » (ut in schemate). Quia textus impressus aliqua mente oecumenica caret.

221 — 23 Patres proponunt ut *omittantur prima tria verba* (Doctrina catholica tenet), ceteris omnibus servatis prout in schemate. His adnumerandi sunt praecedentes 46 Patres, qui sic dicunt: « Si textus non modificetur sicut propositum, saltem tria prima verba omittantur et sic legatur: « Communicatio in sacris ... » (prouti in schemate).

R. — Huic propositioni, quae 69 Patribus satisfacit, Commissio libenter adhaeret. Ne videantur opponi: doctrina et praxis pastoralis.

222 — 1 Pater proponit ut loco « extrema necessitas salutis » dicatur « magna utilitas » (pag. 10, lin. 13).

R. — Auferendo dictionem « *extrema* », provisum videtur difficultati.

123 — 1 Pater proponit ut expungantur verba « et testimonium caritatis inter christianos », et linea 15-16 sic legatur: « rationem agendi, salutis media omnibus praebens ... ».

[51] R. — Non placet, quia textus non dicit mitiorem disciplinam

esse instrumentum, ut Pater intellexit, sed testimonium caritatis. [51]

224 — 44 Patres desiderant ut loco « inter christianos » (pag. 10, lin. 20), dicatur: « *cum Ecclesiis seiunctis* ».

R. — Placet emendatio, propter rationem oecumenicam.

225 — 1 Pater proponit ut post verba: « sequentem agendi rationem » addantur haec: « in regione vel territorio orientali » (pag. 10, lin. 20).

R. — Non placet limitatio, quia praeiudicialis illis communitatibus orientalibus, quae in aliquo territorio propriam hierarchiam constitutam non habent. De abusibus provisum in n. 29.

226 — Subcommissio, consideratis votis Patrum, ut caput hoc magis spiritu oecumenico, in conformitate cum decreto « de Oecumenismo », imbuatur, proponit ut in lin. 7 deleatur dictio: « *cum fratribus a nobis seiunctis* », et simpliciter dicatur: « Communicatio in sacris, quae ... ».

AD NUMERUM 27

227 — 19 Patres petunt ut loco « separati » dicatur « seiuncti » (lin. 21), maioris claritatis causa, ut dicunt.

R. — Emendatio iam fuit accepta. Cf. Relatio, pag. 16.

228 — 47 Patres desiderant ut loco « in quorum confessione » (lin. 25) dicatur: « in quorum *Ecclesia* », propter rationem oecumenicam.

R. — Placet emendatio propter eandem rationem.

229 — Patres proponunt ut statim post verba « si sponte » (lin. 22), statim addatur: « et cum permissu propriae Ecclesiae id petant ... ».

R. — Aliquo modo provisum sub numero 29 emendato, in quo alii quamplurimi simile quid petierunt.

230 — 15 Patres desiderant ut deleantur verba « aut vera spiritualis utilitas » (lin. 26).

R. — Commissio hanc quaestionem profunde examinavit pluribus vicibus, et propositiones reiecit. Aliunde, alii Patres ampliores adhuc facultates dare cupiunt. [52]

231 — 25 Patres postulant ut deleantur verba « vel moraliter » (lin. 27), quia perdifficile est iudicare de morali impossibilitate adeundi sacerdotem catholicum.

[52] R. — Non placet, ob eandem rationem ac supra. Sunt etiam Patres, qui facultatem extendere volunt.

232 — 1 Pater vult ut loco « Orientalibus » (lin. 21) dicatur « baptizatis », ut possint includi etiam protestantes in Oriente degentes.

R. — Schema limitatur ad Orientales, ne confusio et ulteriores difficultates exsurgant in hac gravi materia; de aliis modo peculiari providendum erit. Hanc distinctionem et considerationem decretum « De Oecumenismo » supponit (pag. 20, linn. 36-40, et pag. 24, linn. 11-18).

233 — Quidam Patres proponunt ut omnia Sacramenta, Ordine excepto, secundum disciplinam propositam conferri possint.

R. — De baptismo lege generali iam provisum; de matrimoniis tractat nostrum schema (n. 18); Ordo excluditur ab ipsis proponentibus; quod spectat Confirmationem, non agitur de necessitate salutis.

AD NUMERUM 28

234 — 1 Pater petit ut numerus hic simpliciter deleatur, quia, ut dicit ipse, « deest ratio sufficiens ».

R. — Propositio contraria est suffragio PP. Conciliarium.

235 — 3 Patres ancipites haerent circa hunc numerum, quia ex tali communicatione seu participatione oriri possent anxietates, indifferentismus, et perplurima dubia.

R. — Provisum per dispositiones numeri 29. Proinde standum est pro textu, qui utilis videtur Orientalibus.

AD NUMERUM 29

236 — 66 Patres proponunt, ut in lin. 32 loco « cum fratribus separatis orientalibus » dicatur: « cum fratribus Ecclesiarum Orientalium seiunctarum ».

[53] R. — Admittitur, prout etiam supra admissum est quoad titulum.

237 — 1 Pater proponit, ut in lin. 33, post verba: « Hierarcharum locorum », addatur: « gravata eorum conscientia ».

R. — Additio videtur superflua, quia gravitas negotii patet.

238 — 1 Pater proponit, ut post verba « collatis inter se consiliis », addatur: « consentientibus », ad uniformitatem actionis pastoralis. [53]

R. — Unanimitas actionis pastoralis in materia est in intentione et dispositione schematis de conferendis consiliis, sed non imponitur, ne praepediantur bona singularum communitatum, ob defectum unanimitatis, quae saepe difficulter obtineatur.

239 — Cum 46 Patres (cf. modum 220) et alii 47 (cf. modum 229) desiderant ut quaedam concordantia habeatur cum Hierarchis Ecclesiarum seiunctarum in hac materia, et quidem ob rationem oecumenicam, 2 Patribus id ad verbum petentibus, Commissio consentit, ut in n. 29, lin. 34, post verbum « collatis inter se consiliis » dicatur: « et, si casus ferat, auditis etiam Hierarchis Ecclesiarum seiunctarum, opportunis ... » (pag. 10).

N. B.: *Ut clarius et melius pateat sensus modorum a Commissione admissorum, hi directe in textum emendatum introducti sunt, litteris MAIUSCULIS adnotati. Expensio modorum proinde ex hoc textu emendato eruitur.*

[55]

3 – TEXTUS EMENDATUS

Schema Decreti
« DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS *CATHOLICIS* »

Textus propositus *

1. [*Prooemium*]. Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica *magni facit.* In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea *quae ab Apostolis et ea quae a Patribus* est traditio,[1] quaeque partem constituit divinitus traditi atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium, quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus id spectans ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant, praeter ea, quae ad universam spectant Ecclesiam, capita quaedam statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis.

Textus emendatus **

1. [*Prooemium*]. Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus LITURGICOS, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica magni facit. In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae ab Apostolis PER PATRES est traditio,[1] quaeque partem constituit divinitus REVELATI atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium, quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus CUPIENS ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant, praeter ea quae ad universam spectant Ecclesiam, capita quaedam statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis.

---

* Textus in Aula propositus die 15 oct. a. c.; litteris s. d. *cursivis* notantur textus iam ante hanc diem a Commissione admissi in textu priori, et suffragationi Patrum propositi.

** Litteris s. d. MAIUSCULIS notantur « modi » in textum emendatum introducti post examen modorum peractum.

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS *SEU RITIBUS* [55]

Textus propositus

2. Sancta et catholica Ecclesia, quae est corpus Christi Mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. *Inter eas mirabilis communio viget, ita ut va*rietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declarat; Ecclesiae enim catholicae hoc propositum est, ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque particularis Ecclesiae traditiones, eademque pariter vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.[2]

3. Huiusmodi particulares Ecclesiae, *tum Orientis tum Occidentis,* licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit. Eaedem proinde pari pollent dignitate ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, etiam quod attinet *ad Evangelium praedicandum in universum mundum* (cf. *Mc.* 16, 15), sub moderamine Romani Pontificis.

4. Provideatur igitur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Eccle-

Textus emendatus

2. Sancta et catholica Ecclesia, quae est corpus Christi Mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescen- [56]
tes, particulares Ecclesias SEU RITUS constituunt. Inter eas mirabilis viget communio, ita ut varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declarat; Ecclesiae enim catholicae hoc propositum est, ut salvae et integrae maneant uniuscuiusque particularis Ecclesiae SEU RITUS traditiones, eademque pariter vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.[2]

3. Huiusmodi particulares Ecclesiae, tum Orientis tum Occidentis, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit. Eaedem proinde pari pollent dignitate ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, etiam quod attinet ad Evangelium praedicandum in universum mundum (cf. *Mc.* 16, 15), sub moderamine Romani Pontificis.

4. Provideatur igitur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Eccle-

[56] *Textus propositus*

siarum particularium, ac propterea constituantur paroeciae atque propria hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium; Hierarchae vero variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis conferentiis, unitatem actionis fovere, et viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.[3]

[57]

Omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent.[4]

Textus emendatus

siarum particularium ac propterea constituantur paroeciae atque propria hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium. Hierarchae vero variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis CONVENTIBUS, unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.[3] CLERICI OMNES ET ASCENDENTES AD ORDINES SACROS BENE INSTRUANTUR DE RITIBUS ET PRAESERTIM DE NORMIS PRACTICIS IN MATERIIS INTERRITUALIBUS, IMO ET LAICI IN INSTITUTIONE CATECHETICA DE RITIBUS EORUMQUE NORMIS DOCEANTUR. Omnes denique et singuli CATHOLICI, necnon baptizati CUIUSVIS ECCLESIAE VEL COMMUNITATIS ACATHOLICAE AD PLENITUDINEM COMMUNIONIS CATHOLICAE convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent;[4] salvo iure recurrendi ad Sedem Apostolicam in casibus PECULIARIBUS PERSONARUM, COMMUNITATUM, VEL REGIONUM, QUAE, UTI SUPREMA RELATIONUM INTERECCLESIALIUM ARBITRA, PROVIDEBIT NECESSITATIBUS IN SPIRITU OECUMENICO, IPSA VEL PER ALIAS AUCTORITATES, DATIS OPPORTUNIS NORMIS, DECRETIS VEL RESCRIPTIS.

DE SPIRITUALI ECCLESIARUM ORIENTALIUM PATRIMONIO SERVANDO [57]

Textus propositus

5. Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint.[5] Quapropter Sancta Synodus patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale non solum aestimatione debita et iusta laude prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae firmiter considerat. Quamobrem sollemniter declarat, Ecclesias *Orientis sicut et Occidentis* iure pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote qua veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur.

6. Sciant ac pro certo habeant omnes Orientales, se suos legitimos ritus liturgicos suamque disciplinam semper servare posse et debere, ac nonnisi ratione proprii et *organici* progressus mutationes inducendas esse. Haec omnia, igitur, maxima fidelitate ab ipsis Orientalibus observanda sunt; qui quidem harum rerum cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere debent, et si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint, ad avitas traditiones redire satagant. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii frequens cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus habeant commercium, in cognitione *et cultu*

Textus emendatus

5. Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint.[5] Quapropter Sancta Synodus patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale non solum aestimatione debita et iusta laude prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae firmiter considerat. Quamobrem sollemniter declarat, Ecclesias ORIENTIS SICUT ET OCCIDENTIS iure pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur.

6. Sciant ac pro certo habeant omnes
Orientales, se suos legitimos ritus litur-
gicos suamque disciplinam semper ser- [58]
vare posse et debere, ac nonnisi ratione proprii et ORGANICI progressus mutationes inducendas esse. Haec omnia, igitur, maxima fidelitate ab ipsis Orientalibus observanda sunt; qui quidem harum rerum cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere debent, et si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint, ad avitas traditiones redire satagant. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii frequens cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus habeant commercium, in cognitione ET CULTU

[58]

Textus propositus

rituum disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis Orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, *instituantur.*[6] Religionibus vero et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur, ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, constituant.[7]

Textus emendatus

rituum, disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis Orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, instituantur.[6] Religionibus vero et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur, ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, constituant.[7]

DE PATRIARCHIS ORIENTALIBUS

Textus propositus

7. Ab antiquissimis temporibus *in Ecclesia* viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis Oecumenicis agnita.[8]

Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, cui canones tribuunt iurisdictionem in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus, ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis exercendam.[9]

Ubique Hierarchia alicuius ritus constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus etiam extra fines territorii patriarchalis.

Textus emendatus

7. Ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis Oecumenicis agnita.[8]

Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, cui COMPETIT iurisdictio in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum PROPRII territorii vel ritus, ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis.[9]

UBICUMQUE Hierarcha alicuius ritus EXTRA FINES TERRITORII PATRIARCHALIS constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus AD NORMAM IURIS.

[59]

Textus propositus

8. Patriarchae Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.[10]

9. Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium patriar-

Textus emendatus

8. Patriarchae Ecclesiarum Orientalium licet alii aliis tempore posteriores, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.[10]

9. Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium patriar-

[59]

Textus propositus

chae, quippe qui suo quisque patriarchatui, tamquam pater et caput praesint.

Ideo statuit haec Sancta Synodus, ut eorum iura atque privilegia *quamprimum restituantur,* iuxta antiquas traditiones *uniuscuiusque Ecclesiae* et Synodorum Oecumenicarum decreta.[11]

Haec autem iura et privilegia sunt illa quae in unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquantum aptanda sint, minime vero minuenda.

Patriarchae cum suis synodis superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus ubicumque hoc opportunum videbitur, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi.

10. Quae de Patriarchis sunt dicta, pertinent etiam ad Archiepiscopos maiores, qui universae cuidam Ecclesiae particulari seu ritui praesunt.[12]

11. Cum institutum patriarchale in Ecclesiis Orientalibus sit forma regiminis traditionalis, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat ut, si opus sit, novi erigantur patriarchatus, quorum constitutio Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur.[13]

Textus emendatus

chae, quippe qui suo quisque patriarchatui tamquam pater et caput praesint.

Ideo statuit haec Sancta Synodus, ut eorum iura atque privilegia INSTAURENTUR, iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et Synodorum Oecumenicarum decreta.[11]

Haec autem iura et privilegia sunt illa, quae TEMPORE UNIONIS Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad HODIERNAS CONDITIONES aliquantum aptanda sint.

Patriarchae cum suis synodis superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus INTRA FINES TERRITORII PATRIARCHALIS, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi.

10. Quae de Patriarchis sunt dicta, VALENT etiam, AD NORMAM IURIS, de Archiepiscopis maioribus, qui universae cuidam Ecclesiae particulari seu ritui praesunt.[12]

11. Cum institutum patriarchale in Ecclesiis Orientalibus sit forma regiminis traditionalis, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat ut, UBI opus sit, novi erigantur patriarchatus, quorum constitutio Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur.[13]

[60]

DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Textus propositus

12. Veterem disciplinam de sacramentis apud Orientales Ecclesias vigentem, itemque praxim quae ad eorum celebrationem et ministrationem spectant, Sancta Oecumenica Synodus confirmat et laudat, et si casus ferat, exoptat ut eadem instauretur.

13. [*De Ministro S. Chrismatis*]. Disciplina de ministro S. Chrismatis inde ab antiquissimis temporibus apud Orientales vigens plene instauretur. Idcirco presbyteri hoc sacramentum conferre valent, adhibito Chrismate a patriarcha vel episcopo benedicto.[14]

14. Presbyteri omnes orientales hoc sacramentum, sive una cum Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris tum communis tum particularis.[15] Presbyteri quoque latini ritus, secundum facultates quibus gaudent circa ministrationem huius sacramenti, valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum Orientalium ministrare, sine praeiudicio ritui, servatis quoad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis.[16]

15. [*De SS.ma Eucharistia*]. Iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, fideles obligatione tenentur diebus Dominicis et festis Divinae Liturgiae aut celebrationi Divinarum Laudum interes-

Textus emendatus

12. Veterem disciplinam de sacramentis apud Orientales Ecclesias vigentem, itemque praxim quae ad eorum celebrationem et ministrationem spectant, Sancta Oecumenica Synodus confirmat et laudat, et, si casus ferat, exoptat ut eadem instauretur.

13. [*De Ministro S. Chrismatis*]. Disciplina de ministro S. Chrismatis inde ab antiquissimis temporibus apud Orientales vigens plene instauretur. Idcirco presbyteri hoc sacramentum conferre valent, adhibito Chrismate a patriarcha vel episcopo benedicto.[14]

14. Presbyteri omnes orientales hoc sacramentum, sive una cum Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris tum communis tum particularis.[15] Presbyteri quoque latini ritus, secundum facultates quibus gaudent circa ministrationem huius sacramenti, valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum Orientalium ministrare, sine praeiudicio ritui, servatis quoad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis.[16]

15. [*De SS.ma Eucharistia*]. FIDELES OBLIGATIONE TENENTUR DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS INTERESSE DIVINAE LITURGIAE AUT, IUXTA PRAESCRIPTA VEL CONSUE-

Textus propositus

se.[17] Quo facilius hanc obligationem adimplere valeant, eisdem conceditur hoc praeceptum implere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi.[18] Enixe commendatur fidelibus, ut his diebus, immo frequentius ac vel etiam quotidie, Sacram Eucharistiam suscipiant.[19]

16. [*De Ministro S. Poenitentiae*]. Ob quotidianam permixtionem fidelium diversarum particularium Ecclesiarum in eadem regione vel territorio orientali, facultas presbyterorum cuiuscumque ritus excipiendi confessiones, a propriis hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium extenditur concedentis necnon ad loca et fideles cuiuscumque ritus in eodem territorio, nisi hierarcha loci, quoad loca sui ritus, expresse renuerit.[20]

17. [*De Diaconatu et Ordinibus Minoribus*]. Ut antiqua sacramenti Ordinis disciplina in Ecclesiis Orientalibus iterum vigeat, exoptat haec Sancta Synodus, ut institutum diaconatus permanentis, ubi in desuetudinem venerit, instauretur.[21] Quoad subdiaconatum vero et Ordines inferiores eorumque iura et obligationes, provideat Auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae particularis.[22]

18. [*De Matrimoniis mixtis*]. Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici orientales cum acatholicis orien-

Textus emendatus [60]

TUDINEM PROPRII RITUS, CELEBRATIONI DIVINARUM LAUDUM.[17] Quo facilius fideles hanc obligationem adimplere valeant, STATUITUR TEMPUS UTILE, PRO HOC PRAECEPTO ADIMPLENDO, DECURRERE INDE a
vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi.[18] Enixe commendatur fidelibus, ut his diebus, imo frequentius ac vel etiam quotidie, Sacram Eucharistiam suscipiant.[19] [61]

16. [*De Ministro S. Poenitentiae*]. Ob quotidianam permixtionem fidelium diversarum particularium Ecclesiarum in eadem regione vel territorio orientali, facultas presbyterorum cuiuscumque ritus excipiendi confessiones, a propriis hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium extenditur concedentis necnon ad loca et fideles cuiuscumque ritus in eodem territorio, nisi hierarcha loci, quoad loca sui ritus, expresse renuerit.[20]

17. [*De Diaconatu et Ordinibus Minoribus*]. Ut antiqua sacramenti Ordinis disciplina in Ecclesiis Orientalibus iterum vigeat, exoptat haec Sancta Synodus, ut institutum diaconatus permanentis, ubi in desuetudinem venerit, instauretur.[21] Quoad subdiaconatum vero et Ordines inferiores eorumque iura et obligationes, provideat Auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae particularis.[22]

18. [*De Matrimoniis mixtis*]. Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici orientales cum acatholicis orien-

[61]

Textus propositus	*Textus emendatus*
talibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domesticae paci, *Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de ritu servandis.*[23]	talibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domesticae paci, Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de IURE servandis.[23]

[62]

DE CULTU DIVINO

19. [*De temporibus sacris*]. Dies festos pro omnibus Ecclesiis Orientalibus communes *in posterum* constituere, transferre aut supprimere unius est Synodi Oecumenicae vel Sedis Apostolicae. Dies vero festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere, transferre aut supprimere, praeter Apostolicam Sedem, competit Synodis patriarchalibus aut archiepiscopalibus, debita tamen ratione habita totius regionis, ceterarumque Ecclesiarum particularium.[24]	19. [*De temporibus sacris*]. Dies festos pro omnibus Ecclesiis Orientalibus communes in posterum constituere, transferre aut supprimere unius est Synodi Oecumenicae vel Sedis Apostolicae. Dies vero festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere, transferre aut supprimere, praeter Apostolicam Sedem, competit Synodis patriarchalibus aut archiepiscopalibus, debita tamen ratione habita totius regionis, ceterarumque Ecclesiarum particularium.[24]
20. Donec perveniatur ad optatam inter omnes christianos conventionem de unico die, quo festivitas Paschatis ab omnibus celebretur, interim ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchis vel Supremis in loco Auctoritatibus committitur, ut, unanimi consensu et collatis consiliis cum iis quorum interest, de festo Paschatis eadem die Dominica celebrando conveniant.[25]	20. Donec perveniatur ad optatam inter omnes christianos conventionem de unico die, quo festivitas Paschatis ab omnibus celebretur, interim ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchis vel Supremis in loco Auctoritatibus committitur, ut, unanimi consensu et collatis consiliis cum iis quorum interest, de festo Paschatis eadem die Dominica celebrando conveniant.[25]
21. Singuli fideles extra regionem vel territorium proprii ritus versantes, quoad legem de temporibus sacris, ad discipli-	21. Singuli fideles extra regionem vel territorium proprii ritus versantes, quoad legem de temporibus sacris, ad discipli-

Textus propositus

nam in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.[26]

22. [*De Officio Divino*]. Clerici et religiosi orientales celebrent iuxta propriae disciplinae praescripta et traditiones Laudes Divinas, quae inde ab antiqua aetate magno in honore fuerunt apud omnes Ecclesias Orientales.[27] Fideles quoque, exempla maiorum secuti, in Divinas Laudes pro viribus et devote incumbant.

23. [*De usu linguarum vernacularum*]. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae Auctoritatem cum Consilio hierarcharum, ius pertinet moderandi usum linguarum in sacris actionibus liturgicis nec non probandi versiones textuum in linguam vernaculam.[28]

Textus emendatus [62]

nam in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.[26]

22. [*De Officio Divino*]. Clerici et religiosi orientales celebrent iuxta propriae disciplinae praescripta et traditiones Laudes Divinas, quae inde ab antiqua aetate magno in honore fuerunt apud omnes Ecclesias Orientales.[27] Fideles quoque, exempla maiorum secuti, in Divinas Laudes pro viribus et devote incumbant.

23. [*De usu linguarum vernacularum*]. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae Auctoritatem cum Consilio hierarcharum, ius pertinet moderandi usum linguarum in sacris actionibus liturgicis nec non, FACTA RELATIONE AD SEDEM APOSTOLICAM, probandi versiones textuum in linguam vernaculam.[28] [63]

DE CONVERSATIONE *CUM FRATRIBUS ECCLESIARUM SEIUNCTARUM*

Textus propositus

24. Ad Ecclesias Orientales, communionem cum Sede Apostolica Romana habentes, peculiare pertinet munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi, precibus imprimis, vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione, *collaboratione* ac fraterna rerum animorum aestimatione.[29]

Textus emendatus

24. Ad Ecclesias Orientales, communionem cum Sede Apostolica Romana habentes, peculiare pertinet munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi, IUXTA PRINCIPIA DECRETI HUIUS S. SYNODI « DE OECUMENISMO », precibus imprimis, vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione, collaboratione ac fraterna rerum animorumque aestimatione.[29]

[63] *Textus propositus*

25. Ab Orientalibus seiunctis, in unitatem catholicam convenientibus, ne plus exigatur quam quod simplex fidei catholicae professio exigit. Et cum apud eos sacerdotium validum servatum sit, clericis orientalibus, in unitatem catholicam convenientibus, facultas est proprium Ordinem exercendi, iuxta normas a competenti Auctoritate statutas.[30]

26. [*De communicatione in sacris*]. Doctrina catholica tenet « communicationem in sacris cum fratribus *seiunctis* », quae unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum *aberrationis* in fide, scandali et indifferentismi includit, lege divina prohiberi.[31] Praxis tamen pastoralis demonstrat, ad fratres orientales quod spectat, varia considerari posse et debere singularum
[64] personarum adiuncta, in quibus nec unitas Ecclesiae laeditur, nec pericula vitanda adsunt, sed extrema necessitas salutis et bonum spirituale animarum urgent. Ideo Ecclesia catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, mitiorem saepe adhibuit et adhibet rationem agendi, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebens, per participationem in sacramentis aliisque in functionibus et rebus sacris. His attentis, Sancta Synodus, « ne impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur » [32] et ad magis magisque fovendam unionem inter christianos, sequentem agendi rationem statuit.

Textus emendatus

25. Ab Orientalibus seiunctis, in unitatem catholicam SUB INFLUXU GRATIAE SANCTI SPIRITUS convenientibus, ne plus exigatur quam quod simplex fidei catholicae professio exigit. Et cum apud eos sacerdotium validum servatum sit, clericis orientalibus, in unitatem catholicam convenientibus, facultas est proprium Ordinem exercendi, iuxta normas a competenti Auctoritate statutas.[30]

26. [*De communicatione in sacris*]. COMMUNICATIO in sacris, quae unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum aberrationis in fide, scandali et indifferentismi includit, lege divina prohibetur.[31] Praxis vero pastoralis demonstrat, ad fratres orientales quod spectat, varia considerari posse et debere singularum personarum adiuncta, in quibus nec unitas Ecclesiae laeditur, nec pericula vitanda adsunt, sed necessitas salutis et bonum spirituale animarum urgent. Ideo Ecclesia catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, mitiorem saepe adhibuit et adhibet rationem agendi, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebens, per participationem in sacramentis aliisque in functionibus et rebus sacris. His attentis, Sancta Synodus, « ne impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur » [32] et ad magis magisque fovendam unionem CUM ECCLESIIS ORIENTALIBUS A NOBIS SEIUNCTIS, sequentem agendi rationem statuit.

[64]

Textus propositus	*Textus emendatus*
27. Positis memoratis principiis, Orientalibus, qui bona fide *seiuncti* inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum conferri possunt; imo, etiam catholicis eadem sacramenta licet petere ab iis ministris acatholicis, in quorum confessione habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.[33]	27. Positis memoratis principiis, Orientalibus, qui bona fide SEIUNCTI inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum conferri possunt; imo, etiam catholicis eadem sacramenta licet petere ab iis ministris acatholicis, in quorum ECCLESIA habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.[33]
28. Item, positis iisdem principiis, communicatio in sacris functionibus, rebus et locis inter catholicos et fratres *seiunctos* orientales iusta de causa permittitur.	28. Item, positis iisdem principiis, communicatio in sacris functionibus, rebus et locis inter catholicos et fratres SEIUNCTOS orientales iusta de causa permittitur.
29. Haec mitior communicationis in sacris cum fratribus *seiunctis* orientalibus ratio vigilantiae et moderamini hierarcharum locorum committitur, ut, collatis inter se consiliis, opportunis efficacibusque praeceptis et normis christianorum moderentur conversationem.	29. Haec mitior communicationis in sacris cum fratribus ECCLESIARUM ORIENTALIUM SEIUNCTARUM ratio vigilantiae et moderamini hierarcharum locorum committitur, ut, collatis inter se consiliis, ET, SI CASUS FERAT, AUDITIS ETIAM HIERARCHIS ECCLESIARUM SEIUNCTARUM, opportunis efficacibusque praeceptis et normis christianorum moderentur conversationem.

CONCLUSIO (textus novus) [65]

30. Magnopere laetatur Sancta Synodus de fructuosa et actuosa collaboratione Orientalium et Occidentalium Ecclesiarum Catholicarum, simulque declarat: hae omnes iuris dispositiones pro praesentibus conditionibus statuuntur, usquedum Ecclesia catholica et Ecclesiae Orientales seiunctae ad plenitudinem communionis convenient.

[65] Interim tamen omnes christiani, Orientales nec non Occidentales, enixe rogantur, ut ferventes atque assiduas, immo quotidianas preces Deo fundant ut, Sanctissima Deipara auxiliante, omnes unum fiant. Orent quoque, ut tot christianis cuiuscumque Ecclesiae, qui, strenue profitentes Christi nomen, patiuntur et angustiantur, Spiritus Sancti Paraclyti adfluat plenitudo confortationis et solatii.

Omnes caritate fraternitatis invicem diligamus, honore invicem praevenientes (*Rom.* 12, 10).

NOTAE

[1] LEO XIII, Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894: *Leonis XIII Acta,* vol. XIV, pp. 201-202.

[2] S. LEO IX, Litt. *In terra pax,* an. 1053: « Ut enim »; INNOCENTIUS III, Synodus Lateranensis IV, an. 1215, cap. IV: « Licet Graecos »; Litt. *Inter quatuor,* 2 aug. 1206: « Postulasti postmodum »; INNOCENTIUS IV, Ep. *Cum de cetero,* 27 aug. 1247; Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, prooem.; NICOLAUS III, Instructio *Istud est memoriale,* 9 oct. 1278; LEO X, Litt. Ap. *Accepimus nuper,* 18 maii 1521; PAULUS III, Litt. Ap. *Dudum,* 23 dec. 1534; PIUS IV, Const. *Romanus Pontifex,* 16 febr. 1564, § 5; CLEMENS VIII, Const. *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595, § 10; PAULUS V, Const. *Solet circumspecta,* 10 dec. 1615, § 3; BENEDICTUS XIV, Ep. Enc. *Demandatam,* 24 dec. 1743, § 3; Ep. Enc. *Allatae sunt,* 26 iun. 1755, §§ 3, 6-19, 32; PIUS VI, Litt. Enc. *Catholicae communionis,* 24 maii 1787; PIUS IX, Litt. *In suprema,* 6 ian. 1848, § 3; Litt. Ap. *Ecclesiam Christi,* 26 nov. 1853; Const. *Romani Pontificis,* 6 ian. 1862; LEO XIII, Litt. Ap. *Praeclara,* 20 iun. 1894, n. 7; Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, prooem.; etc.

[3] PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 4.

[4] PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 8: « sine licentia Sedis Apostolicae », sequendo praxim saeculorum praecedentium; item quoad baptizatos acatholicos in can. 11 habetur: « ritum quem maluerint amplecti possunt »; in textu proposito disponitur modo positivo observantia ritus pro omnibus et ubique terrarum.

[5] Cf. LEO XIII, Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, Ep. Ap. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894, et documenta in nota 2 allata.

[6] Cf. BENEDICTUS XV, Motu proprio *Orientis catholici,* 15 oct. 1917; PIUS XI, Litt. Enc. *Rerum orientalium,* 8 sept. 1928, etc.

[7] Praxis Ecclesiae catholicae temporibus Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII motum hunc abunde demonstrat.

[8] Cf. Synodum Nicaenam I, can. 6; Constantinopolitanam I, can. 2 et 3; Chalcedonensem, can. 28; can. 9; Constantinopolitanam IV, can. 17; can. 21; Lateranensem IV, can. 5; can. 30; Florentinam, Decr. pro Graecis; etc.

[66] [9] Cf. Synodum Nicaenam I, can. 6; Constantinopolitanam I, can. 3; Constantinopolitanam IV, can. 17; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* can. 216, § 2, 1°.

[10] In Synodis Oecumenicis: Nicaena I, can. 6; Constantinopolitana I, can. 3; Constantinopolitana IV, can. 21; Lateranensi IV, can. 5; Florentina, decr. pro

Graecis, 6 iul. 1439, § 9. Cf. PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 219, etc. [66]

[11] Cf. *supra,* nota 8.

[12] Cf. Synodum Ephesinam, can. 8; CLEMENS VII, *Decet Romanum Pontificem,* 23 febr. 1596; PIUS VII, Litt. Ap. *In universalis Ecclesiae,* 22 febr. 1807; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 324-327; Syn. Carthaginen., an. 419, can. 17.

[13] Syn. Carthaginen., an. 419, can. 17 et 57; Chalcedonensis, an. 451, can. 12; S. INNOCENTIUS I, Litt. *Et onus et honor,* a. c. 415: « Nam quid sciscitaris »; S. NICOLAUS I, Litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « A quo autem »; INNOCENTIUS III, Litt. *Rex regum,* 25 febr. 1204; LEO XII, Const. Ap. *Petrus Apostolorum Princeps,* 15 aug. 1824; LEO XIII, Litt. Ap. *Christi Domini,* an. 1895; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 159.

[14] Cf. INNOCENTIUS IV, Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1264, § 3, n. 4; Syn. Lugdunensis II, ana. 1274 (professio fidei Michaelis Palaeologi Gregorio X oblata); EUGENIUS IV, in Syn. Florentina, Const. *Exsultate Deo,* 22 nov. 1439, §11; CLEMENS VIII, Instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595; BENEDICTUS XIV, Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § II, n. 1, § III, n. 1, etc.; Synodus Laodicena, an. 347/381, can. 48; Syn. Sisen. Armenorum, an. 1342; Synodus Libanen. Maronitarum, an. 1736, P. II, Cap. III, n. 2, et aliae Synodi particulares.

[15] Cf. S. C. S. OFFICII, Instr. (ad Ep. Scepusien.), an. 1783; S. C. DE PROP. FIDE (pro Coptis), 15 mart. 1790, n. XIII; Decr. 6 oct. 1863, C, a; S. C. PRO ECCL. ORIENT., 1 maii 1948; S. C. S. OFFICII, resp. 22 apr. 1896 cum litt. 19 maii 1896.

[16] *C.I.C.,* can. 782, § 4; S. C. PRO ECCL. ORIENT., Decretum « *de Sacramento Confirmationis administrando etiam fidelibus orientalibus a presbyteris latini ritus, qui hoc indulto gaudeant pro fidelibus sui ritus* », 1 maii 1948.

[17] Cf. Syn. Laodicen., an. 347/381, can. 29; S. NICEPHORUS CP., cap. 14; Syn. Duinen. Armenorum, an. 719, can. 31; S. THEODORUS STUDITA, sermo 21; S. NICOLAUS I, Litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « In quorum Apostolorum »; « Nos cupitis »; « Quod interrogatis »; « Praeterea consulitis »; « Si die Dominico »; et Synodi particulares.

[18] Novum quid, saltem ubi viget obligatio audiendi S. Liturgiam; ceterum cohaeret diei liturgicae apud Orientales.

[19] Cf. Canones Apostolorum, 8 et 9; Syn. Antiochena, an. 341, can. 2; TIMOTHEUS ALEXANDRINUS, interrogat. 3; INNOCENTIUS III, Const. *Quia divinae*; 4 ian. 1215; et plurimae Synodi particulares Ecclesiarum Orientalium recentiores.

[20] Salva territorialitate iurisdictionis, canon providere intendit, in bonum animarum, pluralitati iurisdictionis in eodem territorio.

[21] Cf. Syn. Nicaena I, can. 18; Syn. Neocaesarien., an. 314/325, can. 12; Syn. Sardicen., an. 343, can. 8; S. LEO M., Litt. *Omnium quidem,* 13 ian. 444; Syn. Chalcedonen., can. 6; Syn. Constantinopolitana IV, can. 23, 26; etc.

[22] Subdiaconatus consideratur apud Ecclesias Orientales plures Ordo minor, sed Motu proprio PII XII, *Cleri sanctitati,* ei praescribuntur obligationes Ordinum maiorum. Canon proponit ut redeatur ad disciplinam antiquam singularum Ecclesiarum quoad obligationes subdiaconorum, in derogationem iuris communis « *Cleri sanctitati* ».

[23] Cf. PIUS XII, Motu proprio *Crebrae allatae,* 22 febr. 1949, can. 32, § 2, [67]

n. 5° (facultas patriarcharum dispensandi a forma); PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 267 (facultas patriarcharum sanandi in radice); S. C. S. OFFICII et S. C. PRO ECCL. ORIENT., an. 1957 concedunt facultatem dispensandi a forma et sanandi ob defectum formae (ad quinquennium): « extra patriarchatus, Metropolitis, ceterisque Ordinariis locorum ... qui nullum habent Superiorem infra Sanctam Sedem ».

[24] Cf. S. LEO M., Litt. *Quod saepissime,* 15 apr. 454: « Petitionem autem »; S. NICEPHORUS CP., cap. 13; Syn. Sergii Patriarchae, 18 sept. 1596, can. 17; PIUS VI, Litt. Ap. *Assueto paterne,* 8 apr. 1775; etc.

[25] Cf. Syn. Vaticana II, Const. *De Sacra Liturgia,* 4 dec. 1963.

[26] Cf. CLEMENS VIII, Instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595, § 6: « Si ipsi graeci »; S. C. S. OFFICII, 7 iun. 1673, ad 1 et 3; 13 mart. 1727, ad 1; S. C. DE PROP. FIDE, Decret. 18 aug. 1913, art. 33; Decret. 14 aug. 1914, art. 27; Decret. 27 mart. 1916, art. 14; S. C. PRO ECCL. ORIENT., Decret. 1 mart. 1929, art. 36; Decret. 4 maii 1930, art. 41.

[27] Cf. Syn. Laodicen., 347/381, can. 18; Syn. Mar Issaci Chaldaeorum, an. 410, can. 15; S. NERSES GLAIEN. ARMENORUM, an. 1166; INNOCENTIUS IV, Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 8; BENEDICTUS XIV, Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § 7, n. 5; Instr. *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745, §§ 42 ss.; et Synodi particulares recentiores: Armenorum (1911), Coptorum (1898), Maronitarum (1736), Rumenorum (1872), Ruthenorum (1891), Syrorum (1888).

[28] Ex traditione orientali.

[29] Ex tenore Bullarum unionis singularum Ecclesiarum orientalium catholicarum.

[30] Obligatio synodalis quoad fratres seiunctos orientales et quoad omnes Ordines cuiuscumque gradus tum iuris divini tum ecclesiastici.

[31] Haec doctrina valet etiam in Ecclesiis seiunctis.

[32] S. BASILIUS M., *Epistula canonica ad Amphilochium, PG* 32, 669 B.

[33] Fundamentum mitigationis consideratur: 1) validitas sacramentorum; 2) bona fides et dispositio; 3) necessitas salutis aeternae; 4) absentia sacerdotis proprii; 5) exclusio periculorum vitandorum et formalis adhaesionis errori.

[34] Agitur de s. d. « communicatione in sacris extrasacramentali ». Concilium est quod mitigationem concedit, servatis servandis.

Secretarius generalis: Videatis pag. 6 fasciculi: Primum quaesitum: An placeat textus emendatus nn. 2-4, cap. I schematis decreti *de Ecclesiis Orientalibus catholicis.* Hic refertur pagina, potestis videre. *Placet* an *non placet?*

PATRUM ORATIONES
(*De matrimonii sacramento*)

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

In praesenti schemate plura mihi videntur laudabilia, praesertim quae dicuntur de sponsorum praeparatione ad matrimonium, de pastorali coniugum cura post nuptias, nec non quae proponuntur de ecclesiasticis matrimonii impedimentis minuendis et de causis matrimonialibus — disciplina congruis munimentis fulta — expeditius agendis, quamvis normae peculiares ad futurum codicem Iuris Canonici, ut opinor, melius conferrentur.

Spe autem ductus, ut soleo, me adiuvare posse ut schema ipsum perfectum expletumque fiat, haec demisse animadverto.

1. Pag. 11, linn. 1-5, n. 1. Vocabulum « sacrum », cui in theologia catholica vis subest peculiarissima, inepte adhibetur sine ulla deminutione, de matrimonio ante Christum inito. Tunc enim in matrimonio *quiddam* tantum inerat sacrum et religiosum et id, vere proprieque, non quia a Deo institutum est ut amoris foedus ad dignam hominum propagationem et vitae legem tuendam, sed maxime quia ab initio fuit quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio.

2. Item non omnino accurata nec satis clara sunt quae in eadem pagina, linn. 6-9 scripta inveniuntur: « Christus Dominus (matrimonium) ad sacramenti dignitatem ita evexit ut *mirabili modo particeps* fieret sanctitatis et firmitatis sui Novi et aeterni Foederis cum Ecclesia ».

Secundum testimonii S. Pauli ad Ephesios interpretationem, quam a Patribus, inde a S. Augustino, et a Summis Pontificibus, in primis Leone XIII ...[1] et Pio XI ...[2] certe accepimus, matrimonium christianum verum est sacramentum Novae Legis quod gratiam sanctificantem, sicut reliqua sacramenta, confert, quatenus a Christo constitutum est *symbolum seu signum* — utique sensibile et efficax — rei sacratissimae nempe magni mysterii unionis Christi cum Ecclesia; ad quod mirabile exemplar christianorum coniugium necesse est *sanctitate et firmitate* conformetur.

Existimo doctrinam istam magis theologicam et pastoralem esse, utpote clariorem, quam quae in textu profertur.

3. Denuo pag. 11, linn. 16-23: « ... Disciplina eius (i. e. matrimonii) et cura, quod *praesertim* ad integritatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae suae commissae sunt ».

Si verba in textu priore « quod ad integritatem sanctitatemque attinet » quandam Ecclesiae potestatis imminutionem oblique significare poterant, in novo textu quod in textu priore imperfectum habebatur, adverbio « praesertim » non perficitur, immo forsan peius factum est.

Omnis aequivocatio vel dubitatio in quaestione tanti momenti de Ecclesiae et Reipublicae potestate in matrimoniis regendis securius vitaretur, si tritum in Ecclesiae doctrina principium, can. 1016 C.I.C. sancitum, iteretur, nimirum Christum « totam matrimoniorum disciplinam Ecclesiae suae credidisse et commendasse; salva competentia civilis potestatis circa mere civiles cuiusvis matrimonii effectus ».

Paulo aliter Leo XIII, in laudatis Encyclicis, auctoritate apostolica asseruit: « iure civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili »; quos civiles effectus Ecclesia libenter agnoscit.

Utinam Ecclesia et societas civilis — ubicumque fieri potest — mutua concordia et amico foedere ad commune utriusque societatis bonum coniungantur et consocientur! ...[3]

4. Pag. 13, litt. *d*): « Excommunicatio in iure hodierno lata contra ineuntes matrimonium coram ministro acatholico abrogetur ».

Aboleatur quidem — si placet — excommunicatio, sed confirmetur graviter prohiberi quominus id fiat, scil. quominus catholici matrimonium contrahant coram ministro acatholico.

5. Pag. 14, litt. *b*), linn. 15 s.: « Matrimonium contractum coram sacerdote, *contra iuris praescripta,* validum declaretur etc. ... ».

Putaverim tantam licentiam neque in cogitationem cadere potuisse. Pluries sane in hac aula audivimus naturam Concilii nostri Oecumenici esse pastoralem, non, proprie, iuridicam; ast ne ponatur munus pastorale contra iuris praescripta!

Perficiatur ergo textus, et attente perpendatur quomodo normae necessariae ad ipsam matrimoniorum validitatem tuendam certe servarentur, si ea contrahi ...

Moderator: Em.me Domine, excusatum me habeas, pro verbo exc.mi secretarii generalis.

Secretarius generalis: Proponitur ergo secundum quaesitum: adhuc super Modos respicientes schema decreti *De Ecclesiis Orientalibus Catholicis,* pag. 6: « An placeat expensio facta a Commissione circa Modos

ad schema decreti *De Ecclesiis Orientalibus Catholicis* pertinentes, cum correctionibus in textu emendato indicatis »? *Placet* an *non placet?*

Orator: Perficiatur — dicebam — ergo textus, et attente perpendatur quomodo normae necessariae ad ipsam matrimoniorum validitatem tuendam certe servarentur, si ea contrahi possent coram quocumque sacerdote (qui forsan impedimenta dirimentia ignorat vel negligit), — *utique adiiciuntur conditiones* [4] —, « modo non sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus aut talis declaratus vel ab episcopo prohibitus et matrimonium in Ecclesia vel Oratorio publico celebretur ». *Sed hae* [5] conditiones, ut mihi videtur, non sufficiunt.

Demum in parvitate mea exopto sincere ut, Summorum Pontificum vestigia prosequendo, admonitio quaedam fiat, etsi paucis verbis, contra divortium civile, longe lateque diffusum.

Felix est occasio affirmandi suaviter ac simul fortiter: « quanta mala in se divortia contineant; eorum enim causa maritalia foedera facile mutabilia fiunt, extenuatur mutua benevolentia, tuitioni atque institutioni prolis graviter nocetur » ...[6]

Interventum concludens, mihi cordi est gratias plurimas agere, venerabiles Patres, qui me benigne audire saepe dignati estis. Concilium Oecumenicum magis in dies nos mutua aestimatione, fraterna dilectione, communi veritatis studio — Deo miserante et B. M. V. protegente — arcte coniunxit, qui est iam fructus uberrimus nostri Concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Enc. Litt. *Arcanum divinae Sapientiae,* 10 febr. 1880: *Leonis XIII Acta,* 2 (1882), p. 16. [2] Enc. Litt. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 552. [3] Ita, Deo providente, factum est in solemni conventione inter Sanctam Sedem et Italiam. Cf. *Concord.* art. 34: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 290. [4] deest. [5] Quae. [6] (Leo XIII).

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Ut brevior fiam omittam praeambula quaeque et commentaria, et veniam ad ea quae optarem in ordinatione iuridica matrimonii.[1]

Optarem nempe,[2] praeter rationem sacramenti, ratio etiam *magis* [3] habeatur matrimonii utpote officium naturae, in civili etiam societate

statum iuridicum constituens, quod hodie magis quam antea apud gentes consideratur. Quaeratur ergo, quatenus lex divina et animarum bonum patiatur, ut disciplina ecclesiastica civili disciplinae consona reddatur, et quaelibet inter utramque dissidia, quae fere semper damnosa sunt, pro posse vitentur.

Optarem[4] ut indissolubilitas matrimonii magis exaltetur contra tot pericula disgregationis familiarum quae divortio aluntur. Clare determinetur haec indissolubilitas prouti competit diversis formis matrimonii, nempe: *matrimonii rati sub*[5] sacramento; matrimonio non consummato; matrimonio legitimo; matrimoniis, quae in favorem fidei solvuntur, iuxta privilegium Paulinum et illud, sic dictum, Petrinum.

Optarem[6] tandem quod ecclesiastica disciplina simplicior fiat quoad praecepta iuris mere ecclesiastici, praesertim quoad impedimenta et formam canonicam. Et magis ratio habeatur realitatis naturalis et officiorum quae iure naturae et naturalis probitatis exsurgunt ex unionibus initis de facto maxime si procreatione filiorum firmatae sint. Quaeque vero nimis durum est si invalidae habeantur ex defectu alicuius formalitatis iuris mere humani.

Quoad vero textum schematis sequentes emendationes *proponam.*[7]

1. *De matrimonii impedimentis.* Aetas ad valide contrahendum determinetur ab unaquaque episcoporum conferentia, ratione habita aetatis ab auctoritate civili statutae. Ratio est quod physiologica et etiam animi pubertas, si ita loqui licet, non eadem aetate habetur apud diversas mundi plagas, nec expedit ut ordinatio ecclesiastica et civilis dissentiant in aestimanda re mere naturali.

Gradus consanguinitatis in linea collaterali et affinitatis, matrimonium dirimentes aut mere impedientes, determinandi relinquantur etiam conferentiis episcoporum, habita pariter ratione legis civilis. Facultas vero dispensandi super his impedimentis competat Ordinario locorum iuxta determinationem ipsius conferentiae.

Ex motivo religioso, *sint tantum impedimenta dirimentia: sacer ordo presbyteratus, et votum solemne; dispensabile, illud, a Sancta Sede tantum; hoc*[8] vero ab Ordinario. Alia vota publica et sacri ordines diaconatus et subdiaconatus, sint tantum impedimenta impedientia ab Ordinario dispensabilia. Schema aggravat hodiernum ius, statuendo impedimentum dirimens pro iis qui vota simplicia nuncuparunt in religione, quod nimis videtur.

2. *De matrimoniis mixtis.* Impedimentum disparitatis cultus non amplius dirimens sed mere impediens habeatur, et ab Ordinario dispensabile, sicuti etiam impedimentum mixtae religionis. Si vero matrimo-

nium mixtum contrahatur, absque dispensatione a forma canonica, coram civili magistratu aut coram ministro acatholico, validum tamen habeatur; pars vero catholica extra ecclesiasticam communionem maneat donec resipiscat.

3. *De forma celebrationis matrimonii.* Forma canonica a Tridentino inducta fuit ut clandestina matrimonia vitarentur, tempore quo Status formam civilem legitimam non habebat pro matrimonio. Res vero valde mutatae sunt. Et hodie fere omnes populi civiles obligatorio aut saltem facultativo modo, matrimoniale foedus submittunt formae legitimae. Ita ut uniones matrimoniales clandestinae iam non admittantur. Iamvero quot gravissima damna oriantur ex hac duplicitate formae iuridicae, ecclesiasticae nempe et civilis, pro catholicis nemo non videt. Non desunt enim qui infeliciter legem Ecclesiae negligunt et foedus mere civile ineunt, validum quidem coram Statu et plerumque etiam in consideratione sociali; invalidum vero coram Ecclesia, et proinde liberi manentes ad aliud foedus canonice contrahendum, quod nimis durum et contra naturalem probitatem videtur cum ex illa civili unione vera officia iuris naturalis oriantur, sive *ad* [9] alteram partem sive praesertim erga filios. Puto quod valde expediret hoc inconveniens dissidium tollere hoc vel simili modo: Catholici omnes gravi quidem obligatione tenentur legem Ecclesiae servare in matrimonio contrahendo. Ast si, inoboedientes, foedus mere civile ineant, tale foedus, modo non obsit impedimentum dirimens iuris divini, validum ratumque habeatur etiam ab Ecclesia. Contrahentes vero extra communionem ecclesiasticam maneant donec resipiscentes auctoritati Ecclesiae se submittant.

Vellem praeterea ut expungantur e textu verba pag. 14, linn. 17-21, nempe « dummodo sacerdos non sit per sententiam ... etc. ». Gravibus etiam poenis corripiatur sacerdos qui absque debita delegatione matrimonio assistat.

4. *De processu matrimoniali.* Expeditior cursus causarum magnopere curandus exigit ut solemnitates nimis formales apparatus iudicialis simpliciores fiant. Dummodo veritas factorum plene investigetur. Iudices, non tantum *bene* [10] competentes in iure, sed et sensu pastorali imbuti sint oportet, cum de re agatur animarum salutem proxime et graviter respiciente.

5. *De necessitate praeparationis nubendorum ad matrimonium.* Minus placent verba pag. 15, linn. 20-27. Cum amor erga familiares et sodales qui experiendus et exercendus commendatur, alterius prorsus indolis sit ac amor qui communioni coniugali viam parat. Institutio filiorum comprehendat etiam naturam et dignitatem communionis con-

iugalis qua communio et amor Christi erga Ecclesiam significatur, atque qualitates et virtutes corporis et animae quae requiruntur ad officia et onera matrimonialis vitae sancte sustinenda. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Valde laudanda est commissio conciliaris de disciplina sacramentorum, eo quod post impensum laborem in apparando amplo schemate cum quaestionibus iam a commissione praeparatoria discussis aliisque animadversionibus a Patribus conciliaribus missis, tamen adest coram nobis cum humili voto ut morem fideliter gerat mandatis commissionis de Concilii laboribus ordinandis. Equidem Concilium nostrum magno valde animo ingens opus aggressum fuit ab initio, quando de omni re scibili agendum in Concilio videbatur; quando vero fines Concilii magis praecise definiti sunt, maxime vero quando spes arridebat opus consumandi in hac tertia sessione, impositae fuere rigidissimae restrictiones, quibus aliquot schemata exiguitate vere lamentabili laborant. Hodie vero iam pro certo habemus quod saltem quarta sessio, Deo favente, adunabitur, ut schemata illa magni momenti de apostolatu laicorum, de revelatione, de Ecclesia in mundo hodierno aliaque minoris, sed non parvi, momenti absolvantur. Non ergo iam amplius adeo urget tempus ut exigua schemata non possint convenienter refici ea amplitudine quam rei momentum et dignitas Concilii consulunt. Quod et huic praesenti schemati voti de matrimonii sacramento applicandum est, eo vel magis quod de re agatur valde respiciente renovationem vitae christianae, in qua familia quae per matrimonium constituitur, proprias et momentosas quidem partes habet. Optandum ergo 1. ut antea iam quidam Patres petierant, ut matrimonium magis efferatur ut intima et permanens amoris et caritatis unio atque adeo ut hoc caritatis coniugalis signum elatioribus verbis describatur quatenus caritatis perfectionem in casto connubio exaltat. [2] Optandum 2. ut. [3] deest. [4] Optandum 3. [5] matrimonio rato seu. [6] Optandum. [7] propono. [8] impedimenta dirimentia solus sit sacer ordo presbyteratus tantum a S. Sede dispensabile; et votum solemne dispensabile. [9] erga. [10] vere.

3

Em.mus P. D. IULIUS card. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Brevitatis causa et ut ad finem optatum perveniamus, vel potius etiam ut quam plurimi Patres possint loqui, omitto ea quae praeparavi, sed trado secretariatui et etiam emendationes quasdam. Subito veniam ad conclusionem.

In quaestione matrimonii mixti quae vera est crux in relatione inter christianos, schema nostrum respicit, ut mihi videtur, postulata simul legis divinae, sed insuper correspondet principiis quae in schemate de Oecumenismo et de Libertate Religiosa proferuntur. Propterea placet

et grato animo salutatur ut votum de iure postea condendo. Cum vero revisio codicis canonici ante plures annos perfici nequeat, et quaestio de matrimoniis mixtis urgens sit pro Catholicis nostris et etiam pro multis fratribus et sororibus christianis, propono rogandum esse Summum Pontificem ut ius de matrimoniis mixtis quam primum Motu Proprio secundum propositiones a Patribus in voto prolatas recognoscere dignetur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Votum *de matrimonii sacramento,* etsi modestam prae se ferat speciem, pondere est gravissimum ac omni laude dignum. Nova legislatio de iure matrimoniali quidem non datur atque vix synodaliter perfici potest; attamen votum propositum ostendit lineas fundamentales ad disciplinam de matrimonii sacramento recognoscendam et pressius iam agit, quod a pluribus Patribus postulatum est, de matrimoniis mixtis. E relatione, quam em.mus ac rev.mus D. Aloisi Masella fecit, immensus labor elucet, quem commissiones et praeparatoria et conciliaris in schematibus praeparandis praestiterunt, et nemo est, qui non aestimet sacrificium commissioni de sacramentorum disciplina impositum iussu, ut schema de matrimonio ad formam voti reducatur. Fructus huius laboris, qui ad universam disciplinam de Sacramentis spectat, in efformando Codice Iuris Canonici percipientur.

Propositiones directivae ad ius condendum in schemate praeiacenti exhibitae, quas relator commissionis illustravit, in connexione cum propositionibus prioris schematis *de matrimonii sacramento* legi et intelligi debent. Hoc modo adhuc clarius perspici possunt.

Propositiones directivae ad matrimonia mixta quae attinent novam politiorem formam induerunt, qua aequilibrium responsabile inventum esse puto. Vere hic versamur in quaestione difficillima et fere insolubili. Lamentabilis conditio christianorum e scissionibus orta gravissime sentitur in matrimonio mixto inter personas baptizatas minus quidem ab eis qui a fide christiana totaliter recesserunt vel indifferentes facti sunt, vehementer vero ab eis, qui firma animae persuasione fidem christianam profitentur atque existentiam suam christianam credunt necessario dependere a communione cum propria cuiusque communitate. Evidens est matrimonium mixtum inter personam fidelem catholicam et fidelem non-catholicam contractum sive unam sive alteram partem in certamen conscientiae intolerabile praecipitare atque interne impossibile esse. Quae calamitas scissione christianorum perdurante nec theologice ideoque nec iuridice auferri potest. Inde patet matrimonia mixta vix ductura esse ad restaurationem unitatis Ecclesiae. Neque possunt reputari medium idoneum ad Oecumenismum exercendum vel promovendum. Immo idea veri Oecumenismi prohibet, ne matrimonium mixtum ineatur; nam ea quam Oecumenismus ex essentia sua exigit reverentiam conscientiae alterius partis, vix observari potest, saltem ubi de educatione prolis agatur. Sunt ergo matrimonia mixta vera crux, qua omnes christiani inter se divisi magnos dolores patiuntur. In qua persuasione certe omnes conveniunt.

Experientia autem constat, quod in hodiernis praesertim adiunctis matrimonia mixta saepe evitari nequeunt. Ideo Ecclesia succurrere debet, ut crux matrimonii mixti tolerabilior evadat. Multa fiunt consilia qua via hoc intentum attingi possit.

Patet tamen, ineptas esse omnes eas vias, quae secumferrent periculum laesionis vel obnubilationis legis divinae. Ipsa lex divina exigit, ne pars catholica se exponat periculo proximo a fide deficiendi, exigit pariter, ut pars catholica parata sit ad facienda omnia, quae potest, ut universa proles catholice baptizetur et educetur. Istae exigentiae legis divinae omni in casu adimplere debent ideoque Ecclesia numquam ab eis dispensare potest. Praescripta ergo legis ecclesiasticae semper ad hoc tendere debent, ut pars catholica efficaciter iuvetur ad mandata legis divinae fideliter servanda.

Cum lege divina intime quoque connexa est forma, qua mixtae nuptiae contrahuntur. Quare Ecclesia, licet legislatio de forma canonica matrimonii sit iuris ecclesiastici ideoque per se mutari possit, respectivas leges non pro lubitu ferre potest. Forma obligatoria a Concilio Tridentino pro Ecclesia latina statuta est, ut vinculum matrimonii in tuto ponatur et matrimonia clandestina evanescant. Forma ergo imprimis prosequitur hunc scopum, ut tueatur lex fundamentalis matrimonii, scl. indissolubilitas. Iam ex hac ratione Ecclesia non potest simpliciter agnoscere valida illa matrimonia mixta, quae non sunt contracta in forma ecclesiastica, cum plures communitates non-catholicae admittant solutionem vinculi propter adulterium necnon aliis ex causis atque hodie quaestionem de solutione vinculi generatim in competentiam Reipublicae ponant.

Insuper Ecclesia pro sua missione pastorali quantum fieri potest in id tendat oportet, ut natura religiosa celebrationis matrimonii hominibus quam clarius innotescat. Proh dolor, in pluribus locis viget systema matrimonii civilis obligatorii, ita ut matrimonium ecclesiastice celebrari nequeat, antequam actus civilis factus fuerit. Patet quod haec coactio adhuc longe abest a principiis quae in decreto *de libertate religiosa* statuuntur. Si tamen Ecclesia pro matrimoniis mixtis simpliciter abrogaret formam canonicam, celebratio matrimonii in tot casibus eo ipso auctoritate civili derelinqueretur et magnum periculum crearetur ne fundamentalis habitudo Ecclesiae relate ad matrimonii sacramentum obnubiletur.

Quare admittimus principium in schemate enuntiatum, quod mixtae nuptiae forma canonica contrahendae sunt.

Attamen omni studio, uti iam diximus, nitendum est, ut crux matrimonii mixti tolerabilior evadat. Ad quod propositum optima auxilia iam praebentur in decreto *de Oecumenismo* et in declaratione *de libertate religiosa.* Hae documenta imprimis monstrant, quomodo ipsi coniuges crucem diversae fidei portent ita ut calamitas eis et ipsis communitatibus ecclesialibus ad quas pertinent, in bonum vertatur, eo quod ferant scissionem cum patientia et caritate.

Sed et legislatio Ecclesiae ad principia in illis documentis enuntiata accommodetur oportet. Unde plene approbamus, quae in nostro schemate relate ad cautiones proponuntur. Haec de lege divina nihil detrahunt et simul principiis illis bene respondent.

Placent etiam, quae in schemate de introducenda facultate dispensandi a forma canonica exhibentur. Nam fatendum est, obligationem formae canonicae saepius difficultates secumferre, quibus nonnisi dispensatione a forma servanda providere potest. Necessitas dispensandi pro quibusdam terris missionum in praxi Apostolicae Sedis iam agnita est. Evolutio industrialis, crescens in dies numerus e patria expulsorum et fugitivorum necnon aliae causae etiam aliis in regionibus similem necessitatem adduxerunt. Itaque in voto provisum est ut Ordinariis locorum facultas a forma canonica dispensandi tribuatur. Agitur hic de facultate qua Ordinarius

loci libere potest uti vel non uti secundum proprium suum iudicium. Facultas quae iam habetur in quibusdam terris missionum nunc extendatur ad omnes Ordinarios locorum pro libero eorum usu.

Concludendo: Schema voti *de matrimonii sacramento* omnino placet. Parvas quasdam emendationes in appendice scripto trado secretariatui generali Concilii. Cum revisio Codicis Iuris Canonici ante plures annos perfici nequeat et quaestio de matrimoniis mixtis urgens sit, propono rogandum esse Summum Pontificem, ut ius de matrimoniis mixtis quam primum Motu Proprio secundum propositiones in voto prolatas recognoscere velit.

1. N. 5, litt. b, pag. 13, lin. 24: Addantur verba: « qua facultate uti nequeunt nisi pars catholica parata sit ad facienda omnia, quae potest, ut universa proles catholice baptizetur et in fide catholica educetur ». *Ratio*: obligatio faciendi omnia, ut universa proles catholice baptizetur et in fide catholica educetur provenit ex iure divino.

2. N. 5, litt. b, pag. 13, lin. 24: In fine addatur: « Insuper provideatur, ut dispensatio concessa sine ulla mora in baptismali libro inscribatur ». *Ratio*: ne nova species matrimonii clandestini oriatur!

3. N. 6, litt. a, pag. 14, lin. 11: Deleantur verba: « qui non sit vicarius cooperator ». *Ratio*: competentia parochi sarta tectaque manere debet. Ne confundatur licentia assistendi, in quantum incompetentiam supplet, cum facultate assistendi!

Secretarius generalis: Patres venerabiles, proponitur nunc suffragatio finalis super schemate decreti *de Oecumenismo*. Iam libellus est vobis distributus [*cf. pp. 845 ss.*]. Quaeritur proinde: An placeat Patribus schema Decreti De Oecumenismo? Responsio duplex tantum est: *placet* vel *non placet*.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER

Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Loquor nomine meo proprio et nomine plurimorum Patrum ex variis nationibus.[1]

Schema voti *de matrimonii sacramento* ...[2] valde placet, praesertim in novis dispositionibus quae matrimonia mixta respiciunt.

In par. 5, votum duas mutationes maximi momenti introducit in lege vigenti: altera respicit *cautiones,* altera *formam canonicam.*

Nova dispositio de cautionibus, ut mihi videtur, tum veritati tum caritati multum confert; proinde maxime commendanda est. In hac re, sollicitudo Ecclesiae respicit legem divinam servandam et ius personae tuendum. Quod nova dispositio ius personale ad matrimonium melius

tueatur quam lex vigens, iam evidens est. Sed nova dispositio etiam legi divinae servandae melius inserviet. Praescripta codicis iuris canonici saepe saepius obscurabant realitates divinae legis et, processibus iuridicis nimium insistendo, legem ecclesiasticam extra modum exprimebant. Nova dispositio, responsabilitati personali pro fide tum propria tum puerorum insistendo, legem divinam demonstrat modo magis claro et magis concreto. Eodem modo, Ecclesia maiorem observantiam poterit praebere conscientiis et personis nostrorum fratrum separatorum.

Schema sapienter et prudenter procedit etiam quoad dispositiones novas super forma canonica. Viam mediam invenit inter duo extrema rigiditatis et relaxationis totalis. Sine dubio utrumque extremum habet suos fautores; mihi autem videtur viam mediam melius respondere necessitatibus huius temporis. Ex una parte, schema in genere retinet necessitatem formae catholicae pro validitate matrimonii mixti, quod nonnullis patribus minime placet: matrimonia enim clandestina, contra quae forma canonica instituta est, problema non iam praesentant. Attamen in aliquibus regionibus exortum est aliud problema aeque pastorale, contra quod, ut mihi videtur, retinenda est necessitas formae catholicae: scil., matrimonia inconsulta inter iuvenes quae saepius in divortia desinunt.

Ex altera parte, ad observantiam pro dignitate humana demonstrandam et ad principia oecumenismi applicanda, schema expostulat ut, in casibus gravis difficultatis, Ordinariis locorum facultas a forma canonica dispensandi tribuatur. Quae dispositio nihil implicat contra naturam vel contra dignitatem matrimonii, sicuti patet. Nam in initio ipsius decreti *Tametsi* quod matrimonia extra formam proscripsit sub poena nullitatis, Synodus Tridentina, matrimonia iam contracta considerando, statuit: (citatio) « ... dubitandum non est clandestina matrimonia, contrahentium consensu facta, vera esse matrimonia quamdiu Ecclesia ea irrita non facit; et proinde iure damnandi sunt illi, et eos sancta Synodus damnat, qui vera ac rata esse negant ... » ...[3] (finis citationis). Ex divina lege, ergo, forma catholica requiritur neque ad validitatem neque ad sacramentalitatem matrimonii.

Unicam additionem schemati velim proponere. Illi qui in Ecclesia catholica baptizati sunt sed ab infantili aetate sine educatione catholica adoleverunt neque teneantur ad catholicam matrimonii formam servandam neque restringantur ab impedimentis iuris mere ecclesiastici. Talem dispositionem, ut mihi videtur, requirunt probitas et aequitas.

In fine, Patres venerabiles, urgenter rogo ut schema voti vestram approbationem recipiat; urgentissime expostulo ut dispositiones supradictae valere incipiant statim post earum approbationem et promulga-

tionem. In hac re, veritati, aequitati et caritati serviamus; commoditatem propriam ac fastidium procedurale transcendamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] mihi. [3] (DENZ. 990).

[*Subscripserunt etiam*] A. Lopez Aviña, arch. Durango; Michael, ep. Mazatlán; S. Méndez Arceo, ep. Cuernavaca; E. Lopez Estrada, arch. Jalapa; F. Ferreira, ep. Texcoco; J. Bernal Ortiz, arch. Ciudad Bolivar; J. card. Garibi, arch. Guadalajara; J. Pulido Mendez, arch. tit. Cirro; A. Perez Cisneros, ep. Barcelona in Venez.; R. Primatesta, ep. San Rafael; L. Manresa Formosa, ep. Quezaltenango; J. Robles, ep. Tulancingo; F. McSorley; G. Mongeau; A. Jordan; L. Scheffer; W. Vervoort; E. Mabathoana; R. Koppman; F. O'Grady; J. Taylor; I. Phakoe; P. Piché; P. Dumouchel.

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis *

Venerabiles Patres,

Interventio haec est em.mi ac rev.mi D. Francisci Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.[1]

Loquor nomine plus quam centum episcoporum e Civitatibus Foederatis Americae qui in hoc Concilio adsunt.

Commissio de sacramentis gratiam et laudem nostram meretur, quas quidem libenter referimus, ob labores suos arduos nodososque atque eorum effectum quod in schemate *de matrimonii sacramento* exhibetur. Laeto enim animo salutamus omnem conatum quo efferantur matrimonii dignitas sanctitasque quae in mundo huius temporis tam palam lacessuntur et tam saepe negantur.

Schema autem quaedam proposita continet quae revera praecipiunt ut quaedam in legibus nostris de matrimonio vigentibus ita mutentur ut bono spirituali patriae nostrae graviter noceant. Etiamsi hae mutationes quibusdam nationibus fortasse profuturae sint, non est cur aliis nationibus imponantur. Insuper oportuisset nobis sat temporis antea concedi ut parochos nostros in tanti momenti rebus pastoralibus consuleremus. Suadeo ut ipsa quoque commissio parochos e variis nationibus de mutationibus relatis consulat, praesertim parochos e nationibus in quibus societas, ad religionem quod attinet, est « pluralistica ».

---

* Textus lectus est ab exc.mo P. D. Ioanne M. Fearns, ep. tit. Geritano, aux. Neo-Eboracensi.

Schema vere tot defectibus et rebus inconstantibus laborat ut a commissione recognosci debeat. Hi noti manifesti defectus advertendi sunt:

1. Dispensatio a forma matrimonii in nuptiis mixtis quae in n. 5, par. b, fertur, efficiet in nostra societate « pluralistica » ut honor seu reverentia in qua matrimonium atque sacrum ministerium parochi habentur minuatur. Nam populus noster catholicus persentit indolem sacram matrimonii propter quam petitur ut coram sacerdote celebretur aut in aliqua ecclesia catholica aut in presbyterio, non vero in qualibet ecclesia acatholica vel in tabulario civili. Quae persuasio ita ad vitam nostram religiosam pertinet ut lex civilis eam agnoscat; civitas enim nostra non poscit ut ullus officialis civilis nuptiis adsistat.

2. Rationes in paragrapho citata allatae ut dispensatio a forma matrimonii concedatur, nempe « graves difficultates », tam ambiguae sunt ut nova huiusmodi lex revera aboleret formam in matrimonio mixto usque nunc praescriptam. Si enim sponsi matrimonium coram sacerdote celebrare recusant, haec iam est ratio sufficiens ad dispensationem concedendam. Ergo nova huiusmodi lex significaret finem formae nunc in matrimoniis mixtis observandae, itaque obstaret ne parochus consilium spirituale, quod adeo necessarium est, sponsis daret, neque curaret ut promitterent se prolem, si quae oriatur, in religione educaturos esse. Si igitur quae regiones sunt ubi tales dispensationes sunt necessariae, oportet episcopos illos huiusmodi facultatem, rationibus expositis, a Sancta Sede petere.

3. Proposita nova lege praetermittitur bonum quod legibus nunc vigentibus comparatum est potissimum quod attinet ad statum religiosum liberorum e matrimoniis mixtis ortorum. Praetermittuntur quoque veritates psychologicae in matrimoniis mixtis observandae, atque principia primi ordinis ministerii pastoralis ad talia matrimonia spectantia.

4. Difficultates quae in matrimonio praevideri possunt, praesertim difficultates religiosae, dirimi deberent ante nuptias, non postea, uti omnes consiliarii matrimoniales monent. Proposita vero lex non poscit, sat magna ex parte, ut huiusmodi difficultates sapienti et prudenti cum cura ante nuptias praecaveantur.

5. Lex in n. 6, par. b, proposita, responsabilitatem parochi in re matrimoniali periculose minueret. Immo, lex in discrimen adduceret potestatem quam Ordinarius habet in matrimonia dioecesis suae, nam quivis sacerdos, nisi manifeste impeditus sit, matrimonio valide sancire posset etiam contra praescripta legis.

In schemate patere debet haec proposita destinata esse ad dirigendam et ducendam commissionem de Codice Iuris Canonici recognoscendo.

Sane sunt rationes cur mutationes in legibus matrimonialibus perpendamus, sed huiusmodi mutationes responsabilitatem parochorum diminuere vel grave damnum spirituale quibusdam nationibus sine necessitate inferre non debent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

Venerabiles Patres,

Commissioni de disciplina sacramentorum, gratulationes meritas proferendae sunt. Haud facile enim concordari potest disciplina communis totius Ecclesiae cum illis quae in variis plagis diversimode aguntur, *haud facile* [1] accommodare disciplinam de matrimonio ad nova temporis adiuncta; et ad mentem decreti *de Oecumenismo,* et declarationis *de libertate religiosa,* quando approbata erit. Quapropter, animadversiones quas nomine plurimorum propono, prolatae sunt cum spe emendationis, potius quam reiectionis schematis a commissione parati.

Finis Concilii tam pastoralis quam oecumenicus est. Recte quidem, attenti sumus necessitatibus oecumenicis. Attamen, non possumus minus attente incumbere curae pastorali eorum qui, — revera multi —, in periculo indifferentismi et « saecularismi » versantur; qui nulla fere habent religiosa principia, et nullae adhaerent confessioni religiosae. Isti homines, raro Ecclesiam ex professo adversantur, et propter ignorantiam rerum ad religionem spectantium, idonei non sunt ad dialogum oecumenicum. Ideo, fere nulla ab eis exspectari potest oecumenica responsio.

E. g., in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, plus quam sexaginta milia milium (sexaginta « miliones ») hominum — i. e. quasi tertia pars totius populi — nullam ecclesiam frequentant, et nulli religioni adhaerent. Isti, fere nullum signum externum fidei religiosae manifestant et manent (partim saltem), ignari suae spiritualis naturae, atque superni finis hominis. De eorum statu bene dicitur in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*: « ignorant vocationem et sensum propriae vitae ».

Nonne Ecclesiae officium est hos homines inspirare ut saltem eorum proles religiose instituantur? Nonne ab eis requirenda est cooperatio — modo positivo — ad formationem religiosam puerorum? Nonne

tandem, invitandi sunt ab Ecclesia ut ipsi, non tantum permittant sed promittant filiorum religiosam educationem? Ecclesia enim minime potest confirmare eos qui non credunt, et nullam religionem colunt, in indifferentismo.

Schema voti *de Matrimonio,* nullam facit distinctionem inter homines qui in re religiosa vere « analphabetae » sunt et eos qui ex corde religionem profitentur. Constat ex experientia pastorali quod isti homines areligiosi, spondent suas promissiones praenuptiales plena libertate, easque sancte tenent ac frequenter ad fidem ipsi perveniunt. Ideo patet necessitas omnes non catholicos in caritate monendi de promissis quae catholica pars assumpsit, atque aliquam affirmationem positivam exposcere qua eorum voluntas probetur de consensu in hac re cum parte catholica.

Quibus rationibus permoti, enixe rogamus, ut servetur disciplina de promissionibus ...[2] etiamsi, per modum exceptionis, facultas Ordinario loci concedatur, dispensandi aliquomodo in casibus ubi agatur de non catholicis qui religiose sentiunt et vitam religiosam profitentur. Haec procedendi ratio, integrum servabit respectum libertatis conscientiae debitum atque actionem oecumenicam promovebit, salvo tamen officio veritatem evangelicam non credentibus praedicandi, quo officio Ecclesia obstringitur.

Schema voti proponit ut Ordinario concedatur facultas dispensandi a forma canonica in matrimoniis mixtis « si graves huic servandae formae difficultates obstent ». Experientia docet quod facilitas in dispensatione, cum ab omnibus cognoscitur, invitationem praebet ad dispensationem petendam et ambae partes illas *sic dictas* [3] « graves difficultates » praesentabunt in subiectivis ac temerariis rationibus fundatas. Quapropter, ipsa dispensatio, necnon diversa praxis in eius concessione, fiet causa scandali et confusionis. Talis ergo propositio in Ecclesia introduci nequit sine praevia matura consideratione gravissimi detrimenti spiritualis cuius causa esse posset.

Schema voti, perspicue exponit condiciones requisitas ad validam et licitam assistentiam matrimonii ex parte sacerdotis. In sequenti paragrapho autem proponitur ut ad validam assistentiam, praesentia cuiusvis sacerdotis sufficiat, dummodo ab excommunicatione, interdicto vel suspensione sit immunis. Nonne hoc infirmatio — ne dicat contradictio — legis? Nonne hoc modo minuitur disciplina et auctoritas ecclesiastica? Nonne hoc modo datur incitamentum clericis « vagantibus »? Quomodo potest certus fieri sacerdotem extraneum et forsan ignotum liberum esse ab omni censura? Immo, quomodo potest certus fieri quod de vero sacerdote agatur?

In aliquibus civitatibus, lex civilis requirit a ministro vel praecone competente, ut agnoscatur ab aliquibus loci officialibus priusquam matrimonio assistat.

Prudentia pastoralis postulat ad validam assistentiam, ut sacerdos saltem notus sit personaliter competenti auctoritati.

Disciplina autem pastoralis postulat suppressionem par. 6-b, quia dispositionem 6-a infirmat.

Quamvis schema voti non est decretum Conciliare, per nostram approbationem adquiret vim quasi-mandati Sacrosancti Concilii. Quapropter enixe rogamus:

In primis: [4] ut maneant normae generales adhuc vigentes circa promissiones ...[5] in matrimoniis mixtis, salva facultate Ordinarii ...[6], ab eis dispensandi aliquomodo in casibus ubi agatur de non catholicis qui religiose sentiunt et vitam religiosam profitentur.

Porro: [7] ut forma canonica matrimonii firma maneat, et Ordinarii concedatur facultas permittendi e. g. ut coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, pro rationibus vere oecumenicis.

Deinde: [8] ut ad matrimonii validam assistentiam ex parte sacerdotis requiratur ut in dioecesi, ubi assistit, probatus sit ab Ordinario loci vel parroco. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] necnon. [2] praematrimonialibus. [3] deest. [4] 1. [5] praematrimoniales. [6] loci. [7] 2. [8] 3.

Animadversio addita: Placet iuxta modum. Modus autem est ad mentem interventionis a me in aula factae et ad mentem interventionum card. Spellman, archiepiscopi Heenan et Conway.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum circa modos schematis *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis*:

Ad primum quaesitum responderunt Patres	2.129
quorum dixerunt *placet*	1.841
non placet	283
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Quoad secundum quaesitum:

Votum protulerunt	2.115
Dixerunt *placet*	1.923
non placet	188
Suffragia nulla	4

Ergo expensio modorum placuit Patribus.

Nunc fieri potest transitus ad suffragandum totum schema. Schema vos habetis, Patres, in calce libelli et praecise pag. 55, ubi legitur: « Textus emendatus schema decreti de Ecclesiis Orientalibus Catholicis » [*cf. pag. 606-618*].

Lego, vestra venia, tantum initium et finem. « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus liturgicos, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica magni facit. In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae ab Apostolis per Patres est traditio, quaeque partem constituit divinitus revelati atque indivisi universae Ecclesiae Patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus cupiens ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant, praesertim ea quae ad universam spectant Ecclesiam, capita quaedam statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis ».

Deinde sequitur « De Ecclesiis particularibus seu ritibus »; « De spirituali Ecclesiarum Orientalium patrimonio servando »; « De Patriarchis Orientalibus »; « De disciplina Sacramentorum »; « De cultu divino »; « De conversatione cum Fratribus Ecclesiarum seiunctarum »; et conclusio habetur in pag. 65, his verbis: « Magnopere laetatur Sancta Synodus de fructuosa et actuosa collaboratione Orientalium et Occidentalium Ecclesiarum Catholicarum, simulque declarat: hae omnes iuris dispositiones pro praesentibus conditionibus statuuntur, usquedum Ecclesia catholica et Ecclesiae Orientales seiunctae ad plenitudinem communionis convenient.

Interim tamen omnes christiani, Orientales nec non Occidentales, enixe rogantur, ut ferventes atque assiduas, imo quotidianas preces Deo fundant ut, Sanctissima Deipara auxiliante, omnes unum fiant. Orent quoque, ut tot christianis cuiuscumque Ecclesiae, qui, strenue profitentes Christi nomen, patiuntur et angustiantur, Spiritus Sancti Paracliti adfluat plenitudo confortationis et solatii.

Omnes caritate fraternitatis invicem diligamus, honore invicem praevenientes ».

Patres venerabiles, *placet*ne hoc schema vel *non placet?* Duplex tantum responsio: *placet* vel *non placet.*

Lego, Patres, exitum suffragationis circa schema *de Oecumenismo*: suffragationis finalis, definitivae pro congregatione generali.

Praesentes votantes	2.129
Dixerunt *placet*	2.054

	non placet	64
	placet iuxta modum	6
Suffragia	nulla	5

Ergo schema *de Oecumenismo* est probatum a congregatione generali.

Moderator: Interea dabit relationem circa schema emendatum *de Ecclesiae habitudine erga religiones non christianas,* em.mus D. card. Augustinus Bea.

1 – DECLARATIO

DE ECCLESIAE HABITUDINE AD RELIGIONES NON-CHRISTIANAS *

Textus prior	*Textus emendatus*
	1. [*Prooemium*]. Nostra aetate, in qua genus humanum in dies arctius unitur et necessitudines inter varios populos augentur, Ecclesia attente considerat quae sit sua habitudo ad religiones non-christianas.
	Una enim communitas sunt omnes gentes, unam habent originem, cum Deus omne genus hominum inhabitare fecerit super universam faciem terrae; [1] unum etiam habent finem ultimum, Deum, cuius providentia ac bonitas testimonium et consilia salutis ad omnes se extendunt,[2] donec uniantur electi in Civitate Sancta, quam claritas Dei illuminabit, ubi gentes ambulabunt in lumine eius.[3]
	Homines a variis religionibus responsum exspectant de reconditis conditionis humanae enigmatibus, quae sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retribu-

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 125, die 18 novembris 1964.

Textus prior

Textus emendatus

tio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostram existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus.

2. [*De diversis religionibus non-christianis*]. Iam ab antiquo apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis ac Patris. Religiones vero cum progressu culturae connexae subtilioribus notionibus et lingua magis exculta ad easdem quaestiones respondere satagunt. Ita in Hinduismo homines mysterium divinum scrutantur et exprimunt inexhausta foecunditate mythorum et acutis conatibus philosophiae, atque liberationem quaerunt ab angustiis nostrae conditionis per formas vitae asceticae, per profundam meditationem, necnon per refugium ad Deum cum amore et confidentia. In Buddhismo radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, se abnegando et purificando a rebus transitoriis liberari et statum permanentis quietis attingere valeant. Sic ceterae quoque religiones, quae per totum mundum inveniuntur, inquietudini cordis hominum variis modis occurrunt proponendo vias, doctrinas scilicet ac praecepta vitae, necnon ritus sacros.

Ex numero 33:

Hac caritate erga fratres nostros compulsi, magna cum observantia consideremus opiniones et doctrinas quae quamvis a nostris in multis discrepent, tamen in multis referunt radium illius Veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Ecclesia catholica nihil eorum, quae in his religionibus vera et sancta sunt reicit. Annuntiat enim indesinenter Christum, qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6) et in quo Deus omnia sibi reconciliavit.[4] De variis salutis dispositionibus edocta,[5] sincera cum observantia considerat modos agendi et vivendi, praecepta et doctrinas, quae quamvis ab iis quae ipsa proponit

Textus prior

Ex numero 33:

Sic amplectamur imprimis etiam Musulmanos qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant et sensu religioso atque permultis humanae culturae communicationibus propius ad nos accesserunt.

Textus emendatus

in multis discrepent, referunt tamen radium illius Veritatis quae illuminat omnes homines.

Filios suos hortatur igitur, ut per colloquia et collaborationem cum asseclis aliarum religionum, salva integritate fidei catholicae, illa bona spiritualia et moralia necnon illos valores socio-culturales qui apud eos inveniuntur servent et promoveant.

3. [*De Musulmanis*]. Cum aestimatione quoque Musulmanos respicit Ecclesia qui unicum Deum adorant, viventem et subsistentem, omnipotentem, Creatorem caeli et terrae, homines allocutum, cuius occultis etiam decretis toto animo se submittere student, sicut Deo se submisit Abraham ad quem fides Musulmana libenter sese refert. Iesum, quem quidem ut Deum non agnoscunt, ut Prophetam tamen venerantur, matremque eius virginalem honorant Mariam et aliquando eam devote etiam invocant. Diem insuper iudicii expectant cum Deus omnes homines resuscitatos remunerabit. Exinde Deum colunt maxime in oratione, eleemosynis et ieiunio; vitam quoque moralem tam individualem quam familialem et socialem in obsequium Dei ducere conantur. (A)

Quodsi in decurso saeculorum inter Christianos et Musulmanos non paucae dissensiones et inimicitiae exortae sint, Sacrosancta Synodus omnes exhortatur ut, praeterita obliviscentes, se ad comprehensionem mutuam sincere exerceant et pro omnibus hominibus iustitiam socialem, bona moralia necnon pacem et libertatem communiter tueantur et promoveant. (B)

4. [*De Iudaeis*]. Mysterium Ecclesiae perscrutans, Sacra haec Synodus meminit vinculi, quo populus Novi Testamenti cum stirpe Abraham coniunctus est. (A).

Textus prior

32. [*De communi patrimonio Christianorum cum Iudaeis*]. Ecclesia Christi libenter agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confitetur enim omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem (cf. *Gal.* 3, 7), in eiusdem Patriarchae vocatione includi et in populi electi exitu e terra servitutis salutem Ecclesiae mystice praesignari. Quare nequit Ecclesia, nova in Christo creatura (cf. *Eph.* 2, 15) et populus Novi Foederis, oblivisci se continuationem esse populi illius, quocum olim Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, et cui revelationem in Libris Veteris Testamenti contentam concredere voluit.

Neque obliviscitur Ecclesia ex populo Iudaico Christum natum esse secundum carnem, natam esse Christi Matrem, Mariam Virginem, et natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamentum et columnas.

Verba quoque Apostoli Pauli semper habet et habebit prae oculis Ecclesia de Iudaeis « quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa » (*Rom.* 9, 4).

Memoria insuper dignum est adunationem populi Iudaici cum Ecclesia partem spei christianae esse. Ecclesia enim, docente Apostolo Paulo (cf. *Rom.* 11, 25), fide inconcussa ac desiderio magno accessum huius populi exspectat ad plenitudinem populi Dei, quam Christus instauravit.

Cum igitur tantum patrimonium Christiani ex Iudaeis acceperint, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae et studiis theologicis et fraternis colloquiis obtinetur, omnino fovere vult et commendare,

Textus emendatus

Ecclesia enim Christi grato animo agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas, Moysen (B) et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confitetur omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem,[6] in eiusdem Patriarchae vocatione includi et salutem Ecclesiae in populi electi exitu de terra servitutis mystice praesignari. Quare nequit Ecclesia oblivisci se a populo illo, quocum Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, Revelationem Veteris Testamenti accepisse et nutriri radice bonae olivae, in quam inserti sunt rami oleastri Gentium.[7] Credit enim Ecclesia Christum, Pacem nostram, per crucem Iudaeos et Gentes reconciliasse et utraque fecisse unum.[8] (C)

Semper quoque prae oculis habet Ecclesia verba Apostoli Pauli de cognatis eius, « quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem » (*Rom.* 9, 4-5), filius Mariae Virginis. Recordatur etiam ex populo iudaico natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamenta et columnas, atque plurimos illos primos discipulos, qui Evangelium Christi mundo annuntiaverunt. (D)

Etsi Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, tamen, Apostolo testante, Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres.[9] Una cum Prophetis eodemque Apostolo Ecclesia diem Deo soli notum expectat, quo populi omnes una voce Dominum invocabunt et « servient ei humero uno » (*Soph.* 3, 9).[10] (E)

Cum igitur adeo magnum sit patrimonium spirituale Christianis et Iudaeis commune, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae praesertim studiis biblicis et theologicis atque fraternis colloquiis

Textus prior

atque insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat, ita etiam odia et vexationem contra Iudaeos deplorat et damnat.

Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et Verbi Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, populum iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant, neve aliud quid dicant aut faciant, quod animos a Iudaeis alienare possit. Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur.

33. [*Omnes homines Deum ut Patrem habent*]. Dominus Iesus omnium hominum Patrem esse Deum, sicut iam Scripturae Veteris Testamenti statuunt et ipsa innuit ratio, luculenter confirmavit. Nequimus vero Deum omnium Patrem vocare vel orare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Ita enim arcte connectuntur habitudo hominis ad Deum Patrem et eiusdem habitudo hominis ad homines fratres, ut omnis negatio humanae fraternitatis negationem ipsius Dei, apud quem non est acceptio personarum (cf. *2 Par.* 19, 7; *Rom.* 2, 11; *Eph.* 6, 9; *Col.* 3, 25; *1 Pt.* 1, 17), secumferat vel ad eam ducat. Nam prius mandatum cum altero ita coalescit, ut nobis nequeant dimitti debita nostra, nisi nosmetipsi ex corde debitoribus nostris dimitta-

Textus emendatus

obtinetur, fovere vult et commendare. Praeterea iniurias hominibus ubicumque inflictas severe reprobans, Synodus, huius patrimonii communis memor, odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, deplorat et damnat. (F)

Ideo curent omnes ne in catechesi impertienda seu in Verbi Dei praedicatione aliquid doceant, quod in cordibus fidelium odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit; numquam populus iudaicus ut gens reprobata vel maledicta aut deicidii rea exhibeatur. Ea enim quae in passione Christi perpetrata sunt minime toti populo tunc viventi, multo minus hodierno populo imputari possunt. Ceterum semper tenuit et tenet Ecclesia, Christum voluntarie propter omnium hominum peccata passionem suam et mortem immensa caritate obiisse. Ecclesiae praedicantis ergo est annuntiare crucem Christi tamquam signum universalis Dei amoris et fontem omnis gratiae. (G)

5. [*De fraternitate universali, quavis discriminatione exclusa*]. Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres ita connectuntur: qui non diligit, non novit Deum.[11]

Textus prior

mus. Iamvero in Lege Veteri dicitur: « Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum? » (*Mal.* 2, 10); idque in Nova Lege clarius affirmatur: « Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum » (*1 Io.* 4, 20-21).

34. [*Omnis species discriminationis damnatur*]. Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia inducunt.

Abstineant ergo necesse est omnes bene cordati homines et praesertim Christiani a quavis hominum discriminatione aut vexatione propter stirpem eorum, colorem conditionem vel religionem. At contra Christifideles Sacra Synodus ardenter obsecrat ut « conversationem inter gentes habeant bonam » (*1 Pt.* 2, 12) si fieri potest, quod in eis est, cum omnibus hominibus pacem habeant (cf. *Rom.* 12, 18); immo eisdem praescribit ut diligant, non tantum proximum suum, sed et inimicos, si quos se habere censeant, ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est et qui solem suum oriri facit super omnes (cf. *Mt.* 5. 44-45).

Textus emendatus

Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem, discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia inducunt.

Abstineant ergo necesse est omnes homines et praesertim Christiani a quavis hominum discriminatione aut vexatione propter stirpem eorum, colorem, condicionem vel religionem. At contra, Christifideles Sacra Synodus, vestigia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli premens (A), ardenter obsecrat ut « conversationem inter gentes habentes bonam » (*1 Pt.* 2, 12) si fieri potest, quod in eis est cum omnibus hominibus pacem habeant,[12] ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est.[13]

NOTAE

[1] Cf. *Act.* 17, 26.
[2] Cf. *Sap.* 8, 1; *Act.* 14, 17; *Rom.* 2, 6-7; *1 Tim.* 2, 4.
[3] Cf. *Apoc.* 21, 23 s.
[4] Cf. *2 Cor.* 5, 19.
[5] Cf. S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, IV, 28, 2; *PG* 7, 1062.
[6] Cf. *Gal.* 3, 7.

[7] Cf. *Rom.* 11, 17-24. [10]
[8] Cf. *Eph.* 2, 14. 16.
[9] Cf. *Rom.* 11, 28-29.
[10] Cf. *Is.* 66, 23; Ps. 65, 4; *Rom.* 11, 11-32.
[11] Cf. *1 Io.* 4, 8; 2, 9-11; *Lc.* 10, 25-37.
[12] Cf. *Rom.* 12, 18.
[13] Cf. *Mt.* 5, 44.

2 – RELATIO DE EMENDATIONIBUS [11]

De textu in genere

In disceptatione textus schematis, quod tunc inscribebatur « Declaratio altera de Iudaeis et de non-Christianis », plura a Patribus proposita sunt, ex quibus alia ipsam substantiam schematis, alia eius titulum, structuram et dein multa particularia spectant.

Quoad substantiam textus, pauci putaverunt textum esse supprimendum, et quaestiones in eo tractatas alibi inserendas esse, sive in Constitutione De Ecclesia, sive in schemate De Ecclesia in mundo huius temporis.

Quoad materiam tractandam plures Patres putaverunt scopum textus esse dilatandum, ut scilicet aliquid dicatur de magnis mundi religionibus, praeter Musulmanos et Iudaeos; immo aliqui censuerunt religiones Africae et Asiae aliquando Ecclesiae propinquiores esse quam Musulmanos.

Quoad titulum, aliqui Patres censuerunt eum non esse aptum, cum et Iudaei non-Christiani sint, hinc potius dicendum esse « De Iudaeis et de aliis non-Christianis » seu simpliciter « de non-Christianis ».

Secretariatus conatus est hisce desideriis, quantum fieri potest, satisfacere.

1. Quoad *substantiam* Declarationis censuit Secretariatus: propter urgentiam quaestionum, et propter naturam omnino peculiarem problematum, quae in textu tractantur, declarationem specialem omnino necessariam esse, nec sufficere ut materia, de qua in textu agitur, aliis schematibus inseratur. Item putavit textum non ut appendicem ad schema De Oecumenismo adiungendum esse, cum de quaestionibus sat diversis agatur. Censuit Ecclesiam debere in hoc Concilio speciali declaratione de sua relatione ad alias religiones explicite agere, et mundum iure talem declarationem expectare.

2. Quod *scopum* Declarationis spectat, Secretariatus suam fecit opi-

[11] nionem eorum, qui eius extensionem universaliorem ad omnes religiones mundi desideraverunt. Problemata enim mutuae relationis inter religiones omnino universalia sunt et contactum cum omnibus coetibus religiosis spectant. Censuit vero Secretariatus ut ea quae speciatim de Musulmanis et de Iudaeis dicenda sunt, expresse et distinctim in textu exhibeantur. Sperandum est ut hac universaliore et cohaerente tracta-
[12] tione relationis Ecclesiae ad alias religiones omnis associatio politica definitive ab hoc textu removeatur, et clare appareat Ecclesiam solum de sua habitudine religiosa et sociali ad coetus alios religiosos agere velle.

3. Quoad *finem* Declarationis, Secretariatus explicationem dogmaticam de religionibus non-christianis dare noluit, sed practicas et pastorales normas, in revelatione fundatas, ad agendum cum non-Christianis proponendas esse censuit.

4. Quod *titulum* spectat, Secretariatus censuit, totam materiam in Declaratione tractandam comprehensive exprimendam esse, sine mentione alicuius religionis. Hinc titulus simpliciter sonat: Declaratio de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.

5. Propter novum et universaliorem scopum, *structura* textus mutanda et additiones quaedam faciendae erant. Ut enim Declaratio tamquam documentum independens proponatur necessarium erat, ut quaestiones tractandae per prooemium introducantur (n. 1), quod est novum. Item novus textus de religionibus diversis non-christianis conficiendus erat (n. 2).

6. Quoad *dispositionem materiae* haec placebant: Praemisso prooemio (n. 1), primo agitur de diversis religionibus non-christianis, e quibus duo, Hinduismus scilicet et Buddhismus, nominatim inducuntur (n. 2). Sequuntur dein hae religiones, ad quas Ecclesia specialem relationem habet, et quidem primo Musulmani propter eorum absolutum monotheismum et relationes varias ad revelationem biblicam (n. 3), et dein Iudaei, propter eorum singularem destinationem in consiliis salutis (n. 4). Dum paragraphus de Musulmanis secundum desideria Patrum fusius elaborata sit, textus de Iudaeis cum aliquibus mutationibus infra explicatis in novum schema assumptus est.

Sequitur dein n. 5, exhortatio de fraternitate universali, quavis discriminatione exclusa, in qua quoad substantiam ea dicuntur quae in priore schemate numeris 33 et 34 habebantur. Textus vero ad breviorem formulam reductus est tum quia ideae huius numeri iam in aliis paragraphis novae redactionis Decreti exprimebantur, tum quia, secundum desideria Patrum aliqui textus scripturistici post cautiorem examinationem omissi sunt.

De singulis numeris [12]

Ad Prooemium.

Materia huius Declarationis sub triplici aspectu introducitur: 1) nova conditio mundi, arctius in dies uniti, necessitatem reflexionis de relatione Ecclesiae ad alias religiones urgenter postulat; 2) fundamentum vero ultimum huius reflexionis non est sola practica necessitas, sed ipsum consilium divinum quo Deus universum genus humanum amplectitur et ad suum finem perducit; 3) e parte hominum fundamentum concre- [13]
tum mutui dialogi habetur in communi conditione generis humani, et in quaestionibus iisdem vitae solvendis, quod in singulis religionibus diverso modo fit.

Ad numerum 2.

Transitus dein fit ad diversas religiones mundi. Primo loco pauca dicuntur de religionibus, quae primitivae nuncupantur, minus scl. organisatis, quae tamen suo modo inde ab antiquo hominibus viam ad solvenda aenigmata humana indicabant, et aliquando profundas notiones religiosas et ethicas continent. Sequitur dein transitus ad magnas religiones quibus nationes culturae altioris nomen dant. Indicantur breviter principales viae liberationis propositae ab Hinduismo, cum profundis notionibus religiosis, cum strenua methodo vitae asceticae, et cum via devotionis. Exponitur dein nota principalis Buddhismi, scl. aversio a mundo mutabili et conatus attingendi ad statum permanentis quietis. Ceterae religiones non speciatim nominantur; in genere vero dicitur eas hominibus providere variis modis, scl. per doctrinas, per praecepta, per ritus.

Enuntiatur in secunda paragrapho habitudo fundamentalis Ecclesiae ad has religiones quae in schemate n. 33 (p. 48, linn. 17-20) habebantur, sed paulo fusius proponuntur propter magnum momentum quaestionis.

1) Fundamentale principium enuntiatur, religiones alias non simpliciter esse spernendas, sed quidquid valoris ethici et religiosi in eis invenitur, agnoscendum et servandum esse. 2) Fundatur haec habitudo in mysterio Christi, quod sub duplici aspectu consideratur: Christus est tota et universalis revelatio Patris, est via, veritas et vita; ita tamen venit ut in eo creatura non destruatur, sed assumatur, et Deo reconcilietur. 3) Hinc Ecclesia, secundum traditionem antiquam, cuius testis Irenaeus affertur, in diiudicandis religionibus et in practica relatione imprimis ea respicit, quae sunt falsa; in earum valoribus positivis veri-

[13] tatem agnoscit, quae ex Deo oritur, scl. radium luminis aeterni illuminantis omnes homines.

In ultima paragrapho conclusio huius considerationis continetur scl. exhortatio ad collaborationem cum asseclis aliarum religionum in promovendis valoribus spiritualibus et moralibus, ad fovendos illos valores socio-culturales quae culturis cum hisce religionibus connexis proprii sunt, servandi vero in contactu cum aliis religionibus integritatem fidei.

Ad numerum 3.

In genere:

Patres, quibus textus in genere placuit, quasi unanimes erant, ut ille longiore et profundiore consideratione amplificetur. Aliquae emen-
[14] dationes a Patribus propositae sunt, quarum plures a Secretariatu acceptatae atque in nova redactione textui insertae sunt. Particularia infra notantur.

Tamen in deiudicandis emendationibus, quae ab aliquibus Patribus inserendae esse putantur, Secretariatus censuit caute procedendum esse. Verum enim est aliquando terminos nostrae linguae theologicae propinquos a Musulmanis adhiberi, ut v. gr. Iesum esse Verbum Dei seu Verbum veritatis, seu eum esse a Spiritu Sancto conceptum, seu Mariam esse matrem Musulmanorum, seu eam esse immaculate conceptam, seu eam esse mulierem super omnes alias exaltatam. Hi termini vero a Musulmanis alio sensu intelliguntur ac in nostra doctrina, et hinc non simpliciter ut elementa similitudinis introduci possunt.

In particularibus:

(A) Haec descriptio religionis musulmanae composita est ex elementis, quae partim a Patribus conciliaribus partim a peritis a Secretariatu ad hoc speciatim accersitis proposita sunt. Hic tantum rationem reddimus circa vota Patrum. Musulmani dicuntur colere unum et unicum Deum, omnipotentem, Creatorem (secundum votum unius Patris), venerari Iesum ut prophetam atque Mariam matrem eius virginalem (secundum vota 3 Patrum), sequi viam moralitatis et oboedientiae (secundum vota 2 Patrum).

(B) Hoc incisum, ut 3 Patres postulaverunt, habitudinem et officia Christianorum erga Musulmanos in lucem posuit. Ecclesia enim desiderat, ut relationes pacificae et cooperativae cum Musulmanis ubique habeantur, quae communi patrimonio religioso correspondent et in conditione nostrae aetatis tam urgenter postulantur.

Ad numerum 4. [14]

In genere:

Textus de Iudaeis a permultis Patribus ut opportunus, immo necessarius in Aula laudatus est. Pauci tantum, praesertim ex proximo Oriente provenientes, talem Declarationem non opportunam esse putaverunt.

Plures Patres textum, qui sessioni secundae Concilii ut caput 4 schematis De Oecumenismi praesentatus fuit, meliorem et magis idoneum existimaverunt. In eo nempe, ut dixerunt illi Patres, maior erat spiritus amoris et fortior condemnatio contra Iudaeorum persecutionem. Ob hanc rationem pluries in praesenti redactione verba ex textu illo desumpta adhibentur.

Multi Patres rogaverunt, ut valores religiosi Iudaeorum nostrae aetatis et ideo eorum patrimonium nobiscum commune amplius describantur; alii vero, pauci numero, ut cautius de his sermo fiat, petierunt. Secretariatui visum est textum in hoc non mutandum esse.

Quidam Patres rogaverunt ut fiat confessio culparum a Christianis in habitudine erga Iudaeos contractarum. Alii vero existimaverunt tex- [15]
tum moderatiorem reddendum esse. Secretariatus textum Concilio propositum ut aptum retinendum esse censuit.

Alia vota a Patribus prolata in sequenti relatione de particularibus considerantur.

In particularibus:

(A) Haec phrasis addita est, secundum placitum unius Patris, ut clare dicatur Ecclesiam de Iudaeis tractare non propter causas extrinsecas, sed ratione ipsius mysterii Ecclesiae exponendi.

(B) Mentio Moysis addita est, secundum votum iustum unius Patris.

(C) Pluribus Patribus non placuit quod prior redactio loquitur de Ecclesia ut « continuatione » veteris Israel; postulaverunt ut potius adhibeatur figura bonae olivae, in qua inserti sunt rami oleastri Gentium (cf. *Rom.* 11, 17-24). Alii Patres rogaverunt ut denuo allusio fieret ad verba Sancti Pauli in Epist. ad Eph., ubi Christus dicitur pax nostra faciens utraque unum; et ideo phrasis ex textu originali, in sessione secunda praesentato, fere verbatim restaurata est.

(D) Propter nexum logicum, secundum placita aliquorum Patrum, ordo phrasium nunc inversus est. Ita etiam clarius indicatur, ut volunt plures Patres, versiculos 4-5 capitis 9 ex Epist. ad Romanos respicere immediate illum populum iudaicum, ex quo natus est Christus et Ecclesia. Propter consecutionem idearum hic alio modo ac in priori textu

[15] exprimitur Mariam ad eundem populum pertinere. Secundum votum unius Patris, dicitur primos Christianos, qui Evangelium mundo praedicaverunt ex eodem populo ortos esse.

(E) Paragraphus de spe eschatologica Ecclesiae mutata est. Permulti enim Patres rogaverunt, ut in expressione huius spei, cum agatur de mysterio, vitetur quaevis species proselytismi. Alii petierunt, ut etiam spes christiana omnes populos respiciens aliquomodo exprimatur. Praesenti paragrapho omnibus his votis satisfacere voluimus.

(F) Multi Patres rogaverunt, ut fortior condemnatio antisemitismi, quae in textu originali habebatur, denuo in nova redactione adhibeatur, quod fecimus.

(G) Secundum placita permultorum Patrum explicite respuuntur falsae contra Iudaeos accusationes quandoque a Christianis prolatae. Distinguimus clare inter planum historicum, ubi nequeunt attribui populo ut tali ea quae in passione Christi perpetrata fuerunt, atque planum theologicum, ubi mors Domini ut fons salutis et misericordiae explicanda est.

[16] *Ad numerum 5.*

In genere:

Numerus quintus contractus est e numeris 33 et 34 schematis. Continet exhortationem urgentem ad fraternitatem universalem, quae vigere debet inter omnes homines, et quae omnem discriminationem quoad dignitatem humanam et iura inde dimanantia excludit. Textus incipit cum universali paternitate Dei, ex qua habitudo fraternitatis inter homines derivatur. Hominum relatio ad Deum, et eorum habitudo ad fratres seiungi non possunt. Citationes S. Scripturae ad confirmandam universalem paternitatem Dei erga omnes homines secundum desideria plurium Patrum caute examinatae et eae solum servatae sunt, quae characterem vere universalem habent.

In particularibus:

(A) Verba « vestigia Sanctorum Apostolorum ... premens » addantur, ut Concilium haec consilia *Apostolorum* in mentem revocet et denuo inculcet.

3 – RELATIO EM.MI P. D. AUGUSTINI BEA [17]

Praesidis Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam

Venerabiles Patres,

Huic Declarationi iure applicari potest imago biblica de grano sinapis. Primitus enim agebatur de simplici aliqua brevi declaratione quae respiciebat habitudinem Christianorum ad populum Iudaicum. Decursu autem temporis, et maxime per discussionem in hac aula habitam, hoc granum vestro merito, fere arbor evasit, in qua multae aves iam nidum sibi inveniunt, id est in qua, saltem aliquo modo, omnes religiones non christianae locum proprium obtinent, eodem fere modo quo Summus Pontifex fel. reg. in litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* omnes non Christianos complectitur: « sequaces religionis Veteris Testamenti, Mahometanos, sectatores religionum Africanarum et Asiaticarum » (p. 49). Non erat adeo facile haec omnia spatio paucarum paginarum complecti. Unde primo loco enixas ago gratias omnibus, qui sive ore sive scripto ad hanc Declarationem melius elaborandam contulerunt. Secretariatus noster omnes animadversiones aequo et sincero animo considerare studuit, ut optimo, quo fieri potest, modo documentum conficeret dignum tum amplissimo hoc argumento tum Concilio. Vestrum erit iudicare, num et quo gradu ei hoc feliciter contigerit.

Ut autem hoc melius praestare possitis, pauca quaedam animadvertenda censeo. Utique non agam de multis illis punctis particularibus, quae in Relatione a Secretariatu diligenter confecta legistis, sed tantum aliqua magis generalia et maioris momenti tangere vellem, quae iuvent ad iudicium aequum et ponderatum de hac Declaratione efformandum.

Ac primum quidem Consilium Praesidum Concilii et Commissio pro Laboribus Concilii Coordinandis una cum Eminentissimis Moderatoribus censuerunt Declarationem nectendam esse cum Constitutione « De Ecclesia ». Id quod ipso quoque actuali titulo Declarationis suadetur, quippe quae agat de habitudine *Ecclesiae* ad religiones non-christianas. Ne autem fluxus expositionis in dicta Constitutione impediretur neve prompta suffragatio et promulgatio eiusdem Constitutionis hac nova Declaratione retardaretur, visum est, Declarationem *in fine* Constitutionis « De Ecclesia », ut Appendicem, adnectere ...[1]. Quae inclusio Declarationis in Constitutione « De Ecclesia » illud quoque boni habet, ut contra [18]
quamcumque Declarationis interpretationem politicam eius character pure religiosus efferatur ...[2]. Simul autem pondus et momentum Declarationis eo crescunt, quod additur Constitutioni alicui dogmaticae, etsi finis proprius Declarationis non sit stricte dogmaticus, sed *potius*[3] pastoralis.

[18] Secundo loco maiorem amplitudinem notare oportet qua Declaratio nunc gaudet. Pluribus enim animadversionibus, iam inde ab anno elapso hic in Aula expressis, obsequens Secretariatus — superiore auctoritate probante — totum ambitum relationum Ecclesiae ad religiones non christianas, comprehendere statuit. Unde natum est documentum, quod totum hunc amplissimum campum complectitur. Qua de re paulo infra aliqua dicam.

Etsi autem Secretariatus omnes animadversiones et desiderata serio considerare studuit, patet impossibile fuisse, ut omnibus satisfaceret. Secretariatus noster utique conatus est, ut omnium desideriis quantum fieri potest satisfaceret. Agitur enim de consilio salvifico Dei eiusque beneficii agnoscendis, de odio et iniuriis omnino damnandis atque in posterum vitandis ...[4]. Ecclesia igitur et proinde etiam Concilium, mandato suo fungi debebat et debet, nec tacere potest. Qua in re Secretariatus noster utique memor erat moniti Apostoli Gentium: « Nemini dantes ullam offensionem » (*2 Cor.* 6, 3), simul tamen etiam alterius exhortationis eiusdem Apostoli meminerat: « Si fieri potest, *quod ex vobis est,* cum omnibus hominibus pacem habentes ... » (*Rom.* 12, 18), id quod, uti patet non semper est possibile. Etiam in nostro casu impossibile erat Declarationem conficere, quae a nemine in ulla eiusdem parte perperam interpretaretur *simulque* [5] alii parti omnino satisfaceret. Praeterea meminisse oportet maioris momenti esse, ut habeatur talis sollemnis Declaratio Concilii, quam ut ipsa — etiamsi hoc possibile esset — omnibus satisfaciat.

In necessitate huius Declarationis diiudicanda hoc quoque perpendendum est: magni momenti esse, quod Ecclesia (immo et mundus christianus et « opinio publica » mundialis) problemata hic exposita ex occasione huius Declarationis animadvertat et multum consideret. Ita enim fiet, ut Christifideles, immo et omnes homines ...[6], parentur ad hanc Declarationem profundius intellegendam et in opus ducendam. Declaratio enim efficacem actionem suscitare debet, ut principia et ipse spiritus in ipsa expressus ab omnibus christifidelibus, immo ab omnibus hominibus in vita propria exerceantur atque ita dialogus ille instituatur de quo Summus Pontifex in litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* agit. Hac in re, id est in fructibus quos Declaratio post Concilium ferre debet et certo feret, stat eius momentum et summus valor.

Liceat adhuc magis in particulari efferre momentum Declarationis *quatenus respicit religiones non-christianas.* De his ni fallor nunc prima vice in Ecclesiae historia Concilium aliquod tam sollemniter principia
[19] exponit. Est ergo maximi momenti, ut huius rei pondus plene assequamur. Agitur enim de illis plus quam mille milionibus hominum, qui

Christum eiusque opus Redemptionis aut nondum noverunt aut non agnoscunt. Illi *autem*[7] nihilominus salvari possunt, si conscientiae dictaminibus oboediant. Ecclesiae tamen ...[8] incumbit gravissimum officium, cum illis hac in re omni, omni quo potest, modo apto dialogum inire. Hoc autem efficere potest, prouti dicitur in nostra Declaratione, valores spirituales et morales qui in singulis religionibus adsunt agnoscendo atque asseclas harum religionum sincere aestimando. Hi enim, qui secundum dictamen propriae rectae conscientiae vivunt, implicita fide — uti dicitur in nota illa Epistula S. Officii ad Archiepiscopum Bostoniensem — cum Christo eiusque Corpore Mystico uniuntur (cf. DENZ.-SCHÖNMETZER, *N.* 3872), usquedum divitias Christi plene agnoscant et participent. Nullum autem dubium est, quin Ecclesia ita agendo efficaciter operam det, ut ad explicitam et plenam participationem divitiarum Christi reapse perveniant. [19]

* * *

Concludo: Hoc temporis momento, quando ipse Christi in terris Vicarius iter suscepturus est ad magnum illum populum invisendum, qui — uti ipse aiebat — ei est veluti imago innumerarum gentium et nationum totius continentis Asiatici, certo certius maxime consentaneum *esset*,[9] si per gratiam Dei *liceret*[10] hanc Declarationem definitive promulgari. *Ipsa enim*[11] quasi tessera *esset*[12] Ecclesiae coram his omnibus gentibus, a Christo alienis; *Secretariatus noster certe ex parte sua omnibus nitetur viribus, ut haec promulgatio possibilis evadat, id quod certe vos ipsi quoque desideratis.*[13] Faxit Deus, per intercessionem Beatae Virginis et omnium Sanctorum Patronorum Concilii, ut *haec multorum, in Concilio et extra Concilium, vota adimpleantur.*[14] Dixi.

In oratione: [1] postquam approbata fuerit. [2] iterum dico, eius character pure religiosus. [3] deest. [4] ergo de re summopere morali et religiosa. [5] neque. [6] bonae voluntatis. [7] quidem. [8] i. e. nobis. [9] fuisset. [10] licuisset. [11] id quod proh dolor in praesenti fieri nequit; tamen etiam ea quae hucusque parari potuerunt magni sunt momenti. Haec enim declaratio. [12] est. [13] deest. [14] multorum, tam in Concilio tam extra Concilium, de hac declaratione votis quam citissime satisfiant.

Moderator: Agimus gratias em.mo relatori, pro relatione eximia, et toti commissioni, pro labore diligenter confecto.

Secretarius generalis: Propono textum I suffragationis circa schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.* Videatis pag. 5 [*cf. pag. 637-639,* nn. 1-3]. *Placet*ne, Patres, hic textus an *non placet?* Duplex tantum responsio.

PATRUM ORATIONES

(*De matrimonii sacramento*)

7

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD

Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres et Parochi dilecti,

1. Loquar in nomine 100 episcoporum Galliae. In nonnullis regionibus ...[1] celebrationem matrimonii petunt nupturientes « in catholica Ecclesia baptizati » ...[2]. Iamdiu adimpletionem officiorum religionis ...[3] neglexerunt, vel sine ulla catechetica institutione adoleverunt, vel contendunt se nunc fidem amisisse, quin tamen iuridice inter apostatas recenseri debeant. Saepius ...[4] sponsi matrimonium aestimant meram formalitatem quam subeunt impulsi pressu familiae vel communitatis ad quam pertinent, non advertentes matrimonium esse sacramentum et fortasse ne conscii quidem connubium esse rem sacram.

2. Admitturi praedictos nupturientes ad *matrimonium,*[5] multi pastores gravi angore vexantur ...[6]: *a*) sponsi male dispositi videntur indigni, ita ut infructuosum remaneat sacramentum a Christo institutum ut fons gratiarum ad vitam coniugalem; *b*) assistentia matrimonio horum sponsorum affert scandalum fidelibus qui facile iudicant Ecclesiam minimi facere matrimonium ...[7]

3. Ad haec mala, in quantum possibile sit, evitanda, multi pastores ingenti desiderio « revalorizandi matrimonium », ut aiunt, urgentur, proponentes et non raro adhibentes ...[8]: *a*) praeparationem matrimonii per diuturnissimum tempus protractam: *sed etiam*[9] *b*) denegationem matrimonii, si sponsi hanc praeparationem recusant.

4. E contra, aliqui parochi sponsos, quamquam male dispositos, admittunt facillime et sine ulla praeparatione, ne, ut dicunt, hi nupturientes, iam in fide vacillantes, ab Ecclesia irrevocabiliter discedant, dilatione vel denegatione matrimonii offensi.

5. Non est dubitandum hos parochos ...[10] cum studio animarum agere, sed recta actio pastoralis ex rectis principiis defluit. Summi Pontifices, Pius XI et Pius XII, strenue defenderunt « ius coniugii naturale ...[11] » pertinens ad omnes homines qui nullo impedimento detinentur ...[12]. Atqui in disciplina nostra canonica omnes catholici formae iuridicae matrimonii astringuntur. Itaque, si non admittuntur ad cele-

brationem coram parocho, impediuntur ne exerceant ius ad coniugium. Talis exitus perpendendus est ne, cum gravi iniustitia, a matrimonio arceantur sponsi ...[13] dicti « mali catholici », *qui*[14] consensum matrimonialem, sine ulla illegitima exclusione, emittere volunt ...[15]

6. ...[16] Ius canonicum ...[17] coniunctum cum theologiae moralis principiis, aliquas normas ad solutionem difficultatum praebet, sed in multis hae normae videntur ...[18] necessitatibus hodiernis non satis accommodatae. Atqui pastores a nobis multa exspectant, sperantes Concilium ...[19] principia pastoralia praebiturum esse. ...[20] Inter quaestiones, de mandato Concilii, commissionibus post-conciliaribus et conferentiis episcopalibus proponendas, haec mihi videtur recensenda, sicut quaestio collationis baptismi pueris quorum parentes exercitationem religiosam deseruerunt (gallice: enfants de catholiques non pratiquants).

Conclusio. Opto: 1. Quod instructio pastoralis de praeparatione nubendorum explicite intueatur casum supradictorum sponsorum et proponat normas pastorales pertinentes ad admissionem, praeparationem, dilationem vel denegationem matrimonii.

2. Quod commissio de Codice revisendo edictet dispositiones ...[21] de hac re, permittentes, e. g. emissionem consensus matrimonialis coram parocho et testibus sine ullo ritu sacro, si nupturientes de quibus hic agitur ...[22] indigni remanet post infructuosum inceptum formationis pastoralis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] a parochis. [2] (cf. can. 1099, § 1). [3] penitus. [4] huiusmodi. [5] matrimonii celebrationem. [6] sequentes considerationes advertentes. [7] a quo non arcentur indigni. [8] duas vias, scil. [9] per unum annum et amplius. [10] omnes. [11] et primigenium. [12] vel ad hoc ius libere non renuntiaverunt. [13] qui, etsi. [14] deest. [15] (cf. can. 1086, § 2). [16] Equidem. [17] praesertim in can. 1065 et 1066. [18] insufficientes et. [19] Vaticanum II de hac difficili materia. [20] principia, dico, quia Concilium alloquitur Ecclesiam universam ubi varia sunt adiuncta. [21] disciplinares. [22] caerimoniam religiosam recusant, vel etiam.

Secretarius generalis: En, Patres, exitum suffragationis finalis pro congregatione generali schematis *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis*.

Praesentes votantes		2.104
Dixerunt	*placet*	1.964
	non placet	135
	placet iuxta modum	1
et suffragia nulla		4

Ergo hoc schema est a congregatione generali probatum.

Cum venia em.mi moderatoris, lego textum II suffragationis schematis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.* Videatis pag. 7, nn. 4-5: [*cf. pag. 639-642*]. *Placet* vel *non placet,* Patres?

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS CHARRIÈRE

Episcopus Lausannensis, Genevensis et Friburgensis

Venerabiles Patres, adstantes omnes,

In nomine episcoporum Helvetiae loquor relate ad matrimonia mixta. Problemata matrimonii mixti sunt inter difficiliora quae solvere debemus. Non sufficeret exspectare renovationem Codicis Iuris Canonici. Ideoque multa in genere placent quae a commissione de sacramentis in suo textu emendato nobis recentissime proposita sunt et quae plene concordant cum decreto *de Oecumenismo.* Maxime tamen curare debemus de *modo* explicandi propositiones nostras christifidelibus. Eo vel magis *pro nobis* [1] cum notitiae erroneae diariis catholicis Helvetiae ...[2] missae fuerunt, quae scandalum et exasperationem inter catholicos provocaverunt.

Quaedam generalia, brevitatis causa, omitto.[3] ...[4] Quod attinet ad divisiones religiosas realitas profunde paulatim modificata est. In initio *habuimus* [5] bellum quandoque atrocissimum inter catholicos et membra communitatum separatarum. A multis annis fere ubique transitio facta est ad coexistentiam magis ac magis pacificam. Hodie iam ulterius progredimur et reconciliationem toto corde quaerimus in dialogo cum acatholicis qui nobiscum *etiam* [6] pacem appetunt. Ideoque non possumus easdem regulas iuridicas observare erga eos qui nobiscum pacifice vivere volunt quam erga eos, si qui sint, qui bellum vellent prosequi. *Aliter agere non esset veram traditionem servare sed innovare et quidem falso.*[7]

Haec omnia in mente retinendo descendimus ad singulas observationes quas opportunas credimus circa n. 5, pag. 12-13 et n. 8, pag. 15-16.

Circa n. 5: *sub littera a*) Approbamus propositum non amplius exigendi a parte acatholica ut praestet coram parocho cautiones quae hucusque exiguntur. Haec obligatio praestandi cautiones saepius magis alienabat ab Ecclesia mentes coniugum cum detrimento animarum. Pars catholica vero graviter onerata conscientia promissionem sinceram praestare debebit se baptismum et educationem catholicam universae prolis esse curaturam. *Ab hac obligatione iuris divini eam liberare non possumus.*[8] Haec obligatio est ...[9] ita gravis ut credimus esse supprimenda

verba *in schemate, quae dicunt* [10]: « in quantum poterit ». Haec verba etenim in mentes fidelium aliquam attenuationem obligationis secumferre possent.

Ut recte vero proponit schema pars catholica monere debebit partem non catholicam de obligationibus quas habet.

Sub littera b) Approbamus quae ponuntur relate ad formam canonicam contrahendi matrimonium. Aliqui *revera* [11] proposuerunt ut Ecclesia agnoscat tamquam valida matrimonia mixta extra ipsam celebrata. Hoc generaliter admitti, *ut putamus,*[12] non potest quia difficilius esset certiores fieri de validitate matrimonii. Ordinariis *vero* [13] locorum tribuatur facultas a forma canonica dispensandi.

Sub littera c) Gaudemus eo quod in futurum si schema admittitur coniuges matrimonium mixtum intra Missam contrahere poterunt. Attamen non deberet Ecclesia tales coniuges ad Missam obligare. Pro aliquibus certe hoc non esset gratum. Ideo libertas ipsis nupturientibus relinquenda est.

Sub littera d) Recte in schemate proponitur abrogatio excommunicationis contra ineuntes matrimonium coram ministro acatholico. Immo proponimus ut quaelibet poena in hac materia abrogetur quia istae sanctiones canonicae scopum suum non amplius obtinent sed e contra aversionem erga Ecclesiam augent.

Hac occasione proponimus ut permittatur sponsis, celebrato matrimonio in Ecclesia catholica, ut adeant quoque ministrum acatholicum, non tamen ad novum contractum celebrandum sed ad preces fundendas. Stante etenim hodierna pace oecumenica haec praxis non amplius significaret aversionem a fide catholica, nec haberet rationem proprie dictae communicationis in sacris.

Circa n. 8. Quae in n. 8 de necessitate praeparationis matrimonii dicuntur maiori adhuc exigentia requiruntur in casu matrimonii mixti.

Etenim, in societate coniugali, quae est fundamentum omnium aliarum, introducitur per divisionem in re religiosa, vis explosiva cuius effectus graviores sunt quam aestimari possunt. Ideo speciali cura indigent nupturientes et coniuges.

Optandum est ut parochus et *etiam* [14] minister acatholicus, *dummodo in veritate et caritate collaborent,*[15] istas familias adiuvent.

Conclusio. Fere a viginti annis episcopus sum in regione mixtae religionis. Scio familias protestanticas, quae B. Mariam Virginem non solum venerantur, sed etiam invocant ad pacem inter christianos restaurandam. Novi familias mixtae religionis in quibus graves dissentiones ortae sunt et quae denique tandem, ipsis aperte fatentibus, pax vera procurata est per invocationem B. Mariae Virginis. B. Mariam Virginem,

ergo, Patres venerabiles, invocare ne timeamus ad pacem religiosam procurandam. Munus enim Matris est pacem inter filios restaurare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ex Roma. [3] Antequam descendamus ad singula, quaedam generalia vellem praemittere. Deus nobis episcopis, in consecratione nostra et missione canonica, Ecclesiam suam, sub Petro et semper cum eo, tradidit custodiendam. Renovare, adaptare utique eam debemus, eo praecise fine ut semper eadem in sua essentia remaneat. Difficultas in eo est ut clare percipiatur quid ad essentiam pertinet et irreformabile est, quid vero accidentale, et modificari potest, immo quandoque debet. Ut hoc melius cognoscatur, requiritur praeprimis ut Deum audiamus. Requiritur etiam ut homines nostri temporis interrogemus. Ipsos debemus alloqui lingua quam possint intelligere. « Cognosco oves meas » dicit Christus, et continuo adiunxit « cognoscunt me meae ». Oves nostrae audient vocem nostram si per prius eas cognoverimus. [4] Iamvero. [5] fuit. [6] deest. [7] Aequaliter tractare res inaequales non est aequalitatem procurare, sed inaequalitatem et iniustitiam. Iustitia et vera fidelitas erga legem divinam exigit ut inaequaliter tractentur res inaequales! [8] deest. [9] iure divino. [10] quae in schemate sub linea a) inveniuntur. [11] iam anno elapso. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] in veritate et caritate collaborantes.

9

EXC.MUS P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

Venerabiles Patres,

Votum emendatum *de matrimonii sacramento* placet in genere ...[1]

Liceat *tamen* [2] aliquas facere animadversiones, pro terris Missionum praecipue valituras.

Loquor etiam in nomine plurimorum episcoporum Iaponiae et aliarum nationum.[3]

Circa n. 4 desideratur ut addatur canonizatio quorundam impedimentorum civilium.

Optandum esset ut, ad firmitatem matrimonii tutandam et prolis iura sustinenda, necnon et ad bonas inter Ecclesiam et Statum relationes fovendas, vigeant pro fidelibus eadem impedimenta quibus, vi legis civilis, ligantur non baptizati: quae quidem *rationabilia* habeantur.

Circa n. 5. Cum in nostris regionibus, quoad maximam suam partem, non christianis, matrimonia mixta, quae, per se, gravibus periculis locum dant, sunt non raro conversionum ad fidem catholicam fons, vel saltem adiumentum non spernendum in apostolatu missionario, si bene omnia praeparentur; iure meritoque textus emendatus dicit ut, « ad mentem decreti *de Oecumenismo* necnon declarationis *de libertate reli-*

giosa, separentur praescripta circa matrimonium partis catholicae cum parte baptizata non catholica et partis catholicae cum parte non baptizata ».

a) Relate ad formam canonicam mixtarum nuptiarum, Ordinariis locorum sit facultas ab ea dispensandi, gravibus stantibus difficultatibus ad eam servandam: v. g., si sacerdos absens est et res urgeat; si populus celebrationem canonicam ut quid habet non decens, etc.

b) *Quoad cautiones matrimoniales*[4]: Promissio solum exigitur a parte catholica ...[5]

Parti acatholicae datur solum informatio de hac re simulque de obligationibus quae cum matrimonio contrahuntur et de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii a neutro contrahente excludendis. Ubi notandum est, in nostris regionibus, partem non christianam fere semper nobis dicere: « Omnis homo habet libertatem conscientiae. Compars catholica suam colat religionem. Filii vero nascituri, ad maturam aetatem perventi, libere eligere possunt religionem catholicam, neque huic ullum obicem ponam ». In hac hypothesi, si cautiones formales exigerentur et eas praestiterit haec pars non christiana, non essent sincerae.

c) Quod Ordinarii loci possint, in matrimoniis mixtis, permittere consuetas caeremonias ecclesiasticas, Missae celebratione non exclusa, ideo admittendum est ut quaelibet auferatur suspicio, in non catholicis, minoris affectus Matris Ecclesiae erga christifideles qui matrimonio uniuntur mixto. Immo, docet experientia, solemnem hanc celebrationem matrimonii mixti valde conferre ad fidei propagationem, quatenus assistentes non christiani, ritus s. Liturgiae sequentes, erga religionem catholicam nostram bene moventur.

Circa n. 7. Propono sequentia addenda: « Ad maiorem uniformitatem in expediendis causis de dissolutione vinculi, vinculi naturalis praesertim, in favorem Fidei, pro revisione Codicis Iuris Canonici, apte coordinentur et clarius exponantur leges vigentes, consuetudines Congregationum et Officiorum romanorum, Facultates apostolicae necnon praxis S. Sedis in rescriptis concedendis ».

Praeterea, ad celeriorem pertractationem harum causarum, inclusis etiam causis de dispensatione super rato et non consummato, exoptatur ut in quibusdam casibus facilioribus et bene determinatis, dissolutio concedatur a Summo Pontifice, ipso iure, ad modum privilegii Paulini. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cum mihi bene perspectum sit quibus de causis commissio tandem evenerit in illud redigendum; quod obiective consideratum, pluribus nimis videtur restrictum. [2] proinde. [3] deest. [4] deest.

[5] i. e., pars catholica, graviter onerata conscientia, promissionem sinceram praestare debebit, se, in quantum potuerit, baptismum et educationem catholicam universae prolis esse curaturam.

10

Exc.mus P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN

Archiepiscopus Westmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Ratione brevitatis omittam introductionem in qua dixissem quod schema in pluribus partibus ita excellit ut litteris aureis scribi debuisset.

Gratias agere voluissem membris commissionis, quae schema confecit et praesertim, ut patet, peritis. Transeo ergo statim ad corpus interventionis meae.[1] Toto corde quod de celebratione matrimonii mixti proponitur adprobo. Hucusque in aliquibus regionibus caeremoniae huiusmodi matrimoniorum ita sollemnitatibus signisque gaudii nudari solent ut magis exsequiis quam nuptiis aptae videantur. Sine anuli benedictione, absque candelis et floribus et — quod sponsae lacrimas excitat — sine organorum musica. Nonne clarum esse debet quod si Ecclesia dispensationem concedat, benigne, liberaliter, et spiritu magnanimo agere debeat? Diem nuptialem oportet pulcherrimam esse et felicissimam etiam quando celebratur matrimonium mixtum. Ecclesia tum parti catholicae tum parti acatholicae monstret se esse matrem.

Nemo tamen ignorat summam difficultatem in matrimoniis mixtis versari de religione prolis ...[2]

Antequam proposita in schemate considerare aggrediemur, realitas rerum de matrimoniis mixtis perspicienda est et scrutanda. Nostris saltem regionibus longe maior pars matrimoniorum mixtorum non de facto inter catholicos et veri nominis protestantes contrahitur. Fere semper pars acatholica nullam ecclesiam frequentare solet. Expertus hac in re loquor cum per viginti annos essem parochus in regione populari Londinii. Rarissime, dico, pars acatholica membrum activum est alicuius communitatis religiosae. Quamobrem vix unquam cautiones de prole catholice educanda aegre fert. Melius ergo esset propter bonum prolis cautiones ut normam legis relinquere. Pro matrimoniis partis catholicae cum parte protestantica (sit venia verbi) « practicante », i. e. sectae suae vere addicta, regulae speciales sunt conficiendae in schemate emendando.

In eiusmodi casibus verum sane problema exoriri potest. Alioquin autem difficultates de prolis baptismate et educatione catholica vix habentur propter indifferentismum religiosum in nostris regionibus. Quod dico de Anglia, ni fallor, validum esset in Australia, Nova Zelandia, *et ut exc.mus D. Krol nuper dixit,*[3] de Statibus Foederatis Ame-

ricae Septemtrionalis, et in Canada saltem in partibus loquelae anglicae. Experientia nos docuit quod etiam protestantes ecclesiae suae addicti saepe saepius — non dico semper, sed saepe saepius — non repugnant educationi catholicae prolis. Non debemus oblivisci, venerabiles Fratres, quod non necessario contra conscientiam agere debet acatholicus qui prolis educationi catholicae assentitur. Aliae enim ecclesiae christianae se esse unice veras non asserunt. Catholici autem Ecclesiam esse unam sanctam catholicam profitentur. Sed nescio an futurum sit ut in quarta sessione haec propositio ut perniciosa *damnabitur.*[4]

Si pars acatholica promissiones de educatione catholica prolis bona conscientia facere non potest, nullo modo coerceri debet. Sufficit ut pars acatholica non repugnet promissioni a parte catholica factae. Textus autem schematis hoc in loco non adeo est clarus. Vult dicere, ut opinor, quod pars acatholica non impedit quominus pars catholica promissionem de prolis educatione catholica adimpleat. Ut autem in textu iacet, pars acatholica emissioni sed non adimpletioni promissionis constare potuisset. Clarificetur ergo textus schematis *ante sessionem proximam.*[5]

Et nunc ad secundam et ultimam considerationem.[6] Pars catholica a schemate requiritur sinceram praestare promissionem, graviter onerata conscientia, de baptismo et educatione catholica universae prolis. Non video rationem cur *additur in schemate*[7] « in quantum poterit ». Nemo enim ad impossibile tenetur. Sed si *vult dicere*[8] quod pars catholica non tenetur sub nimio incommodo promissionem adimplere, omnino est reicienda phrasis. Alioquin aequivalenter diceret Ecclesia: « Non necessarium est pugnare pro prolis fide. Si ad pacem domesticam servandam adiuvare id poterit, festinanter destituenda est fides catholica liberorum tuorum ». Quod sane nova et mira esset doctrina in Ecclesia catholica.

Venerabiles Fratres, Concilium Vaticanum a bono Papa Ioanne ad renovandam, non ad destruendam Ecclesiam, congregatum est.

Dicere denique vellem quod textus si vere oecumenicus esse vult, debet aliquid dicere de celebratione matrimonii mixti sicubi pars acatholica communitati alicui religiosae sit addicta. Mea sententia — et nunc nomine aliorum non loquor — mea sententia nihil obstare debet quin post matrimonium in ecclesia catholica celebratum sponsi ad orationes fundendas et benedictionem accipiendam in ecclesiam partis acatholicae accedant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In nomine loquor totius hierarchiae Angliae et Cambriae et plurimorum episcoporum multarum nationum.

Ut saepe iam dictum est in aula his diebus de aliis schematibus, bonum et optimum est schema nostrum, sed nimis exiguum est, et indignum rei tanti momenti. Sacramentum enim matrimonii summae est dignitatis et est quasi centrum vitae socialis christianorum. Ut ait B. Paulus ad Ephesios, « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32). Tractatus vere nobilis et pulcher confici debuisset. Plene de aspectibus theologicis, biblicis, et praesertim pastoralibus schema tractare debet. Nonnulla quae in famoso schemate decimo tertio continentur hic locum aptiorem invenirent. Sed fortasse de illo schemate iam satis alia die sum locutus.

Valde gaudeo de omnibus quae schema nostrum proponit de praeparatione nupturientium et de processu matrimoniali. Litteris aureis debent scribi illa verba pag. 15, linn. 35 ss., « Pastores animarum sereno animo et debita observantia acatholicis servata, fideles suos tempore opportuno edoceant graves difficultates quae in matrimonio mixto tum pro partibus ipsis tum pro prole inesse possunt ». Litteris, dico, aureis scribi debent haec verba, duplici ratione: Primo, quia nupturientibus hoc primum colloquium cum parocho summi est momenti. Si, ut schema nostrum suadet, parochus se praebet benignum atque indulgentia et caritate plenum, Ecclesia ut vera mater sponsis apparebit. Bona voluntas partis acatholicae, fortasse hac prima vice sacerdoti catholico obviam venientis, facile vel acquiri vel amitti poterit. Secundo, optime schema in mentem revocat quod ex natura rei in matrimonio mixto graves inesse possunt difficultates. Hae difficultates haud minus reales apparent his diebus oecumenicis. Immo aliquo modo maiores evaserunt. Nam propter modum loquendi nonnullorum oecumenistarum simplices fideles facile credunt quod non diutius datur distinctio iudaei et graeci, catholici et protestantis. Post tamen matrimonium initum, sponsi plures distinctiones adhuc manere discunt. Melius ergo omnino est, ut sapienter schema declarat, monere iuvenes ne caeco instinctu coniugem eligant. [2] Talis difficultas non semper ex fide vel pietate sponsi et sponsae exoritur. Traditiones familiarum necnon praeiudicia ex una aliave parte oriunda, sunt causae discordiae. [3] deest. [4] damnetur. [5] loco citato. [6] Proponere etiam vellem omissionem phraseos « in quantum poterit » pag. 13, lin. 10. [7] addi debeat. [8] significatio verborum est.

11

Exc.mus P. D. PETRUS IOANNES ANTONIUS MOORS
Episcopus Ruremondendis

Venerabiles Patres, Adstantes omnes carissimi,

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae quoad schema voti *de matrimonii sacramento* sequentia proferre velim.

1. ...[1] Matrimonium inter baptizatos initum ratione sacramenti, disciplinae et curae Ecclesiae commissum est. Matrimonium, utpote humanae consortionis principium ac fundamentum, civilem quoque societatem adspectat. Quare in condenda lege matrimoniali officium Ecclesiae est attendendi necnon, in quantum fieri possit, assumendi ea omnia, quae

ex parte societatis civilis quoad matrimonium proferantur. Antinomia inter Ecclesiam et Statum civilem quoad matrimonium saltem in quibusdam regionibus decrescere videtur, ita ut in hac materia via ad dialogum instituendum aperienda sit.

Moderator: Exc.me Domine, sinas tempus pro exc.mo D. secretario.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum factarum circa schema *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas.*

I *suffragatio*:

Praesentes votantes	1.987
Dixerunt *placet*	1.838
non placet	136
placet iuxta modum (sed hic non est locus)	4
et Suffragia nulla	9

II *suffragatio*:

Praesentes votantes	1.969
Dixerunt *placet*	1.770
non placet	185
placet iuxta modum	7
et Suffragia nulla	7

Ergo duae propositiones fuerunt approbatae a congregatione generali.

Nunc transitus fit ad III suffragationem circa declarationem *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas* [*cf. pag. 637-642*].

Parcatis mihi, Patres, non lego totum textum, qui nuper est lectus, sed quaeritur circa totum textum declarationis: utrum placeat, non placeat, an placeat iuxta modum. Qui modum apponit, potest modos vel cum schedula assignatoribus tradere, vel etiam mittere ad secretariatum intra diem 31 ianuarii proximi anni, ita statuerunt em.mi moderatores. Ergo: *placet, non placet,* vel *placet iuxta modum?*

Moderator: Continues, exc.me Domine.

Orator: Quae canonizatio legis civilis maxime urget quoad impedimenta aetatis, consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis et affinitatis in primo gradu lineae collateralis, eo quod haec impedimenta praecipue matrimonio uti officio naturae obstent ...[2]

2.[3] In n. 5 agitur de distinctione necnon separatione facienda inter

praescripta quoad matrimonia cum impedimento mixtae religionis contrahenda et praescripta quoad matrimonia cum impedimento disparitatis cultus contrahenda ...[4]

Neminem fugit in reali obiectivitate rerum necnon sub aspectu theologico et proinde in praxi pastorali magnum discrimen esse inter casum matrimonii cum impedimento mixtae religionis contrahendi et casum matrimonii cum impedimento disparitatis cultus contrahendi. Quaeri tamen potest, utrum distinctio, et separatio ita in iure canonico assumenda sit, ut impedimentum mixtae religionis matrimonium impediat ac prohibeat, dum impedimentum disparitatis cultus matrimonium invalidet.

Qua distinctione servata investigandum est, utrum *baptismus* partis acatholicae valide collatus est. Valor enim matrimonii pendet a valore baptismi. Qua in investigatione imprimis videndum est, in quanam ecclesia vel communitate ecclesiali baptismus collatus sit. Quoad aliquas acatholicas ecclesias vel communitates ecclesiales dubium de valore baptismi ibi administrati resolvi non posse videtur. Hanc investigationem de valore baptismi, quae vix secreto fieri potest, ecclesiae et communitates ecclesiales a nobis seiunctae aegre ferunt eo quod implicite quidem sed luce clarius indicatur Ecclesiam catholicam saltem dubitare, quin baptismus in quadam ecclesia vel communitate ecclesiali valide collatus sit. Ob eandem rationem fratres a nobis seiuncti aegre ferunt dispensationem concedi super impedimento mixtae religionis et *ad cautelam* disparitatis cultus.

Hisce in temporibus, in quibus dialogus inter ecclesias instituatur ad obtinendam unitatem Ecclesiae a Christo expostulatam, perpendendum esse videtur, utrum valor matrimonii dependere debet a facto vel a valore baptismi, de quo nonnisi aegre iudicium proferri possit, *perpendendum est*[5] an potius impedimentum disparitatis cultus constituatur impedimentum impediens ...[6]

3.[7] Ad n. 5 a. Attenta declaratione de libertate religiosa in lin. 10, pag. 13, post verba « inquantum poterit » addatur « debita quoque observantia parti acatholicae servata ». Verba « atque constare eam illis (nempe promissionibus) non repugnare », *verba ista*[8] sensum ambiguum habere videntur. Quae verba indicare videntur partem acatholicam non repugnare sive emissioni promissionum quae a parte catholica faciendae sunt sive exsecutioni talium promissionum. Ad evitandam omnem ambiguitatem proponitur, ut linn. 12-15 ita legantur: « De his promissionibus a parte catholica graviter onerata conscientia faciendis, partem non catholicam (tempestive) moneri oportebit »; et deleantur verba « atque constare eam illis non repugnare » ...[9]

4.[10] Quoad matrimonia mixta sequentia quoque proferenda esse videntur: Hisce in matrimoniis fieri potest, ut iura libertatis religiosae, quibus gaudent pars tum catholica tum acatholica, difficiliter componi possint. Partes in sua unione tam intima ac personali persentiunt scissuras inter Ecclesias.

Quare proponitur, ut, attentis decreto *de Oecumenismo* necnon declaratione *de libertate religiosa,* perpendatur, utrum sequentia in n. 5 addantur: « Pars tum catholica tum acatholica mutuum ius libertatis religiosae magni habeant; unitis viribus omni ope nitantur, ut obtineatur unitas Ecclesiae a Christo expostulata » ...[11]

Cetera secretariatui generali scripto tradere velim.[12] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 1. Variis in locis Concilium iam egit de matrimonio. In schemate praeiacente praecipue de lege canonica condenda quoad matrimonium agitur; quaedam adiuncta sunt de apta matrimonii praeparatione; perpauca dicuntur de sollicitudine erga iam coniugatos. Quod in prooemio notare iuvat. Ita impeditur quominus idea falsa oriatur acsi matrimonium christianorum imprimis esset institutum iuridicum. Quare proponitur ut in pag. 11, n. 1 post lin. 15 addatur: « Synodus postquam variis in locis de matrimonio iam egit, hic quaedam vota proferre vult de lege condenda quoad matrimonium, de apta matrimonii praeparatione necnon de sollicitudine Ecclesiae erga iam coniugatos. 2. In n. 1 agitur de dignitate sacramenti matrimonii, dum in n. 2 tractatur de officio Ecclesiae erga disciplinam matrimonii. In ultima alinea n. 1 tamen iam sermo est de competentia Ecclesiae quoad disciplinam et curam matrimoniorum, quae inter baptizatos contrahuntur. Quare haec alinea (pag. 11, linn. 16-24) ad n. 2 transferenda esse videtur. [2] Meminisse hic iuvat ius vigens legem civilem iam canonizasse quoad impedimenta ex cognatione legali ortum. Sane canonizatio legis civilis in re matrimoniali ansam pluribus difficultatibus praebere potest, uti commissio conciliaris recte animadvertit. In legislatione civili neerlandica plurima impedimenta efformant categoriam intermediam inter impedimentum impediens et impedimentum dirimens. Matrimonium cum tali impedimento contractum vi legis civilis illicitum quidem est, sed matrimonium provisorie validum est i. e. donec ad instantiam quarundam personarum, quae in lege taxative assignatae sunt et intra tempus praefixum sese matrimonio opponere debent, matrimonium a iudice civili rescinditur. Difficultates ortae ex eo quod impedimenta iuris civilis impedimentis canonicis aequiparari non possunt, superari posse videntur. Ita v. g. impedimentum canonicum aetatis sequenti modo statui potest: « Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt, nisi lex civilis in territorio vigens aetatem maiorem vel minorem requirat ut matrimonium *valide et licite* contrahi possit ». Neque praetereundum esse videtur facultatem dispensandi, quae superiori ecclesiastico competit, remedium afferre posse in casibus, in quibus canonizatio legis civilis ansam difficultatibus praebeat. Ad ordinem magis logicum obtinendum, sequentia proponuntur: linn. 18-24 pag. 11 ad n. 2 transferantur, qui initium capit verbis: « Cum matrimonium inter christianos i. e. inter baptizatos initum ». Prosequantur linn. 25-33 pag. 11 textus propositi. Addatur post lin. 33 pag. 11: « Profecto matrimonium, utpote humanae con-

sortionis principium ac fundamentum, civilem quoque societatem spectat. Quare Ecclesia in condenda matrimoniali legislatione sui officii esse tenet ea omnia perpendere et, in quantum fieri potest, assumere, quae ex parte societatis civilis quoad matrimonium proferuntur ». 3. Ad n. 4 addatur sub e: « Perpendendum est in quantum leges civiles quoad matrimonii impedimenta aetatis, consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis et affinitatis in primo gradu lineae collateralis in ius canonicum assumi possint ». Vide supra sub 2. [3] 4. [4] In disciplina vigenti ita impedimenta praefata distinguuntur, ut impedimentum mixtae religionis matrimonium tantum prohibeat, impedimentum disparitatis cultus matrimonium invalidet. Schema proponit ut iis in casibus quoad formam liturgicam discrimen faciatur. [5] deest. [6] Si tamen distinctio inter impedimentum impediens mixtae religionis et impedimentum dirimens disparitatis cultus servanda sit, incommoda praefata evitari possunt, si in lege modo generali statuatur, dispensationem super impedimento mixtae religionis etiam valere pro impedimento disparitatis cultus (cf. can. 1052, *C.I.C.*). Hae animadversiones, quae imprimis naturae iuridicae sunt et codificationem legis tangunt, ideoque iure merito iudicio commissionis pontificiae ad Codicem Iuris Canonici reformandum relinquendae sunt, hic proferuntur ut serio perpendatur utrum linn. 36 pag. 12 ad 5 pag. 13 deleantur necnon. [7] 5. [8] deest. [9] 6. Ad evitandam immo speciem pressionis parti acatholicae illatae acsi haec quodammodo induceretur ut matrimonium intra Missam celebretur, linn. 25-27 pag. 13 deleantur, et linn. 27-31 pag. 13 ita legantur: « Matrimonium inter partem catholicam et *partem acatholicam* cum Missa et benedictione nuptiali celebrari poterit, si Ordinarius loci, attentis circumstantiis, id opportunum censuerit ». 7. Ad n. 5 d. Excommunicatio contra ineuntes matrimonium coram ministro acatholico lata abrogatur eo quod haec poena iniuria est tum acatholicis Ecclesiis vel communitatibus ecclesialibus, tum fratribus a nobis seiunctis. Perpendendum esse videtur, utrum praescriptum can. 1063 *C.I.C.* et cap. 53 Motu proprio *Crebrae allatae* de disciplina sacramenti matrimonii pro Ecclesia Orientali d. d. 22 febr. 1949 delendum sit ut offensivum tum acatholicis Ecclesiis vel communitatibus ecclesialibus tum fratribus a nobis seiunctis, quo fit ut praedicta excommunicatio ipso facto abrogatur. Perpendendum quoque esse videtur, utrum pars catholica quae matrimonium mixtum cum dispensatione super forma canonica contrahit, adhortanda sit ut partes se sistant coram Ecclesia ad confirmandum matrimonium, iam contractum, in facie Ecclesiae et ad obsecrandam Dei benedictionem, ita ut celebratio matrimonii indolem eiusdem religiosam retineat. Quare proponitur ut perpendatur utrum linn. 32-34 pag. 13 delendae sint, necnon ut post lin. 24 pag. 13 addatur: « Abrogatis praescriptis can. 1063 *C.I.C.* et cap. 53 Motu Proprio *Crebrae allatae,* pars catholica quae matrimonium mixtum cum dispensatione super forma canonica contrahit, adhortetur ut partes sese coram Ecclesiam sistant ad confirmandum matrimonium iam contractum in facie Ecclesiae necnon ad impetrandam Dei benedictionem ». [10] 8. [11] Ita ipso facto c. 1062 abrogatur de conversione partis acatholicae prudenter curandae. [12] 9. Uti S. P. Pius XII in allocutione ad auditores S. R. Rotae die 2 oct. 1944 habita disertis verbis declaravit, defensoris vinculi est suo modo concurrere ad detegendam veritatem; quare vanas et inutiles animadversiones in favorem vinculi non proferat; immo defensori vinculi dignitas muneris causa ius attribuendum est declarandi se actis causae bene perpensis nullam animadversionem rationabilem in favorem vinculi proferre posse (cf. *A.A.S.,* 36 [1944],

pp. 284-285). Omnino inutile, immo saluti animarum nocivum esse videtur, si defensori vinculi, qui nullam animadversionem in favorem vinculi proferre potuit, obligatio imponitur appellandi ad superius tribunal a prima sententia, qua declaratur nullitas matrimonii, uti ius vigens praescribit (cf. can. 1986, *C.I.C.*, can. 493 Motu Proprio *Sollicitudinem nostram* de iudiciis pro Ecclesiis Orientalibus d.d. 6 ian. 1950). Quare iudicio prudenti seu conscientiae defensoris vinculi relinquatur, utrum *prima* sententia, qua declaratur nullitas matrimonii appellationem ad superius tribunal interponat an non. Haec facultas iure vigenti (cf. can. 1987, *C.I.C.*; can. 495 Motu Proprio *Sollicitudinem Nostram*) defensori vinculi attribuitur post secundam sententiam, quae matrimonii invaliditatem confirmavit. Schema proponit, ut casus a processu sollemni excepti amplientur. Hisce in casibus defensori vinculi non imponitur obligatio appellandi a prima sententia, qua matrimonii nullitas declaratur; ei competit tamen facultas appellandi (can. 1991, *C.I.C.*; can. 499 Motu Proprio *Sollicitudinem Nostram*). Qui casus a sollemni processu excipiuntur, eo quod in certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium est, nullitas matrimonii probari potest. Quare hi casus difficile ampliari videntur.

Si prudenti iudicio defensoris vinculi relinquatur, utrum a prima sententia, qua nullitas matrimonii declaratur, appellationem ad superius tribunal interponat an non, parum ius esto contrahendi novum matrimonium, si a sententia, qua nullitas matrimonii declaratur, intra tempus utile non appellatur. Ita expeditior cursus causarum matrimonialium habetur, qui saluti animarum, supremae legi in Ecclesia, magnopere providet.

Quare proponitur, ut loco linn. 1-3 pag. 15 legatur: « Prudenti iudicio defensoris vinculi relinquatur, utrum a prima sententia, qua nullitas matrimonii declaratur, appellationem ad superius tribunal interponat an non. Partium ius est contrahendi novum matrimonium, si a sententia, qua nullitas matrimonii declaratur, intra tempus utile appellationem ad superius tribunal interposita non est ».

10. In lin. 19, pag. 11, loco « matrimonium inter christianos » legatur « matrimonium inter baptizatos initum ». Ita ratio sacramenti matrimonii clarius indicatur, a qua competentia Ecclesiae in re matrimoniali deducitur.

In lin. 26, pag. 11, loco « ius divinitus revelatum et sancitum » legatur « ius divinum ». Ius divinum complectit tum ius naturale tum ius divinum positivum.

In lin. 29, pag. 15, verba « non caeco instinctu » deleantur utpote superflua et offensiva.

Animadversiones additae:

Ad n. 1. Addatur: « Synodus, postquam variis in locis de matrimonio iam egit, hic quaedam vota proferre vult de lege matrimoniali condenda, de apta matrimonii praeparatione necnon de sollicitudine Ecclesiae erga iam coniugatos ». Ita materia schematis magis determinatur.

In lin. 19 loco verborum « inter christianos initum » legatur « inter baptizatos initum ». Ita ratio sacramentalitatis matrimonii enuntiatur, de qua competentia Ecclesiae quoad matrimonium deducitur.

Linn. 16-24 ad n. 2 transferantur. In n. 1 agitur de dignitate sacramenti matrimonii; in n. 2 tractatur de officio Ecclesiae, erga disciplinam matrimonii. In linn. 16-24 autem agitur de disciplina et cura Ecclesiae quoad matrimonium.

Quoad n. 2. N. 2 initium capit verbis « cum matrimonium » linn. 18-24,

pag. 11. Agitur de disciplina Ecclesiae quoad matrimonium necnon de fundamento competentiae Ecclesiae in hac materia.

Loco verborum lin. 26 « ius divinitus revelatum et sancitum » legatur « ius divinum ». « Ius divinum » complectit tum ius naturale tum ius divinum positivum.

Post lin. 33 legatur: « Profecto matrimonium utpote humanae consortionis principium ac fundamentum, civilem quoque societatem spectat. Quare Ecclesia in condenda legislatione matrimoniali sui officii esse tenet ea omnia perpendere et, in quantum fieri potest, assumere, quae ex parte societatis civilis quoad matrimonium proferuntur ». Ratione sacramenti Ecclesiae iurisdictio quoad matrimonia inter baptizatos inita competit. In exercenda hac potestate Ecclesiae est rationem habere eorum, quae a societate civili proferuntur, cum matrimonium societatem civilem quoque spectat.

Ad n. 4. Addatur « perpendendum est, in quantum leges civiles quoad impedimenta aetatis, consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis, affinitatis in primo gradu lineae collateralis in ius canonicum assumi possint ». Haec impedimenta imprimis matrimonio uti officio naturae obstant.

Ad n. 5. Deleantur verba: « Optandum est ... Dein vero » (linn. 1-5, pag. 13). Agitur de quaestione imprimis iuridica, quae codificationem legis tangit, ideoque Commissioni Pontificiae ad Codicem I. C. reformandum relinquenda est.

In lin. 10, pag. 13 post verba « in quantum poterit » addatur « debita quoque observantia parti acatholicae servata ». Additio est ad mentem declarationis de libertate religiosa.

In lin. 12, pag. 13 post verba « a parte catholica » addatur « graviter onerata conscientia ». Deleantur verba linn. 14-15: « atque constare eam illis non repugnare ». Pars acatholica moneri oportet tum de promissionibus a parte catholica faciendis tum de momento promissionum quoad partem catholicam. Verba delenda sunt ambigua et superflua.

N. 5 c sic legatur: « Matrimonium inter partem catholicam et partem *non catholicam* cum Missa et benedictione nuptiali poterit, si Ordinarius loci, attentis circumstantiis, id opportunum censuerit ». Nullo modo pars acatholica, etiam baptizata, inducenda est, ut matrimonium cum Missa et benedictione nuptiali celebretur.

Ad n. 7. Loco linn. 1-3, pag. 15 legatur: « Prudenti iudicio defensoris vinculi relinquatur, utrum a prima sententia, qua nullitas matrimonii declaratur, appellationem apud tribunal superius interponat annon. Partium ius est contrahendi novum matrimonium, si a sententia, qua nullitas matrimonii declaratur, intra tempus utile appellatio ad tribunal superius interposita non est ». Ratio dignitatis muneris defensoris vinculi obligatio non est imponenda appellandi a prima sententia, qua nullitas matrimonii declaratur. Ita habetur expeditior cursus causarum matrimonialium. Casus a solemni processu excepti, extendi non posse videntur, eo quod iis in casibus nullitas matrimonii probari potest certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium est.

Ad n. 8. Deleantur in lin. 29, pag. 15, verba « non caeco instinctu, sed ... ». Haec verba sunt superflua et offensiva.

12

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plus quam 80 Patrum variarum nationum.[1]

Velim loqui de par. 5, de matrimoniis mixtis. Iis quae habeo dicenda praefari velim quod egometipse inter acatholicos natus sum et in parte septemtrionali dioecesis meae dimidia circiter populationis pars est acatholica. Hos vero propria experientia scio, et libenter palam profiteor, bonos christianos esse, homines honestos qui amorem Domini Nostri habent in cordibus suis. Ex aliqua igitur familiaritate loquor et cum magna et sincera erga fratres separatos benevolentia.

Age porro. Omnes admittunt matrimonia mixta non esse desideranda, immo fideles ab eis pro viribus avertendos esse propter pericula in iisdem inhaerentia: periculum disharmoniae, periculum separationis, periculum indifferentismi religiosi, tam in sponsis ipsis quam in prole. Praeterea, et hoc debet bene notari, fratres ipsi seiuncti nobiscum in hac re plene consentiunt: ipsi enim matrimonia mixta, aeque ac nos, et ob similes rationes, deplorant.

Problema matrimoniorum mixtorum est problema reconciliandi haec elementa quae ad bonum animarum maxime pertinent cum exigentiis spiritus oecumenici. Omnes enim sincere volumus eliminare, in quantum possumus, quidquid fratribus *nostris*[2] offendiculo sit.

Nemo tamen putet, venerabiles Patres, hoc problema *matrimoniorum mixtorum*[3] esse problema tantum diplomatiae vel urbanitatis — est problema quod intime tangit salutem animarum, quod involvit periculum indifferentismi religiosi in pueris qui sunt agni Christi; est problema quod tangit ipsum bonum religionis qua tale.

Certe nonnulla possumus facere. Dubitari potest, e. g., utrum excommunicatio qua talis unquam aliquem effective avertit a matrimonio quod iam coram Ecclesia invalidum fore rescivit. Iam multa sunt argumenta quibus persuasum nobis habere possumus quod Ecclesia caeremonias liturgicas digniores solemnioresque permittere, tam ob motivum oecumenicum quam ad ipsam matrimonii dignitatem ostendendam.

Sed cum exinde ad quaestiones formae et cautionum deveniamus res iam multo magis complexa fit. Considerandi enim sunt non tantum effectus concreti novarum legum sed effectus psychologici, singulis casibus, ipsius mutationis qua talis. E. g., in schemate nostro relate ad pro-

missionem a parte catholica dandam dicitur quod promittere debet « in quantum potest ». Haec verba non sunt *explicite*[4] in lege vigenti sed certissime subintelliguntur, quia subintelliguntur in omni obligatione positiva. Quinam erit effectus psychologicus introductionis *mentionis*[5] explicitae horum verborum in nova lege?

Relate ad partem acatholicam dicitur in schemate quod constare debet « eam non repugnare » promissionibus a parte catholica factis. Sed quomodo constare debet? An sufficit opinio partis catholicae an requiritur assertio explicita a parte acatholica? Nam si de facto non est unio animorum et voluntatum inter partes de hac quaestione, *nempe de educatione religiosa puerorum,*[6] ipsum matrimonium initium sumit cum problemate summae gravitatis irresoluto.

Alias difficultates et suggestiones habeo de forma canonica in hac re quas longius esset hic exponere et quas secretariatui scripto tradam.

Concludendo vero[7] hoc vellem dicere, quoad formam voti Summo Pontifici deferendi *de qua hac mane audivimus.*

Hic vellem dicere de quaestione,[8] nempe utrum hoc votum debet continere vel non approbationem nostri schematis.

...[9] Venerabiles Patres — praesens schema nonnisi octo dierum spatio in manibus habemus, dierum sane non otio solum nec quietae reflectioni deditarum. Per aliquot tantum horas schema disceptare possumus. Si qua par est gravitate rem gravissimam tractare intendimus an possumus approbare, etiam provisorie tantum, mutationem substantialem legis in re tam complexa simul et tanti momenti pro salute animarum? Mea humili opinione, nullum parlamentum in mundo, nulla assemblea nationalis ut dicitur, de re tam gravi tamque subtili et complexa mutationem legis approbaret post paucarum tantum dierum examinationem et paucarum horarum disceptationem. Hoc dico, non quia nullam mutationem legis in hac materia admitterem, *e contra*[10] ut iam dixi, sed quia timeo pro istis bonis — stabilitas institutionis matrimonii et bonum religionis qua tale — quae fratres nostri seiuncti, aeque ac nos, protegere volunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] seiunctis. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] Sed. [10] deest.

13

EXC.MUS P. D. HADRIANUS DJAJASEPOETRA
Archiepiscopus Djakartanus

Venerabiles Patres et Adstantes dilectissimi,

Loquor in nomine plurium Patrum Concilii et quidem ex diversis nationibus, utique sane ex Indonesia.

Schema voti *de matrimonii sacramento* agit praesertim de aspectu iuridico matrimonii et ponit in numero primo descriptionem seu definitionem matrimonii tam naturalis quam supernaturalis. Quod est rectissimum. Descriptio autem matrimonii naturalis sic sonat: « sacrum amoris foedus ad dignam hominum propagationem sacramque vitae legem tuendam a Deo institutum ». N. 1, pag. 11, linn. 3-5.

Si tamen hanc descriptionem comparamus cum concretis formis matrimonii, quales inveniuntur in campis culturae non occidentalis, sicut in Indonesia vel etiam in Africa, Pakistan, India, China, etc., reperimus, quod in descriptione matrimonii naturalis in schemate proposita non satis habetur ratio formarum matrimonii, quae in usu sunt in regionibus supra dictis. Reminiscamini, venerabiles Patres, illorum verborum cuiusdam mulieris Pakistanae ad homines occidentales: « Vos matrimonium contrahitis, *quia* amatis; nos, amamus, *quia* matrimonio sumus coniuncti ».

Quapropter proponimus descriptionem *matrimonii naturalis* hanc: « Sacrum ac humanum vitae consortium inter virum et mulierem ad constituendam familiam a Deo institutum ».

Exponamus paulisper: 1. Accentus principalis non est ponendus in actu matrimonii contrahendi (« contractus », « foedus »), sed in permanente associatione totius vitae (« vitae consortium »). Hoc autem consortium est — sacrum, inquantum coniuges conscii sunt se uniri vinculo inviolabili et quodammodo sopramundano seu divino (« a Deo institutum »); — humanum i. e. plene humanum, inquantum includit unionem totius vitae et totius personae, scil. animarum, affectuum, sollicitudinum et corporum.

2. Non primo loco ponendus est amor inter coniuges, quia extra culturam occidentalem matrimonium plerumque non contrahitur ex mutuo amore contrahentium, qui saepe se invicem vix norunt, sed ex voluntate parentum vel stirpis. Foedus ergo saepe non ex amore. Sed potius amor mutuus tamquam fructus matrimonii paulatim maturescens habetur.

3. Primum quod in matrimonio intenditur, est apud multos, ut familia constituatur nova, et ita stirps perpetuetur.

Venerabiles Patres, nostram descriptionem matrimonii naturalis propositam repeto: « Sacrum ac humanum vitae consortium inter virum et mulierem ad constituendam familiam a Deo institutum ». Dixi. Gratias.

[*Subscripserunt etiam*] Q. Pessers, praef. ap. Kiangchow; N. Schneiders, arch. Makassar; G. Legeland, praef. ap. Weetebula; H. Tillemans, vic. ap. Merauke; T. Broers, ep. Caravelas; G. Kramer, ep. Luanfu; M. Olçomendy, arch. Malaca-Singapore; P. Kerketta, arch. Ranchi; A. van den Hurk, arch. Medan; J. Buis, ep. tit. Astipalea; A. Thyssen, ep. Larantuka; N. Verhoeven, ep. Manado; J. Klooster, ep. Surabaia; P. van Diepen, praef. ap. Manokwari; R. Staverman, vic. ap. Sukarnapura; H. Mekkelholt; W. Sillekens, ep. Ketapang; N. Geise, ep. Bogor; J. Darmajuwana, arch. Semarang; A. Sol, coad. Amboina; T. van Valenberg, ep. tit. Comba; P. Sani, ep. Denpasar; Th. van den Tillaert, ep. Atambua; J. Soudant, ep. Palembang; A. Hermelink, ep. Tandjung-Karang; J. Romeijn, ep. Samarinda; L. van Kessel, ep. Sintang; W. Demarteau, ep. Bandjarmasin; N. van. der Westen, ep. Pangkalpinang.

Moderator: Audiant Patres, tempore urgente, visum est moderatoribus ut proponatur Patribus quaestio: an placeat ut finiatur discussio de schemate voti de matrimonio, ut postea fiat suffragatio indicata; qui assentiunt huic propositioni surgant in locis suis, quibus autem non placet maneant in sedibus.

Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur ergo, Patres venerabiles, ultima suffragatio et patientiam habeatis. Quaesitum ita sonat: « An placeat Patribus ut votum *de matrimonii sacramento* in Concilio disceptatum, cum omnibus animadversionibus factis a Patribus, remittatur ad Summum Pontificem, ut ipse de iis quae in voto continentur et in Concilio disputata sunt, decernat? ».

Repeto, sed ad maiorem claritatem. Dico observationes de quibus fit sermo posse ad nostram secretariam mitti intra finem huius mensis, nam res quantocius deferenda est Summo Pontifici. Ergo observationes de quibus loquimur sunt observationes factae vel ore vel scripto a Patribus hucusque et etiam eae quae fient scripto intra diem ultimam huius mensis. Ergo repeto quaesitum:

« An placeat Patribus ... ». Responsio duplex tantum esse potest: *placet* et *non placet.*

Oportet, Patres venerabiles, exspectare ut schedae conficiantur, au-

ferantur, machinis mechanographicis elaborentur, ut dicitur, et exitus habeatur.

Hoc tempus non curret inaniter, nam aliquas communicationes dandas ego habeo. Et imprimis lego vobis, Patres, epistolam aliquam quae refert aliquas voces Patrum conciliarium, qui sunt impediti quominus in Concilium venerint et veniant. Hanc vocem nos maxima reverentia audiamus, et erga fratres nostros sensus venerationis amoris et gratitudinis iam promimus.

« Venerabiles Patres, animo commoto, vobis, venerabiles Patres, pro credito mihi officio annuntio quaedam testimonia fraternae caritatis quae inter hanc sessionem Concilii ad nos missa sunt a non paucis exc.mis Fratribus nostris in episcopatu qui impediuntur ne munus episcopale sibi mandatum libere exerceant. Ut probe nostis, ii singuli vocati sunt ad participandum commune hoc opus nostrum, sed propter rerum conditiones et adiuncta, lugenda omnibusque nota, iisdem non est data facultas se conferendi ad sepulchrum S. Petri et nobis se iungendi ».

Ex his testimoniis patefit, verbis quidem animum reapse permoventibus quae omnia hic afferre non possum, illos fratres nostros spiritu hic esse praesentes, eosque preces fundendo et dolores corporis et animi quotidie Deo offerendo laboribus nostris interesse, laboribus, scil., ut unus ex eisdem asseverat, qui ad pacem in mundo conciliandam et ad eius salutem procurandam pertinent.

« Omnes vos complector fraternae caritatis affectu — ita alius ex iis exclamat —, vobisque significo obsequium meum coniunctum cum fide inconcussa in Christum, cum fidelitate quam defutura erga Ecclesiam et coniunctum cum lacrimis et doloribus qui acriores redduntur quod mihi non licet quidquam operis facere ».

Ii dilectissimi Fratres nostri, venerabiles Patres, certi sunt et fidentes nos sui memoriam agere ad altare Domini, atque una nobiscum Deo omnipotenti preces adhibent eumque implorant, ut Ecclesiae in suis regionibus tranquilliora tempora concedat. Ac persuasum sibi habent operam Ecclesiae eiusque pastorum eo contendere ut homines singuli moraliter et spiritualiter nobilitentur atque adeo populi ad veri nominis progressum et ad bonum firmum ac stabile perducantur. His animi sensibus etiam nos, exemplum secuti Summi Pontificis qui in sermonibus, quibus has sessiones est auspicatus, illos fratres in episcopatu paterno amore est recordatus iisque salutem dixit, cupimus respondere.

« Quod quidem omnium nomine facere volo illorum memoriam hic recolendo, consociatam cum iis voluntatem nostram significando, maxime

vero preces fundendo, quod peculiari modo in Eucharistico sacrificio fiet, quod cras pro illis pastoribus et fidelibus offeretur qui Christi causa dolores patiuntur. Utinam Deus iis adsit eos protegat et confirmet et utinam exempla fortitudinis eorum nos impellant ut officium pastorale impensius et efficacius in dies geramus. Quod quidem officium eo pertinet ut pax in toto terrarum orbe incrementis augeatur non solum inter populos sed etiam intra singularum nationum fines. Pacem dicimus, quae innitatur in iustitia, veritate, caritate et observantia, quibus omnes fruantur oportet etiam catholici » [*plausus*].

Nunc, Patres, alias communicationes do minoris momenti. Quoad schemata, vel discussa vel distributa, haec prae oculis habeatis. (Potestis scribere notas si vultis). Quoad schema *de divina revelatione,* nihil aliud faciendum est nisi ut exspectetur proxima Concilii sessio, in qua suffragationi subiicietur expensio modorum facta a commissione. Ergo non sunt observationes mittendae, tantum modi expendendi sunt et hoc fieri debet in congregatione generali.

Quoad schema *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas* nunc lego exitum suffragationis finalis:

Praesentes votantes		1.996
Dixerunt	*placet*	1.651
	non placet	99
	placet iuxta modum	242
Suffragia nulla		4

Ergo textus est probatus in congregatione generali sed modi, ut moris est, examinabuntur a commissione; uti dixi, hi modi vel iam exhibiti sunt vel exhiberi etiam possunt amplius intra diem 31 ianuarii anni proximi, ad maximum; nam bene est ut modi mittantur prius, ita ut commissio eos expendere possit.

Prosequor: *de ministerio et vita presbyterorum,* mitti possunt observationes seu animadversiones intra diem ultimam mensis ianuarii anni proximi.

Pariter observationes mitti possunt intra eundem terminum quoad schema *de libertate religiosa* prouti heri ab em.mo Praeside dictum est.

Et nunc, Patres, cogitemus ad sessionem publicam quae crastina die fiet; iam intimationem habuistis, dubia etiam soluta habuistis; et si quod remanet per vos solvatis. Omnes stent in hac aula praeter eos qui comitari debent Summum Pontificem, hora 8 cum dimidio. Attamen sollemnis caeremonia incipiet hora 9.

Postquam concelebratio facta fuerit, incipiet sessio sollemnis pu-

blica iuxta ordinem qui descriptus est in libello apposito et quem vos habetis, spero, Patres. Aliquid spectat ius, aliquid caeremonias; quod spectat ius habetur in Ordine Concilii celebrandi, quod spectat caeremonias in Ordine quem protulit initio huius Concilii Praefectus caeremoniarum apostolicarum.

Sed quod magni momenti est, oportet ut Patres recordentur quomodo suffragatio facienda sit. Imprimis, quaenam constitutiones vel decreta? Summus Pontifex concessit ut in sessione publica ageretur de constitutione dogmatica *de Ecclesia,* de decreto *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis,* et de decreto *de Oecumenismo.*

Quapropter erunt tres suffragationes; spero fore ut celerius omnia fiant quam in anteacta sessione publica, quamvis etiam tunc celerrime factum sit. A. v., non exspectabimus pro legendo sequenti decreto ut primae suffragationis exitus cognitus sit. Faciemus ut in nostra congregatione: postquam facta fuerit suffragatio super primo documento, nempe super constitutione dogmatica *de Ecclesia,* quin exspectetur exitus, proponetur pro suffragatione secundum documentum, et ita porro. Postea, exitus omnium suffragationum prout statuet Summus Pontifex, uti patet, communicabuntur Summo Pontifici qui suum votum dabit et, si erit positivum, ipse iubebit promulgationem.

Ergo omnia ex ordine fiant; spero vehementer fore ut nullum sit votum iuxta modum vel votum nullum. Nam totus mundus nos conspicit et audit, ut videtis. Bene.

Postquam suffragatio facta fuerit assignatores locorum dabunt Patribus folia quibus suas subsignationes apponent. Episcopi, vel Patres conciliares, qui sunt procuratores aliorum Patrum possunt statim suas subsignationes tamquam procuratores etiam apponere. Reliqui procuratores qui non sunt Patres subsignationes apponent in nostris officiis, in officiis secretariae, intra proximam hebdomadam. Sed haec omnia, Patres, hypothetice dicta sunt, nonne? si omnia probabuntur a Summo Pontifice; hoc patet.

Subsignatio — lente dico, non solum ut intelligatis, quia bene intelligitis, sed quia exspecto exitum suffragationis — subsignatio, ut iam scitis, fit hac formula: « Ego — cum nomine, cognomine et titulo — Primas, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Praelatus Nullius, Praefectus, Superior Generalis etc.; et qui sunt ex ordine episcopali apponent crucem ante nomen. Cardinales eminentissimi iam sciunt. Sed etiam pro iis forma est: « Ego, etc. ». In primis subsignabunt Cardinales iuxta ordinem praecedentiae et postea iuxta ordinem quae est subselliorum subsignabunt alii Patres. Hic praecedentia observatur secundum modum, non potest observari perfecte; sed non puto esse ne-

cessarium ad validitatem documenti. Ego iam nihil habeo aliud dicere, sed ...

Moderator: Tunc, exc.me Domine, me sinas loqui!

Venerabiles Patres, carissimi Fratres et Sorores.

Ad finem cum pervenerimus ultimae nostrae congregationis generalis, breve verbum mihi permittatis, nomine collegarum meorum moderatorum, gratiarum actionis.

Primum animum vertere placet ad Dominum Ecclesiae in cuius Spiritu specialiter eramus congregati quod, post labores, praeoccupationes, anxietates, donavit Ecclesiae suae messem uberem quae crastina, sessione publica, introducetur in horrea tribus schematibus perfectis, uti modo audivimus. Alia autem schemata diversis gradibus sunt introducta hac sessione quasi in via ad finem qui, durante quarta Concilii sessione, speratur a nobis omnibus.

Filialis gratitudinis sensus offerre iuvat hoc momento amantissimo Patri nostro Paulo VI, qui, pluries [*plausus*] erat inter nos, Concilii viam tanta diligentia curaque prosequebatur et insuper, non obstante tanta mole laboris, tot episcopos coram se paterne accepit.

Nunc autem vobis omnibus gratias agere oportet, diversis diversimode, sed omnibus ex toto corde. Meminimus grato animo commissionum praesidum, earum membrorum ac etiam — et speciali gratitudine — peritorum [*plausus*], qui aestum et pondus Concilii portabant et fundamenta iecerunt operi perficiendo vel iam perfecto. Veniamus ad secretariatum. Exc.mus D. secretarius generalis, qui intrepida opera [*plausus*] laborabat et toties nos amabiliter alloquebatur eiusque collegae speciales merentur gratias nostras [*plausus*]. Sed ne obliviscamur multos cooperatores, qui in abscondito vel palam (uti assignatores) opus suum perutile perficiebant [*plausus*]. Gratias agimus maximas Observatoribus, qui fraterne nobiscum erant [*plausus*] benevole audientes interventus nostros prosequentes laborem nostrum necnon toties inspirantes laborem Concilii.

Gratias agimus parochis, confratribus nostris [*plausus*] aliisque sacerdotibus in clero saeculari et regulari, qui nobis pro presbyterio in Domino coniuncto stant, tanto zelo et tanto labore.

Gratias agimus etiam Auditoribus et Auditricibus [*plausus*] qui, vel quae, repraesentantes populum Dei in statu laicatus, nobis diversis modis nostrum adiuvabant opus et insuper nobis semper ostenderunt cuinam servitium opusque totum Concilii servire velint.

Denique omnibus vobis, Patres venerabiles, fraterna cum caritate gratias pro cooperatione vestra pro fine Concilii essentiali, pro comprehensione et etiam patientia quae habuistis etiam cum nobis moderatoribus. Domum, post crastinum gaudiosum diem B. Mariae Virginis, salvi redeatis et viribus renovatis labore pastorali ditati, revertamur Romam feliciter, ut possimus, adiuvante Domino, feliciter perficere quod nomine suo coepimus. Dixi.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, gratias agamus omnes em.mis moderatoribus [*plausus*], et lego exitum ultimae suffragationis.

Praesentes votantes		2.024
Dixerunt	*placet*	1.592
	non placet	427
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		3

et cum suffragiis nullis terminamus nostras congregationes.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA VOTI DE MATRIMONII SACRAMENTO

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA VOTI DE MATRIMONII SACRAMENTO *

1

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Supprimatur paragraphus sub n. 6, lit. b: « Matrimonium contractum coram sacerdote ... celebretur ». *Rationes*:

Dispositio haec est *eversiva sanae disciplinae pastoralis,* iuxta quam nempe potius urgenda videtur reservatio parocho iuris assistendi matrimonio suorum subditorum.

Ex adoptione textus propositi, timendum est ne abusus permulti irrepserint. Nam *facultas* vel *delegatio* de qua sub littera *a*) eiusdem numeri non iam apparet ut conditio *validae* assistentiae sed *licitae* tantum. Eo quod licentia, ex se, datis utique dandis praesumi potest, timendum est ne sacerdotes sat numerosi, religiosis non exclusis, nimis facile praesumant sese licite agere non recusando ministerium expostulatum. Exinde grave profluit periculum quod matrimonia contrahentur non adimpleto processiculo de libero statu nupturientium; pariter grave periculum quod augeantur matrimonia *clandestina,* cum sacerdotes absque delegatione aut licentia ad matrimonium valide assistentes, culpam suam revelare non audeant.

Ratio quam affert schema, in nota adiuncta, nempe quod ita practice excluditur usus erroris communis quod ad assistendum matrimonio attinet, *nihil valet.* Etenim ratio huiusmodi invocari nequit nisi fundata in interpretatione manifeste extensiva, quin dicam laxista, responsi Commissionis Pontificiae d. 26 martii 1952. Quodsi haec interpretatio esset legitima, ob rationes supraexpositas potius expostulanda esset revocatio responsi quam eius confirmatio a SS. Concilio.

[*Subscripsit etiam*] L. van Peteghem, ep. Gandavensis; A. Renard, ep. Versaliensis.

---

* Huiusmodi textus lecti non fuerunt, vel quia Patres, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH HENRICUS ALBERS
Episcopus Lansingensis

1) The dispensation from the form of marriage for mixed marriages as contained in Paragraph 5b will result, in our religiously pluralistic society, in a decrease in respect for marriage and the sacred ministry of the parish priest.

2) The reasons stated in Paragraph 5b for granting such dispensations from the form are so vague that the legislation would practically abolish the form of mixed marriages.

3) The proposed legislation does not adequately safeguard the spiritual welfare of the children of mixed marriages.

4) Foreseeable problems in marriage, especially religious problems, should be taken care of before, not after, marriage, and the proposed legislation does not make adequate provision for the exercise of such prudence.

5) The proposed legislation will not foster ecumenism (one of its stated purposes) in our country. Because we have about 60,000,000 Americans not enrolled in any church (according to Protestant and secular sources), the failure at least to propose the *cautiones* to any partner in a mixed marriage could confirm a person not affiliated with any church in his indifference toward religion.

6) The proposal contained in Paragraph 6b (enabling any priest to witness validly a marriage, even against the prescriptions of canon law) dangerously diminishes the responsibility of the pastor and parish assistants for marriage. Furthermore, it diminishes effective control by the Ordinary of the marriages in his diocese.

7) Such changes in marriage legislation could be referred to the national conference of bishops of a country.

3

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ALDEGUNDE DORREGO
Archiepiscopus Tingitanus

Super tribunali competenti in causis matrimonialibus. Tribunal Vicariatus huius almae Urbis gaudet competentia in causis matrimonialibus etiam ratione merae praesentiae Romae, ut ei tribuitur in can. 1562, par. 1.

Partes interesse habentes inveniunt sic medium perfacile ad effugiendam iurisdictionem propriam et normalem tribunalis dioecesani competentis, in quo maxima et immediata copia probationum exstat ad cognoscendam et diri-

mendam causam nullitatis, praesertim cum in loco tribunalis dioecesani notae sint circumstantiae personales et occasionales tum contrahentium, tum testium adductorum.

Ex eo praesertim capite, oratores seu accusatores matrimonii renuunt tribunalis competentiam proprii Ordinarii, et advocatorum consilio non semper bona fide ductorum instructi, ex professo visitationis causa apparente, veniunt Romae eo deliberato proposito ut advocari possint competentiam tribunalis istius vicariatus.

Inde sequitur, ut non raro accidit, quod nonnulla matrimonia, quorum validitas extra dubium in loco habebatur, magno scandalo fidelium ad exitum declarationis nullitatis perveniant; quod minime adipisci coniugibus persuasum erat apud proprium tribunal dioecesanum. Hoc insuper multis fidelibus et aliquando non fidelibus ansam praebet ad pravas cogitationes circa impartialitatem et rectitudinem tribunalis romani, ac si hoc veritati responderet, eo vel magis quod fere semper agitur de coniugibus divitiis affluentibus.

Ea omnia meo humili iudicio, suadent convenientiam suppressionis istiusmodi competentiae accidentaliter tributae Tribunali Vicariatus Romani.

Pro abrogatione impedimenti disparitatis cultus. Notum est validitatem matrimonii inter partem catholicam et partem non baptizatam initi, in praxi pendere ex sinceritate promissionum seu cautionum quas praestare debet usque adhuc pars non baptizata, propterea quod ex ipsa sinceritate promissionis pendeat validitas dispensationis impedimenti.

Iam vero, in casibus particularibus anxietatibus conscientiae frequenter angitur qui dispensationem concedit quia non ex toto potest habere certitudinem circa veracitatem promissionis. Et quamvis sufficiat moralis certitudo de sinceritate promissionis ad dispensationem concedendam, magis firmum et certum est quod, si forte deficiat ipsa sinceritas, dispensatio nulla est, et consequenter, matrimonium ipsum.

Insuper et inde, talibus in adiunctis, semper remanet matrimoniis huiusmodi possibilitas et periculum promovendi ex hoc capite causam nullitatis.

Eadem vero quaestio exsurgit, sive sit parti non baptizatae, sive parti catholicae cui iniungatur obligatio de promissionibus praestandis, si tamen ad validatem dispensationis exiguntur.

Igitur ad consulendum magis ac magis huic gravi problemati, salvis exigentiis iuris divini, et ad mentem decreti *de Oecumenismo,* abrogetur lex ecclesiastica quae sancit tanquam dirimens impedimentum sic dictum disparitatis cultus.

4

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

In view of the many and substantial differences which exist in the various countries of the world concerning the spiritual welfare of the Catholic faithful who propose to enter a mixed marriage, I strongly recommend that any changes in the existing laws of the Church be submitted first to the National Episcopal Conferences for judgment before being incorporated in the revised Code of Canon Law.

I am particularly concerned that there be no dispensation allowed from the form of marriage for Catholics in our country. The power of giving broader delegation to priests who have the faculties within a particular diocese could be advantageous, but the investigation of freedom to marry and the *"cautiones"* should be required in writing from the Catholic party and at least by the pledged word of the non-Catholic party to the marriage.

5

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

Comma relatum in pag. 14, n. 6, litt. b), linn. 15-22, expungatur. *Ratio* est quia forma proposita occasionem dare potest gravissimis incommodis.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES KODWO AMISSAH
Archiepiscopus Litoris Capitis

Schema propositum, prouti iacet, dignum est quod probetur. Si quid tamen opinari licet, aliquali indiget, sub diversis respectibus, declaratione et completione. Pauca suggeram relate ad artt. 3 et 4 ut melius iidem articuli postulatis art. 2 respondeant.

Generali huius Vaticani II Concilii Oecumenici scopo pastorali et accommodationis plene consentaneum, schema sub discussione, praeter Ecclesiae officium firmiter tuendi et docendi ius divinitus revelatum et sancitum, in art. 2 clare exprimit ipsius Ecclesiae officium tuendi necnon promovendi huiusce iuris observantiam *pro temporum locorumque necessitatibus, per additas leges ecclesiasticas diversis conditionibus accommodatas,* idque « *ut pastorale ministerium expeditius reddatur et pericula et minacia* remediis

opportunis praecaveantur ». Ut his desideratis satis fiat, schema totam matrimonialem legislationem sub quattuor titulis conclusit eo consilio ut esset « magis consentanea curae animarum et diversis locorum temporumque condicionibus accommodata ».

Incomplete tamen schema adsequitur finem suum in redactione art. 3 b) qui est de promiscuis connubiis, mixtae scil. religionis et disparitatis cultus. Sub hoc respectu magnopere peroptatur ut commissio cui Codicis reformatio concredita est, cum agatur de legibus matrimonialibus renovandis atque accommodandis, prae oculis sedulo habeat non tantum condiciones illarum regionum quae Christo et Ecclesiae acquisitae feliciter iam fuerunt, verum etiam condiciones ceterarum regionum in quibus Ecclesia est plantanda et constabilienda, regionum nimirum missionarum. Quae quidem urgent praesertim in legislatione exaranda circa mixta connubia.

Etenim can. 1060 vigentis Codicis diserte asserit: « quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici aut prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur ». Haec adeo generalis ac vaga assertio nonne ad trutinam a commissione pro Codicis renovatione revocanda esset ut aptiori formulatione exprimantur quae magis consentanea sint conditionibus plurimarum regionum de quibus ipsum nostrum schema de matrimonio in artt. 2 et 3 mentionem fecit necnon postulatis aut desideriis prolatis in schemate *de Oecumenismo?*

Ast, quod ulterius investigari oportebit a peritis theologis et canonistis est ipsa substantia canonis 1060. Quosque enim pertingit illa divina lex quae huiusmodi promiscua connubia vetat? Ex his quae recenter declarata fuerunt a Sancta Sede in quibusdam responsionibus, nonnulli arguunt ius naturale ad matrimonium ineundum, iuri divino fidem servandi, in quibusdam circumstantiis praevalere. Verumtamen, circumstantiae huiusmodi quae exceptionales utique sunt in regionibus sic-dictis catholicis, quotidie occurrunt in regionibus missionariis in quibus catholici numero admodum pauci sunt. De re adeo momentosa schema, praesertim vero codex reformatus, aliqua delibare deberet quo melius ac securius animarum Pastores qui casibus intricatissimis coangustiantur, aptas solutiones invenire valeant.

Exprimi ergo oporteret generali quadam ratione in schemate de matrimonio, pressius vero in Codice reformato, quibus sub condicionibus habeantur iuris naturalis praelationes super exigentias iuris divini et iuris ecclesiastici, si quae revera sint huiusmodi iuris naturalis praelationes. Sane, nec desunt classici ac solidissimi auctores, nulla suspicione irretiti, qui palam et sine ambagibus non sunt cunctati asserere « multo verius esse non esse id matrimonium (scil. fidelis cum infideli) irritum aliquo iure naturali divino, aut divino positivo, sed solo iure ecclesiastico » (SANCHEZ, *De Sancto Matrimonii Sacramento,* T. II, Lib. VII, Disputatio LXXI, nn. 5 et 7).

Haec ulterior rei declaratio ac determinatio necessaria reputatur eo quod verbis canonis citati extraordinaria insit vis: « *Severissime* Ecclesia ubique prohibet ... » « ...coniugium *ipsa etiam divina lege vetatur* ». Merito animarum Pastores cunctantur dispensationem ab impedimento petentibus elargiri

propriam persentientes conscientiam gravissime oneratam. Quo fit ut saepissime dum dispensationes ad periculum defectionis a fide praecavendum denegentur, coniuges de facto ab Ecclesia deficiunt vitam maritalem concubinario more instituendo aut civile tantum matrimonium ineundo coram Magistratu quando a matrimonio coram Ecclesia arcentur.

Quae de generali principio delibavimus in superioribus circa can. 1060, animadverti quoque debent de can. 1061 quoad illam moralem certitudinem de cautionum implemento quae exigitur ut dispensatio concedi valeat. Non levis mentium confusio orta est de vi et ambitu et extensione huius praescripti, praesertim post recentes editas S. Congregationis S. Officii responsiones. Candide fateor non esse cur Oecumenicum Concilium de his peculiaribus quaestionibus curet aut decernat; sed non videmur a scopo nostro exulare si desiderium modeste proferamus quod in Codicis reformatione, Concilio petente aut proponente, obiectum huius moralis certitudinis accuratius determinetur, formula apta et inaequivoca.

Eo magis haec urgent quod in plurimis regionibus pene impossibile est ut animarum Pastores hanc moralem certitudinem de cautionum implemento sibi acquirent; obstant enim contrariae populorum consuetudines ac hodiernae societatis praevalens opinandi modus. Quibus in casibus et subauditis his rerum condicionibus, locorum Ordinarii dubitari possunt de cautionum adimpletione quin tamen habeant moralem certitudinem *non-adimpletionis* cautionum, quae est res sane diversa.

Integra ergo legislatio matrimonialis profunde ad trutinam esset revocanda ut aptae solutiones ac formulae inveniantur quibus simul et bono animarum prospiciatur et scopus propter quem Vaticanum Concilium II coactum fuit plene in posterum et apud omnes quippe gentes adsequetur. Eapropter oportebit ut commissio ad Codicis canones revisendos deputata, prae oculis sedulo habeat condiciones gentium ac populorum diversae indolis ac culturae, ut lex sit vere generalis ac universalis qualis ab omnibus peroptatur.

Circa formam vero matrimonialem hoc unum esset quoque perpendendum a peritis canonistis: Nonne oporteret ut forma matrimonii iuxta ius consuetudinarium aut ius scriptum uniuscuiusque populi ac gentis formam canonicam suppleat, aut saltem eidem canonicae formae inseratur, iuxta prudens ac ponderatum Ordinariorum singulorum vel episcopalium conferentiarum iudicium, Sancta Sede approbante? Nemo enim est qui ignoret momentum huius formae consuetudinariae apud quosdam populos propter eminentem significationem socialem quam induit. Nullatenus expedit Ecclesiam, quae apud nullam gentem stirpemque est aliena, huiusmodi consuetudines ignorare aut parvi pendere. Ceterum, haec quae proponuntur consentanea sunt diuturnae doctrinae ipsius Sanctae Sedis planeque congruunt litterae ac spiritui constitutionis *de sacra Liturgia,* artt. 37 et 77, in quae magnopere commendatur inclusio caeremoniarum aut consuetudinum uniuscuiusque gentis ritui matrimoniali catholico. Profecto, huiusmodi locales usus, ab omni superstitionis ac immoralitatis lue purgati, quam maxime conferre

possunt ad illam actuosam populi participationem in cultu quam ipsa liturgica Constitutio peroptat. Ut exemplum afferam, anulorum benedictio ac impositio pro plurimis populis quavis significatione caret quia usu non veniunt anuli, dum alii locales usus aut caeremoniae eloquentius idem suggerunt ac denotant.

Quibus breviter praemissis, qua par est modestia ac reverentia, haec tria vota Patrum benignitati commendo:

1. Quia de re agitur in qua summum plerumque animarum discrimen vertitur, velit Concilium Sacrosanctum Sanctissimo Domino Nostro supplices porrigere preces ut quantocius, quin Codicis renovatio exspectetur, Motu Proprio congrua disciplina de huiusmodi promiscuis nuptiis edatur, qua animarum Pastores securis in re criteriis uti valeant.

2. In his vero quae spectant artt. 3 et 4 schematis *de Matrimonio,* periti canonistae reformationi Codicis addicti ultro et libenter experientia utantur episcoporum et missionariorum qui in missionum territoriis in universo mundo operam apostolatus navant.

3. In hunc finem velit tandem Concilium Oecumenicum postulatum exprimere ut omnia scripta, studia, ponentiae ac interventus huius Concilii argumentum de mixtis matrimoniis tractantia, ad commissionem pro Codicis reformatione opportune transmittantur, eo consilio ut periti ipsi qui operi reformationis incumbere debent, copiam habeant quam confertam problematis aspectuum, quo aptiorem undique legislationem parare queant ad maiorem Dei gloriam ipsiusque Sanctae Matris Ecclesiae bonum ac incrementum.

7

Exc.mus P. D. IOSEPH BÁNK

Episcopus tit. Materianensis, aux. Iaurinensis

Cum inde a viginti annis doceo ius canonicum in quadam Facultate Theologica liceat mihi in hac materia quae mihi tam cordi est, etiam ad particularia descendere (cf. Bánk, *Connubia canonica,* Romae, Herder, 1959).

I. *Praenotamen.* Valde dedecet ipsum sacrum matrimonii sacramentum, ut sicuti schema facit, totam rem summi momenti duabus paginis absolvat.

Nostra interlocutio respicit numerum tertium et quartum istius voti schematis.

Nemo non videt, quam in maximo discrimine versetur sacrum matrimonii institutum fere in toto orbe terrarum. Maximum periculum atque discrimen in *divortio* est positum, quod per portam matrimonii civilis late latiusque apertam, in fere omne regnum mundi irrepebat. Homines *sensuales* matrimonium ratione libidinis spectant, quin ex culmine spiritualitatis spectent. Individualismus extremus docet legem familiarum felicitate *tantum*

individuorum statui. Quod tamen omnino falsum est. Matrimonium absque servitio seu absque sacrificio non potest existere.

Nunc quaeritur, hoc institutum quod tantis vulneribus secus viam volutatur, quomodo possit ab Ecclesia samaritana mederi?

1. Indoles sacra matrimonii, omni quo fieri potest modo, restituenda est.

2. Legislatio nova canonica de matrimonio magis simplex et curae animarum magis consentanea sit. Salvis legibus iuris divini, sive naturalis, sive positivi, tollantur praescripta iuris positivi ecclesiastici, quae iam in mundo huius temporis *aliena* et *antiquata* censentur.

3. Quaestiones disputatae in hac re denique authentice solvantur.

II. *Propositiones concretae*: a) *Ad n. 4 de praeparatione ad matrimonium.* Intolerabilis, immo scandalosa est illa ignorantia atque lentitudo, cum qua nupturientes ad matrimonium contrahendum accedunt. Saepe saepius cito et ex improviso accedunt ad altare nuptiale. Ad primam communionem atque ad confirmationem requiritur praevia praeparatio, in Ordinibus et Congregationibus religiosis votum perpetuum, praevio tantum novitiatu, praeviisque votis temporariis emitti potest. Tantum in ordine religioso severissimo, nempe in matrimonio emittitur votum quoddam perpetuum et in aeternum insolubile, *sine praevia praeparatione.* Et ideo iuvenes matrimonium contracturi *nesciunt quid faciunt.*

Quomodo fiat, venerabiles Patres, nova praeparatio ad matrimonium? En duo modi.

Restituatur desponsatio (sponsalitia) seu promissio matrimonialis. Si enim ante matrimonium contractum ad tempus v. g. tres menses obligatoria esset promissio formalis matrimonio, adesset tempus ad explorandos mores circumstantiasque contrahentium. Non solum partes sed etiam parentes et propinqui videre possent an sponsi ratione habita ideologiae, characterologiae atque biologiae specialis in harmonia, pace et felicitate spirituali possint vivere necne? In hoc tempore nupturientes rite praepararentur ad sacrum matrimonii sacramentum digne suscipiendum.

Ubi vero restitutio obligatoria promissionis matrimonialis qualibet ex causa impossibilis est, instructio et examen sponsorum a parochis competentibus severissime exigatur. Ita ut parochus aliusque sacerdos, qui absque praevia eaque seria instructione alicui matrimonio assistere audeat, ab Ordinario gravissime puniatur, non excepta, si casus ferat, suspensione ab officio. Ceterum nova edatur Instructio practica de examine et instructione sponsorum.

b) *De impedimentis.* Schema recte promittit abolitionem impedimentorum gradus minoris, quae sunt: consanguinitas in tertio gradu, affinitas in secundo gradu, publica honestas in secundo gradu, cognatio spiritualis, crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii.

Sed praeterea alia impedimenta mihi delenda videntur. Sic v. g. impedimentum impediens voti *simplicis,* et impedimentum *raptus.* Prius rarissime, alterum vero fere nunquam in hoc tempore occurrit.

c) *Disparitas cultus* eodem modo definiatur atque in iure orientali, ubi locum habet inter partem *ubique* baptizatam et non baptizatam. Ex diversa enim disciplina ambiguitas et incertitudo iuridica evenit. Ceterum expressio in can. 1070 et 1099, *baptizatus in Ecclesia catholica* nullibi authentice determinata est.

d) *De dispensationibus.* Leges super quibus facillime dispensatur, haud serio sumuntur. Ideo in dispensationibus concedendis novus modus introducatur. Ex causis *canonicis* (1877, *Fontes Iuris Canonici,* VIII, n. 4891) quae sunt sexdecim et ex causis *non canonicis* (Dataria Ap. 1902: *A.S.S.,* 34, 34) quae sunt tredecim, novus et *unicus* isque scientificus conficiatur catalogus causarum canonicarum, sine quibus dispensatio valide concedi non posset. Item nova eaque hodiernis temporibus accommodata Instructio edatur a competenti auctoritate de *declaratione et praesumptione mortis,* qua liber nupturientium firmatur status. Ante centum annos edita Instructio S. Officii iam obsoleta est.

e) *De errore.* Ad deceptiones in dies crebriores atque ad divortia ex hoc praecise capite obtenta lege positiva ecclesiastica statuatur: error *circa qualitatem personae* irritat matrimonium si quis graviter et dolose de alterius partis qualitatis magni momenti *deceptus* matrimonium ineat, quod revera aliter non esset contracturus, v. g. delictum grave patratum, mores corrupti, sterilitas, graviditas, homosexualitas, morphinismus, etc. (c. 1083). Error vero *circa conditionem servilem* personae quippe quae non amplius occurrit, auferendus esset.

f) Quaestio disputata, *de exclusione iuris vel usus iuris* circa qualitates matrimonii tandem aliquando solvatur. Vel ad normam iuris orientalis dicatur matrimonia *sub conditione* et *adderem* cum simulatione contrahi nequeunt. Sic numerus processuum plerumque hoc de capite illico ad minimum reduceretur.

g) Cum iuxta doctrinam acatholicorum matrimonium natura sua solubile sit, matrimonium *a duobus acatholicis* contractum *invalidum* praesumendum foret (et contrarium probandum); divortio enim obtento, huiusmodi cum parte catholica facillime contrahere possent matrimonium. Vel si hoc fieri nequeat, nullitas matrimonii duorum acatholicorum *processu summario* vel via administrativa declarari possit.

h) Ceterum *processus* isque matrimonialis simplicissimus reddatur ne partes decem annos expectare debeant ad sententiam assequendam.

i) Item processiculus conficiatur isque completus et scientificus de separatione a thoro et mensa, de matrimonio rato et consummato, de Privilegio Paulino et Petrino.

j) *De matrimoniis mixtis* quaedam verba facienda sunt. Fratres separati saepe saepius intransigentiae et intolerantiae accusant Ecclesiam catholicam cum praeviis tantum cautionibus parata sit assistere matrimoniis mixtis. Id quoque asserunt huiusmodi modus agendi spiritui oecumenismi obstare eo vel magis, quia huiusmodi matrimonia saltem in Germania (*Provida,*

18 ian. 1906) et in Hungaria (Instr. *Labruschiana,* 30 apr. 1841 et extensio *Providae* ad Hungariam, die 27 febr. 1909) valida erant. Ergo cur prohibetur post editum Codicem? Nemo fratrum quoque separatorum negare potest matrimoniis mixtae religionis *indifferentismum* promoveri in familia. Quidam pastor acatholicus Hungarus scripsit: « Calvinista firmae convictionis cum catholico item firmo et vicissim, nunquam, vel rarissime tantum matrimonium inibit. Firma eos persuasio absterrebit: felicem vitam coniugalem religionibus dissidentibus expectare non posse ». Similiter locuti sunt episcopi lutherani anno 1958 (cf. *Herderkorrespondenz,* XII (1937), 58, 518).

Sed ubi sunt nunc huiusmodi firmae religionis nupturientes?

In regionibus mixtae religionis permulta contrahuntur matrimonia mixta ob neglectam formam canonicam invalida. Permulti coniuges catholici in conscientiae angustiis cruciantur, quia non possunt accedere ad sacramenta. Quomodo his infelicibus Ecclesia succurrere poterit qui a Concilio quasi redemptionem animarum suarum expectent.

Pro praeterito. 1. Invalida haec matrimonia mixta quae ante decem saltem annos contracta sunt a Concilio in radice sanentur.

2. Poena excommunicationis (c. 2319) qua plectuntur partes coram pastore acatholico matrimonium attentantes deleatur. Neque enim matrimonium civile tali censura punitur. Ceterum in utroque casu prohibentur partes, quominus ad sacramenta accedant.

3. In casibus extraordinariis a conferentiis episcoporum in determinato territorio taxative determinatis concedatur tantum ordinariis facultas ut a forma canonica relate ad mixta matrimonia dispensare valeant, si partes ad cautiones dandas nullo modo induci valeant. Sacramenta sunt propter homines!!

Ad n. 5 schematis. *De cura matrimoniorum.* Magna pars neonupturientium v. g. octoginta ex centum diu post matrimonium contractum alienantur a vita religiosa. Ideo parochorum erit tempore baptismi et primae communionis puerorum, et occasione mortis familias visitare easque sancte munire et saecularizationem familiarum saltem impedire vel retardare.

In quadam parochia quolibet anno fiat triduum de familia, in quo separatim maritis separatim mulieribus et separatim iuvenibus nupturientibus sacra doctrina Ecclesiae de matrimonio et familia proferuntur. Familia est basis ubi iuvenes et senes in naturali communitate inveniuntur, et invicem adiuvare possunt in fine temporali et aeterno assequendo.

8

Exc.mus P. D. PETRUS VILLELMUS BARTHOLOME
Episcopus S. Clodoaldi

I. Because the Sacrament of Matrimony is so fundamental and basic to society, both civil and ecclesiastical, the world expects and deserves a more profound and fuller treatment of it from the Council. It is the most urgent, pressing problem of mankind; a few statements will be insufficient to accomplish an "aggiornamento" in modern man's approach to marriage.

II. Greater stress should be placed on the relationship of marriage to the *family,* since the family is the purpose and end of marriage. It should be made clear that people have a *right* to enter the marriage state, not when they are only biologically and sexually competent, but when they are suited and competent to handle all the responsibilities and duties of supporting and raising a family. Great stress must be put on personal, emotional and psychological maturity, as well as social and economic maturity.

III. It should be made clear that local Ordinaries have the right and duty to prevent contemplated marriages when the parties are immature and unsuited for bearing the responsibilities of founding and raising a family. This is necessary for the salvation of souls, the supreme law of the Church. Experience and social studies show that immaturity and lack of readiness and preparation are the chief cause for the failure of marriages. In the U.S.A., one-third of all marriages end in divorce, and one-half of all teen-age marriages end in divorce. The basic cause is the immaturity of those entering the marriage state.

IV. In keeping with the purpose of the Council—which is pastoral,—the schema needs to be basically pastoral in tone, instead of legalistic and juridical, as it is now. Our main concern must be to make lasting, stable, happy marriages and Christian homes, and not concentrate only on the validity of marriage.

V. It would be more beneficial to eliminate the proclamation of the banns, and to have, instead, a declaration and announcement of intention to marry, to be made two months before the time of the marriage. This would be a deterrent to hasty marriages, and would impress upon all, especially the youth, the necessity for a careful preparation for the marriage state.

Nn. 1, 2, 3. Amplianda sint.

N. 4. Placet, sed provision should be made to raise the canonical age of marriage, if not for the whole Church, at least for regions within the Church, to be determined by the Regional Episcopal Conferences.

N. 5 a. Non placet. This would lead to laxism and indifferentism, it would not foster ecumenism. The present discipline is much more favorable in bringing converts to the Church. The proposed legislation does not adequately safeguard the spiritual welfare of the children of mixed marriages.

Foreseeable problems in marriage, especially religious problems, should be taken care of before, not after, marriage, and the proposed legislation does not make adequate provision for the exercise of such prudence.

N. 5 b. Non placet. If this faculty is granted Ordinaries, there will be many people who will seek this permission, usually with insufficiently grave reasons. This will cause more bitterness and ill-will than the present discipline. In our religiously pluralistic society, this will result in a decrease in respect for marriage and the sacred ministry of the parish priest.

The reasons stated in this paragraph for granting such dispensations from the form are so vague that the legislation would practically abolish the form of mixed marriages.

The proposed legislation will not foster ecumenism (one of its stated purposes) in our country. Because we have about 60,000,000 Americans not enrolled in any church (according to Protestant and secular sources), the failure at least to propose the *cautiones* to any partner in a mixed marriage could confirm a person not affiliated with any church in his indifference towards religion. It is an exceptional case in which the non-Catholic party balks at signing the promises, and if we do not ask these promises of him, it will seem the Church does not consider this matter of much importance. This would lead, not to ecumenism, but to indifferentism in the mind of the American non-Catholic. Moreover, in this diocese, 40% of the people who sign the promises for a mixed marriage eventually become Catholic.

N. 5 c. Non placet. N. 5 d. Placet.

N. 6. The canonical form of marriage must be kept under the control of the Ordinary; there should be no relaxing of the present conditions.

N. 6 a. Non placet. Special delegation, not a general faculty, should be necessary for witnessing marriages. Delegation should be necessary for *validity* not only for liceity.

N. 6 b. Non placet. This proposal dangerously diminishes the responsibility of the pastor and parish assistants for marriage. Furthermore, it diminishes effective control by the Ordinary of the marriages in his diocese.

N. 6 c. Restrictions on the use of the extraordinary form should be tightened and applied only to missionary territories.

N. 7. Placet.

N. 8. Placet iuxta modum. The proposals should be more specific, more practical, more pastoral, more efficacious. A pre-mariage course should be strongly urged.

N. 8 c. Placet, sed ampliandum sit. N. 8 d, e. Placet.

N. 9. Placet.

In general, I strongly approve of the recommendations and arguments proposed by His Eminence, Francis Cardinal Spellman, and His Excellency. Archbishop John Krol.

9

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BERECIARTUA BALERDI
Episcopus S. Sebastiani

Aeterni parentis dono, clare et certo compertum est mihi aliisque sacerdotibus quibuscum rem saepe pertractavi, Spiritum Sanctum hisce temporibus exercere in matrimoniis, non quidem raro, activitatem supernaturalem uberrimam, ex qua facile elucet aspectus vitalitatis Corporis Christi ascendentis in vicissitudines divinas maturiores, in fructus magis copiosos et in structuras ascetico-pastorales sublimiores.

Impeditus quominus adessem ad Aulam Conciliarem in II sessione et audivissem venerabiles Patres loquentes de aspectu pastorali Sacramenti Matrimonii, intensis gaudio et dulcedine sum perfusus cum in schemate hoc pagella sexta lineis vigesima nona ad trigesimam sextam Patres Conciliares statuunt grave officium sacerdotibus parandi ad tantam rem fideles accedentes ad nuptias.

Consonans est cum munere sacerdotali ut Spiritus Sancti industriosa operatione adlaborans, sacerdos proximos nupturientes sanctiore vita divina formet atque multiplicet. Ita quidem, multi sacerdotes operam dant huic apostolatui. Ipsi autem experti sunt praeparationem solam deficere in duobus:

a) dum caelibes sunt non recte intellegunt problematicam matrimonii et configurant eventus morales, asceticos, etc. aliter ac de facto obveniunt. Multi qui praeparationem optimam acquisivisse credebant, in novum statum ingressi, pavore afficiuntur ante res novas et implicatas quae ipsis occurrunt;

b) non quidem omnibus sed multis accidit ut vitam asceticam interiorem quam singuli singillatim evolvebant, nesciant nunc nec singillatim evolvere, nec matrimonialiter exercere mutuo se adiuvantes ut ipsis erat in voto et in spe.

Pastoralis ergo sollicitudo sacerdotalis urget ut non modo non omittatur praeparatio ad matrimonium, sed etiam ipsi iam coniugati efficaciter ducantur per cursum sanctificationis quem nuper sunt aggressi.

Venerabiles Patres: praestat Vos adducere in vestram memoriam facta quae sine dubio cognovistis in vestro ministerio directionis spiritualis, in visitatione pastorali dioecesis, in gubernatione associationum piarum et apostolatus. Si in mente habetur haec facta accidisse etiam in paroeciis ruralibus et exiguis, apud fideles rudos et illitteratos et illustrationibus asceticis sacerdotum orbatos, facile exurget in nobis admiratio de paedagogia divina speciali quam in usu adhibet fructuose Spiritus Sanctus; de vitalitate divina maturescente quam Caput inicit in Corpus Mysticum; de unione intimiore inter Deum et sponsos ita ut fiat validius Mysterium in Christo et in Ecclesia.

En aliqua facta breviter exempli gratia proposita:

1. Aliqui stabiliunt spontanea et intensa devotione cubiculum thalami tanquam « Sanctuarium paternitatis divinae ». Censent Deum in eo esse con-

tinuo praesentem et totam conversationem coniugalem evolvunt existimantes eo modo mera instrumenta esse Dei Illius qui est unus, qui — excutiens clamydem divinae paternitatis — descendere et collocari faciat ad nutum suum pulverem fecunditatis super rosam amoris coniugalis.

2. Familiam viri in qua ad mensam proponuntur sella, utensilia prandentium et fercula pro Deo, quem omnes salutant praesentem ut oeconomum familiae.

3. Alii aestimantes Deum iure proprio esse rectorem studiorum, paedagogum et gubernatorem, inquirunt sollerti ingenio quodnam sit mandatum Dei super ununquemque filium ut sic in nullo deviari videantur a proposito Dei.

4. Integra familia, communitaria actione, producit apostolatum ita ut simul et parentes et filii operationes apostolatus exerceant. Nihil mirum si haec familia pedetentim eo devenit ut appareat hortus vel viridarium vocationum ad sacerdotium vel vitam religiosam.

5. Programma integrae vitae spiritualis fovendae est distributum per hebdomadas, dies et horas eo quidem modo ut communibus viribus, hortatione et vigilantia mutuis, in praxim velint traducere ordinate et efficaciter cultum omnium virtutum.

Res miranda. Haec fiunt multoties sine influxu et doctrina sacerdotum.

Res magnifica. Multa matrimonia, seducta his exemplis, trahuntur ad imitationem.

Res sublimis. Spiritus Sanctus coniungit intime cum Deo et singula membra familiae intense « divinizat ».

Res auguralis. Multis in locis exurgunt associationes catholicae matrimoniorum, quae pro fine quaerunt mutuo auxilio esse in incremento divinizationis familiae, per conferentias, dies mensiles recollectionis, exercitia spiritualia, apostolatum, etc. habitos pro matrimoniis a matrimoniis.

Concludo. 1. Ut tanta operatio Spiritus Sancti obtineat eum gradum evolutionis quem in votis habet; ut Corpus Christi vitalitate gaudeat maxima et maturata per familias; ut ministerium sacerdotale impense detur ad mensuram plenitudinis Christi per matrimonia vere christiana; tandem ut non minus sit obligatio pastorum et christifidelium pro matrimoniis constitutis quam pro custodiendis, votum meum est ut in pag. 6, in n. 4, lin. 32 addatur post verbum « praeparationem » haec pericopa: « et sollerter matrimoniorum sanctitatem atque apostolatum. Ad praeparationem quod attinet: *a*) Pastores ... ».

2. Votum est etiam meum ut in pag. 7, n. 5 addantur haec quattuor verba: « nec minuatur sed augeatur ... » ita ut legatur sic: « neque post coniugii celebrationem cesset nec minuatur sed augeatur pastorum sollicitudo ».

10

EXC.MUS P. D. ROBERTUS BÉZAC
Episcopus Aturensis et Aquae Augustae

Valde dolendum est schema de matrimonii sacramento quod prius erat in manibus non tantum ad breviorem formam reductum fuisse sed simplex votum devenisse.

Tam magni enim momenti illud sui generis sacramentum habendum est, ex quo Ecclesia huius mundi augetur et cives caeli praeparantur sed etiam civitas terrestris progreditur; tanto despectui vita quae in eo originem ducit obnoxia est; tantis demum periculis eius indissolubilitas et unitas obruuntur, ut haec materia decretum conciliare proprie dictum meruisse videretur.

Huius autem restrictionis ratio in textu voti invenitur, scilicet: res quasi integra ad commissionem de iure canonico reformando remittitur ut legitur, pag. 5, linn. 30 et 31 « Concilium exoptat ut futura legislatio canonica, ad matrimonium quod attinet, magis consentanea curae animarum fiat ». Sed ut nuper in aula praeclare expressit eminentissimus cardinalis Richaud, questio poni potest et debet utrum expediat Concilium nostrum responsabilitatem suam aliquo modo derelinquere et eam delegare dicasterio, quod, proprie, potestatem reformativam et interpretativam habeat, praesertim cum, sub hac legislatione de matrimonio, principia theologica et orientationes doctrinales supponantur.

Quod clarissime apparet in casu in quo tractatur v. g. de matrimoniis mixtis pag. 6, n. 3 ad B.

De cetero nonne periculum aderit, praedominantiae huius iuridismi, tanties in interventionibus Patrum denunciatum, in materia quae, his temporibus, una ex primis est quae pastoralem zelum requirant.

De hoc aspectu pastorali nostri voti schematis, vestro iudicio has reflexiones propono.

Schema enim clericalismum quemdam redolet et nullo modo illo spiritu imbuitur qui v. g. invenitur in schemate de apostolatu laicorum ubi legitur (pag. 8, n. 5, lin. 15), « vi ipsius matrimonii sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut, quoad alterum, gratiae sit cooperator necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis ».

Verum est, in n. 1 nostri voti, valor primaevus matrimonii extollitur quippe quod « sacrum foedus amoris ad dignitatem sacramenti a Christo evehitur ».

Ad sponsos autem quod attinet, ut minores considerantur ad sollicitudinem peculiarem pastorum commissi et hoc quidem in solo campo fidei christianae profitendae. Pag. 6, linn. 36-39 legitur: « Pastores, de animarum salute solliciti, nupturientes tanquam oves sibi concreditas cognoscant eosque ad fidem, in qua baptizati sunt, strenue profitendam excitent, atque ad amorem erga Christi Ecclesiam fovendum inducant sincero cordis affectu ».

Certe dicitur, n. 4, linn. 29-32, « Patres Concilii Vaticani II tum pastoribus tum Christi fidelibus in memoriam revocant officium curandi matrimonii praeparationem ». Cum autem ad media apta determinanda, transitus fit, non agitur amplius de fidelibus. *a*) Pastores omnes conscientia tenentur... *b*) parochi nunquam omittant... *c*) Pastores animarum curam habeant...

Immo cum de institutione catechetica agitur ad praeparationem nupturientium legitur « Pastores tenentur ut munus impertiendi catecheticam institutionem fideliter adimpleant, vocatis aliis quoque sacerdotibus vel, *si res postulet* etiam laicis viris ac feminis huic ministerio idoneis in auxilium vocatis ». Atqui nullibi magis quam in re matrimoniali, haec vocatio laicorum postulatur.

Porro christiani nostri, iam tot coetibus, exercitiis spiritualibus, operibus pro futuris sponsis, tot libris ephemeridibus, instructi, post tantum laborem speciatim ab Actione Catholica hoc in campo peractum, sciunt matrimonium esse munus proprium a Deo ipsis reservatum, sciunt se ipsos in sacramento matrimonii esse aliquo modo sacramenti ministros.

Ab Ecclesia exspectant ut eis ipsa dicat: « Sponsi, vestra res agitur ».

Conclusio. Postulamus:

1. ut n. 4, lin. 34, dicatur: « Vocatis aliis sacerdotibus et etiam, *ut res postulat,* laicis viris ac feminis ».

2. ut par. 1 huius n. 4 sic enuntietur: « Patres Concilii Vaticani II in memoriam revocant grave officium curandi aptam matrimonii praeparationem *tum pastoribus tum Christi fidelibus et praesertim ipsis sponsis qui sciant se esse quodam modo sacramenti ministros* ».

Propositiones de matrimoniis mixtis ad secretariatum generalem trasmittam.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH BONFIGLIOLI

Archiepiscopus tit. Darnitanus, coad. c.i.s. Syracusanus

Ad n. 4 *c*): Dicatur explicite voto privato accensendum esse votum sic dictum « sociale », emissum a sodalibus institutorum saecularium.

Ad n. 4 *d*): Cum sententia sit satis severa restringatur ad solas religiones et congregationes iuris pontificii.

Ad n. 5 *c*): Celebratio missae in utroque casu relinquatur prudenti iudicio ordinarii loci: dantur enim loci et casus in quibus celebratio missae vel non placet parti acatholicae, vel potest favere indifferentismo potius quam sano oecumenismo.

Ad n. 6 *b*): Placet quidem haec norma in linea generali, at, nisi prudenter certis circumscribatur limitibus, abusus sat frequentes exoriri possunt: quid si quis fingat se sacerdotem esse, cum non sit? quid si sacerdos, nullis quidem censuris irretitus, talis sit levitatis et amentiae seu insaniae ut passim nuptiis assistat?

12

Exc.mus P. D. VARNERIUS BOUDREAUX

Episcopus tit. Calyndensis, aux. Lafayettensis

Velim exprimere adhaerentiam meam interventionibus prolatis ab em.mo card. Spellman et exc.mo D. Krol, e Civitatibus Americae Septemtrionalis, de quibusdam defectibus maioris momenti in schemate *de Matrimonii Sacramento.* Enixe rogatur ut hae animadversiones amplissime considerentur a commissione incaricata hac de re iudicanda.

Vel, si hoc fieri non potest, melius esset, si necesse sit ad unitatem fovendam, ut duae habeantur caerimoniae pro matrimonio mixto, i. e. unam in Ecclesia cum forma requisita, alteram coram praecone propter conscientiam partis acatholicae. In hoc modo, periculum scandali et admirationis coram fidelibus minuatur.

13

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunanensis

1. Audeo proponere considerationi theologorum et iurisperitorum quaestionem non fictam, sed practicam causantem non inter paucas personas, sed in casibus numero considerationis digno ruinam vitae.

In cann. 1684-1686 habemus responsum ad casus doli in rebus minoris momenti, quam matrimonium. Habemus responsum ad casus erroris in matrimonio, qui impediunt validitatem consensus, e. g. error circa conditionem servilem.

Nihil tamen habemus de casu doli mali, quando vir certus de honestate et virginitate sponsae, post nuptiis celebratis eam praegnantem invenit, quod si suspiceret, nullo modo cum illa nuptias celebrasset. Suam internam dispositionem probat facto vix detecto hoc dolo mulierem dereliquit cum intentione nunquam cum ea vitam communem restaurandam. Ex parte viri certe fuit implicita voluntas non nubere talem mulierem. Aliquo explicito modo talis conditio a viro non fuit posita, quia vir non suspiciebat talem dolum.

Ex parte vero mulieris fuit dolus malus: de re tanti momenti ex industria tacebat certa tali secreto revelato nuptias non habituras locum.

Si theologi et iurisperiti iudicent talem dolum ipso iure naturali matrimonium non dirimere, propono, ut hic casus doli mali introducatur iure ecclesiastico inter impedimenta dirimentia matrimonium.

2. Ad n. 5 (de matrimoniis mixtis), in lin. 1, pag. 13, verba: « in quantum poterit » censeo non esse sufficienter clara et retinenda. Iudicium de tali re non potest relinqui personae solae, cui haec obligatio gravia officia

et aliqua incommoda imponit. Persona esset iudex in propria causa gravis momenti, spectantia gravissima iura prolis. Assentio illis, qui in disceptatione proposuerunt hoc claris verbis edicendum ut officium naturale et legis divinae ligans utramque partem, catholicam et non catholicam.

3. Quod dicitur in pag. 13, sub litt. *d* linn. 32-35, excommunicationem abrogandam censeo, si matrimonium celebratur et forma ab Ecclesia praescripta. Secus pro parte catholica aliqua censura debet manere, cum sine ulla disciplina relinquere possibilitatem celebrandi matrimonium coram ministro acatholico sine licentia in singulis casibus exurgerent tanta mala, quae hic enumerari esset nimis et quae sunt clara unicuique, qui labore pastorali navat vel navit in regionibus, in quibus matrimonia mixta sunt non rara.

4. Quod dicitur in pag. 14, sub *a*), linn. 7-9 de facultate Ordinarii, censeo valde inopportunum et periculosum esse, cum hac via fierent casus celebrati matrimonii et non allati ad acta alicuius paroeciae. Si vero haec propositio maneret, propono ut addatur clausula sacerdotem tali facultate ab Ordinario praeditum non posse ea uti, nisi in unoquoque casu competens parochus de matrimonio benedicendo vel benedicto ab ipso sacerdote certior factus fit.

Habendi etiam sunt casus prae oculis, quid evaderet, si aliquis sacerdos extravagans (ceteri nunquam opus habent benedicere matrimonia insciis parochis) talem facultatem ab Ordinario obtineret. Firmiter adhaereo dictis de hoc in sessione III ab exc.mo D. J. Krol, arch. Philadelphiensi (USA).

5. Ad pag. 15, linn. 4-8. Loquendo de caritate et mansuetudine haec observanda sunt in modo tractandi personas, ne matrimonialem casum incipientes tractentur a membris tribunalium, a sacerdotibus paroeciae personarum inservientibus quasi minus habentes vel alienigenae. Non censeo tamen eodem caritatis et mansuetudinis modo procedendum in exigentiis seu requisitis claritatis casus, cum in tribunalibus tractando causas matrimoniales iudices non favores distribuunt, qui in eorum possessione sunt, sed examinant casus ad normas iuris divini et naturalis. Qui vero in his rebus moventur caritate et non claritate, non possunt esse et non sunt iudices.

6. Consultis medicis et ceteris personis competentibus rigoroso examini subiciendus est nunc vigens modus procedendi in casibus matrimonii rati et non consummati, cum praescripta legis nunc vigentis in permultis casibus nullum valorem habent. Cogitamus e. g.:

a) depositiones propinquorum (septimae manus) qui persaepe conscie et conspirati mentiuntur in favorem partis a qua inducti sunt;

b) item in multis casibus nullum valorem habet antiquata inspectio corporis. De his tamen pluriora dicenda habent medici, quam ego.

7. Ad pag. 15, n. 8. Quod praeparationem ad matrimonium spectat, aliquis debet cogitare de nonnullis casibus ex quibus sequitur nonnulla consilia clero danda esse. Cogitamus casus, quando sacerdotes pro instructionibus in hac materia convocant simul viros et virgines. Ex consequentiis audeo proponere, ut viri et virgines separatim instruantur et quidem viri ab aliquo honesto et prudenti medico viro, virgines vero, a similibus dotibus praedita muliere.

Sacerdotibus relinquenda sunt requisita moralia explicanda, quod etiam opportunius fit separatim viris et separatim virginibus.

Est non ridiculum sed graviter scandalosum, cum iuvenis sacerdos « zelo pastorali ardens » loquitur iuvenibus vel adultis de rebus et modo, qua audientes erubescunt et parentes suos filios et filias invigilant ne cum tali « magistro » amicitiam incipiant (haec sunt non ficta, sed facta).

14

EXC.MUS P. D. MICHAEL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

Pag. 11, lin. 3. Finis matrimonii debet accuratius definiri « ad hominum propagationem et educationem dignam a Deo institutum ». *Ratio*: indissolubilitas matrimonii ex iure naturae requiritur ad prolis *educationem* non ad propagationem.

Lin. 7. Loco « particeps » dicatur « signum ». *Ratio*: omne matrimonium christianum est signum, sed non omne est participatio sanctitatis.

Lin. 18. Loco « spectat » dicatur « ad civilis societatis firmitatem et profectum maxime confert ».

Pag. 12, lin. 6. Verbum « Legitime » expungendum est, quia approbare videtur modernos modos sentiendi et cogitandi de matrimonio. Sed non omnes hi modi legitimi sunt. Sufficit mentionem facere de periculis quae hodie contra matrimonii sanctitatem et validitatem militant.

Lin. 17. « magis consentanea » deleantur. *Ratio*: haec verba implicant ius canonicum vigens non esse consentaneum curae animarum, quod non est verum. An auctores huius voti ius vigens semper ad effectum deducunt?

Lin. 39. Deleantur verba « ad mentem declarationis de Oecumenismo necnon declarationis de libertate religiosa ». *Ratio*: haec verba implicant ius vigens esse contra libertatem religiosam, quod non est verum. Dicatur « Ecclesia catholica ad removendas difficultates et obiectiones etiam indebitas quae contra praxim et principia iuris canonici a fratribus seiunctis moventur, decernit ».

Pag. 13, lin. 10. Deleantur verba « inquantum poterit ». Nihil dicitur hic de obligatione partis acatholicae de amovendo a coniuge catholico periculo perversionis. Nihil dicitur de necessitate iustae causae. Modificatio iuris canonici vigentis de matrimoniis mixtis pessimos effectus pastorales haberet et indifferentismum religiosum augeret.

Linn. 18-24. Deleatur tota paragraphus. Ex hoc toto numero Concilium videtur considerare solummodo matrimonia catholicorum cum iis qui ad sectam acatholicam pertinent. Quid de matrimonio catholici cum communista? Nonne periculum perversionis partis catholicae et prolis maius est in casu matrimonii cum communista? Nonne haec matrimonia maius frequentia sunt in regionibus certis europaeis?

De forma celebrationis matrimonii. Pag. 14, linn. 15-31. Deleantur b et c totaliter. *Ratio*: quia destruunt obligationem et potentiam parochorum curandi validitatem matrimoniorum. Si haec esset lex tunc omnia praescripta Sanctae Sedis de investigationibus prae-nuptialibus retractanda sunt. Hinc etiam n. 8 « De necessitate praeparationis nubendorum ad matrimonium » ludibrium esset. An sacerdotes vagi hoc curarent? Obligationes pastoribus impositae n. 8, d et e, sunt absolute contrariae n. 6, b et c.

Impossibile esset episcopis normas canonicas de investigationibus praenuptialibus urgere.

15

Exc.mus P. D. STANISLAUS BRZANA
Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

Pag. 13, n. 5, lin. 10: Omittantur verba « in quantum poterit ». *Rationes*: 1. Quia superflua sunt cum nemo ad impossibile teneatur. 2. Quia ansam praeberent parti catholicae cedendi parti acatholicae qui postea obstiterit adimpletioni promissionum.

Animadversio specialis. Quomodo provideatur catholicae educationi prolis quando pars catholica inopportune, filiis non iam educatis, moritur?

Pag. 13, n. 5, lin. 14, loco « illis non repugnare » legatur « illarum adimpletioni non repugnare ». *Ratio*: quia obscurum in textu manet utrum de emissione vel de adimpletione promissionum fit sermo.

In pag. 13, n. 5, linn. 23-24, deleantur verba « a forma canonica dispensandi tribuatur », et substituantur sequentia vel sequentibus similia, « permittendi matrimonii celebrationem etiam coram ministello acatholico vel officiali civili, dummodo coram Ecclesia catholica rite fiat, tribuatur ». *Ratio*: ut provideatur difficultatibus specialibus, forma substantiali manente.

Deleatur integra paragraphus in n. 6 b in schemate *de matrimonii sacramento*. *Rationes*: 1. Dicta paragrapho, in periculo gravi auctoritas parochi (de qua in n. 8 d) ponitur, immo et auctoritas Ordinarii loci.

2. Validitas matrimonii aspectu assistentia sacerdotis satis providetur sive iure communi sive vi delegationis in n. 6 et 6 a. Unde superflua est.

3. Hoc proposito, via aperitur neglectui assistentiae licitae matrimonii.

4. Non videtur aequum ut validitas matrimonii dependeat aedificio celebrationis, scil. « in Ecclesia vel oratorio publico ».

* * *

The following suggestions are presented for processing cases of marriage nullity and dispensation wth the hope of aiding more persons towards the solution of their marital status:

Tribunal procedure. 1. *Courts of the First Instance.* Courts of the First Instance could be given greater freedom in the manner of processing cases,

and formalities should be reduced. The provisions of law which prescribe certain things to be done under penalty of nullity of the process should be reduced to a minimum.

2. *Courts of the Second Instance.* The process of the Second Instance should not be a competely new process, but a summary process of review, reducing formalities to a minimum. Efforts should be made to expedite the process and render decision as soon as possible.

3. *Courts of the Third Instance.* The decision of cases in Third Instance should not be limited to the Holy Roman Rota. Courts of the Third Instance could be established around the world in appropriate ecclesiastical territories, under the vigilance of the Rota itself or the territorial Conference of Bishops. After two concordant decisions, the Defensor Vinculi should not be permitted to appeal further, except for unusually grave reasons, to be approved by the Ordinary of the Court of Second Instance.

4. *The Summary Process of Canon 1990.* The procedure governing these cases should be made clearer, and the Court should have greater freedom accepting and processing cases of Canon 1990. Clear cases of lack of age, crimen (minor grade), and legal relationship arising from adoption, should be decided in a summary process.

Roman cases. 5. For cases which involve non-consummation of marriage no preliminary permission to begin the process should be necessary from Rome.

6. Cases of Privilege of the Faith, involving one non-baptized party, and cases of non-consummation of marriage could be reviewed by a Board of Assessors or Consultors, to be established in appropriate ecclesiastical territories around the world. These Boards could be regarded as branches of the Congregation of the Holy Office and Congregation of the Sacraments, and would be parallel to the Courts of Third Instance proposed above. The Boards could review cases, and in affirmative decisions could, without further review, petition the Holy Father for dispensation. The great advantage of such a system would be that the marriage cases in question would be greatly expedited.

Impediments to marriage. 7. Sexual anomalies which are incompatible with the purposes of marriage, especially homo-sexuality, should be established as diriment impediments.

8. The impediment of crime, minor grade (Canon 1075, n. 1) should be reduced from a diriment to an impeding impediment.

Defects and marriage consent. 9. Canons should be written clearly defining mental illness as it affects the validity of marriage, and giving Tribunals positive principles according to which cases of this nature may be decided.

10. Persons below forty years of age who know themselves to be unable to have children because of premature sterility, should be obliged to reveal

that condition to the other partner prior to marriage. If by deliberate fraud such persons conceal this from the other party, the marriage should be considered invalid.

Marriages of prospective converts. 11. Many non-Catholics who wish to join the Church have been involved in former marriages. Ways and means should be sought to give them greater relief than exists at present in order to allow them to marry again in the Catholic Church.

Mixed marriages. 12. Besides the usual instruction in mariage obligations, couples planning to enter mixed marriages should be required to receive special instruction in the faith. This suggestion, however, must conform to the principles of the decree on ecumenism.

16

Exc.mus P. D. ALOISIUS ABEL CAILLOUET

Episcopus tit. Seteensis, aux. Novae Aureliae

Adhuc tempus remanet, spero, aliquas animadversiones proponere relate ad schema *de matrimonii sacramento.* Breviter, subscribo interventionibus iam in tertia sessione Concilii factis ab em.mo card. Spellman et exc.mo Ioanne Krol, e Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Equidem ob sequentes rationes:

a) Dispensatio a forma adhibita pro matrimoniis mixtis, uti proposita in paragrapho 5, detraheret ab aestimatione qua gaudet matrimonium et ministerium sacerdotale, apud nos in societate nostra nationali sic dicta « pluralistica ».

b) Emendatio proposita non satis in tuto collocat bonum spirituale prolis susceptae ex matrimonio mixto.

c) Problemata matrimonialia, speciatim religiosa, ante ipsum matrimonium praecaventur — in quantum fieri potest. Dispensatio de qua agitur non adaequate providet hac in re.

d) Tam longe abest ut faveat oecumenismo legislatio proposita — nam ita sperandum textus paragraphi citatae opinat — ut, e contra, potius indifferentismo favebit, certe apud nos in Statibus Foederatis. Si cautiones non amplius requirentur pro matrimoniis mixtis, spiritus ille secundum quem religio est « quaestio opinionis privatae » et etiam « omnes religiones aequaliter bonae sunt », plusquam magis invalescebit.

e) Quae proponuntur in par. 6 sub « b », relate ad matrimonium valide, etsi illicite, coram sacerdote celebratum (vel, potius: « celebrandum ») graviter attingunt responsabilitatem parochi et vicarii co-operatoris quoad eorum assistentiam in matrimoniis celebrandis. Insuper, auctoritas Ordinarii diminuetur in ordine ad matrimonia contrahenda in sua dioecesi.

f) Mutationes in lege pro matrimoniis mixtis, si censeantur admittendae, melius erit — meo humili iudicio — ut referantur adiudicanda coetui episcoporum nationis cuius interest. Dein, Sedi Apostolicae transmittantur adprobanda vel non.

Uti bene notum est, quod optandum est apud populum quemdam, facile non desideratur ullo modo apud alium diversis in adiunctis positum. Ita, in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis valde nocivum esset legem pro matrimoniis mixtis contrahendis temperare.

17

Exc.mus P. D. IOANNES CARBERRY

Episcopus Lafayettensis in Indiana

1. Attached are comments which I had prepared while studying this Schema in the final days of the session.

2. The proposed legislation under 5 b of the Relatio, if adopted, would be, I believe, a source of scandal as well as a shock to most of the Catholic people in this Diocese. If a Bishop is allowed to dispense from the canonical form of marriage so that the marriage of a Catholic and a non-Catholic could take place in the presence of a Minister or a Justice of the Peace or some other Civil Official, this would have devastating effects.

It would be far better to follow the suggestion of Cardinal Gilroy, namely, returning to the pre-Tridentine legislation which based the validity of a marriage on the consent of the parties alone. In the Aula Cardinal Gilroy suggested that the presence of the Priest be required for the lawfulness of a marriage involving a Catholic but not for its validity. He added, I believe, that the marriage itself would have to be a public action of some kind enjoying recognition by the State. This would do away the great evils of clandestine marriages under the pre-Tridentine legislation.

The history of the Church concerning the juridical form of marriage from the Council of Trent to the present day reveals the unhappy consequences of the Tridentine regulations and the regulations of the Benedictine Declaration. The decree *Ne temere* tried to rectify the situation throughout the world and accomplished tremendous results. The Code of Canon Law in 1918 refined the legislation even further. The decree of Pope Pius XII with reference to the subject of the form of marriage simplified the situation even further. Now the present proposal by which the Bishop would be given the authority to dispense from the canonical form of marriage carries with it the seeds of tremendous confusion, discord, and even scandal.

Most humbly, therefore, I would suggest that careful consideration be given to the rejection of paragraph 5 b; if this is to be maintained then the proposal of Cardinal Gilroy would be far better.

1. While appreciating the serious study and assiduous work of the Commission in preparing the present schema, it would seem that the schema should be returned to the Commission for reconsideration in the light of the many observations which the Conciliar Fathers will have to make concerning it. The text is not prepared sufficiently for the triple form vote.

2. The textus emendatus, which was presented to the Fathers only a few weeks ago, contains much more proposed legislation than the text previously sent for study. The numbers 5 and 6 of the new text in speaking of Mixed Marriages and the Canonical Form of Marriage introduce several startly and seriously doubtful changes. It does not seem fair to expect the Conciliar Fathers, in the midst of study of other documents under discussion or awaiting discussion, to be able to weigh carefully the new and almost unbelievable innovations proposed in certain sections of Numbers 5 and 6. We are now in the final week of a ten week discussion, and in a few hours we are asked to speak about one of the most vital topics in the pastoral life of the Church, the Sacrament of Matrimony.

3. Others undoubtedly have pointed out many inconsistencies of the schema, as well as its use of terms which are not precise. As much as we are well disposed to see all things *sub luce pastorali,* we are now dealing with proposals for law, and very serious law. Correctness, accurateness, and precision, in as much as is possible, must be the ideal. The schema seems to lack this general desired attitude of mind.

One special point must be noted: The schema is called a Votum, that is to say that it must be considered as offering suggestions to the Commission for the Revision of the Code of Canon Law. This is expressed carefully in n. 3, lines 16-18: « Concilium igitur exoptat ut futura legislatio canonica ad matrimonium quod attinet, magis consentaneum curae animarum fiat, in iis praesertim quae in hoc Voto continentur ». Nevertheless if adopted the schema will express the *will* of the Council Fathers, and will therefore be looked upon by the Commission for the Revision of the Code of Canon Law as a quasi mandatum. Therefore the suggestions of this schema will have the effect of positive legislation.

4. In a special way this intervention would ask for serious study of the conditions outlined in numbers 6 and 6 b which have reference to the ordinary canonical form to be observed in the celebration of Marriage. We are grateful for the proposed changes in the legislation now presently outlined in Canon 1096. We are all aware of the difficulties which have arisen over the years concerning expressed delegation given to a determined priest for a determined priest, for a determined marriage. Likewise we know the restriction whereby general delegation cannot be given unless to a vicarius cooperator. In number 6 and 6 a the provisions will do away with all this anxiety. However, something new has been added in number 6 b, something new in canonical legislation which did not appear in the *Tametsi* decree, nor the Benedictine Declaration, nor the *Ne temere,* and

above all not in the present Code of Canon Law. This something new is expressed in n. 6 b: « Matrimonium contractum coram sacerdote, contra iuris praescripta, *validum* declaretur, dummodo sacerdos non sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel talis declaratus vel ab episcopo prohibitus, et matrimonium in Ecclesia vel oratorio publico celebretur ».

5. By this provision every marriage entered into in the presence of priest will be valid even though he was not properly authorized to assist at that marriage. There are certain conditions required by n. 6 b but these are very confusing, and will present endless problems as to their verification, e. g., excommunication by sentence, interdict, or a vetitum episcopale. But what do all of these mean, and how are they to be enforced? Good law calls for a minimum of conditions and for clarity of expression to avoid mis-interpretations. The result will be that 6 b practically assures the validity of any marriage contracted in the presence of a priest.

6. It is not sufficient to say that while any priest may assist at a marriage validly under the conditions outlined, for liceity he must have the delegation required. It is not sufficient to say that assistance at marriage is such a serious matter that every priest will be careful to secure the necessary authorization as required for liceity. We cannot look ahead and foresee all circumstances, but knowing human nature it is possible to see and expect that once a priest is assured that the *validity of the marriage* is provided, he may find reasons to excuse himself, even in good conscience, from seeking the necessary authorization required from the pastor or the Ordinary.

7. This consideration leads logically to the detection of a serious contradiction in the schema—it is contrary to the provisions on n. 8 d: Under this section (8 d) the pastor is held responsible for the proper preparation of the contracting parties for the marriage. Experience shows that he and his assistants are generally better equipped to judge matters relating to the marriage of their parishioners. In n. 6 d, however, a marriage will be valid contracted *coram sacerdote* even if it is *contra praescripta iuris*. There must be a line drawn somewhere concerning the validity of assisting at marriage. This is a very serious and vital action. The priest at the marriage is the official witness of the Church. His word is the official word to the inquiry for and the acceptance of the mutual consent which makes the marriage.

8. The provisions of n. 6 b contain the seeds of great confusion and are potentially destructive of pastoral authority. Through it the judgment of a given pastor is subordinated to the judgment of *any* priest (the schema speaks of matrimonium coram sacerdote in genere, without any qualifications whether he be diocesan or extra diocesan, religious or secular, newly ordained or a priest of long service in the priesthood). It is clear, however, that the judgment of a pastor in matters of marriage should be subordinated only to the judgment of the Ordinary. There is a well founded danger that according

to the proposed legislation the Ordinary may lose control of marriages in his diocese.

9. The proposed legislation of 6 b is novel, it is startling, therefore, and it is dangerous. No one doubts the good intentions of the Commission, in seeking by its provision to protect the validity of marriages. The valid assistance at marriage, however, is well cared for by the suggested legislation in number 6 and 6 a. There is no necessity to resort to the extraordinary action of n. 6 b which can have such unhappy consequences for pastoral discipline.

18

Exc.mus P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Ad n. 1, pag. 11, linn. 1-5. Sic legatur: « Matrimonium iam inde ab humani generis exordio ad dignam hominum propagationem *et educationem* a Deo institutum, Christus Dominus ad sacramenti dignitatem ita evexit ut mirabili modo *particeps illud faceret* sanctitatis etc. ».

Rationes: *a*) omittuntur verba « ut sacrum amoris foedus », quia haec definitio esset periculosa: poneret enim substantiam matrimonii in amore potius quam in voluntate, aut saltem amorem haberet ut finem primarium matrimonii; *b*) additur « et educationem » quia id pertinet ad finem matrimonii non minus ac propagationem; *c*) omittuntur verba « sacramque vitae legem tuendam », quia ista sacra lex vitae promanat ex matrimonio, nedum sit finis cuius causa est institutum matrimonium; *d*) dicitur « particeps illud faceret » in activo, melius quam in forma passiva.

Pag. 11, linn. 10-15. Sic legatur: « Qui ergo iam per baptismum sunt Christo coniuncti et configurati, per matrimonii sacramentum Christum peculiari modo ind*uunt,* eam *dilectionem habentes* qua Ille Ecclesiam redemit ac reddidit matrem viventium *in fide, quaque vicissim Ecclesia Christum prosequitur ac reveretur* ».

Rationes: *a*) melius est loqui de « dilectione » quam de « amore », quia prior locutio est magis biblica (cf. *Eph.* 5, 25-33), dum altera apud hodiernos saepe profana est; *b*) dicitur « Christum ... induunt », in indicativo, quia sacramentum matrimonii iam producit hanc realitatem; *c*) in textu schematis minime servatur comparatio, quae habetur in textu S. Pauli, inter dilectionem Christi ad Ecclesiam necnon et Ecclesiae ad Christum ex una parte, et dilectionem viri ad uxorem necnon et uxoris ad virum ex altera parte; *d*) Ecclesia debet dici « mater viventium in fide (aut per fidem) », potius quam « mater ... fidelis ».

Pag. 11, linn. 20-22. Sic legatur: « ... *tota* disciplina eius et cura, *exceptis dumtaxat effectibus mere civilibus,* a Christo *uni* Ecclesiae Sponsae suae commissae sunt ».

Rationes: *a*) formula schematis « quod praesertim ad integritatem sanctitatemque attinet » est inadaequata; *b*) clare statui debet *tota* cura et disciplina matrimonialis, exceptis effectibus mere civilibus, *uni* Ecclesiae competere.

N. 2, pag. 11, linn. 27-32. Sic legatur: « ... et docere, sed etiam eius observantiam tueri ac promovere per additas ecclesiasticas leges diversis condicionibus, *pro temporum locorumve necessitatibus,* accommodatas *quibus et* matrimonii pericula remediis opportunis praecav*eantur, et* pastorale ministerium *in hac materia* expeditius *ac fructuosius* redd*atur* ».

Rationes: *a*) comma « pro temporum locorum*ve* necessitatibus » locum mutat, claritatis causa; *b*) propositiones « ... reddendo ... praecavendo quae viderentur esse media ad obtinendam tuitionem et promotionem iuris divini, rectius mutantur in propositiones finales « quibus et praecaveantur ... et reddatur ... »; *c*) invertitur ordo, nam prius dicendum est de praecavendis periculis matrimonii, secundo autem loco de pastorali ministerio « in hac materia » (additur) expeditius « ac fructuosius » (additur, ne videatur Ecclesia sollicita solummodo de maiore expeditione).

N. 3, pag. 12, lin. 14. Post verba: « ... labefactari potest » addatur: « *vehementer denique dolet quod passim grassentur, imo interdum publice extollantur, erronea principia pravique mores, genuinam naturam finesque et proprietates essentiales matrimonii, praesertim indissolubilitatem,* impetentia ». *Ratio* additamenti: Concilium non debet oculos movere tantummodo ad legitimas mutationes quae evenerunt in vita sociali hodierna, vel ad difficiles condiciones vitae etc., sed etiam, et in primis, ad principia erronea et ad pravos mores, inter quos divortium eminet, quae hodie invaluerunt.

Pag. 12, linn. 15-18. Consequenter ad praecedentem addictionem, textus sic legatur: « Concilium igitur exoptat ut futura legislatio canonica *de re matrimoniali* magis consentanea curae animarum fiat *necnon magis idonea ad matrimonii sacramentum tuendum,* in iis praesertim quae ( ) hoc voto continentur ». *Ratio*: de facto in voto plura habentur cuius finis est in tuto magis ponere dignitatem et valorem matrimonii sacramenti.

N. 4, pag. 12, lin. 35. Post « constituat » addatur « *votum autem publicum temporaneum castitatis perfectae, in professione religiosa emissum impedimentum impediens constituat* ». *Ratio*: textus schematis nihil dicit de hoc casu; unde, cum sit votum publicum, impedimentum canonicum constituat oportet; cum vero sit temporaneum, melius est ut nonnisi impediens impedimentum constituat.

Pag. 12, lin. 35. Addantur haec quae sequuntur:

« e) *Impedimentum cognationis legalis in dubio de eius exsistentia in iure civili habeatur ut non existens; in dubio autem de eius natura, habeatur ut impediens tantum* ». *Ratio*: Legislatio Codicis in hac re canonizat leges civiles, at saepe impossibile est scire utrum lex civilis statuat impedimentum dirimens an tantum impediens, quia iura civilia solent habere conceptionem valde diversam a conceptione canonica circa naturam et influxum impedimentorum matrimonialium.

« f) *Impedimentum raptus abrogetur* ». *Ratio*: hodie hoc impedimentum vix habet momentum practicum, data evolutione sociali mulieris; ceterum satis protegitur libertas mulieris per invaliditatem statutam ex capite vis et metus. Experientia demonstravit hoc impedimentum talis esse naturae ut saepe impossibile sit determinare quando contrahatur de facto et quando cesset. Causae ex hoc impedimento pro declaranda nullitate difficillimae sunt et fere insolubiles.

« g) *Impedimentum aetatis conformetur legi civili uniuscuiusque nationis, ita tamen ut numquam aetas sit infra 14 annum pro femina et infra 16 annum pro viro* ». *Ratio*: Si lex civilis maiorem aetatem ac Codex canonicus requirit, Ecclesia potest accusari se minus quam Statum curare de dignitate matrimonii, potius respicere ad capacitatem generativam quam ad maturitatem psychicam nupturientium. Si vero Ecclesia maiorem aetatem requireret ac Status, tunc accusari posset de nimia rigiditate. Tamen aliquis gradus statuendus est infra quem non licet descendere.

N. 5, pag. 12, linn. 36 et ss. Sic legatur: « *Matrimonia mixta Ecclesia catholica vehementer dissuadet; unde ab iis fideles sunt absterrendi. Quando autem impediri non possunt,* quo opportunius, salvis exigentiis ..., optandum est *in primis,* ut separentur ... ». *Ratio*: addendum videtur quod Ecclesia catholica valde dissuadet matrimonia mixta. Et in hoc consentiunt etiam Protestantes et Orthodoxi. Loco « praecipue » dicitur « in primis », cui in lin. 5, pag. 13 correspondet illud « Dein », ne videatur hoc esse quod maxime Ecclesiam intersit.

Pag. 13, linn. 8, 11. Sic legatur: « ... pars catholica, graviter onerata conscientia, *cautionem* praestare debebit se ( ) *de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda esse curaturam* ». *Rationes*: *a*) non videtur ratio cur pro parte catholica traditionalis cautio mutata sit in simplicem promissionem sinceram; *b*) ablatum est comma « in quantum poterit » quia valde enervat vim totius dispositionis, et ansam praebet segnitiei; *c*) dicitur « de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda », iuxta can. 1061 § 1. Non enim videtur ratio cur mitigetur obligatio partis catholicae. Iuxta textum schematis pars catholica posset permittere baptismum acatholicum, et educationem *etiam* acatholicam!

Pag. 13, linn. 12-15. Sic legatur: « De *hac cautione* a parte catholica *praestanda* pars non catholica *opportuno tempore, scilicet ante dispensationis petitionem,* mone*atur* atque *rite* constare *debebit* eam *cautioni ab altera parte praestandae ac adimplendae* non repugnare; item » etc. *Rationes*: *a*) iuxta supra dicta, sermo est de cautione, non autem de promissionibus; *b*) dicitur explicite quando hoc fieri debeat (et non simpliciter « fieri oporteat »), nempe tempore opportuno, quod non potest esse nisi ante petitionem dispensationis; *c*) de non repugnantia partis acatholicae debet constare « rite », scil. aliqua ratione a iure pressius determinanda: unde non sufficeret simplex affirmatio partis catholicae; *d*) pars acatholica debet moneri et non repugnare non solum de praestanda sed etiam de adimplenda cautione alterius partis.

Pag 13, linn. 19-24. Sic legatur: « *Conferentia Episcopali id rite petente,* Ordinariis locorum facultas a forma canonica dispensandi *in mixtis nuptiis* tribuatur, *in singulis tamen casibus et dummodo* graves, *Ordinarii loci celebrationis iudicio,* huic servandae formae obstent difficultates, ne eae quae consensu vere matrimoniali ( ) celebrabuntur *validitate* careant ». *Rationes*: *a*) Nisi ponantur hae restrictiones, lex communis de forma canonica pro matrimoniis mixtis, practice ex dispensationibus generalibus Ordinariorum posset enervari, et exceptio fieri norma. Lex de forma canonica servanda, quae maxime pro matrimoniis mixtis uniformis debet esse, practice careret uniformitate. Immo ut valide quis contrahere posset absque forma canonica, sufficeret ut se transferret in aliquam dioecesim ubi illa dispensatio generalis Ordinarii concessa esset; *b*) iudicium de gravitate causae pro dispensatione a forma canonica tribuitur expresse Ordinario loci celebrationis; *c*) omittitur adverbium « publice » lin. 21, quia non apparet ratio cur idem non valeat et de matrimoniis privatim celebrandis; *d*) dicitur « validitate » potius quam « effectu validitatis », quae est alia res.

Pag. 13, lin. 31. Sic legatur: « ... attentis circumstantiis *et periculo scandali remoto,* etc. ». *Ratio*: explicita videtur facienda mentio remotionis scandali, quia agitur de re quae inter fideles iustam admirationem movere posset.

Pag. 13, lin. 34. Post verbum « abrogetur » addatur: « *firmo tamen manente gravi vetito* ». *Ratio*: auferatur quidem excommunicatio, tamen clare dicatur manere gravem prohibitionem.

N. 6, pag. 14, lin. 11. Loco « qui non sit vicarius cooperator » proponitur: « qui non sit vicarius *paroecialis* ». *Ratio*: praesupposita iam facultate generali, non est ratio cur validitas non extendatur etiam ad vicarium substitutum aut adiutorem.

Pag. 14, linn. 15-21. Sic legatur: « Matrimonium contractum coram *quocumque* sacerdote, *facultate speciali aut generali carente,* validum *ex capite formae canonicae, licet graviter illlicitum,* declaretur, dummodo sacerdos sit *incardinatus aut saltem domicilium rite habeat in dioecesi celebrationis,* neque sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus aut talis declaratus vel ab episcopo *per generalem dispositionem aut particulare decretum quominus matrimonio adsistat* prohibitus, et matrimonium in Ecclesia vel oratorio publico celebretur ». *Rationes*: *a*) loco formulae « contra iuris praescripta », quae est nimis lata et nimis odiosa ponitur formula: « facultate speciali aut generali carente », quia agitur praecise de hac sola re; *b*) additur « ex capite formae canonicae », ut clare significetur invaliditatem oriri posse ex aliis capitibus; *c*) additur « licet graviter illicitum », et sic expresse commemoratur gravis illiceitas huius modi agendi, non solum ex parte celebrantis sed etiam nupturientium et cooperantium, iuxta normas morales; *d*) additur clausula « dummodo sacerdos sit incardinatus aut saltem domicilium rite habeat in dioecesi celebrationis »: videtur cautela necessaria ad vitanda innumera mala consectaria (v. g. fictus sacerdos, aut sacerdos qui non possit postea testimonium reddere de peracto matrimonio, etc.).

N. 7, pag. 14, lin. 34. Post verba « ad abusus praecavendos » addi potest: « *praesertim in causis nullitatis ex capite vis et metus* ». *Ratio*: experientia docet has causas hodie maximis exponi periculis, quia malitia sive partium sive advocatorum hanc viam, utpote faciliorem et dolis intextam, magis quam alias suggerit ad decipiendos iudices. Sic causae multiplicantur sine vero fundamento, et plura valida matrimonia solvuntur!

N. 9, pag. 17, lin. 1. Post verba « ut coniuges » addatur: « *praesertim qui matrimonium mixtum inierunt* ». *Ratio*: hi enim coniuges, prae ceteris, maxima indigent cura pastorali, post nuptias, ex parte parochi.

19

Exc.mus P. D. AUGUSTUS CARVALHO

Episcopus Caruaruensis

Pag. 12, n. 4, linn. 26 s. Sic legatur: *a*) Impedimentorum distinctio inter impedimenta maioris et minoris gradus abrogetur. *b*) Abrogentur impedimenta sequentia: consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis; affinitatis in secundo gradu lineae collateralis; publicae honestatis in secundo gradu; cognationis spiritualis. *c*) Praescriptum can. 1054 applicetur omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici et in quibus Ecclesia dispensare solet.

(Cetera ut in schemate sub litteris *b, c, d*).

Rationes: 1) Abrogatio impedimenti « Criminis ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum » minueret protectionem iuridicam instituti matrimonii. Nam, ut patet ex hodierni temporis adiunctis, immo ex publicis ephemeridibus et ex actis tribunalium etiam civilium, mulieres saepe ideo persuadentur et inducuntur ad peccatum committendum quia eis promittitur matrimonium futurum. Iam vero, si hoc impedimentum abrogatur facilius fient huiusmodi promissiones eo quod tota res inter duos complices secreta manere potest nec necesse sit eam revelare ad obtinendam dispensationem. Ergo si nova legislatio, ut dicitur in schemate, ad nova temporis adiuncta accommodanda est, impedimentum hoc potius servandum est.

2) Per applicationem can. 1054 ad omnia impedimenta dispensabilia iuris mere ecclesiastici obtinetur alius novae legislationis scopus, scil. providendi ne matrimonia nulla multiplicentur.

20

EXC.MUS P. D. AEMILIANUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

In paenultima congregatione generali III sessionis O. Concilii Vaticani II, cum suffragio Patrum redactio et definitiva formulatio voti *de Matrimonii Sacramento* commissa erat Summo Pontifici eiusque dicasteriis, omnes Patres Concilii invitati sunt, ut suas sententias, propositiones et consilia in hac re in scriptis traderent secretariae generali. Quod etiam infrascriptus episcopus Scopiensis libenti animo facit.

I - Matrimonium christianum, utpote sacramentum, debet in sua dignitate supernaturali et mystica, etiam quoad partem disciplinarem et iuridicam, intactum manere. Ideo omne tentamen, ut disciplina matrimonialis quoad formam externam reducatur ad merum contractum, qui etiam sine assistentia Ecclesiae suum plenum effectum sacramentalem et iuridicum obtinebit, omnino reprobandum est. Ex hac fundamentali positione deducenda mihi videntur, quae sequuntur:

1. *Forma canonica* in contrahendo matrimonio inter partes catholicas *omnino servari debet.* Suggestiones, quae in Concilio auditae sunt, ut etiam sola forma civilis sine ulla assistentia Ecclesiae valida consideretur, reiciendae mihi videntur. Hoc in praxi haberet tantum unam consequentiam: non accommodationem vitae religiosae hodiernis mundi condicionibus (aggiornamento), sed ut decursu temporis ex mente christianorum (catholicorum) omnino evanescat idea de supernaturali et sacro charactere matrimonii.

Est etiam alter *effectus negativus,* qui prae oculis habendus erit, cum res agitur de forma matrimonii: Si omnia matrimonia inter catholicos in forma naturali, *licet tantum civiliter contracta,* valida essent, tunc quoque *indissolubilia habenda essent. Quod novum vae praxi pastorali afferret.* Omnibus enim notum est huiusmodi matrimonia fere in omnibus mundi statibus (Italia excepta) per sententiam iudicis facile dissolvi posse cum libertate novum matrimonium contrahendi. In foro ergo civili subsequentia matrimonia personarum, quae divortium iam obtinuerunt, valida essent, in foro vero ecclesiastico, immo et conscientiae, invalida et nulla, quippe cum impedimento ligaminis attentata. Ita post breve tempus oriretur magna confusio in campo vitae familiaris inter catholicos: crearetur enim quam celerrime ingens numerus sic dictorum « matrimoniorum silvestrium », i. e. contuberniorum inter viros et mulieres, quae nullo modo convalidari vel sanari possent.

2. Quoad *matrimonia mixta* haec mihi dicenda sunt. Matrimonia mixta pro catholicis ritus latini, nisi sint contracta coram sacerdote catholico, *etiam pro futuro nulla considerentur.* In his matrimoniis contrahendis, ad impetrandam dispensationem impedimenti, *exigantur cautiones in scriptis* de catholico baptismo necnon educatione catholica omnis prolis. Incommodis,

quae exinde interdum oriri praevidentur, mederi posset dispensatione episcopi a cautione in scriptis praestanda, retenta in omni casu promissione sincera partis catholicae, baptismum et educationem catholicam omnis prolis esse curaturam. Tribuatur quoque Ordinario loci *pro matrimoniis mixtis facultas dispensandi a forma canonica,* qua facultate Ordinario liceat uti tantum ex gravissimis causis.

3. Opportuna et bene fundata videtur dispositio, iuxta quam parochus vel Ordinarius loci *cuilibet sacerdoti intra fines sui territorii concedere valeant, ut matrimoniis valide assistat.* Hac facultate nemo tamen, exceptis vicariis cooperatoribus, licite uti possit, nisi ad singulos casus licentiam quoque assistendi matrimonio ab Ordinario loci vel parocho obtinuerit.

4. Quoad matrimonia clandestina, i. e. *matrimonia contracta coram solis testibus, probatur restrictio* in num. 6 Voti sub *c* (pag. 14) contenta, quae ad abusus impediendos, relate ad applicationem can. 1098, omnino necessaria videtur.

II - Etiam ea, quae sequuntur, mihi proponenda esse duco: agitur enim de re, meo humili iudicio, gravissimi momenti.

Iuxta praxim Ecclesiae catholicae *matrimonia omnium christianorum non catholicorum legitima, valida et consequenter indissolubilia* censentur semper, cum in qualibet forma naturali contracta sint. Ita matrimonia inter christianos seiunctos, licet solum coram foro civili contracta, valida semper considerabantur.

Mihi, at non solum mihi, sed etiam plurimis episcopis et sacerdotibus, qui sunt e regionibus, ubi catholici cum orthodoxis permixti vivunt, *haec ratio agendi Ecclesiae catholicae ex multiplici titulo non recta et sana videtur.*

a) Ecclesia orthodoxa habet vera et proprie dicta sacramenta, inter quae matrimonii sacramentum ab ea semper in maximo honore habebatur.

b) In sacramento matrimonii contrahendo in Ecclesia orthodoxa una cum forma canonica, quae in omni casu requiritur, sollemnis ritus adhibetur, qui dignitatem matrimonii extollere valeat.

c) In tota Ecclesia orthodoxa seu in omnibus Ecclesiis orthodoxis matrimonium extra ecclesiam, in forma tantum civili, contractum *semper et ubique invalidum habebatur.*

d) Hierarchia orthodoxa graviter offenditur ratione agendi Ecclesiae catholicae, quae nullam formam canonicam pro matrimoniis fidelium orthodoxorum necessariam ducit. Hoc modo agendi — ita Hierarchia orthodoxa — Ecclesia catholica orthodoxos paganis vel non christianis pares facit.

e) Huiusmodi ratio agendi Ecclesiae catholicae sine dubio gravi inconsequentia laborat. *Potestas et iurisdictio, quae in omnibus aliis sacramentis Ecclesiae orthodoxae agnoscitur, in septimo sacramento simpliciter abrogatur.*

f) Haec praxis minime consona est cum spiritu oecumenico, qui hodie in Ecclesia catholica in magno honore habetur.

g) *Ex tali praxi Ecclesiae Catholicae gravia incommoda pro cura animarum oriuntur.* Orthodoxi enim, qui matrimonia mere civilia invalida ha-

bent, non raro vellent, obtento divortio matrimonii tantum civiliter contracti, novum matrimonium inire cum parte catholica, et quidem in ecclesia catholica. Quanto stupore attoniti manent, cum audiant hoc in Ecclesia catholica numquam fieri posse, quia Ecclesia catholica eorum contubernia civilia valida, sancta et indissolubilia tenet. Facile intelligitur, hanc cognitionem eis magno scandalo esse.

Non est difficile sequelas practicas huius modi agendi suspicari: tales mariti vel feminae novum matrimonium tamen contrahunt: sane vel iterum civile tantum, vel in ecclesia orthodoxa. Non parva damna pro Ecclesia catholica etiam ex hoc fonte exordium habuerunt.

Ex hucusque dictis unum nobis deducere liceat: *nihil ergo sapientius et melius erit, nisi ut disciplina catholica in hoc puncto revideatur et modificetur.*

En quoad substantiam omnia, quae mihi dicenda putavi relate ad votum *de matrimonii sacramento.*

In fine permittatur mihi quaedam benevola observatio. Hoc votum *de matrimonii sacramento* subductum est discussioni Patrum et reservatum Summo Pontifici. Quamquam hoc factum est ex consensu Patrum Conciliarium, tamen mihi haec exceptio minus apta et opportuna videtur. Ut evitentur obiectiones, quae facile moveri possent, Summum Pontificem in hac materia elusisse competentiam Concilii Oecumenici, reddatur hoc votum, redactum et modificatum a Summo Pontifice eiusque commissionibus, iterum ad Concilium oecumenicum, ut libere discutiatur et de eo, ut fieri solet, suffragia ferantur. Hoc auctoritati Summi Pontificis minime nocebit, fiet autem valde opportuna confirmatio doctrinae de collegialitate Episcoporum, qui una cum Summo Pontifice, sui Collegii capite, res Ecclesiae moderantur. Mea opinione minime timendum esset, ut maior pars episcoporum in hac materia sententias defendat communi doctrinae Ecclesiae oppositas, quia « Spiritus Domini ferebatur (necnon fertur) super aquas » (Concilii). Cf. *Gen.* 1, 2.

Analogo modo agendi in disceptatione schematis *de Ecclesia* opportunitas huius meae propositionis confirmari videtur.

21

EXC.MUS P. D. GERARDUS M. CODERRE
Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Pour une pastorale renouvelée du mariage chrétien. La pastorale du mariage devrait d'abord insister sur la nécessité de la préparation des futurs époux à la réception de ce sacrement. Des expériences suffisamment nombreuses, faites depuis quelques décades, ont prouvé de façon irréfutable l'utilité et même la nécessité de cette préparation, sur les plans médical, psychologique, moral et spirituel. Pourquoi ne pas même faire de cette préparation une obligation? Ceux qui reçoivent le baptême, la confirmation, l'ordre, ne sont-ils pas obligés de s'y préparer?

Ensuite, au lieu de reprendre tout ce qui existe déjà dans les manuels de théologie morale, cette pastorale devrait s'employer à exposer une doctrine positive, qui tiendrait compte des découvertes récentes sur la théologie des réalités terrestres, et développerait les aspects spirituels et apostoliques de la vie conjugale et familiale. Il faudrait exploiter l'apport immense des théologiens récents, des médecins, des psychologues et des psychiatres modernes, ainsi que des milliers et des milliers de couples qui, dans des mouvements de spiritualité conjugale et d'apostolat familial à travers le monde, ont fait progresser infiniment la théologie du mariage et de la famille. Ainsi, les chrétiens trouveraient une nourriture substantielle pour leur vie intérieure et une invitation pressante à marcher avec ardeur vers un idéal. On éviterait qu'ils se disent, comme jadis, que l'Eglise considère leur état comme un pis-aller, une vocation au rabais, une forme de vie à laquelle il faut se résigner puisqu'on n'a pas les qualités pour faire mieux.

Pour ce faire, il faudrait d'abord bien situer le mariage dans le plan de Dieu et l'histoire du salut du monde, en se référant à l'Ancien Testament, au Nouveau Testament et à la vie de l'Eglise. Il serait aussi souverainement important de donner un exposé riche, clair et précis sur la sacramentalité du mariage, i. e. sur ce qu'il signifie, c'est-à-dire l'union du Christ et de l'Eglise. Ce domaine est encore très peu exploité par la théologie, mais de magnifiques découvertes ont été faites récemment. Cela encouragerait les théologiens à exploiter davantage cette doctrine paulinienne.

On devrait ensuite bien expliquer l'équilibre et l'interaction des fins du mariage à la lumière des études théologiques récentes: la fin du mariage; il ne fait aucun doute, c'est la procréation et l'éducation de l'enfant, mais l'union mutuelle et enrichissante des conjoints dans un amour de charité fait aussi partie de la finalité essentielle du mariage. Il est impossible de séparer ces deux fins, qui s'appellent l'un l'autre, se complètent, se compénètrent, si bien qu'il n'est pas facile de dire laquelle des deux est « première ».

Il faudrait aussi insister sur le fait que par le mariage, les époux se voient confier par Dieu une véritable vocation conjugale et parentale. Dieu va leur demander d'être des co-créateurs avec le Père (procréation et éducation de l'enfant, épanouissement du conjoint), des co-rédempteurs avec le Fils (valeur rédemptrice des joies et des souffrances pour le conjoint et les enfants), et des co-sanctificateurs avec l'Esprit-Saint (souci de la sanctification du conjoint, éducation religieuse des enfants).

Il serait nécessaire aussi d'expliquer comment, selon l'expression même de Jean XXIII, la famille est une « cellule d'Eglise », une « ecclesiola » selon les Pères. Il existe à ce sujet de magnifiques travaux théologiques démontrant comment l'Eglise vit et se développe au sein d'une famille, notamment en temps de persécution.

Enfin, une des grandes préoccupations des responsables de la pastorale familiale devrait porter sur l'apostolat du foyer et sur sa mission dans l'Eglise.

Ce n'est qu'en s'inspirant de tout cela qu'on devrait parler de morale conjugale. Il faudrait alors insister sur la noblesse et la grandeur pour les époux, non pas d'être parfaits, mais d'être continuellement en marche vers la perfection. C'est de cette spiritualité de la marche vers un idéal dont les fidèles ont besoin, plutôt que d'un exposé impersonnel de prescriptions à observer et de fautes à éviter. Il serait cependant extrêmement important de ne pas dévaloriser la loi et l'idéal à atteindre (ce serait du coup dévaloriser celui qui y tend) mais valoriser l'effort de celui qui cherche à l'observer dans l'amour de Dieu.

On devrait aussi accorder une attention toute particulière à la recherche de la maîtrise de soi, recherche comprise dans le plan de Dieu qui désire que l'homme obtienne cette maîtrise. Il serait de plus nécessaire de montrer comment la mission de fécondité est confiée par Dieu, non à l'instinct de l'homme, mais à son intelligence, son jugement et sa foi. Il faudrait ensuite bien expliquer la façon dont l'Eglise envisage le problème de la régulation des naissances et celui de la surpopulation du globe.

Enfin, on devrait encourager beaucoup les recherches poursuivies actuellement pour régulariser le cycle féminin, pour en arriver à ce que l'acte conjugal soit un acte pleinement humain et chrétien.

Une pastorale du mariage ainsi conçue répondrait vraiment à l'attente de plus en plus pressante de milliers de chrétiens mariés à travers le monde.

22

Exc.mus P. D. IOANNES CRAWFORD

Episcopus tit. Caffensis, vic. ap. Ins. Salmonicarum Occid.

Pag. 13, n. 5, lin. 10: Omittantur verba « in quantum poterit ». *Rationes*: 1) Quia superflua sunt cum nemo ad impossibile teneatur. 2) Quia ansam praeberent parti catholicae cedendi parti acatholicae qui postea obstiterit adimpletioni promissionum.

Pag. 13, n. 5, lin. 14: loco « illis non repugnare » legatur « illarum adimpletioni non repugnare ». *Ratio*: quia obscurum in textu manet utrum de emissione vel de adimpletione promissionum fit sermo.

Ad n. 6, pag. 13 (*de forma celebrationis matrimonii*). Forma celebrationis matrimonii obliget ad liceitatem, minime vero ad validitatem, ad mentem decreti *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis,* n. 18.

23

Exc.mus P. D. DAVID CUNNINGHAM

Episcopus tit. Lampsacensis, aux. Syracusensis

Pag. 13, n. 5, lin. 10 et pag. 13, n. 5, lin. 14: cf. supra Crawford n. 22, pag. 713.

N. 5: Propter condiciones varias regionum, par. *a*) *b*) et *c*) relinquantur conferentiis episcopalibus uniuscuiusque regionis.

N. 6: Deleatur integra paragraphus in n. 6, *b*) in schemate *de matrimonii sacramento. Rationes*: 1. Dicta paragrapho, in periculo gravi auctoritas parochi (de qua in n. 8, *d*) ponitur, immo et auctoritas Ordinarii loci.

2. Validitas matrimonii aspectu assistentia sacerdotis satis providetur sive iure communi sive vi delegationis in n. 6. Unde superflua est.

3. Hoc proposito, via aperitur neglectui assistentiae licitae matrimonii.

* * *

1. Pag. 13, sub n. 5, *a*): deleantur verba « in quantum poterit ». Verba infirmam reddunt obligationem partis catholicae, et ei excusationem dant.

2. Pag. 13, sub n. 5, *a*), lin. 14: legatur « atque constare expressis verbis coram parocho vel eius delegato prolatis, eam illis adimplendis non repugnare ». *Ratio*: schema uti nunc stat ambigua est relate ad modum quo mens et intentio partis non catholicae cognoscitur.

3. Pag. 13, sub n. 5, *b*) et *c*): tota materia de forma canonica matrimonii et de eius celebratione relinquatur conferentiis episcopalibus. *Ratio*: conditiones hodiernae praesertim in matrimoniis mixtis differunt multimodis.

4. Pag. 14, sub n. 6: tota pericopa sub littera « *b* » omittatur et lex vigens de delegatione matrimoniali stet. *Ratio*: ut auctoritas episcopi et parochi ad bonum sacramenti necessaria non nimis deminuatur.

24

Exc.mus P. D. IUSTINUS DARMAJUWONO

Archiepiscopus Semarangensis

Nomine 30 episcoporum Indonesiae. Laudamus hoc schema, et petimus ut substantialiter idem maneat.

Praecipuum laudis capitulum est renovata legislatio de matrimonio mixto, in quo petimus ut quaedam emendationes fiant, nomine nostro oblatae ab exc.mo D. Tillemans. Non autem volumus, ut legislatio de sic dictis cautionibus pro universa Ecclesia strictior iterum fiat. Constat enim: 1. In regionibus mixtae religionis, progrediente praesertim urbanizatione, has cautiones

vix quiddam conferre ad matrimonia mixta diminuenda; 2. multos catholicos nubere cautionibus non praestitis, sine dispensatione, ita ut augetur numerus matrimoniorum quae civiliter quidem valida, coram Ecclesia autem invalida sunt; 3. etiam cautionibus praestitis, dispensatione obtenta, et matrimonio valide inito, res cautionum saepe esse occasionem, qua homines ab Ecclesia alienentur: nam facies Ecclesiae legalistica eis obvenit.

25

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEANE

Episcopus Civitatis Mariae

Muchas y muy hermosas cosas se han dicho en el esquema del Sacramento del Matrimonio. Cosas que apruebo, y creo que son dignas del mayor elogio. Los Sacerdotes y el laicado católico de todo el mundo recibirán con alma agradecida estas nuevas normas.

Attamen: debido a la enorme importancia que tiene para la sociedad y para la Iglesia misma, la renovación espiritual de los cristianos casados, es muy poco lo que el Esquema dice sobre la santidad, la perfección en el estado matrimonial. Sin embargo esta santidad tiene su fuente perene en el sacramento del matrimonio, bien vivido, profundizado y apreciado. En el Capitulo V de « Universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », solamente se la dedica a los casados unas pocas palabras.

Pues bien: como la inmensa mayoría de los cristianos se casan, es decir toman el estado del matrimonio que tiene todo un sacramento para santificarlos como esposos, como casados, creo que se ha dicho demasiado poco, sobre este gremio inmenso de casados que existe en la Iglesia de Dios. Hay mucha ignorancia en nuestro pueblo en esta materia. Basta hablar sobre la santidad conyugal, sobre la espiritualidad conyugal, para darse cuenta de que para la inmensa mayoría esta es una doctrina desconocida.

Gracias a Dios, en diversas partes del mundo, existen movimientos, nacidos en estos últimos años, que se ocupan de la santidad de los casados, ya que son ellos igual que nosotros, hijos de Dios, hijos del reino, y con tremendas responsabilidades sobre sus almas. Estos movimientos tienen la aprobación de los Ordinarios, y es inmenso el fruto de ejemplo de vida cristiana que están dando como asimismo es inmenso el campo fecundo de vocaciones que se abre a la Iglesia.

Hago dos votos en este asunto:

1. Que quede constancia en este Concilio que existen movimientos especializados para ayudar a los conyuges catolicos en su vida espiritual. Que este movimiento ayuda a los padres a vivir su noble misión de educatores cristianos de sus hijos. Tal vez el mejor antídoto para inmunizar a sus fieles contra las doctrinas tan difundidas del divorcio, es fomentar estos movimientos especializados de espiritualidad conyugal, en donde se habla en

forma jamás usada antes, sobre la dignidad, la hermosura y la santidad del amor conyugal, y de su inmensa importancia social. En estos movimientos, los esposos aprenden con gran alegría de sus almas, que tambien hay para ellos un camino de santidad, y de elevación espiritual.

Propongo en segundo lugar de que se establezca aqui en Roma un organismo especial, que difunda todas las noticias é informacioses sobre estos movimientos, a fin de que lleguen a los Obispos, a los sacerdotes y a los fieles de todo el mundo. Asi los éxitos y las experiencias de unos lugares pueden ser conocidos en todas partes para bien del cuerpo mistico de la Iglesia. En esta forma, en pocos años este trabajo pastoral especializado podrá ser conocido en todo el mundo.

Creo Revendísimos Padres que la aprobación hecha en esta aula conciliar, daría gran auge a este movimiento providencial de nuestros tiempos. Tal vez que se podría formular asi: Este Sagrado Sínodo alaba y recomienda los movimientos apostolicos a favor de la santidad de los matrimonios, que existen y florecen en varias partes del mundo, y ve en ellos una forma muy adaptada para nuestra época de llevar la acción apostolica y santificadora de la Iglesia a todas las células de la sociedad, a través de la familia.

26

EXC.MUS P. D. ALOISIUS DEL ROSARIO

Archiepiscopus Zamboangensis

Quoad praeparationem nubendorum ad matrimonium, maximopere oportet inculcare ut instructio quoad mysterium vitae propagandae a solis parentibus, ac praesertim a matre, tradatur privatim, gradatim et magna cum prudentia. Nunquam autem publice in scholis, neque a sacerdotibus, aut religiosis sive viris sive mulieribus.

27

EXC.MUS P. D. IOANNES DE REEPER

Episcopus Kisumuensis

1. In pag. 12, par. 4, lin. 26 dicitur: « Impedimenta gradus minoris abrogantur ». Melius esset clare dicere: « Impedimenta *dirimentia* ... » quia sunt nonnulli auctores qui distinctionem inter gradum minorem et maiorem etiam circa impedimenta prohibentia introducunt.

2. In pag. 13, par. 5, linn. 1 ss. dicitur: « ... optandum est ut *separentur praescripta* circa matrimonium partis catholicae cum parte baptizata non catholica, et partis catholicae cum parte non baptizata ... ». Hoc certe desiderandum et laudandum est.

Quamobrem nobis absurdum sonat quando haec separatio ad nihil reducitur in sequente linea sexta, quae incipit verbis: « In *omnibus* matrimoniis mixtis ... ». Nonne hac expressione illa separatio praeceptorum negatur et differentia inter impedimentum mixtae religionis et disparitatis cultus aufertur?

Desiderandum nobis videtur ut clare dicatur de quali impedimento agitur, an nova lex de hac re introducitur vel lex vigens manet.

3. In pag. 13, pag. 5, lin. 9: « pars catholica ... promissionem *sinceram* praestare debebit ... ».

Illa promissio apparet constituere condicionem sine qua non validitatis dispensationis ab impedimento; sed quid si promissio non sit sincera sed *fictiva,* dispensatio estne valida vel invalida, et si invalida matrimonium in casu disparitatis cultus erit invalidum.

De hac re declaratio lucida requiritur.

4. In pag. 13, par. 5, linn. 10-11: « ... baptismum et educationem catholicam *universae prolis* esse curaturam ».

Quid in casu si pars catholica matrimonium contrahat cum parte non catholica quae iam prolem non catholicam ex priore matrimonio habet?

Debet pars catholica promittere se etiam illius prolis (dicitur enim: universae prolis) baptismum et educationem catholicam curaturam esse? Si haec non est mens legis, addatur post verbum: prolis *nasciturae.*

5. In pag. 13, par. 5, linn. 14-15: oportet constare partem non catholicam illis promissionibus (i. e. cautionibus datis a parte catholica) non repugnare. Estne hoc requisitum tantum ad liceitatem vel ad validitatem?

Apparet esse tantum ad liceitatem dispensationis, secundum declarationem S. Off., 21 apr. 1938 (*Sylloge* p. 561). Desiderandum videtur ut hoc clare dicetur.

6. In pag. 13, par. 5 b, linn. 19 ss.

Quis est iudex de gravitate difficultatum, quae obstant observationi formae canonicae: estne Ordinarius loci, vel pastor, vel partes contrahentes? Hoc clare statuendum est.

7. In pag. 14, par. 6 c, linn. 23-31: agitur hic de forma extraordinaria matrimonii, quae in iure vigenti iam conditionibus circumdata et protecta est. Periculosum est addere conditiones coarctantes pro circumstantiis extraordinariis, quae fortasse matrimonia innocentia redderent invalida. Ideoque propono omittere novas conditiones in schemate scriptas.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Pag. 12, n. 5 (de matrimoniis mixtis). Optandum est ut possint declarari valida matrimonia *latinorum* cum acatholicis orientalibus, contracta coram ministro acatholico. Concedatur etiam episcopis *latinis* facultas necessaria dispensandi super formam canonicam et sanandi matrimonia iam contracta.

Dolendum est quod haec facultas non fuit concessa episcopis *latinis* in schemate pro episcopis latinis. Poterit inscribi nunc in schemate de matrimonio (emendato) pag. 12 in fine n. 5.

29

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

1. *De ipso sacramento* ne verbum quidem adest in textu. Necessarium ergo videtur definitionem sacramenti matrimonii tradere.

2. *De ministris sacramenti* quoque ne verbum quidem. Absolute necesse est amplo modo statuere ipsos sponsos esse ministros huius sacramenti et clare statuere quod sponsus sponsae sacramentum administrat et e contrario sponsa sponso sacramentum administrat. Ex hoc enim sanctitas matrimonii, familiae et amoris coniugalis derivantur.

3. De amore quoque et mutuo adiutorio coniugum a sacramento sanctificatis ne verbum quidem adest. De hac tamen re agere summi momenti est pro ipsis coniugibus, pro filiis et pro tota christiana familia.

4. *Quid statuit lex divina de matrimonii sacramento?* neque de hoc sermo adest in textu. Tamen si saepe dicitur quod lex divina observanda est, debet etiam dici quid ipsa praecipiat.

5. Praepositiones schematis unum tantum prae oculis habent: favere conditionibus vitae mundi moderni! Estne hic mundus pro quo Christus neque voluit orare? Vel estne forsan idem mundus qui diluvio universali a Deo extinctus est vel mundus qui Deum non cognovit.

Matrimonium christianum a lege Christi et Ecclesiae tantum sanctificatur, dum e contrario a mundi dictaminibus corrumpitur.

Concilium nullo modo potest dictamina mundi sequi in suis legibus condendis.

30

EXC.MUS P. D. IOSEPH AMIHERA ESSUAH
Episcopus Kumasiensis

Par. 5, De Matrimoniis mixtis: a) *De promissionibus.* I suggest that not only the catholic party but also the non-catholic party should be obliged to make the promisses solemny.

The reason is that the Catholic party can scarsely have the authority to have *all* the children baptised and educated as catholics, if the non-catholic party does not feel obliged as well. My experience is that in some instances, even where the non-catholic party has previously made solemn promisses that all the children will be reared as catholics, he makes a division and takes the children of his sex to his own church. If now he is made to feel that he has no obligation, it will not be a surprise if he takes all the children to his own church.

In my country, Ghana, West Africa, the native custom (derived from paganism) is that children follow the religion of the father, while a woman follows that of her husband. The solemn promisses, so far required in mixed marriage, have mitigated the strength of this custom. It is almost certain that if the non-catholic is now to be free from undertaking these promisses, most children of mixed marriages will be reared as non-catholics. Where children are even baptised as catholics, there will be no fear on the part of the non-catholic to take them to his Church, on the plea that all christian Churches are the same.

b) and d). *Forma canonica.* I suggest that all marriages between catholics and non-catholics should stick to the forma canonica, i. e. with a catholic priest as the official witness, except in the extraordinary case of lack of a priest and, in addition of a danger of death, where catholic lay-people may be witnesses.

The reason is that if the non-catholic knows that in an extraordinary circumstance he can marry his catholic party without the priest, the way will be opened for him to create the circumstance, if he so wishes, and marry before his non-catholic minister.

In my country, Ghana, there are three forms of marriage: *a*) everyone must first marry according to custom; *b*) the christian then marries again in his church; or *c*) he can marry at the civil court, with the Registrar of the Court as the minister of marriage.

With the present law of marriage, catholics marry according to a) and b) above; those who take a) and c) are considered bad catholics and as living in concubinage.

Most of the mixed marriages we have had, have catholic women and non-catholic men as partners. If now the non-catholic knows that he can take his catholic partner not to the catholic church but to his own Church or

the Court for his marriage, the loss of souls will be far greater than what we have now when one or the other catholic goes off the rails.

Non-catholics at home admit divorce and re-marriage when the divorced partner is still alive. At present they know that no divorce is admitted in a marriage in the catholic Church; but if they can legitimately marry a catholic outside the catholic Church, there seams to be no reason why they should not add that they can divorce their catholic partners.

Investigations into the freedom and family relationship of marrying partners will, in many cases, be omitted, if mixed marriages can be celebrated outside the catholic Church. It is not improbable to keep the parish priest ignorant until after the celebration of the marriage, before the catholic party goes to inform him. With the admission of divorce, non-catholics cannot be convinced that they are free to marry again only after the death of their divorced partners.

Record-keeping is another point. If a catholic forgets or bluntly refuses to inform his parish priest of his marriage outside the catholic Church, he is officially free to enter into a subsequent marriage when the first proves to be troublesome.

The forma canonica should, accordingly, be enforced in all mixed marriages, whatever be the extraordinary circumstances.

31

Exc.mus P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER
Episcopus Petriculanus

Infrascriptus Albertus L. Fletcher, ep. Petriculanus (Little Rock, U.S.A.) hoc interventum scriptum in schemate « De Matrimonii Sacramento » submitto.

Si Beatissimo Papae Nostro placeant ea quae in schemate sub n. 5 proponuntur in lege generali Ecclesiae recipienda, sincere flagito ut exceptio ab hac lege pro nostris Statibus Unitis statuatur. Uti patet, cum obedientia necnon filiali reverentia voluntati Beatissimi Papae obtemperabo.

Ideoque, si tamquam norma generalis ea in schemate contenta statuta erunt, propono ut pro Statibus Unitis lex nunc vigens in codice Iuris Canonici nunc vim suam retineat aut licentia conferentiae episcopali propriis legibus condendis, ab Apostolica Sede adprobandis, concedatur.

Certo certius verba prolata in aula Concilii a rev.mis Patribus conciliaribus Fearns et Krol adiuncta nostrae nationi forsitan peculiaria descripserunt. De salute animarum, praesertim iuvenum, valde timeo si vigilantia et cura vera pastorali in matrimonio ineundo privatae erint (...?), et eas per legem vigentem (aut per leges de quibus supra) melius quam per propositam eis praebere possumus, non tantummodo ad validitatem et sanctitatem matrimonii servandas sed etiam ad prolis baptismum et catholicam educationem curandos.

32

EXC.MUS P. D. MICHAEL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

Constat ultimis hisce temporibus — ab ineunte scil. saeculo xx ad nostros usque dies — generis humani biologicas conditiones magnopere immutatas esse: infantium enim mortalitas, quae dicitur, valde imminuta est; publica valetudo, ope curae praeventivae, publice praestatae, melior effecta; vitae cursus fere ubique longior evadit.

Ex hoc tamen originem ducit demographicum incrementum seu explosio demographica, ut aiunt.

Exempli gratia referre placet nostram archidioecesim in qua, nuper elapsis quinquaginta annis, incolarum numerus duplicatus est.

1. Res tamen serene ac positive diiudicanda est: *a*) illud namque nil aliud esse apparet nisi verus humanitatis profectus, divino consilio plane respondens, nam Dei voluntas est ut humanitas progrediatur, vires naturae agnoscens eisque moderans; *b*) homini novum onus, seu nova responsabilitas inde provenit, nam ipse fit hoc modo veluti suae speciei arbiter: demographica enim et familiaris aequabilitas iam non ab una naturae vi dependet, sed simul manet sub humanae rationis ductu, ideoque factum demographicum fit plene et perfecte humanum.

2. Homines igitur ius habent ut apti reddantur ad illam capacitatem illudque onus super se suscipienda atque ita demographico problemati non modo mere biologico respondeant, sed modo plene humano. Porro humani huius responsi vis atque natura postulat ut, praeter biologicam rationem, aspectus quoque psychologicus, sociologicus, culturalis et ethnicus una simul congrediantur.

Practice igitur problemati demographico idonea solutio praestari poterit non quidem media chemica vel physica ad procreationem moderandam adhibendo, sed hominum nostri temporis agendi rationem integre reformando.

3. Christi asseclae insuper illam agendi rationem, ethicis principiis fundatam, iuxta christianae doctrinae principia perficere atque complere debent, prae oculis habentes non modo iuris naturalis momentum, sed et virtutes specifice christianas ut sunt: caritas, fiducia in divinae Providentiae auxilium, paupertas, sacrificium, generositas etc.

In praxi: oportet ut matrimonium consideretur non tamquam aliquid a se, sed in relatione ad totam vitam. Id tamen obtineri omnino non poterit absque auxilio personarum et institutionum, quae christianae familiae praeparandae atque educandae incumbant.

Necesse est igitur ut sponsi aeque ac coniuges, iuniores et praesertim maturiores, opportune educentur et instruantur in illis potissimum regionibus christianis ubi demographicum incrementum maius exsistit.

Schema proinde — mihi videtur — amplificandum est in ea parte ubi de sponsorum educatione fit sermo; ibique edicendum oportere ut in huiusmodi educatione de omnibus vitae aspectibus ratio habeatur, quamquam matrimonialis consortii argumentum fusius, uti pronum est, pertractari urgeat.

In schemate brevis commendatio fit circa sponsorum ad matrimonii praeparationem; sed illa commendatio est nimis generica. Cum agatur de re tanti momenti pro felici matrimonii exitu, videtur magis esse insistendum super necessitatem dictae educationis eaque clarius esse describenda atque proponenda.

Nostris diebus urget omnino ut sponsi ante matrimonium intense et modo peculiari ac specifico praeparentur. In pluribus dioecesibus, ut in nostra archidioecesi melitensi, ortus est atque actuose operatur motus familiaris « ad hoc », qui dicitur in aliquibus dioecesibus, uti in nostra dioecesi, « Movimento di Cana » (Cana Movement).

Huius motus finis triplex est, scil: *a*) ut laicos ducat atque inspiret ad plenam cognitionem vocationis ad matrimonium christianum; *b*) ut sponsos edoceat sanctitatem Sacramenti, munera coniugum reciproca, atque officia parentum erga filios; *c*) ut servitium praebeat ad consulendum de quaestionibus ante et post matrimonii celebrationem.

Programma actuositatis Motus varia comprehendit incepta, quae ex arcta sacerdotum et laicorum cooperatione profluunt. En aliqua exempli gratia: *a*) acroases seu lectiones pro sponsis; *b*) item pro neo-coniugibus (quae quidem maius momentum induunt prae illae quae sponsis praebentur, nam ex prioribus cohabitationis mensibus matrimonii exitus ut plurimum dependet); *c*) item pro parentibus, iuvenibus, artis obstetriciae peritis, sacerdotibus.

Magno cum gaudio affirmare possumus iuvenes sponsos et coniuges nostrae archidioecesis libenti animo Motus inceptis adhaerere ac frequentes eiusdem actuositatem participare, eo quod in ipso inveniant viam ac rationem positivam, directam ac practicam vitae coniugali subveniendi.

Nostro tempore mera et nuda hortamenta de matrimonio minime sufficere satis superque constat; nam homines doctrinam sitiunt quae a sanctitate quidem matrimonii initium capiat, quaeque tamen vitam illorum cotidianam ac domesticas familiae necessitudines intime pariter attingat.

Motus, de quo hic sermo fit, non est simplex institutio educativa, sed evadit potius sensus et spiritus quem sponsis communicare oportet. Ipse igitur operam dat ut incitet, informet, inspiret; incitat ad amorem, informat intellectum, inspirat per gratiam animae.

Tria haec, si una habeantur simul, matrimonii sanctitatem tuentur, unitatem roborant, felicitatem gignunt.

Et illa quidem de matrimonii praeparatione.

In diversis dioecesibus, uti etiam in nostra, simul cum supra relato Motu, qui « Movimento di Cana » audit, ortum est « Consultorium matrimoniale ».

Nostro tempore matrimoniales consultationes scientiae peculiari originem dederunt, quae propriam viam ac rationem technicam ac scientificam se-

quitur, necnon plurimo studio ac labore comparatur. Ipsa duos aspectus complectitur, pastoralem nempe ac laicalem.

Unumquodque catholicum consultorium duos aspectus distincte prosequitur. Pro aspectu pastorali adlaborant sacerdotes; pro aspectu laicali adsunt consultores laici et quidem medici, iurisperiti necnon consultores matrimoniales apte instructi. Uti liquido apparet, opus est peritis bene selectis, convenienter paratis et psychologice ad huiusmodi laborem aptis.

Consultatio matrimonialis hodie omnino necessaria evadit dum matrimonii sanctitas et unitas ob temporum nostrorum pravum influxum periclitantur. Non possunt ad hoc ipsi cursus praematrimoniales et matrimoniales sufficere; sed opus est matrimonialibus « consultoriis », nam coniuges indigent aliquo centro seu instituto ubi possint facile et aperte matrimonialia problemata discutere ac difficultates solvere, antequam iurisperitum adeant separationis aut divortii causa.

Summopere proinde optandum est ut Sacrum Concilium Motus de quo sermonem facimus, institutionem, pro maioribus saltem dioecesibus, enixe commendet.

33

Exc.mus P. D. CAROLUS ALEXANDER GRANT

Episcopus tit. Alindensis, aux. Northantoniensis

1. *De cautionibus.* The legislation proposed in the Schema is reasonably satisfactory as long as it made clear that the non-Catholic party must not be opposed to the keeping of the promises made by the Catholic. The phrase « in quantum poterit » should be ommitted in the previous paragraph. I would prefer the cautiones to be kept except in the case of really believing and practising non-Catholics.

2. *De forma celebrationis matrimonii.* I would agree to the form being made necessary only for liceity, but only on two conditions: a. that only those marriages should be valid which are provable by a public document, and b. that where the catholic party or parties contract marriage without the catholic form and without a dispensation, then they are to be excluded from the Sacraments by excommunication, or some equally effective means, until they have shown true penitence and have made promises as to the catholic education of children. If this latter condition is considered too unecumenical, then the canonical form should stay as it is.

My reason for the above is that under the present conditions many naturally valid marriages entered into in good faith are invalid—this is especially true since the amendment of Canon 1099, par. 2 in 1948—with consequent deprivation of sacramental grace; and also that very grave scandal is caused by Catholics who are enabled to marry validly in the Catholic Church after one or more civil unions—this also can give rise

to grave injustice to the partners in these civil unions, and to children born in them.

3. *De impedimentis.* I agree with what has been said as to the advisability of seeking as much uniformity as possible between the impediments of purely ecclesiastical law and those of the State. I consider that impediments of purely ecclesiastical law should not bind baptised non-Catholics; or at the very least, that the marriages of two non-Catholics bound by such impediments should be declared to be putative.

My reasons for this are as follows: a. it is unjust that non-Catholics, entering marriage in good faith and ignorant of the impediment, should be deprived of sacramental grace. b. It can also be a source of grave embarrasment if they become Catholics, even though the marriage can be convalidated by « sanatio in radice ». It is surely unjust that children born of such a marriage should be illegitimate.

34

Exc.mus P. D. VILLELMUS ERICUS GRASAR
Episcopus Salopiensis

N. 5, pag. 12, linn. 40 ss.: Omittantur verba: « nec non declarationis de libertate religiosa ». *Ratio*: verba videntur suggerere ius vigens posse offendere contra libertatem religiosam. Talis suggestio, meo iudicio, falsa esset. Ius vigens requirit promissiones a parte acatholica, sed supponit promissiones libere datas. Ius vigens non sanciret coercitionem ut pars acatholica faceret promissiones contra suam conscientiam.

35

Exc.mus P. D. GORDONIUS IOSEPH GRAY
Archiepiscopus S. Andreae et Edimburgensis

Proh dolor, mihi videtur spem plurimorum tum fidelium tum fratrum separatorum schemate de matrimonio delusam esse, quia tam pauca dicit de matrimoniis mixtis. Legislatio hodierna Ecclesiae de matrimonio, et maxime de matrimoniis mixtis, plurimas difficultates secumfert pro quibusdam individuis, praesertim in nationibus acatholicis. Haec problemata, quae personas intime tangunt et aliquando familias scindunt, talia sunt quae considerationem Patrum mereantur, nam non raro occasionem dant lapsui catholicorum a fide, et inter acatholicos acerbitatem causant erga ecclesiam catholicam. In pag. 6 schematis, par. 3, sect. B, consideratio horum problematum tempori indefinito differtur. Tali proposito solutio pro his problematibus post quindecim vel viginti annos forsan invenietur; sed non ita satisfit gravitati problematis pro praesenti tempore.

Evidens est Ecclesiam non posse omnibus difficultatibus providere in sua legislatione pro matrimoniis mixtis, cum circumstantiae valde diversae sint in diversis nationibus. Immo, probabile est Ecclesiam numquam posse omnibus exigentiis acatholicorum in hac materia satisfacere. Tamen mihi omnino persuasum est nos plus facere potuisse, et puto Patres saltem manifestare debere se sollicitos esse propter quaerimonia acatholicorum, qui modum agendi Ecclesiae in hac re intelligere nequeunt, et propter incommoda gravia quae, secundum acatholicos, ex una Ecclesiae legislatione proveniunt.

Singulis annis Coetus Generalis Ecclesiae Presbyterianae Scoticae Edimburgi convenit ad leges ferendas pro suis membris per totum mundum dispersis. His novissimis annis in illo coetu frequenter agebatur de effectibus qui pro coniuge acatholico in matrimonio mixto oriuntur iure canonico Ecclesiae catholicae. Et coetus universus legislationem catholicam vehementer insectatus est. Nolo de validitate harum reprehensionum et criminationum iudicium ferre. Sufficiat dicere illas ab ephemeridibus cum assensu generali editas esse. Examplar decretorum Romam ad Secretariatum pro Unitate Christiana ab ipso coetu missum est, et ceterae ecclesiae acatholicae ad sententiam Presbyterianorum sustinendam invitabantur. Postea delegatio ministrorum et presbyterorum Ecclesiae Presbyterianae me visitavit ad quaerimonia exponenda et mentem suam declarandam. Sperabant ius canonicum de matrimoniis mixtis in Concilio Vaticano attente examinatum et forsan penitus immutatum iri. Hi viri hodie anxie expectant notitias harum deliberationum. Si in Concilio quaestio de matrimoniis mixtis non tractatur sed tempori indeterminato differtur, plures Protestantes bonae fidei, qui harmoniam inter ecclesias appetunt, sine dubio putabunt Ecclesiam de his problematibus parum vel nullo modo sollicitam esse.

Fortasse Ecclesia non poterit pro his casibus ius suum immutare ad satisfacienda desideria fratrum separatorum. Si ita est, spes illos fefellerit et contristati erunt. Tamen, si viderint Patres Concilii rei diligenter et serio studuisse, et ad decisiones pervenisse solummodo propter principia ut sacra sustenta, credo illos nostras decisiones patienter et aequo animo sine acerbitate accepturos esse. Si e contra illis videbitur Concilium ne quidem agnoscere gravitatem problematis — quod problema, secundum illos, a dura legislatione catholica causatur — tunc dicent suas postulationes legitimas nullius momenti habitas esse. Nemini autem placet suam opinionem abiectam videre.

Quapropter, cum in ipso Concilio tempus nunc desit pro deliberatione plena de hoc gravi problemate, propono:

1. ut statim nominetur Commissio ad quaestionem pervestigandam de legislatione pro matrimoniis mixtis tamquam problema quod valde urget.

2. Ut animadversiones fratrum separatorum de hac materia exquirantur, saltem ad fovendam amicitiam et bonas relationes.

3. Ut commissio momentum pastorale problematis pro praesenti tempore agnoscat et suas conclusiones quam primum in lucem edat.

36

EXC.MUS P. D. HILARIUS HACKER
Episcopus Bismarckiensis

Circa n. 5 (De matrimoniis mixtis), pag. 12, propono loco verborum in par. 5 sequentia: « Quo opportunius condicioni personarum consulatur, ad matrimonia mixta quod attinet, salvis exigentiis iuris divini, leges canonicae de impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, accommodentur per leges particulares cuiuscumque conferentiae episcopalis, a Sede Apostolica confirmandas, ita ut opus Oecumenismi bene perpensis circumstantiis et adiunctis alicuius regionis, prudentius ac melius perfici possit ». *Ratio*: Lex nunc vigens in Codice Iuris Canonici fidelium nostrorum bono melius inservit. Ex experientia pastorali scimus multa damna gravissima oritura esse ex lege in schemate proposita. Cura animarum est suprema lex.

37

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN
Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

In hoc schemate *de matrimonii sacramento* iure meritoque leges nostrae quae ad matrimonia mixta spectant rursus denuo perpenduntur, et quaedam proposita utilia exhibentur. Quaedam mutationes radicales etiam proponuntur de quibus oportuisset — ad mentem huius Concilii pastoralis — cum parochis nostris disceptare posse. Mea quidem sententia, lex proposita gravibus defectibus laborat.

1. Nova lex cum periculo facit ut parochus minus responsabilis fiat quoad sponsos ad matrimonium praeparandos. Quanquam enim in articulo 8, paragrapho d, parochus recte dicitur hac in re responsabilis, statuitur tamen in art. 6, par. d, ut matrimonium sit validum si contrahitur coram quolibet sacerdote in aliqua ecclesia vel oratorio publico etiam contra praescripta legis, itaque alter paragraphus alteri paragrapho contradicit. Experientia constat parochum eiusque coadiutores melius iudicare res quae ad matrimonia inter parochia nos spectant.

2. Praescriptum quod continetur in art. 6 b, postponit parochi iudicium iudicio cuiusvis dioecesani sacerdotis, nulla ratione habita pastoralis experientiae parochorum in re matrimoniali, qua forte alii sacerdotes omnino carent. Parochi iudicium in hac re nulli quidem postponendum esse censemus nisi loci Ordinario aliisque quos ipse expresse delegaverit. Quod nisi ita erit, corruet non modo parochorum, sed etiam Ordinariorum circa matrimonium potestas.

3. Hac lege, quae in citato art. 6 b, proponitur, item videtur catholicis iuvenilis et ferventis adhuc aetatis denegari beneficium prudentiae et sagacitatis parochorum eorumque adiutorum in munere pastorali. Hodie, saltem in nostra natione, numerosiora patimur festinata et inconsiderata connubia. Parochi aliique animarum pastores, cum omnia noverint adiuncta rerum et personarum, in variis his casibus communiter erunt optimi iudices; at si contrahentes, vel alii quorum interest, huic iudicio subicere nolunt, ad loci Ordinarium recurrere possunt vel ad alios quos ipse tamquam suos delegatos in re matrimoniali designaverit.

4. Licentia ad matrimonia mixta celebranda, prout statuitur in art. 5 b, in hac nostra societate, in qua plures agnoscuntur formae religionis, illud efficit ut vix ullum retineatur obsequium in matrimonii sacramentum et in pastorale parochi munus. Vi huius praescripti, si pars acatholica petierit ut matrimonium coram ministro acatholico vel coram publico officiali celebretur, illud permitti posse videtur, siquidem postulatio ipsa reputari potest ut sufficiens causa canonica dispensationis. Lex enim tantummodo exigit ut occurrant « graves difficultates ». At notandum quod in hac nostra pluralistica societate, ut diximus, numerus sectarum acatholicarum est vere ingens. Sunt enim amplius quam dugentae, in nostra natione, quarum nonnullae nuper invectae paucos tantum asseclas habent. Nunc si licentia dabitur uni ut matrimonium mixtum in suo templo protestantico ineat, danda est etiam cuilibet qui illam postulaverit, ne videatur Episcopus alios prae ceteris anteponere, acrimoniosa in se excitans odia. Si autem hanc licentiam omnibus dederit, aequabitur parochus catholicus, ad matrimonium quot attinet, infimo ministello protestantico, cum pravissimo catholicorum fidelium scandalo et magna iniuria fidei.

5. Licentia celebrandi matrimonia mixta extra catholicas ecclesias, si effectus inspicimus qui inde consequuntur, contraire videtur oecumenico fini quem sibi proposuit Concilium. Nam, si hanc licentiam, contra praescriptum legis nuper citatae, episcopus denegaverit, in odia Protestantium incurret; si interdum concesserit, facere non potest ut in quolibet templo et coram quovis ministro seu ministello matrimonia celebrentur, quod profecto nocebit aestimationi Protestantium erga Ecclesiam ut custodem totius veritatis et ut Sponsam Christi.

6. Causae quae in citato art. 5 b, indicantur tamquam legitimae et sufficientes ut matrimonia mixta extra ecclesias catholicas ineantur, scilicet « graves difficultates », tam vagae sunt atque tam late patent ut forma iuridica celebrationis, quae pro matrimoniis mixtis ibi statuitur, reapse sublata videatur. Sufficit enim ut pars acatholica recusaverit matrimonium inire in ecclesia catholica, ut legitime ei concedi possit, ad normam huius praescripti, licentia matrimonium contrahendi coram ministro protestantico. Quod autem uni conceditur, eadem de causa omnibus concedendum est. Nemo itaque est qui non videat, huiusmodi dispensatione, sane actum esse de forma matrimonii mixti.

7. Si abusus obreperint, ii corrigi possunt lege quae sit non tam dura et damnosa. Sed quinam abusus, quae difficultates hanc legem induxerint, nullibi reperitur. Ut verum fatear, nobis prorsus significanda erit ratio quae dictaverit ut ita penitus immutaretur lex matrimonii cum magna et ampla experientia suffragatur (*Tametsi, Ne Temere,* etc.).

8. Matrimonia mixta, ad normam iuris vigentis celebrata, felicem exitum generatim habuerunt. Ratio autem in eo reponenda est quod sponsi mixtae religionis statuere tenentur quae ad fidei professionem attinent antequam matrimonium inierint, non vero postea. Futurae matrimonii quaestiones difficultatesque, quae praevideri possunt, profecto non post sed ante matrimonium expediendae sunt. Etiam acatholici in rebus matrimonialibus consiliarii hoc suadent. At nova lex, quae in citato articulo proponitur, posthabere videtur huiusmodi opportunas prudentesque curas, quae ad religionem quod attinet sane ante matrimonium praestandae sunt.

9. Nova lex ignorare videtur beneficia quae ex iure vigente exorta sunt, praesertim in iis quae institutionem in religione universae prolis respiciunt. Itemque ignorare videtur humani animi motus de quibus scientia psychologica nos certiores facit. Si enim vir catholicus matrimonium contrahere potest in templo protestantico, coniux acatholica arguere inde potest sibi licitum esse ecclesiam protestanticam adire ut filii ibi baptizentur, cum huiusmodi baptismus etiam ut validus agnoscitur; atque sibi licitum esse decernere ut filii ibi recipiant religiosam institutionem, ubi parentes matrimonium contraxerunt.

38

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

For the Holy Father's Commission in reference to the Sacrament of Matrimony, may I make this observation. The entire schema meets general approval.

However, in regard to mixed marriages, paragraph 5, section B, it might be better to state that the faculty granted to the Ordinary to dispense from the canonical form presupposes that the Ordinary through the parish priest is morally certain that there are no impediments to the marriage, that the divine law regarding the baptism and Catholic education of the children is safeguarded, and likewise, that there is certitude regarding the validity of the matrimonial consent. Fears of many that this faculty to dispense would be dangerous for the Church in the English-speaking world would perhaps be lessened if these conditions were again repeated in this short paragraph.

39

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Dorensis, prael. null. Cluniensis

Ad n. 5, pag. 13, lin. 13, dicatur: « ... partem non catholicam *opportuno tempore ante dispensationem moneri oportebit* ... ». *Ratio*: Pars non catholica, si serio assentiri vult tum promissionibus a parte catholica factis tum obligationibus a finibus et proprietatibus matrimonii dimanantibus, tempestive omnino moneri oportet, cum res adhuc sunt integrae et certo ante dispensationem.

Ad n. 5, pag. 13, linn. 22 ss., dicatur: « ... Ordinariis locorum, *si ita statuit conferentia episcopalis nationalis,* facultas a forma canonica *in singulis casibus* dispensandi tribuatur ... ». *Ratio*: si non ponitur haec restrictio, lex communis de forma canonica pro matrimoniis mixtis, practice ex dispensationibus generalibus Ordinariorum posset enervari. Lex de forma canonica servanda, quae maxime uniformis sit oportet, practice careret uniformitate. Immo ut valide quis contrahere posset in nuptiis mixtis absque forma canonica, sufficeret ut se transferret in dioecesim ubi illa dispensatio generalis Ordinario concessa esset.

Ad n. 5 c, pag. 13, linn. 25 ss., dicatur: « Matrimonia mixta sive inter baptizatos et non baptizatos, intra missam *celebrari possunt,* si auctoritas localis, attentis circumstantiis et periculo scandali remoto, id opportunum censuerit ». *Ratio*: Sufficit ut celebratio cum missa et benedictione sit aliquid *facultativum* et non obligatorium. Celebratio obligatoria posset, in aliquibus mundi regionibus, offensionem causare. Ita finis intentus sufficienter obtinetur.

Ad n. 6 b, pag. 14, linn. 15 ss., supprimatur haec pericopa. Saltem graviores statuantur cautelae ad graves abusus vitandos qui ex hac matrimonii forma admissa, coram sacerdote, facile oriri possint.

1) Expresse dicatur quod implicite tantum habetur « matrimonium contra iuris praeceptum, *quod graviter illicitum est,* validum declaretur ... ».

2) Hae cautiones vel conditiones essent addendae: *a*) quod hoc matrimonium non sit per generalem dispositionem vel particulare decretum ab Ordinario prohibitum; *b*) ut publice celebretur cum expressa rectoris ecclesiae permissione; *c*) ac simul tum sacerdoti tum nupturientibus constet et istorum status libertas et impedimentorum absentia.

40

Exc.mus P. D. VINCENTIUS HINES

Episcopus Norvicensis

N. 5 (De matrimoniis mixtis), pag. 12. Numerum matrimoniorum mixtorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis omni anno contractorum est plus quam 100.000. Quapropter mutatio regularum pro talibus matrimoniis nostrae nationi magni momenti est. Fere omnes episcopi et sacerdotes in America Septemtrionali agnoscunt matrimonia mixta constituere magna pericula fidei partis catholicae et prolis. Quapropter ullae relaxationi vel mitigationi legis in hac materia vehementer opponimus.

Si talis relaxatio legis necessaria in natione particulari consideratur, conferentia episcopalis talis nationis indultum speciale ab Apostolica Sede petat, sine necessitate periculum spirituale in mundum universum imponendi.

Relaxatio legis ut in n. 5 proposita grave scandalum fidelibus et sacerdotibus in America Septemtrionali reciperetur.

Pro his rationibus et etiam pro illis ab em.mo card. Spellman et ab exc.mis Krol, Heenan, et Conway in aula prolatis enixe rogo ut lex in C.I.C. vigens conservetur, vel saltem iudicium de accommodatione legis conferentiis episcopalibus concedatur.

41

Exc.mus P. D. HENRICUS JENNY

Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

1. Pag. 12, n. 4. Addatur impedimentum dirimens doli, sicut in iure civili, secundum considerationes a perito mons. Bride saepe exaratas. In causis matrimonialibus saepe consideratur dolus ut simplex error non inficiens validitatem.

Forte etiam addatur impedimentum dirimens psychicae immaturationis, prout a peritis medicis psychiatricis potest concludi (fere ut impedimentum « vis et metus »).

2. Pag. 12-13, n. 5. Optime de novis dispositionibus de matrimoniis mixtis.

3. Pag. 13, n. 6 *c*) dicitur in textu « praeter conditiones expressas in iure vigenti ». Forte egerent conditiones istae aliqua illustratione vel explicatione; nempe sufficiantne conditiones morales, v. g. vetitum a lege civili ne celebretur matrimonium coram presbytero quando non adest civile matrimonium.

4. Pag. 14, n. 7. Desideratur mens nova in expediendis causis matrimonialibus. « Spiritus caritatis et mansuetudinis » magis eluceat.

a) In causis non-consummationis, concedatur dispensatio semper quando est moralis certitudo non consummationis, etiamsi desit aliqua circumstantia (saepe ut magni momenti considerata) sicuti est feminae inspectio corporalis. S. Sacramentorum Congreg. saepe nobis videtur nimis severa.

b) Causae matrimoniales ut causae privatae, magis ad conscientiam pertinentes, non iuris publici, considerentur; et ideo matrimonium non haberet iuris favorem. In hoc casu forte bona probabilitas sufficeret iudicibus ut novum matrimonium concederent.

c) Defensor vinculi et advocatus ad causam dilucidandam verum adiutorium ponere deberent, fere sicut benevolentes iudices, nempe ut duo consultores in causis de « non consummatione » ex aequo et bono.

d) Causae saepe saepius omnino gratuitae sint, etiam coram Romana Rota! Divites maiori facilitate gaudent ad obtinendam, post aliquos annos, sententiam de nullitate ... non quod argento comparetur, ut vulgo aliquando dicitur, sed quaedam apparentia huius rei!

Res illae potius morales sunt quam iuridicae. Igitur aliqua renovatio vel purificatio in agendi modo desideratur, paulatim facienda.

Forte animadversiones nimis audaces videbuntur; sed saepe casus obveniunt valde dolorosi qui caritatem petunt.

42

Exc.mus P. D. IOANNES PATRITIUS KAVANAGH
Episcopus Dunedinensis

Proponitur ad n. 5 sect. *b*) (apud linn. 18 ss., pag. 13) ut omnino retineatur forma canonica pro nuptiis mixtis, sine facultate ab ea dispensandi ex parte Ordinarii loci; ut fiat autem provisio pro secunda caeremonia coram ministro acatholico, ubi id desideretur.

Suadetur emendatio textus duplici ex ratione: 1. Quo saecularizatio matrimonii hodie valde crescens magis restringatur; 2. pastorali ex causa ex eo quod instructionibus praenuptialibus sic locum fieret. Per secundam caeremoniam acatholico daretur apta recognitio et animae satisfactio.

43

Exc.mus P. D. HENRICUS THEOPHILUS KLONOWSKI
Episcopus tit. Daldianus, aux. Scrantonensis

Velim exprimere adhaerentiam meam interventionibus prolatis ab em.mo card. Spellman et exc.mo D. Krol, e Civitatibus Americae Septemtrionalis, de quibusdam defectibus maioris momenti in schemate *de matrimonii sacramento*.

Ipsa natura sua sacramentum matrimonii tam intime cum fide et moralitate atque cum felicitate familiae societatisque humanae eiusque bono ordine nectitur, ut Sancta Mater Ecclesia illud maxima cura in veritate doctrinae sanae et disciplinae tractet necesse sit.

Absolute, et sine ulla reservatione, velim asserere quod non approbo praesentiam ministelli acatholici in sanctuario Ecclesiae romanae catholicae pro celebratione matrimonii mixtae religionis.

Item non intellego cur permittatur et approbetur dualis celebratio matrimonii mixtae religionis, etiam in ritu orthodoxo. Etenim, etiam a primis saeculis non permittebatur iteratio baptismi valide administrati. (Nihil innovetur nisi quod traditum est). Semper Ecclesia admonebat ne sacramenta nullitati administrationis exponantur. Si ergo orthodoxi habent valida sacramenta, tunc approbatio secundi matrimonii in ritu orthodoxo videtur esse approbatio administrationis validi sacramenti nullitati expositi.

Insuper velim asserere, quod non approbo, et sine ulla reservatione, ut matrimonii mixtae religionis celebratio permittatur indifferenter aut in ecclesia catholica coram parocho seu sacerdote catholico ab eo delegato aut in ecclesia acatholica coram ministello acatholico. Paucis exceptis, non est timendum ne sacerdos catholicus assistet tali matrimonio in ecclesia acatholica, sed etiam talis communicatio in sacris prohibenda esset.

Sum parochus intra cuius paroeciae limites proxime ecclesiae nostrae sita est sedes schismaticae Ecclesiae Polonae « Catholicae » Nationalis. Negatio observationum quae superius dedi esset magnum scandalum pro fidelibus hic, in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, et in Polonia. Fideles perderent fidem, haeretici gauderent, et sacerdotes nostri permulta haberent problemata spiritumque sacerdotii amitterent.

44

Exc.mus P. D. IOSEPH KÖSTNER

Episcopus Gurcensis

Ad n. 5 *a*) in fine, post verba: « ... excludendis » addatur: « Promissio praefata a parte catholica praestanda et a parte acatholica non repugnanda regulariter in scriptis exigenda erit ».

Ad n. 5 *b*) addatur: « certitudine saltem morali de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda supposita ».

Ratio pro utroque addito: sic lex divina melius tuetur.

45

EXC.MUS P. D. RUDOLFUS KOPPMANN

Episcopus tit. Dalisandensis in Pamphylia, vic. ap. Vindhoekensis

Art. 5: *De matrimoniis mixtis,* non est satis clarus nec distinctus sub aspectu iuridico, et insuper non satis decisus, ut e locutionibus apparet:

a) « ... graviter onerata conscientia ... in quantum poterit ... » relate ad partem catholicam; pars non catholica *monenda* dicitur ... et *certior* facienda de exigentiis conscientiae catholicae ...

Putarem, quod pars acatholica cautelas dare deberet parti catholicae cum mutua sinceritate, quin ab Ecclesia ratione iuridica exigerentur.

b) « ... Si autem *graves* huic servandae formae *difficultates* obstent ... ».

Putarem nos huiusmodi dispositionibus a terra firma in abyssum delabi. Quandonam, et penes quem, « graves difficultates » prostant? Si Ordinarius per viam exceptionis matrimonium forma non catholica celebrandum permittit in uno casu, qua ratione alios impedire vel recusare poterit? Lege attenuata, tota responsabilitas in conscientias defertur!

Pro recta rerum ratione ea quae sequuntur consideranda videntur:

1. Difficile apparet matrimonia catholicorum, quae non coram sacerdote celebrentur, valida habere, etsi illicita, quando variae communitates religiosae non catholicae doctrinam rectam de matrimonio non habent et insuper recentius dubitare oportebat, an matrimonia acatholicorum, utpote persaepe cum reservatione dissolutionis inita, omnino valida haberi possent ... Cum matrimonia mixta periculum gravissimum pro fide sint — nam experientia teste plurima ex ipsis coniuges faciunt vel demonstrant tepidos, indifferentes vel etiam apostatas a fide — non convenit ut nova pericula parentur pro matrimoniis catholicis faciliorem reddendo formam pro matrimoniis mixtis! Etsi praxis actualis non plene satisfaciat, difficulter a parte nostra vinculum matrimoniale sancire possumus pro parte catholica quod altera communitas ecclesialis non aeque sanctum habet.

Mutationes in schemate propositae iam ante Codicem I. C. in usu fuerant; sed quale fructus nobis protulerant?

2. Cum in aetate *oecumenica* vivimus, matrimonium utpote problema maximum dialogo oecumenico disserendum et definiendum esset, ut rei et spei maximae Ecclesiae provideatur, quae a matrimoniis pendet!

Pro concordia in tanta quaestione obtinenda, aliae communitates invitandae essent, tum ut proprias opiniones de matrimonio declarent, tum ut mores coniugales, maxime divortium, luce Evangelii examinent ac corrigant ... Quamdiu alii coetus ecclesiales ad legem Evangelii in hac re non redierint sed, e contra, matrimonia condicionibus humanis subiiciant — idque non solum in casibus gravissimae difficultatis (Notlage) — nobis non convenit, « politica » molliore adhibita matrimonium catholicum periculis

exponere. *Aliis verbis*: Fratres nostri seiuncti nobis praebeant declarationem theologicam de matrimonio, quam e. g. Consilio mundiali Ecclesiarum disputaverint. Quodsi illud « Consilium » positionem claram intuitu Evangelii assumpserit et praxim matrimonialem reformaverit, nos pro nostra parte libenter tam formalitatibus canonicis renuntiare poterimus quam ipsas cautelas abrogare, baptismum vero necnon educationem prolis secundum normas responsabilitatis libertatisque religiosae coniugum conscientiae relinquere. Qui modus agendi iam nunc e. g. pro matrimoniis inter catholicos et anglicanos adhiberi posset, cum isti praxim matrimonialem strictiorem necnon doctrinam matrimonii cum Evangelio congruentem habeant.

Concludo: 1. Nova legislatio ecclesiastica in re matrimoniali tamdiu differenda esse videtur quamdiu in campo oecumenico doctrina matrimonialis uniformis seu univoca obtenta non fuerit.

2. Qua posita, nova ordinatio matrimonii canonica perficiatur, quae clara et definita nullis limitationibus vel ambiguitatibus oneretur, quales sunt conditiones: « in quantum poterit » vel « graves difficultates obstent »...

Propositio: Art. 5 anteponatur mentio dialogi oecumenici, quo solo *mutatio* praxis matrimonialis vigentis obtineri possit, qualis in articulo proposito iam indicata habetur. Eiusmodi solutio optima quoque esset occasio vel causa pro communitatibus non catholicis, ut sese vere renovent et ad legem Christi redeant.

46

EXC.MUS P. D. DURAISAMY SIMON LOURDUSAMY

Episcopus tit. Sozusenus in Lybia, aux. Bangalorensis

Nomine totius conferentiae episcopalis Indiae loquor, et, salva reverentia commissionis conciliaris quae hoc schema sedulo praeparavit et recenter emendavit, sequentes animadversiones facere audeo:

1. In n. 1. Matrimonium inter christianos, utpote ad sacramenti dignitatem a Christo evectum, repraesentatur ut participatio mirabilis sanctitatis et firmitatis Foederis seu Connubii Christi cum Ecclesia. Bene! Sed, *matrimonium christianorum est non tantum participatio, sed etiam imago, seu signum, seu sacramentum magnum illius connubii inter Christum et Ecclesiam.* Nam ita ait B. Paulus apostolus in epistula *ad Eph.*: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia ... » (cap. 5, 32). De hoc aspectu, nempe, de aspectu sacramenti seu imaginis quem matrimonium inter christianos prae se fert relate ad connubium Christi cum Ecclesia schema nostrum etiam in textu emendato totaliter silet. Inserendum est hoc elementum seu aspectus, quia essentiale est.

Optime dicitur in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* in pag. 23, linn. 12-13: « Familia christiana est *imago* et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae ... »; item in schemate constitutionis dogma-

ticae *de Ecclesia* optima verba inveniuntur in pag. 142, linn. 38-41, et quidem sic sonant: « (Ita coniuges) foecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores existunt, in *signum* et participationem illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit ». Aliquid simile hic in nostro schemate enuntiari potest ac debet (in linn. 6-7, et in linn. 14-15).

2. In n. 5, pag. 13, *cautio seu promissio* requiritur tantum a parte catholica praestanda. *Estne haec cautio ad validitatem* dispensationis ut habetur in legislatione nunc vigenti? Dubium oritur quia nulla indicatio in textu schematis datur. Hoc est punctum essentiale vel cardinale.

Ita etiam promissio *sincera* requiritur. Estne haec sinceritas ad validitatem dispensationis? Hoc dubium clare solvi debet; secus controversia iam per 50 annos prolongata continuabitur, etsi tres recentes sententiae S. R. Rotae sinceritatem cautionum ad validitatem dispensationis (et in casu disparitatis cultus etiam ad validitatem matrimonii ipsius) requiri tenent. (Liceat mihi hic notare quod una harum sententiarum S. R. Rotae data est coram Pericle Felici, nunc nostro amantissimo secretario generali.)

3. Valde placet quod in n. 7 textus schematis de processu matrimoniali dicitur: « Expeditior habeatur cursus causarum matrimonialium ». Optime. Sed ad hunc finem haberi debent in Tribunalibus inter alia personae competentes et experientia matura gaudentes. Quae personae sat numerosae non inveniuntur, proh dolor, in unaquaque dioecesi, praesertim in regionibus missionalibus. *Sufficiat igitur constituere unicum tribunal ordinarium primae instantiae pro omnibus dioecesibus eiusdem provinciae ecclesiasticae, et similiter unicum tribunal secundae instantiae pro omnibus provinciis eiusdem regionis.* Haec propositio constituendi Tribunalia Interdioecesana pro 1 instantia et Regionalia pro 2 instantia iam anno 1950 a Concilio Plenario Indiae facta est, sed nondum concessa. Placeat nunc huic Sacrosanctae Synodo postulatum nostrum considerare et concedere (saltem pro regionibus missionalibus).

4. Tandem *deest in schemate nostro ordo logicus.* Sermo fit de praeparatione nubendorum in fine schematis post impedimenta, formam, processum, etc. Praeparatio nubendorum praemitti oportet et deinde agatur de impedimentis, de forma, etc. ut fit in Codice I. C. Ergo adhibeatur in schemate ordo logicus sequens: n. 1. Sacramenti matrimonii dignitas; n. 2. Ecclesiae erga disciplinam matrimonii officium; n. 3. Ecclesiae cura de Matrimonii disciplina; n. 4. Necessitas praeparationis nubendorum ad matrimonium; n. 5. Matrimonii impedimenta; n. 6. Matrimonia mixta; n. 7. Forma celebrationis Matrimonii; n. 8. Cura pastoralis coniugum post nuptias; n. 9. Processus matrimonialis.

47

EXCMUS P. D. LEO MAHER
Episcopus S. Rosae in California

Imprimis, cogitationes meas de forma matrimonii exprimere velim. Considerato bono communi, forma vigens ad liceitatem et validitatem regulariter retineri debet. Tamen, ad veram libertatem conscientiae promovendam et maiorem malum vitandum, in causibus specialibus, potestas dispensationis Ordinario esse debet.

Deinde, modificatio cautionum mihi placeat. Obligatio coniugis catholici de conversione coniugis acatholici *in scriptis* non decet et non tenetur. In scriptis, expressio fidei et conscientiae partis catholicae de universa prole catholice tantum baptizanda educandaque et de fide proprio implemendo sufficit. Pars catholica sola hanc expressionem fidei regulariter signare debet. Pars acatholica sicut testis officialis sententiae fidei partis catholicae agit.

Processus supra dictus triplicem praestantiam habet: 1) Coniux catholicus obligationes fidei reconsiderare coget. 2) Pars acatholica (in capacitate testis officialis) mentem et conscientiam coniugis catholici comprehendet. 3) Conscientia coniugis acatholici praeservatur. Vis et lucatio conscientiae ex pressura *interiore* non *exteriore* emanant.

Simul, dispensatio ab supra in causibus particularibus Ordinario esse debet.

Hae normae, firmiter credo, viam moderationem inter totam relaxationem et totam retentionem legis vigentis de forma et cautionibus expriment et communem bonum et libertatem conscientiae vindicant.

48

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Pag. 13, par. 5 a: retinendum est ius adhuc vigens in can. 1061, § 1, 2; vel saltem ius condendum ad normam schematis decreti *de Matrimonii Sacramento,* die 19 iulii 1963, pag. 11, par. 7 d, 3). *Ratio*: omnino non sufficit constare partem acatholicam promissionibus non repugnare.

Experientia fretus ministerii episcopalis per viginti quattuor annos in urbe Hiberniae capitali, pro certo habeo, nisi cautiones prius a parte acatholica praestentur, baptismum et praesertim educationem prolis catholicam saepe periclitari, immo, post mortem coniugis catholici, educationem catholicam penitus neglegi posse.

49

EXC.MUS P. D. RUSSELLUS IOSEPH McVINNEY
Episcopus Providentiensis

Hisce cum litteris exprimere cupio adhaerentiam meam interventionibus prolatis ab em.mo ac rev.mo D. Francisco card. Spellman, arch. Neo-Eboracensi et exc.mo ac rev.mo D. Ioanni Krol, arch. Philadelphiensi e Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, de quibusdam propositionibus maioris momenti in relatione super schema voti *de matrimonii sacramento* cum textu emendato, quoad matrimonia mixta et quoad formam canonicam celebrationis matrimonii.

Dictis interventionibus addenda esse existimo sequentia:

1. Emendetur quod sub n. 5 lit. *c*) statuitur hoc vel simili modo: « Matrimonium inter partem catholicam et non catholicam (sive baptizatam sive non baptizatam), cum missa et benedictione nuptiali celebrari poterit, si Ordinarius loci, attentis circumstantiis, id opportunum censuerit ».

2. Omittatur sub n. 5 lit. *d*) abrogatio excommunicationis.

Enixe rogatur ut hae animadversiones amplissime considerentur a commissione conciliari de disciplina sacramentorum.

50

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS MORIN
Episcopus Principis Albertensis

Votum meum est: *placet iuxta modum.*

I. Opportunum omnino videtur canonicam legislationem de matrimonio multis in quaestionibus mutare, verbi gratia: numerum impedimentorum minuere; excommunicationis paenam latam contra eos qui matrimonium coram ministro Ecclesiae protestantis contrahunt abrogare; modum et formulam sic dictarum « cautionum » in matrimonio mixto recognoscere; immo ea quae de iurisdictione statuuntur circa formam canonicam matrimonii retractare.

II. Vitandum est tamen ne matrimonii celebratio, sub specie istam legislationem simpliciorem faciendi, magis complicata evadat propter introductionem istius novae legislationis. Videamus aliqua particularia istius legislationis in schemate propositae.

1. *De ordinaria forma canonica.* Ad n. 6 a, dicitur: « Parochus et loci Ordinarius cuilibet sacerdoti facultatem etiam generalem valeant ut, intra fines sui territorii, matrimoniis valide assistat. Ea autem facultate, nullus qui

non sit vicarius cooperator licite uti valebit, nisi parochus vel loci Ordinarius in singulis casibus licentiam quoque assistendi dederit ».

a) Ibi aliqua legislationis mutatio proponitur; tamen nihil practice mutatur quia adhuc petenda est parochi vel Ordinarii licentia.

Commodius ergo videtur parochorum et vicariorum-cooperatorum delegationem, ex ambitu paroeciae ad dioeceseos fines extendere, quia in illa materia ipsi sacerdotes ministerii paroecialis solent sese mutuo substituere, ex una paroecia ad aliam; sic sufficeret parochi loci licentia, aliquando etiam praesumpta, ut quis sacerdos (parochus vel vicarius alterius loci) matrimonio assistat.

E contrario, dum iurisdictio matrimonii ad omnes sacerdotes extenditur, ex toto et inutiliter mutatur sensus praesentis legis in qua character paroecialis matrimonii servatur.

b) Sacerdotes autem qui ministerium incumbunt aliter ac in paroecia, iurisdictionem in quocumque casu obtinere debent. Etenim si iurisdictio ad sacerdotes qui ministerium paroeciale non exercent extenditur, periculosum est ne gravia damna consequentur, sive quia tales sacerdotes practice non inveniuntur informati de multis legibus et regulis circa celebrationem matrimonii existentibus, sive quia saepe saepius ex alia dioecesi veniunt.

Praeterea ne obliviscamur civiles leges quae graves evadunt et quae, in uno et eodem regimine, variae statuuntur pro variis provinciis aut regionibus circa personam (sacerdotem vel ministrum) quae matrimonii celebrationi praesidet. Verbi gratia, graves paenae (mulctae aut carceris) infliguntur ministris aut sacerdotibus qui absque licentia provinciae gubernii matrimonio praefuerint.

Saepe autem matrimonium, quando desunt parochus aut vicarius, celebratur a sacerdote peregrinante qui ex alia provincia forsan venit: quo in casu sacerdos obtinere debet non tantum canonicam iurisdictionem sed et licentiam ab auctoritate civili petitam.

c) Quare lex canonica circa hanc materiam substantialiter mutari debeat ut rari casus defectus formae evitentur?

Etenim, ex facultatibus nn. 21 et 22 Ordinariis concessis in *Motu proprio* a Paulo VI dato die 30 nov. 1963, loci Ordinarius sanationem in radice dare potest matrimonio invalido ex defectu formae, etiam in casu matrimonii mixti. Hic iam datur solutio ad raros casus defectus formae qui accidere possunt.

d) Ad n. 6 b, de loco matrimonii: videtur scribendum esse: « in ecclesia vel in loco ab Ordinario approbato » potius quam « in ecclesia vel oratorio publico ». Si enim matrimonium extra ecclesiam paroecialem adamussim celebrari posset, timendum esset ne eius character paroecialis evacuetur, dum, quia est actus publicus et socialis, sub cura parochi omnino servandum sit.

e) Item ad n. 6 b, dicitur: quod matrimonium coram sacerdote celebratum, etiam contra iuris praescripta, validum declaretur dummodo sacerdos

non sit excommunicatus, etc. Videtur quod illa norma non facile servari potest; nam saepe saepius quasi nemo cognoscit aliquem sacerdotem excommunicatum esse, etc. nisi ab homine poena fulminatur, vel publice ab Ordinario sit prohibitus, quod autem raro accidit.

2. *Circa formam canonicam extraordinariam.*

a) Magis opportunum videtur de istis non tractare in praesenti schemate. Si autem dantur aliqua addenda vel praecisius dicenda praeter praesentem legislationem, ista in recognitione et emendatione Codicis Iuris Canonici potius introducantur. Cum schemata Concilii ad notitiam omnium, dato opere, perventura sint, forsan multi catholici, falsis explicationibus decepti, putent deinceps licitum fore catholicos absque ulla forma canonica matrimonium inire.

b) Forma canonica extraordinaria hodie requiritur tantum paucis in terrae locis, sive propter defectum sacerdotum, sive propter magnam locorum distantiam, vel propter religiosam persecutionem. In illis casibus melius esset relinquere potestatem leges ferendi ad episcopales conferentias pro quibus casus ponitur.

3. *De mixtis matrimoniis.*

a) Re: cautiones. Circumstantiae personarum, mentium, nationum, ita differunt in diversis terrae finibus vel regiminibus ut melius videatur ad episcopales conferentias pertinere munus determinandi rationem procedendi circa exigentiam promissarum: dum enim, in aliquo particulari regimine, prodesse poterit restringere obligationem subscribendi promissiones, e contra, aliis in regiminibus, vera calamitas evadere potest, mixtis matrimoniis cito numero crescentibus.

b) Re: celebratio intra missam. Ad n. 5 c: Quomodo in regione ubi plerique sunt acatholici possibile sit distinguere inter illos quinam possunt missae assistere quando, exempli gratia, in aliquo loco inveniuntur quindecim religiones diversae, ab Anglicanis ad sic dictos Testes Iehovah? Quomodo practice discernatur inter protestantes quinam sint baptizati et quinam non sint, absque specie discriminationis pro istis? Quomodo missam aliis concedetur, aliis autem recusetur? Res diversa evadit ac in casu de dispensatione matrimonii mixti vel disparitatis cultus concedenda: hic in casu dubii, datur dispensa ad cautelam; missa autem concedi non potest ad cautelam!

51

Exc.mus P. D. IOSEPH MAXIMILIANUS MUELLER
Episcopus Siopolitanus

Velim exprimere adhaerentiam meam interventionibus prolatis ab em.mo card. Spellman et exc.mo D. Krol, e Civitatibus Americae Septemtrionalis:

Omittantur verba *in quantum poterit* in par. 5, lin. 10, propter rationes

sequentes: 1. Verba superflua sunt cum nemo ad impossibile teneatur; 2. Educatio catholica in scholis paroecialibus praesens locum praestantissimum in Unitis Statibus apud partes in matrimonio mixto amittebunt; 3. Lex in schemate proposita apud fideles nostros indifferentismum religiosum fovebit; 4. Verba proposita ansam praeberent parti catholicae cedendi parti acatholicae qui postea obstiterit adimpletioni promissionum.

Dispensatio a forma matrimonii quoad nuptias mixtas in par. 5 b, detrimentum apparens affert propter causas sequentes: 1. In societate nostra pluralismi, reverentia atque sanctitas matrimonii necnon officium parochi deminuebunt; 2. Causae urgentes dispensationem his in matrimoniis non sufficienter enumeratae sunt; 3. Lex proposita non apte educationem spiritualem prolis protegit atque providet; 4. Cautiones partium non separatim considerari possunt, si vero lex divina totaliter spectatur; 5. Cautiones in lege vigenti obligationes religiosas parti acatholicae proferunt ut gradatim sensus religiosus etiam infideli imbueretur; 6. Difficultates religiosae saepe saepius ante nuptias sed non postea solvi possunt; propositio autem praesens has occasiones non prudenter praevidet.

Lex proposita in par. 6 b, permittens fere omnem sacerdotem ad nuptias assistere, periculosa est propter rationes sequentes: 1. Obligatio atque responsabilitas parochi necnon Ordinarii relate ad nuptias in territorio proprio diminuebunt; 2. Impedimenta praesertim dirimentia facile non detegebuntur vel prorsus ignorabuntur; 3. Obligatio personalis quoad investigationem praenuptialem non sufficienter delineatur; 4. Observantia Ordinarii quoad nuptias in dioecesi propria per propositionem non rite habetur.

De matrimonio coram solis testibus in par. 7 c, occasiones abusus eaedem adsunt propter easdem rationes datas immediate supra in par. 6 b.

Propter diversas condiciones nationales, mutationes in lege matrimoniali ad conferentias nationales episcoporum referri possunt.

Enixe rogatur ut hae animadversiones amplissime considerentur a commissione incaricata hac de re iudicanda.

52

Exc.mus P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE
Archiepiscopus Neo-Pampilonensis

Observationes in genere: 1. Nimis matrimoniorum mixtae religionis disciplina relaxatur.

Consentaneum potius foret nationibus pluralisticis exceptiones concedere quam bonum populorum christianorum cum disciplina flebili nocere.

2. Nimis conceditur supra formam ad validitatem requisitam quod non sine gravi praeiudicio eveniet.

Observationes speciales: 1. In n. 5, pag. 13, lin. 10, non placet quominus dicatur « in quantum poterit ».

Rationes: Superflua sonant cum nemo ad impossibilia teneatur; ansam praebet parti catholicae cedendi parti acatholicae quae saepissime obstabit adimpletioni promissionum; obligatio tanti momenti criteriis hodiernis valde in re morali laxis non expedit relinquere.

2. In eodem numero, lin. 14, perpauca sunt verba « moneri oportebit ».

Rationes: agitur de re momentosa pro pace domestica; matrimonium, characterem contractus bilateralis habens, obligationes gignere debet quas in solidum utraque pars adimplere debet.

Ex alia parte consors acatholica officia religiosa partis catholicae liquido cognoscere debet ut bene perpendat utrum sit compos et capax talia sustinendi. Omnino oportet huic quaestioni providere.

3. N. 5, lin. 27, non placet ut dicatur « celebretur intra missam », sed dicatur potius « Ordinarius loci celebrationem intra missam permittere posse ». *Ratio*: Prout in textu conceditur, matrimonia mixtae religionis foventur, quod certe non est bonum pro S. Religione catholica.

4. Eodem numero, linn. 27 ss. videntur non convenire eadem prorsus ratione.

5. N. 6, pag. 14, littera *b*), linn. 15-20. Expungantur.

Verum chaos ita inducitur disciplinae matrimoniali.

Rationes: His temporibus apud multos valor legum ecclesiasticarum in discrimine vocatur unde omnino non expedit tantummodo liceitati matrimonialis disciplinae tutelam renuntiare.

Si lex ita relaxaretur practice impossibile fit in multis casibus libertatem contrahentium comprobare. Multa enim matrimonia fierent in ecclesiis v. g. religiosorum quae numquam registro constarent ut experientia docet etiam cum hodierna stricta disciplina.

6. Eodem n. 6, littera c), ordinali 1, linn. 26-27, auferantur verba « in quantum fieri poterit ». *Ratio*: Obligatio ita intellecta hodie nulla evadit.

Hae animadversiones factae fuerant intuitu agendorum in Concilio, nunc mittuntur animo fiducialiter submisso Beatissimo Patri qui tantam rem directe pertractabit.

[*Subscripserunt etiam*] B. Arango, ep. Barranca Bermeja; J. Pimiento, ep. Garzón-Neiva; H. Correa Yepez, praef. ap. Mitú.

53

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER
Episcopus Northantoniensis

On November 20th you asked that any observations on the " Votum de matrimonii sacramento " should be submitted to you by the end of November. Unfortunately I have only returned home two days ago, and therefore write in English. My observations are:

1. My Diocese is 18,000 sq. kilometres, with a gross population of 2,733,000, of whom only 140,000 are Catholics. Mixed Marriages are plentiful; they are necessary to keep up our Catholic population.

2. For this reason I feel strongly that the practice hitherto observed should be continued: before any dispensation is given the non-Catholic party should still be obliged to make a firm and definite promise that he or she shall undertake to have all the children of the marriage baptised and brought up in the faith of the Catholic party. It is not sufficient for the non-Catholic party merely to know of the obligations of the Catholic party. Moreover, the words " in quantum possit " should be omitted from the present Schema.

3. Hitherto before any dispensation has been given in virtue of our quinquennial faculties, we have been obliged to have "moral certainty" that the non-Catholic party's promises will be kept. If this now becomes out of date, what will those people think who have already written solemnly such a promise: has the Church changed its mind regarding safeguarding future offspring? Will they now feel freed from the promises they have made? Was it a mistake to take such a safeguard?

4. If the Catholic party should die, and the non-Catholic party has only been told of an obligation on the part of the Catholic (as now suggested), this party may feel free to educate the derelict children as he wishes and in his own faith.

5. In England the law leaves the decision of schooling to the Father: if he is not a Catholic, he may refuse to comply with the Catholic wife's wishes unless there has been a written document. The same is true if the Catholic party becomes insane; this case has happened, and the Court decided in favour of the Catholic party's written obligation given when sane.

6. Any hard case of a conscientious practising Christian might be left as an exceptional case to the Local Ordinary.

7. I am of the opinion that when this matter of the prenuptial promises from both parties has been clarified, it would be well for His Holiness to issue a Motu Proprio in advance of the Code revision.

Our experience is that many non-Catholics do honour their prenuptial promises; and if the Catholic is a good person very often the non-Catholic party becomes a Catholic, especially when the children start to practise their Faith.

8. There need be no distinction between dispensations for Mixed Marriage and Disparitas Cultus. Also, impediments of Ecclesiastical Law should as far as possible conform with local Civil Law. The age of marriage for minors should be in accordance with the law of the country.

54

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis et Ortonensis

Ad pag. 12, n. 4, lin. 26 placet iuxta modum, modus autem hic est: loco verborum « impedimenta gradus minoris abrogentur », sequens proponitur modus: « Quaedam impedimenta gradus minoris abrogentur, excepto impedimento criminis neutro machinante cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per actum civilem tantum; necnon excepto impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis. Dispensatio super huiusmodi impedimentis poterit ex iure communi committi Ordinariis locorum uti provisum est in praesens per M. P. *Pastorale munus,* n. 19 ». *Ratio* autem haec est: *a*) Quoad impedimentum criminis descripti valde esset indecens eius abrogatio absque quibusdam cautionibus nupturientibus imponendis, quae secumferant reprobationem admissi delicti et cuiusdam poenitentiae impositionem pro foedo adulterii crimine patrato. Eius abrogatio pro istis nupturientibus praemium saperet potius quam deplorationem pro commisso delicto cum fidelium scandalo.

In casu recolenda videtur regula in 6 relata, iuxta quam « nemini sua fraus patrocinari debet », et insuper exsistentia huius impedimenti valde conferret ad scelestia adulteria avertenda, quae sane deberet esse regula maximi momenti pastorale munus attingens praesertim nostris diebus, ad quod etiam inserviret detestatio admissi delicti per quamdam poenitentiam, uti usu fit in praesens per Rescripta a S. Sede concessa in dispensationibus super hoc impedimento.

b) Quoad vero impedimentum memoratum consanguinitatis non videtur opportuna eius abrogatio, praeter indecentiam naturalem in hisce nuptiis ineundis, ob nefasta consectaria quae in futuram prolem non raro redundant. Moderna studia scientiae geneticae, quae late peraguntur in fere omnibus nationibus, graves anomalias physicas et psychicas haec matrimonia in filios producunt, ostendunt.

Medici enim et psychologi gravem rationem suppeditant quia in matrimoniis consanguineis saepe, licet non per se sed per accidens, proles aut nulla habetur aut habetur deformis et infirma (surdi, surdi et muti, anormales psychici, fatui, epileptici etc.). Quare nostris temporibus conamina ex parte hygienistarum peraguntur ad haec mala avertenda ut introducatur in codicibus civilibus istud impedimentum.

Quot angores ac animi angustias ista infirma proles excitat in familiis, ansam quandoque praebendo eam infando ausu supprimendi.

Ratio a quibusdam adducta pro abrogatione istorum impedimentorum, nempe facilitas qua dispensatio conceditur et absque canonica causa, non videtur attendenda: ipsa enim obligatio petendae dispensationis per Curiam Episcopalem atque taxa, seu melius *ammenda* solvenda praecise imposita

ad retrahendos fideles ab huiusmodi nuptiis est ratio sufficiens pro retinendis istis impedimentis. In Ecclesiae honorem redundat eius conamen consulendi sanitati tum physicae tum psychicae prolis vetando nuptias inter consanguineos iuxta placita modernorum hygienistarum, qui nituntur impedimentum consanguinitatis usque ad tertium gradum inclusive, uti dictum est, in civilibus codicibus introducere.

Eo vero minus praestat ut impedimenta maioris gradus, prouti nonnulli Patres suggerunt, quae hodie prostant in Codice I. C. aboleantur.

Proponitur quod integrum comma relatum in pag. 14, n. 6, litt. b, linn. 15-22, expungatur.

55

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villa novensis, aux. Pineroliensis

1. Pag. 12, n. 4: perché rendere più rigida la disciplina dei voti?
2. Pag. 14, n. 6 b: ne nascerebbero troppi inconvenienti.
3. Pag. 15, n. 8, lin. 25: « verus amor » è detto in forma equivoca!
4. Prevedere per il ritorno alla Chiesa cattolica *a*) *non* l'attuale abiura, ma una professione di fede; *b*) *non* la riconciliazione degli eretici, ma l'accettazione nella Chiesa degli acattolici.

56

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Abbas Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

1. Tum catholici tum acatholici omnes — nisi indulgeant indifferentismo quoad religionem — matrimonio mixto nullo modo favent. Tum protestantes tum catholici haec matrimonia poenis sanxerunt, si contrahuntur sine requisitis dispensationibus et cautelis praescriptis. Hic modus cogitandi et procedendi diversas propter causas est usu receptus:

a) *propter periculum fidei,* quia secunda et tertia generatio ex talibus matrimoniis oriunda et orta, paulatim ad rerum divinarum neglegentiam adducit, si excipimus casus particulares;

b) *propter bonum prolis*: matrimonia mixta paucis liberis, saltem in genere, augentur;

c) *propter divortia repetita*: constat enim ex statistica divortia in matrimoniis mixtis crebriora esse quam in aliis matrimoniis;

d) *propter detrimentum pacis familiaris,* quod mirum non est, cum in matrimoniis mixtis desit illa unitas ultima et perfecta animarum. Non sufficit enim, ut sint duo in carne una, sed *requiritur, ut sint duo in spiritu uno.* Exceptiones, quae certe habentur, regulam confirmant.

2. In matrimoniis mixtis quaestio fundamentalis non est iuridica, sed dogmatica, theologica et pastoralis. Prof. Joh. Beckmann, Praeses partis communitatis evangelicae in Rhenania (Germania), optime dixit vel scripsit: « Difficultates essentiales (pro matrimoniis mixtis) inveniuntur praesertim in eo quod Ecclesia catholica romana credit seipsam veram et unicam esse Ecclesiam Christi » (cf. *Mischehe und Konzil,* Werner Harenberg, p. 199, Stuttgart 1964). Revera haec est firmissima fides omnium nostrum. Dr. Ritter, senior sic dictae confraternitatis S. Michaelis, ortae inter protestantes, scripsit: « Nobis persuasum est nullam ex communitatibus ecclesialibus identicam esse cum una, sancta et apostolica Ecclesia ». Hoc nullo modo accipere possumus, quia tunc tunica Christi non esset inconsutilis.

In schemate de Oecumenismo clare et recte dicitur, ecclesiales communitates saeculo XVI exortas non habere totam « plenitudinem » fidei, vitae etc. Communitates protestantes desiderant ut et ipsae revera agnoscantur ut Ecclesiae Christi et de facto Ecclesiam catholicam ut Ecclesiam Christi vel potius ut aliquam Ecclesiam Christi agnoscunt.

Ex dictis pro matrimoniis mixtis conclusio practica sed necessaria sequitur. Pars catholica in hoc matrimonio secundum fidem et conscientiam suam nullo modo permittere potest ut proles in alia religione ac catholica educetur.

Si obicitur libertas conscientiae partis non catholicae, dicendum est partem non catholicam nullo modo contra conscientiam suam agere, si educationem catholicam permittit, quia protestantes generatim Ecclesiam catholicam ut Ecclesiam Christi agnoscunt.

Pro conscientia vero catholica res omnino aliter se habet: pars catholica agnoscere non potest communitatem ecclesialem protestanticam ut « perfectam » Ecclesiam Christi, deficientibus pluribus quae essentialia sunt, saltem plus vel minus.

Concludo: Conscientia partis catholicae magis est ligata quam conscientia partis non catholicae, quae ideo educationem prolis in religione catholica concedere potest et debet ex ipsa situatione conscientiae protestanticae.

57

REV.MUS P. D. FREDERICUS RINTELEN
Episcopus tit. Chusirensis, aux. Paderbornensis

Valde placent, quae sub n. 5 pag. 12-13 textus emendati de matrimoniis mixtis edicuntur. Hisce normis enim multis necessitatibus providetur. Nam legislatio Codicis Iuris Canonici hucusque vigens finem suum non attingit, propter quem erat constituta et potius in damnum Ecclesiae catholicae evadit. Praesertim laudanda sunt sequentia:

1. Pag. 13 sub n. a: Prudens exhibetur nova ordinatio circa cautelas dandas. Nam revera multo melior est haec nova norma quam illa, quae hucusque viget. Et certo certius meliores afferet fructus pastorales. Nam

pars acatholica, quae se coactum putabat, ut cautiones daret, ex hoc saepius contra illas cautelas, quas sibi vi ereptas esse iudicabat, ira et odio movebatur. Revera illa nova ordinatio in tutum collocat ea, quae necessaria et insimul possibilia sunt.

2. Pag. 13 sub n. b: Prudens datur possibilitas, quae omnino necessaria est, ut nempe Ordinarii a forma Tridentina possint dispensare. Et secundum meam modestam sententiam haec facultas Ordinariis data est minimum, quod debet a Iure canonico concedi. Sapienter dicitur « ne ea, quae consensu vere matrimoniali publica celebrabuntur, effectu validitatis careant ». Nam ex ipsa invaliditate horum matrimoniorum plurima mala profluebant. Et nova huius schematis ordinatio optimo modo concordat cum Concilii Tridentini decreto *Tametsi,* quod tantopere exaltat vim consensus matrimonialis et unice agit contra matrimonia clandestina, ut certum faceret ipsum consensum datum constitutivum matrimonii sacramenti (cf. initium decreti *Tametsi,* DENZ. 990).

3. Pag. 13 sub n. c: Laudanda est haec nova ordinatio de celebratione ipsius matrimonii. Optandum tamen esset, ut praeter celebrationem ritus catholici, qua sacramentum constituitur, Ordinarius loci ex causis gravibus permittere possit etiam alium ritum coram ministro acatholico. Et rationes sunt istae:

a) quaedam communicatio in sacris adest inevitabiliter, cum pars catholica et pars non catholica recipiunt ipsum matrimonii sacramentum in Ecclesia catholica. Et ritus coram ministro acatholico non est communicatio in sacris proprie dicta, sed est simplex benedictio, nam sacramentum ipsum unice per celebrationem in Ecclesia catholica perficitur.

b) Ipsae communitates ecclesiales protestanticae aperte affirmant, matrimonium ipsum per solam consensus maritalis declarationem coram magistratui civili plene constitui et sequens ritus in ecclesia protestantica nil aliud esse quam benedictio et oratio. Hoc v. g. omnes episcopi evangelici regionales Germaniae publice declaraverunt in suis epistolis pastoralibus sub die 5 mensis iunii 1958 datis (cf. textum in: *Herder-Korrespondenz,* 1957-58, pag. 519 f).

4. Pag. 13 sub n. d: Sapienter abrogatur excommunicatio in hodierno iure lata contra ineuntes matrimonium coram ministro acatholico. Etenim istae excommunicationes effectum habebant pessimum, ut nempe omnino alienarent partem catholicam ab Ecclesia sua catholica. Et cum ei moraliter persaepe impossibile evaderet, sese reconciliare cum Ecclesia, paulatim vel ab omni praxi religiosa recessit vel ad aliam communitatem christianam transivit neglecta omni educatione catholica liberorum.

Omnibus istis et aliis perpensis schema emendatum valde placet et gratias ago plurimas tam em.mo Praesidi quam membris et peritis commissionis conciliaris de sacramentorum disciplina.

58

Exc.mus P. D. ANDREAS ROHRACHER
Archiepiscopus Salisburgensis

Infra signatus Ordinarius Ecclesiae Salisburgen. ea quae sequuntur ad schema voti *de matrimonii sacramento*, die 27 aprilis 1964 distributum, debito cum honore, animadvertendum retur.

1. Novam schematis de quo sermo conceptionem cum illa prioris schematis comparando, discrimen quoddam, idque haud parvi ponderis, sub oculos cadit, scil. quod recentior schematis conceptio theoriam matrimonii contractualem dimisit atque, e contra, edicit matrimonium « ut sacrum amoris foedus ... a Deo institutum » esse. Cui immutationi non assentiri omnino non possum. Argumenta namque valida ad comprobandam theoriam illam contractualem sive matrimonii « in fieri » sive matrimonii « in facto esse », mea quidem sententia, ne a propugnatoribus eiusdem acerrimis quidem in medium prolata sunt. Ipsi probati auctores em.mus P. card. Gasparri (nn. 3 et 775), F. M. Cappello (nn. 23, 571, 810), F. X. Wernz-P. Vidal-Ph. Aguirre (nn. 34, 451, 599) per « petitionem principii » theoriam illam contractualem demonstrare nituntur. Quod si gratum acceptumque est notionem illam matrimonii, ex theoria iuris vix probandam, dimissam esse, exinde aliae ulterioresve consequentiae deducendae mihi videntur. Nova nempe verborum cann. 1086, 1087, 1092 C.I.C. propositio et canonis cuiusdam de mentis perturbationibus insertio in « Codice repetitae praelectionis » urgent. In Allegato I schema canonum immutatorum canonisque addendi reperiuntur.

Ad simulationem, uti aiunt, partialem in specie quod attinet, liceat ad Litteras Encyclicas Pii Pp. XI fel. rec. remittere, ubi haec prae ceteris legi possunt: « Quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas suas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu. ... Haec tamen libertas eo tantum spectat ut constet, utrum contrahentes re vera matrimonium inire et cum hac persona inire velint an non; libertati vero hominis matrimonii natura penitus subducitur » (*A.A.S.*, 22 [1930], p. 541). Et adhuc apertius ibidem: « Itaque germani connubii sacrum consortium divina simul et humana voluntate constituitur: ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, fines, leges, bona; Deo autem dante atque adiuvante, ex hominibus es, per generosam quidem propriae personae pro toto vitae tempore factam alteri traditionem, particulare quodlibet matrimonium cum officiis ac bonis a Deo statutis coniunctum » (*A.A.S.*, 22 [1930], pp. 542-543).

Praescriptionibus hucusque de conditione atque intentione matrimonio adversa vigentibus abrogatis, nulla cui fieret iniuria. Instructione namque sponsorum — de qua inferius mihi agendum erit — fas esset cuique intelli-

gere, per matrimonium foedus insolubile, exclusivum, ad prolis generationem ordinatum iniri.

2. Gratulandum est commissioni etiam de proposito ut omnia prorsus « impedimenta minoris gradus » e medio tollantur. Illud quoque propositum, a commissione nihilominus reiectum, impedimenta a quibus, in praxi, nunquam non dispensatur abolenda esse, mihi quidem retinendum videretur. Etenim causa canonica dispensationis « periculum matrimonii mere civilis » illaque « periculum concubinatus » vix non afferri potest. Teste experientia, populus fidelis dispensationes ab impedimentis matrimonialibus cum permissionibus potius aequiparat — pro quibus taxa solvi debet — quam relaxationibus legis ecclesiasticae. Secundum propositum meum ea dumtaxat impedimenta matrimonialia in novo Codice Iuris Canonici retinenda essent, a quibus in praxi nunquam dispensatur. Spectatis exigentiis causarum matrimonialium, notio impotentiae matrimonium dirimentis ad simpliciorem redigenda esset formam. Schemata huc spectantia in Allegato II reperire licet.

E contra, aliud novumque introducendum impedimentum matrimoniale mihi videtur, illud nempe « defectus instructionis sponsorum ». Simul tamen edicendum foret (a) a coetibus Ordinariorum textum quemdam huius generis instructionis exigentiis illius regionis nationisve accommodatum componi debere, quem (b) animarum pastores sub poena e. g. suspensionis cuique sponsorum modo sollemni formaque praelegere tenerentur. Examen sponsorum ad praesentiarum vigens impar omnino est quod nuptias invalidas causasque matrimoniales exinde sequentes prohiberet. Quod si in sessione III S. Concilii Oecumenici theoria contractualis reassumeretur, fortius adhuc renovatio examinis sponsorum urgeret. Neque impedimentum « defectus instructionis sponsorum » processus de nullitate matrimonii multiplicaret, quum sponsis subscriptionibus suis testandum esset de instructione a parocho, prout supra, peracta. Vide Allegatum III.

3. Ad formam canonicam quod attinet, commissio proponit (pag. 18) Ordinariis quibusque locorum facultatem concedendam esse vi cuius ipsi in matrimoniis mixtis a forma canonica dispensare valeant. Nonne facultas huiusmodi ad matrimonia catholicorum quoque extendi posset? Cogitatu num difficilis sit casus quo sponsus nomine dumtaxat catholicus sponsam piam actuosamque cogat secum in matrimonio, uti aiunt, civili convivere? Hisce aliisque similibus in casibus conscientiae partis catholicae succurri posset, facultatem scil. Ordinariis a forma canonica dispensandi concedendo. Spectato insuper quod sanatio matrimonii putativi in radice etiam « utraque parte inscia » (can. 1138 § 3) fieri potest, facultas episcopis de qua agitur ita concedenda esset, ut iidem partibus insciis quoque ea uti valerent.

4. Commissio de forma matrimonii extraordinaria sec. can. 1098 decidit (pag. 6 et 20) usum etiam eiusdem vigilantiae Ordinariorum subtrahi non debere. Adiuncta peculiaria in territoriis missionum nostram excedunt competentiam. Ast nostris in regionibus vigens nobis praeplacet disciplina.

Moneantur nihilominus animarum pastores, ne fideles de usu formae extraordinariae incaute indiscriminatimque edoceant. Quo pacto evitabitur ne minores contra parentum vota nuptiis inhiantes indulto can. 1098 utantur. Poterit forsan textus can. 1098 in mentem revocare etiam id, quod forma extraordinaria ab iis qui vinculo prioris matrimonii ligantur neque eiusdem nullitatem in foro externo evincere possunt perperam adhibetur.

5. Commissio de Tribunalibus regionalibus a sententia proferenda abstinuit. Ad ditionem Austriae tamen quod attinet, consideratu dignum mihi videtur utrum necne duo Tribunalia, eaque Metropolitarum, ad definiendas causas matrimoniales sufficerent. Quae etiam pro invicem instantias appellationis constituerent. Quo pacto Iudices administrique apprime instructos, aliis exoneratos muneribus, facilius adhibere licebit.

6. De mediis technicis inducendis (pag. 21) ubi agitur, forsan intelligendum est s. d. magnetophonium in examine partium testiumque adhibendum. Quod tamen instrumentum technicum portam abusibus irrescindibilibus aperiret. Quod si verba depositionis magnetophonia retenta postea conscribi deberent, id dilationem processus induceret.

7. Ad habilitatem accusandi matrimonium quod attinet, commissio Ordinariis suadet, ut « in casibus dubiis » ad competentem S. Congregationem recurrant. Ast lex dubia non obligat! Seu: in dubio fovendum est reo! Sat raro tandem occurrit partem « causam directam et dolosam » esse nullitatis matrimonii. Ignorantia namque dolus excluditur. Quotnam nupturientes vero norunt, quaenam intentio matrimonio contraria illicita sit?

8. Processum summarium ad alios casus atque in can. 1990 enumeratos extendi posse (pag. 6) minime reor. Forsan impotentia testimonio duorum medicorum iuratorum summario modo probari poterit dummodo de defectu monstruosave difformitate genitalium agatur neque actus coniugalis possibilis appareat. Quod si amentia modo summario demonstrari valeret, id falsitati portam aperiret. Multo magis adhuc, si e. g. documento a quodam notario ante contractum matrimonium exarato conditio vel simulatio, processu quidem summario, probarentur. Ne processus summarius ad casus huiusmodi extenderetur, ipsa prudentia suaderet. Si enim fama divulgaretur, nullitatem matrimonii ex capite simulationis partialis documento ante nuptias confecto, vel, rectius, conficto, in iudicio probari posse, causae matrimoniales admodum multiplicarentur neque sanctitati connubiorum lege huiusmodi caveretur. Consequentiae cogitatu facillimae inde exurgerent!

Haec, itaque, pro munere meo pastorali ad schema voti *de sacramento matarimonii,* omni qua par est reverentia, animadvertenda ratus sum.

Can. 1086 § 1: Bona, uti aiunt, seu officia matrimonii, a divina voluntate statuta, adversae sponsorum intentioni obnoxia non sunt, ita, ut contrarius nubentium animus contrariave conventio neque validitati matrimonii noceat neque coniuges ab iisdem liberet officiis.

§ 2: Invalidum tamen est matrimonium ab alterutra vel utraque parte

ea lege initum, ut celebratione nuptiarum species dumtaxat connubiorum fingatur neque ullum inde constituatur consortium.

Can. 1087 § 1: Connubia libera sunto.

§ 2: Quod si alterutra vel utraque pars matrimonium metu gravi, ab extrinseco et iniuste incusso ineat, neque aliud eidem iisdemve ad avertendum grave malum comminatum pateat effugium, nuptiae vi prorsus carent.

§ 3: Nullus alius metus matrimonii nullitatem secum fert, etsi causam dederit connubiis.

Can. 1092: Conditiones quaevis, matrimonio forsan appositae, praesumptione iuris quidem et de iure, pro non appositis habentur.

Can. . . . . . § 1: Invalide matrimonium attentant qui usu rationis sive actu sive habitualiter carent.

§ 2: Quod si de sana alterutrius partis mente dubitetur, nuptiae differendae sunt quoadusque, sec. prudens Ordinarii iudicium, si casus ferat, testimonio medici in arte psychiatrica commendati suffultum, de capacitate agendi nupturientis constiterit.

Can. 1067 § 2: deleatur.

Can. 1068 § 2: Nomine impotentiae heic intelligitur dumtaxat impotentia coeundi.

Can. 1070: deleatur. Can. 1071: item deleatur. Can. 1074: item deleatur.

Can. 1075: Valide contrahere nequeunt matrimonium qui sive adulterium inter se patrarunt eorumque alter coniugicidium commisit, sive qui mutua opera physica vel morali, etiam citra adulterium, mortem coniugi alterutrius intulerunt.

Can. 1076 § 1: In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2: In linea collaterali irritum est matrimonium usque ad secundum gradum inclusive.

§ 3: Quod si nupturientes consanguinei in tertio gradu lineae collateralis sint, moneantur de consequentiis quae proli ex huiusmodi matrimonio oriturae imminere possint.

§ 4: = § 3 in C.I.C.

Can. 1077: Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu.

Can. 1078: Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, etsi non consummato, et ex publico notoriove concubinatu; et nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa, nisi certo constiterit unam partem non esse alterius prolem.

Can. 1080: deleatur.

Can. . . . . .: Invalide matrimonium attentant quicumque, excepto casu de quo in can. 1098 et excepta dispensatione a forma canonica, instructioni sponsorum ante nuptias non interfuerunt.

59

EXC.MUS P. D. IOSEPH ROSSI
Episcopus tit. Palmyrensis

Ad n. 1: dignitate sacramentali matrimonii inter christianos magis magisque explanata iuxta doctrinam apostoli: « ... Sacramentum magnum ... in Christo et in Ecclesia » videtur ad cap. III huius numeri quod attinet, urgens necessitas explicite affirmandi quod legitur in can. 1016 C.I.C., praesertim quoad circumscriptam competentiam civilis potestatis circa matrimonium baptizatorum.

Ad n. 4: optimum nunc temporis consilium simpliciorem reddendi legislationem de matrimonii impedimentis, de qua in litt. *a*) et *b*).

Item placet disciplina quoad votum privatum de quo in lit. *c*), abrogato can. 1058 § 1 C.I.C.

Quoad autem votum publicum, de quo in lit. *d*), votum scil. publicum perpetuum castitatis perfectae in professione religiosa emissum, meminisse iuvat quod huiusmodi votum, sive simplex sive solemne (cf. can. 1308 § 1 et 2 C.I.C.) intrinsece et coram Deo idem et par est. Pari modo proinde uterque votum, sive solemne sit sive simplex, impedimentum matrimonii constituat, et quidem *dirimens*. In utroque enim casu agitur tandem aliquando de religioso vel de religiosa qui suae vocationi valedicunt ut ad nuptias publice convolare valeant.

Fas est insuper heic optare ut « mixta religio » et « disparitas cultus » impedimentum eiusdem gradus constituant, et fortassis — decreto *de Oecumenismo* prae oculis habito — *impediens* tantum, ad unguem tamen servatis, in re, Ecclesiae doctrina et disciplina insuper in n. 5 statuta de matrimoniis mixtis.

Ad n. 5: placet. Facultas tamen Ordinariorum dispensandi a forma canonica, de qua in lit. *b*), intra fines terminosque ita constituenda videtur ut semper habeatur *religiosa* matrimonii celebratio, nunquam mere civilis.

Ad n. 6: quod legitur sub lit. *b*) in praesenti n. 6 minus placet. In casu enim ut *ad validitatem* serventur iuris praescripta de quibus supra in praefato numero, matrimonium sic contractum, scil. contra iuris praescriptum, *invalidum* haberi debet.

Iamvero, si invalidum, ni totus fallor, *nequit validum declarari*. Declaratio enim non mutat rei veritatem. Potius validum fieri debet per sanationem in radice de qua in can. 1138 C.I.C.

Tandem verbum « celebratur » in fine litt. *b*) substituendum videtur. Etenim ut respondeat verbo « contractum » in initio litt. *b*), potius dicatur « celebratum fuerit ». Non tantum grammatica, sed ipsa logica id videtur postulare.

Nonnulli Patres in aula conciliari petierunt ut peculiare decretum de

hac nova disciplina matrimoniali statim ac possibile fuerit publici iuris fiat ad exemplum decreti *Ne temere* mensis aprilis anni 1908, atque vim legis quamprimum habeat quin attendatur Codicis Iuris Canonici nova editio.

Utinam huiusmodi petitio Beatissimo Patri placeat. Agitur enim de re maximi momenti.

Et omnia humiliter sint dicta, salvo semper sapientiore consilio.

60

EXC.MUS P. D. IOSEPH FRANCISCUS RYAN

Episcopus Hamiltonensis

A) *Generalia.* Mihi placet quod adest schema *de matrimonii sacramento;* minus placet reductio decreti ad aliquod votum uti invenitur in textu emendato. Textus ipse propositus saltem peccat brevitate ac inaccuratione.

Votum propositum in aliquam formam redigit enuntiationes seu sententias ad intentionem commissionis revisionis Iuris canonici, quod mihi placet; attamen minus placet aspectus pastoralis eiusdem voti. In schemate *de matrimonii sacramento,* Sacrum Concilium deberet loqui modo pastoraliori non tantum clericis, parentibus et coniugibus sed etiam christifidelibus ac hominibus bonae voluntatis.

In priori textu erat instructio pastoralis circa praeparationem ad matrimonium. Mihi videtur quod instructio illa deberet retineri non tantum in aliquibus propositionibus iuridice formulatis, praecipue de praeparatione ad matrimonium, sed etiam in aliquo nuntio omnibus hominibus aperto, in lingua facili formulato, de dignitate ac gravitate ipsius institutionis naturalis ac supernaturalis.

Etiamsi commissio conciliaris de sacramentorum disciplina deberet tantum tractare de matrimonii sacramento, mihi videtur quod non extravagaret eius scopus tractans de Sacramento Magno copiosiori ac pastoraliori modo.

B) *Particularia.* Mihi placet quod formulatur sub numeris quarto et septimo, i. e. de matrimonii impedimentis et de processu matrimoniali. Non mihi placet quod proponitur sub nn. 5 et 6, i. e. de matrimoniis mixtis et de forma celebrationis canonica.

Adsunt multa commendanda sub numero quinto; inveniuntur tamen singula quae haud mihi placent. Cum circumstantiae personarum ac morum valde dissimiles sunt etiam in variis regionibus eiusdem ditionis vel nationis, mihi videtur quod uniformis legislatio in eadem ditione securior et prudentior esset, quod posset fieri a conferentia episcopali, Sancta Sede approbante et salvo iure Ordinarii loci in casu particulari. Lex universalis non potest praevidere singula cum eadem accuratione ac lex particularis: preces quae invocantur ad dispensationem a lege generali obtinendam variae sunt ac diversae et aliquando alienae et contrariae, quod potest esse periculum scan-

dali vel admirationis populi. Non est ita quando agitur de dispensatione a lege particulari definita. Matrimonia mixta performantur in circumstantiis alienis, etiam in regionibus propinquis, ratione religionum et civilium institutorum, quod non est practice regulari nisi normis seu legibus ipsis circumstantiis accommodatis. Si episcopus potest dispensare a lege generali uti inicitur in textu proposito, modus agendi poterit esse valde diversus etiam in eadem regione seu territorio; non ita erit si episcopus non potest dispensare nisi a lege particulari et in casu peculiari.

Sub n. 6, agitur de forma celebrationis matrimonii. Proponitur forma canonica retractata ad vitandas et clandestinitatem et nullitatem matrimonii ex una parte, et alia ex parte ad faciliorem eius usum reddendum. Proponitur simul forma extraordinaria non omnino subtracta vigilantiae Ordinariorum. Mihi videtur quod non tantum forma extraordinaria sed etiam forma canonica debet subesse vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae localis, i. e. Ordinarius pro dioecesi, parochus et assistentes pro paroecia et missionarius pro missione, et ad validitatem.

Si coniuges non debent puniri propter indignitatem sacerdotis assistentis vel propter eius ignorantiam praeceptorum iuris, attamen non debent invitari ad matrimonium contrahendum contra praescripta iuris, v. g. facto pacto cum indigno sacerdote. Usus formae canonicae propositae facilior est vero: est-ne prudens ac secura? Non sufficit assicurare validitatem matrimonii sed et etiam eius praeparationem, celebrationem et tranquillitatem. Adsunt etenim effectus non tantum canonici sed etiam civiles qui oriuntur e celebratione matrimonii, quia vigent in diversis regionibus praescriptiones civiles ministrum cultus, ut aiunt, matrimonio assistentem attingentes sicut ac coniuges ipsos.

Si quicumque sacerdos posset practice assistere matrimonio ubique terrarum sine licentia ad validitatem, non erit forsan matrimonium nullum vel clandestinum. Coniuges non amplius punirentur propter indignitatem vel ignorantiam sacerdotis assistentis sed gravarentur diversis modis: ante matrimonium si deest congruens praeparatio, momento celebrationis si violentur leges civiles vel canonicae, post celebrationem si ignoretur matrimonium ab auctoritate ecclesiastica locali.

In eadem par. 6, sub littera b, enuntiatur matrimonium contractum coram sacerdote, indigno vel ignorante, validum esse si celebretur in ecclesia vel in oratorio publico. Adsunt diversa oratoria publica quae multiplicantur in locis rusticationis: ibi exercetur munus pastorale a parocho, a vicario vel a delegato, et saepe die dominicali tantum. Si omnis sacerdos potest assistere quoque matrimonio in oratorio etiam contra praescripta iuris, talis assistentia non invalidaret sacramentum sed gravaret et coniuges et sacerdotem habita ratione effectuum civilium vel etiam canonicorum. Unde matrimonium, ratione loci, deberet semper celebrari in ecclesia — et in ecclesia paroeciali — vel in omni loco ab Ordinario loci approbato per modum actus vel per modum habitus.

Conclusio: his expositis, schema voti cum textu emendato deberet immutari ad mentem et iterum proponi patribus conciliaribus, proxima sessione decurrente.

61

EXC.MUS P. D. LUCAS AUGUSTUS SANGARÉ

Archiepiscopus Bamakoensis

1. *Prooemium*: Episcopi Africae occidentalis linguae gallicae et plures eiusdem continentis episcopi — nomine quorum loquor — plaudunt votis in par. 3 schematis *de matrimonii sacramento* scriptis. Summa tamen casuum in textu expositorum non est exhaustiva. Episcopi igitur Africae occidentalis linguae gallicae et plures alii eiusdem continentis episcopi quaedam addere volunt, vehementer optantes ut in nova legislatione matrimoniali elaboranda, considerentur problemata apostolatui eorum in missionibus particularia.

2. *Expositio*: I. *De cautionibus matrimonii cum disparitate cultus.*

Desideramus ut in matrimoniis cum disparitate cultus cautiones a parte non christiana exactae mitigantur praesertim quotiescumque pars catholica sit mulier. Speciali modo requirimus ne obligatio fiat baptizandi prolemque christiane educandi. Ecce rationes:

a) Nonobstante africana mente quae viro nimis favet supra mulierem, multi non christiani nunc sentire possunt amborum coniugum in pueros iura aequa esse, non tamen concipientes cur pars catholica, praesertim si sit mulier, iuribus superioribus faveatur.

b) Salvare oportet vitam spiritualem mulieris catholicae. Nam cum non christianus negat se cautiones subscribere quia conscientiae eius opponuntur, saepe saepius impossibile est matrimonium impedire. Tunc mulier catholica sacramentis privatur dum sacramenta ipsi maius opus est; ita plerumque fessa, in apostasiam ruit.

Nobis videtur ipsam Ecclesiam catholicam maius bonum percepturam esse si non exigantur a non christianis cautiones quae ab eis plus respuantur, scilicet baptisma et educatio christiana prolis. Cum autem non christiani cautionibus istis subscripserint, sive familia, sive ambitus — ut experientia probatur —, sic eos impellit ut saepe impediantur ne promissa in futurum adimpleant.

c) Salvare etiam oportet ius ad matrimonium quod singulis mulieribus catholicis competit. Iure enim divino, quaelibet persona ius habet ad matrimonium. Si cautiones retinentur, hoc iure privantur mulieres baptizatae in regionibus ubi maior pars hominum non christiana est.

d) Sufficeret — nostra humili sententia —, ut pars catholica, sane instructa fidei christianae exigentiis caritatisque erga prolem promitteret se quam optime vigilare ut omnes liberi christiane educentur ...

A parte vero non baptizata tantum exigeretur: libertas praxeos religiosae

pro muliere catholica, libertas christianismum eligendi pro pueris qui, iam adulescentes, hoc desiderarent.

II. *De forma celebrationis matrimonii, in casu disparitatis cultus.* Requirimus ut in quibusdam casibus quorum conferentiae episcopales iudices sint, matrimonium inter catholicum virum et mulierem paganam forma canonica dispensetur dummodo de more gentis celebretur. Haec *ratio*: in quibusdam gentibus, multi iuvenes baptizati sunt dum puellae paganae remanent. Saepius impossibile est adducere sponsam apud presbyterum ut rite instruatur antequam ab ipsa exigantur cautiones et fiat consensus matrimonialis. Ut fornicatio vitetur atque ne pars catholica per longum tempus sacramentis privetur, ad mentem nostram, melius esset talia matrimonia permittere. Illa matrimonia, quae cum omni publicitate more gentis exigata contrahuntur, in libro matrimoniorum a parocho adnotanda sint et benedictio nuptialis detur postquam mulier ad fidem se converterit, quod saepe accidit.

III. *De tribunalibus casuum matrimonialium. a*) Hic, episcopi Africae optant ut tribunalia modo simpliciori ordinentur; curiae enim episcopales homines sat numerosos non habent; partes insuper et testes, inculti, saepe ab alterutro maxime longinqui, ad interrogandum difficiles sunt.

b) Petimus etiam ut competentia episcoporum diocesanorum amplificetur, specialiter autem ut tribunalia ecclesiastica localia competentia sint ad definitive iudicandum de casibus impotentiae et de casibus in ratum sed non consummatum.

c) Tandem optamus ut nobis concedatur, si possibile sit, in favorem fidei, potestas in matrimonia disparia aut saltem legitima, praesertim cum pars infidelis coniugale tectum in perpetuum reliquit. *Rationes sunt*: in singulis dioecesibus, de casibus quorum mentio fit, iudicium ferri potest magis humane quia casus melius cognoscuntur. Ex altera parte, bonum fidelium saepe urget; itaque processus in dioecesi, quippe rapidiores fiant, partem catholicam adiuvant ne longe tempus agat in situ difficili seu irregulari.

3. *Conclusio*: A commissione post-conciliari ad novam legislationem matrimonialem condendam, episcopi Africae occidentalis vehementer petunt ut considerentur, si hoc sacrosanctum concilium consenserit, has animadversiones.

* * *

Le nouveau schéma (dans ses paragraphes 4, 5 6 et 7) répond aux vœux des Evêques de l'Afrique Occidentale Francophone. Aussi je renonce à faire oralement mon intervention qui avait été inspirée par l'étude de l'ancien schéma. Cependant j'en dépose l'écrit au secrétariat pour appuyer les par. 4, 5 et 6 du texte amendé qui est soumis à l'examen, et pour faire préciser le par. 7 de ce même texte.

62

EXC.MUS P. D. ALFREDUS VINCENTIUS SCHERER
Archiepiscopus Portalegrensis in Brasilia

Nomine 73 episcoporum Brasiliae animadversiones quasdam propono matrimonia mixta respicientes. Libenter admittimus, disciplinam hucusque vigentem in hac materia aliquatenus esse relaxandam. Matrimonia mixta in futuro intra missam sollemni modo celebratum iri causa nobis est sincere laetandi. Aperte laudamus abrogationem poenae excommunicationis contra ineuntes matrimonium coram ministro acatholico. E contra, anxietatis nobis est causa ea pars schematis, quae baptismum et educationem catholicam prolis in tutum ponendam respicit.

Sub hoc aspectu matrimonia mixta praebere difficultates pastorales difficillimae solutionis nemo est qui nesciat. Formula solutionis, quae in omnibus locis et in omnibus rerum adiunctis satisfaciat, nunquam fortasse comperietur. In iis regionibus, ubi plerique fideles suorum officiorum lucidam habent notionem atque suae fidei principiis firmiter adhaerent, commendari poterit solutio quae forte minime sit apta in aliis locis, ubi conscientia christiana, ob defectum educationis religiosae, solidis caret radicibus. Solutio quaedam bona esse potest in iis regionibus, ubi incolarum pars maior ad Ecclesiam catholicam pertinet, sed eadem solutio fortasse non conveniet alibi, ubi catholicorum est pusillus tantum grex. Eadem solutio, quae apta fortasse videatur in regionibus, ubi acatholici sunt pacifici, immo sensu oecumenico imbuti, interdum prorsus inepta immo periculosa erit alibi, ubi abundent sectae acatholicae Ecclesiae catholicae fanatice infensae.

Unde facile concluditur, Concilium non recte esse acturum, solutionem proponens unam, in omnibus regionibus applicandam. Nostro iudicio Concilii est perspicue statuere principium generale, huius autem practica applicatio iudicio relinquere et decisioni sacrae hierarchiae diversarum regionum. Principium autem generale hoc est: *Ecclesia nequit matrimonia benedicere, nisi futurae prolis catholica educatio non satis in tutum posita sit.* Ad hoc obtinendum aliter aliterque in diversis regionibus procedendum erit.

Secundum schema, tota spes ponenda est in promissionem praestandam ab una parte catholica et in monitionem quandam ab ipsa opportune parti acatholicae faciendam. Hanc normam em.mus relator eo iustificare conatur, quod hoc magis consentaneum appareat « aestimationi, quam homines nostrae aetatis responsabilitatis propriae habere consuevere ». Sine dubio, hic maior sensus responsabilitatis unum est ex bonis signis nostri temporis, attamen non ubique aeque evolutus apparet. Ideo quaerimus, quid fiet in illis regionibus, ubi ob defectum educationis christianae hic sensus responsabilitatis adhuc est deficiens? Ibi saepe continget, ut monitio a parte catholica facienda aut apto modo non fiet, aut ob rationes varias differatur ad tempus, quo officiorum erga prolem adimpletio immediate urgere iam incipit. Sae-

pissime tunc accidet, ut pars catholica rationibus oppositis partis acatholicae facile cedat vel graves, immo perennes inter coniuges oboriantur dissensiones.

Itaque nobis persuasum est, disciplinam, prout in schemate proponitur, in plurimis casibus Ecclesiae maximum esse allaturum nocumentum, in aliis vero multis causam fore pacis familiaris perturbandae.

In regionibus, igitur, ubi educatio christiana gravibus adhuc defectibus laborat, Ecclesia ipsa supplere debet normis potius ad rigorem tendentes. In iis regionibus ipsa Ecclesia, per ministrum sub cuius auctoritate matrimonium celebrabitur, obtinere debet a parte acatholica promissionem de educatione catholica futurae prolis non impedienda, quod quidem non necessario fiet per iusiuranda, neque necessario per cautelas scripto subsignandas, sed fieri poterit per alia media, potius persuasiva quam coactiva, quae hierarchia respectivae regionis sufficientia aestimaverit.

Si disciplina a Concilio proponenda laxitate emineat, auctoritate carebit hierarchia, quae normas magis ad rigorem flectentes stabiliendas duxerit. E contra, si ipsum Concilium normas potius rigidiores proposuerit, hierarchiae earum regionum, ubi liberior disciplina commendanda videtur, aperta manet via ad lenius procedendum.

Paucis verbis resumendo: Firmiter proponat Concilium principia ab omnibus servanda; sed magis « elasticis », ut ita dicam, verbis utatur in normis practicis stabiliendis in re tanti momenti pro fide servanda et pace familiari tuenda.

[*Subscripserunt etiam*] W. L. Schmidt, ep. Chapecó; C. Colling, ep. Passo Fundo; J. Hoffmann, ep. Frederico Westfalen; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide di Fenicia; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; W. Battú Wichrowski, ep. tit. Felbes; J. Thurler, ep. tit. Capitoliade; B. Zorzi, ep. Caxias; L. Sartori, ep. Santa Maria; A. Petrò, ep. Uruguaiana; J. D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; G. de Morais Penido, arch. Juiz de Fora; Iosephus Petrus, ep. Caetité; Adolphus Aloisius, ep. coad. prael. São José do Grajaú; Orlandus, arch. Cuiabá; Franciscus, ep. Taubaté; A. Cerqua, ep. tit. Olbia; J. Dalvit, ep. São Matéus; M. Correa Pereira, ep. aux. Belém; J. De Sousa Lima, arch. Manáus; L. Cavalcanti Machado, arch. Maceió; R. de Castro y Silva, ep. aux. Fortaleza; V. de Araujo Matos, ep. Crato; José Mauro, ep. Iguatú; F. Austregesilo de Mesquita, ep. Afogados da Ingázeira; B. da Silva Neto, ep. coad. Luz; J. Varani, ep. Jaboticabal; J. Bezerra Coutinho, ep. Estancia; D. Tavares Baeta Neves, ep. Sete Lagôas; A. González Ferreiro, ep. prael. São Raimundo Nonato; C. Bampi, aux. Caxias; J. Terceiro de Souza, ep. Penedo; A. Brandâo Vilela, arch. Teresina; A. Silveira de Mello, ep. tit. Nasai; G. Fereira Reis, ep. Leopoldina; P. Koop, ep. Lins; G. Casullo, ep. tit. Utica; D. Parodi, ep. tit. Centenaria; A. Ungarelli, prael. Pinheiro; J. Gazza, ep. tit. Circesio; P. Filipak, ep. Jacarézinho; J. Coelho, ep. Maringá; A. Zattera, ep. Pelotas; A. Carvalho, ep. Caruarú; S. de Aguiar, ep. Pesqueira; J. de Lange, ep. prael. Tefè; A. Lima dos Santos, ep. Ilhéus; J. Tavorá, arch. Aracajú; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; Marius, arch. Paraiba; E. da Cunha Cintra, ep. Petrópolis; T. Vaquero, ep. São João da Bõa Vista; Iosephus, arch. Fortaleza; A. Gonçalves do Amaral, arch. Uberaba; G. Warmeling, ep. Joinville; A. Niehues, coad. Lajes; J. Pires, ep. Arassuai; E. de Araújo Sales, adm.

ap. Natal; A. Ramos, arch. Belém; E. Coroli, ep. tit. Zama Maggiore; F. Niccoli, ep. Colle di Val d'Elsa; N. Monte, aux. Aracajú; M. Tavares de Araújo, ep. Caicó; José, ep. Oliveira; R. Serra, ep. São Carlos; J. Melhado Pereira, ep. Presidente Prudente; Fernando, arch. Goiânia; H. Gelain, ep. Vacaria; G. Bueno Couto, ep. tit. Leuce; E. de Paula, ep. tit. Gerocesarea; S. Ferraz.

63

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

Gravis exponitur difficultas *in forma extraordinaria* matrimonii in voto conciliari contenta.

Forma extraordinaria matrimonii extra periculum mortis, prout desideratur in voto conciliari, in praxi inextricabiles gignet difficultates quotiescumque ambo coniuges, sive unus vel alter, qui tali forma matrimonium contraxerint, *post annos* idem matrimonium impugnare vellent, quacumque ex causa, praesertim cum iam totalis eorum separatio contigerit, et spes magna effloreat novum cum alia persona contrahendi matrimonium.

Tota difficultas oritur *ex conditionali modo* (in quantum fieri poterit) imponendi recursum ad Ordinarium *ad valorem* ipsius matrimonii: quomodo enim, post annos, poterit cum certitudine comprobari quod recursus *potuit fieri* et non factus est ut matrimonium declaretur nullum?

Iterum: data comprobatione recursus non facti, quomodo poterit, post annos, determinari hoc tribuendum esse *morali impossibilitati* recursum faciendi ita ut matrimonium habeatur validum; vel, e contra, *consciae voluntati recursum omittendi* quia non aderat seria voluntas saltem ex parte alterutrius coniugis, contrahendi verum ac proprium matrimonium?

Sequens solutio videtur minus mala: imponatur recursus, scripto vel per interpositam personam, sive ad Ordinarium sive ad proprium parochum, cum obligatione exspectandi responsionem. Haec solutio videtur bona pro maxima parte casuum et non nimis onerosa, quia etiam ubi multi sunt analphabetae non desunt qui scribere sciant et possint. Insuper non desunt in illis locis qui iter in centrum parochiae vel dioecesis aggrediantur qui poterunt verbatim exponere quaestionem sive Ordinario sive parocho et scripto obtinere licentiam pro determinata copia contrahentium.

Etiam in iure statui potest Ordinarios locorum posse, auditis parochis, designare in regionibus dissitis unam vel plures personas apte instructas ad quas fideles recurrere possent, quando recursus ad Ordinarium vel parochum moraliter impossibilis sit; vel, si recursus factus fuit, post determinatum tempus non acceptae responsionis, ut eas certiores faciant de sua seria voluntate contrahendi matrimonium; immo, si opportunum iudicabitur, ut eaedem personae assistant talibus matrimoniis et constantias eorumdem in libro speciali servent, quas, statis temporibus mittere debebunt proprio parocho qui, etiam in libro speciali, servare debet in archivo parochiali.

Ceterum, ubi *specialissimae* vigeant circumstantiae Conferentiae episcopales poterunt submittere Summo Pontifici specialem disciplinam pro forma extraordinaria matrimonii.

Enixe rogo ven. commissioni attente perpendere hanc intricatissimam quaestionem quia personali ac frequenti experientia novi quanta mala sequantur.

Iterum humiliter peto vel minimam communicationem quae me certiorem reddat de his meis litteris receptis in officio secretariae Concilii Oecumenici.

64

Exc.mus P. D. HERMANNUS TILLEMANS
Episcopus tit. Berissenus, vic. ap. Meraukensis

Loquendo nomine 30 episcoporum conferentiae Indonesiae gratum mihi est dicere textum emendatum schematis voti *de matrimonii sacramento* omnino laude dignum ac bonum iuridicum et pastorale complementum esse ad ea, quae iam de matrimonio dicta et adhuc dicenda sunt in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Quae laudatio potissimum respicit disciplinam relate ad matrimonia mixta propositam. Ex emendationibus enim factis clare constat Concilium hoc Vaticanum secundum revera intendere sua principia de Oecumenismo ac suam declarationem de libertate religiosa in serium vertere; dum etiam ostenditur vera sollicitudo Ecclesiae pro felicitate temporali et spirituali catholicorum et non-catholicorum, qui matrimonio mixto coniuncti sunt.

Unice ad collaborandum ad maiorem perfectionem schematis quasdam animadversiones proponere nobis liceat:

I. *In genere*: Cum schema solummodo agat de quodam aspectu matrimonii, scil. iuridico ac pastorali, proponimus ut *titulus* schematis *de matrimonii sacramento* mutetur in « De matrimonii sacramenti *disciplina* ».

II. *In specie*: quoad matrimonia mixta: 1. N. 3 (pag. 12) nimis negative loquitur de matrimoniis mixtis, quasi essent aliquid omnino extraordinarium et tantummodo periculis plenum. Affirmantes matrimonia mixta quam maxime evitanda esse, tamen realistae esse debemus et intelligere quod in societate mixta, praesertim urbana, in qua homines diversae religionis una simul vivunt, matrimonium mixtum non potest esse aliquid exceptionale, sed potius aliquid quod inevitabile et necessarium connexum est cum hac situatione. Haec visio realistica in textu exprimi deberet.

2. In n. 5 sub a (pag. 13) verba « graviter onerata conscientia » in lin. 8 nimis legalistice sonant, quasi haec obligatio externe a lege imponeretur, et non ex ipsa materia oriretur. Censemus verba « promissionem *sinceram* » et « in quantum poterit » iam sufficienter indicare hoc in casu agi de quaestione conscientiae et gravis momenti. Melius nobis videtur, si

impletio huius praecepti non extorquetur onerando conscientiam, sed si appellatur ad responsabilitatem ex fide ipsa profluentem. Ideo loco « graviter onerata conscientia » scribatur: « suae fidei debet ».

3. Disciplina circa promissionem praestandam a parte catholica quandam contradictionem vel saltem obscuritatem continere videtur. Dum enim prius dicitur, quod pars catholica promissionem praestare debet baptismum et educationem catholicam universae prolis curaturam *in quantum poterit* (linn. 8-11), postea (linn. 14-15) dicitur quod constare debet partem non-catholicam illis promissionibus non repugnare. Ex hac alinea secunda ergo concludendum esset, quod conditio in alinea prima posita (scil. promissio baptismi et educationis catholicae prolis in quantum poterit) de facto non sufficit. Textus clarius sese exprimere debet de conditionibus requisitis et deleantur ergo verba: « atque constare eam illis non repugnare » (linn. 14-15).

Scripto animadvertere mihi liceat nomine conferentiae episcoporum Indonesiae:

1. *Titulus* schematis *de matrimonii sacramento* mutetur in *de matrimonii sacramenti disciplina.*

2. Initium n. 3, pag. 12, scil. « Sacrosancta Synodus Oecumenica Vaticana II in Spiritu Sancto congregata ... » nimis sollemne sonat et exspectationem suscitat alicuius definitionis dogmaticae. Melius ergo simplificetur.

3. Visio realistica circa matrimoniorum mixtorum inevitabilitatem in textu (pag. 12, n. 3) exprimi debet.

4. Sub n. 5, p. 13, textus loquitur una vice (lin. 9) de promissione (in singulari), dum altera vice (lin. 12) textus utitur plurali (« de his promissionibus »). Melius, ut puto, claritatis causa adhibeatur in utroque casu forma singularis.

5. N. 5 sub a, pag. 13, lin. 8, verba « graviter onerata conscientia » mutentur in: « suae fidei debet ».

6. Pag. 13, n. 5 sub a, linn. 14-15, verba: « atque constare eam illis non repugnare » deleantur.

7. Ad pag. 14, n. 6, lin. 16, post verba: « contra iuris praescripta » claritatis causa addatur: « circa formam », ne quis falsam conclusionem faceret matrimonia contra quaevis iuris praescripta, sed coram sacerdote contracta, semper esse valida.

8. Praescriptum determinatum sub n. 6, pag. 14 relate ad matrimonium coram solis testibus, vehementer displicet, tum quia severiorem disciplinam proponit quam usque nunc valet (can. 1098), tum quia nullibi expresse statutum est, quod petitio Ordinario facienda est (puto quod non sufficit praeceptum implicite in textu contentum), tum tandem quia hoc praescripto matrimonia invalida facile augentur et facile etiam oriantur incertitudines circa validitatem matrimoniorum tali modo contractorum, quod certe non intenditur.

9. Ad pag. 15, n. 8, lin. 18: proponimus quod directe ipsis parentibus obligatio imponitur curandi filiorum educationem.

10. Ad pag. 15, n. 8, lin. 25, forsan melius significatio verbi « verus amor » aliquomodo explicatur, v. g. dicendo: « verus amor socialis », ne textus ambigue interpretari possit.

65

Exc.mus P. D. CONRADUS URSI
Archiepiscopus Acheruntinus

Concilium Vaticanum II — ut Concilium pastorale — providet integritati organicae Ecclesiae ut hanc menti sui Divini Fundatoris magis ac magis adaequet et ita eius operam, scil. vivificationem mundi in Christo, efficaciorem et expeditiorem efficiat.

Auderem dicere familiam christianam, aliquo sensu, ad oeconomiam Ecclesiae pertinere, est enim pars vitalis, « cellula vivente » Corporis mystici. Nam populus Dei pertinet ad structuram Ecclesiae, ergo et familia christiana quae est populi Dei origo et fons. Quapropter ut obiectum primum et speciale ministerii pastoralis haberi debet.

Creator mundi enim voluit genus humanum, et ideo ordinem socialem originem et formam ducere instituto familiari, quod ipse construxit.

Dictum est Ecclesiam in mente Dei creatam esse ante omnia, tamen in ordine historico institutum familiare apparuit antequam Ecclesia fundaretur, etiam ut communitas salvifica.

Salvator denique, qui Filius naturalis Dei, homo factus est in visceribus Mulieris Virginis, viro desponsatae, quae vero de Spiritu Sancto concepit, voluit putari filius familias ut plenam solidarietatem cum peccatoribus filiis Adam acquireret, sed etiam ut humanam familiam sanaret immo et ad divinum elevaret. Est enim familia imago et quasi reflexio in terra communitatis divinae Sanctissimae Trinitatis. Nec tantum in Nazarethanam familiam illam singularem Homo-Deus influxit. Nam initio suae vitae publicae ad nuptias interfuit, quae in Cana Galileae factae sunt. Ibi coram discipulis suis primum signum fecit mutans in vinum aquam, ut significaret se in mundum venisse ut humanum in divinum transformaret per mysterium suae mortis et resurrectionis, ministerio quidem Apostolorum, seu Ecclesiae, suae Sponsae, sed ambitu instituti familiaris. Et ita familia christiana ad imaginem vivam coniugii Christi et Ecclesiae elevata est et instrumentum inscindibile missionis salvificae facta est. Et ideo cum Ecclesia et ad modum Ecclesiae, est communitas amoris et vitae, communitas salvifica.

Matrimonium in doctrina catholica habetur ut res sacra, essentialiter religiosa. Ecclesia enim, etsi recognoscat Societati Civili iura in familias in iis rebus, quae respiciunt effectus civiles contractus coniugalis, tamen celebrationem, disciplinam et curam matrimoniorum baptizatorum, quod est Sacramentum, semper et strenue sibi vindicavit.

In rito nuptiarum sponsi sunt ministri contracti sacramentalis, gratiam enim hauriunt de Christo Capite Corporis mystici directe et immediate ut organum coniugii Christi et Ecclesiae, nulla interposita mediatione sacerdotis. Ipsi vero per totam vitam coniugalem manent mediatores — etsi non absoluti — in sua familia. Vir enim sanctificat mulierem, mulier sanctificat virum, ambo sanctificant prolem secundum quod docuit Paulus Apostolus in *1 Cor.* c. VII et ad *Eph.* c. V.

Parentibus spectat docere liberos prima rudimenta sacrae doctrinae et in eos infundere spiritum christianum, spiritum ecclesialem. Ad mentem C.I.C. parentum est iudicare de facultate puerorum ad mensam eucharisticam accedendi etc.

Unde patet quod relate ad actionem mediatricem et formatricem parentum erga filios, Sacri Pastores debent quidem illuminare, stimulare, adiuvare, deinde etiam complere et perficere, minime vero — per se — eis se substituere.

At — de facto — coniuges, postquam nuptias celebraverunt ad Altare, ut ministri sui sacramentalis matrimonii, ac moniti imaginem vivam coniugii Christi et Ecclesiae in mundo deferendi, a templo recesserunt, ab ipsis Ecclesiae Pastoribus habentur et tractentur ut simplices fideles, veluti nempe coelibi, vidui, infantes etc. Ita porro familia — uti talis — non habetur ut obiectum speciale et praecipuum ministerii pastoralis. Minime vero stimulata et adiuta ad missionem suam ecclesialem exercendam, familia christiana perdidit suam germanam formam ac sensum suae altissimae dignitatis et suae missionis salvificae et ideo, ipsa laicizata, totus ordo socialis christianus, ut patet, labefactatur. Auspicata « consecratio mundi » mihi videtur perfici non posse, si familia non reportetur ad mentem Salvatoris ad intimam et activam communionem cum Ecclesia ita ut absorbeat et exprimat foecunditatem ipsius Ecclesiae.

Schema voti de matrimonii sacramento tantum aspectus iuridicos et asceticos respicit de instituto maritali, parum vero aspectum pastoralem. De hoc silet etiam schema *de munere pastorali episcoporum*. Familia non habet tantum officia in Ecclesia, sed et iura. Non sufficit, meo humili iudicio, inculcare in coniuges virtutes christianas et officia christianae educationis prolis, et monere pastores animarum ut curent matrimonii praeparationem et spiritualem vitam coniugum, nec mihi placeret ut diceretur tantum familiam esse obiectum et subiectum apostolatus. Id induceret Sacros Pastores ad actiones fere marginales, etsi fervidas, non tamen radicales. Cura familiarum non est ponenda in linea aliarum actionum pastoralium, sed ad centrum sollicitudinum pastorum, nam scholae catecheticae infantium, associationes apostolicae, formatio seminaristica etc. opus habent concursu familiarum. Mihi videtur rectam curam animarum postulare ut sacri pastores respicere debeant *primario* et *directe* familias, secundarie fideles singulos. Oportet ut coniuges adiuventur ad efformandam eorum familiam ut « parvam ecclesiam », ita ut, *in communione cum Ecclesia* et ad modum Ecclesiae, fiat efficiens communitas

salvifica, et ideo communitas fidei, communitas amoris et gratiae divinae, communitas cultus divini, communitas actionis missionariae pro dilatatione regni Dei in mundo sociali. Quae vero sunt structurae communitariae ipsius Ecclesiae Christi. Si familia christiana haberi debet ut primaria et insubstituibilis cooperatrix Ecclesiae, ut organum Corporis Mystici, et instrumentum salvationis, forsitan tota structura pastoralis et apostolica in paroeciis debet mutari et aptari.

Propono igitur ut numerus primus schematis fusius declaret habitudinem intrinsecam et vitalem familiae christianae ad Ecclesiam. Numerus nonus refundatur ut appareat mens Concilii dirigendi actionem pastoralem ad sublevandam, alendam, adiuvandam vitam familiarem ut communitatem salvificam. Peropportunum denique iubendum videtur ut in directorio pastorali conficiendo pars praecipua detur pastorali familiari.

Venerabiles Fratres, non datur crisis in vita sociali quae non oriatur immediate vel mediate a crisi familiari, nec potest dari renovatio spiritualis humanae societatis sine renovatione vitae familiaris. Problemata de re morali, ut carentia amoris, fecunditas matrimonii, educatio prolis necnon problemata culturalia, oeconomica, socialia, insuper quaestio de libertate iuvenum sequendi vocationem divinam, de cultura vocationum, non solvuntur legibus et exhortationibus coniugibus faciendis, sed solummodo si spiritus christianus familiam plene informat.

Necesse est ut familia ab imo sanetur et quam citius emergat e gurgite naturalismi et edonismi. Finis huius Concilii frustaretur si familia cristiana non in tota sua luce poneretur. In mente habeant pastores animarum necnon fideles, uti effatum, familiam indigere Ecclesia et Ecclesiam indigere familia ut mundus salvetur.

66

Exc.mus P. D. LEONTIUS ALBERTUS VAN PETEGHEM
Episcopus Gandavensis

Sub n. 6 sub lit. B. ad pagg.13-14 schematis *voti de matrimonii sacramento* legitur: « forma canonica celebrationis matrimonii ita retractetur ut et formae ordinariae usus facilior reddatur ». Textus emendatus statuere proponit matrimonium contractum coram sacerdote, qui praescripta delegatione ad assistendum careat, validum declarari, dummodo sacerdos non sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus aut talis declaratus vel ab episcopo prohibitus, et matrimonium in Ecclesia vel oratorio publico celebretur.

Iamvero, meo humili iudicio, caute procedendum est in retractatione canonum in iure hodierno existentium de forma celebrationis matrimonii ordinaria.

Multiplices rationes contra hanc retractationem militare videntur.

1. Si admittatur quod quicumque sacerdos munere testis qualificati in matrimonii celebratione valide fungi potest, magna ex parte everteretur legislatio Tridentina contra abusus Medii Aevi lata atque saeculari traditione firmata.

2. Insuper, si ad validum matrimonium delegatio ab Ordinario loci vel a parocho concedenda nondum requireretur, via ad matrimonia clandestina aperiretur. Haec legis innovatio gravibus abusibus ansam praeberet, nonnullis sacerdotibus ad celebrationem matrimonii imprudenter procedentibus in illis casibus in quibus praecedens *schema decreti de matrimonii sacramento* ad pag. 19 recursum ad formam extraordinariam ut perversam reprobat: nempe casus minorum, quando parochus, attento can. 1034, eorum matrimonio assistere non vult; casus coniugum qui nullitatem iam contracti matrimonii in tribunali probare non possunt et novum matrimonium contrahere cupiunt, certi de matrimonii sui invaliditate; casus matrimonii mixti ab Ordinario prohibiti quia ob denegatas cautiones dispensatio super impedimentum mixtae religionis concedi non potest; aliique casus huius generis.

Revera, si canones de forma celebrationis matrimonii ordinaria retraherentur, via sterneretur ad chaoticum rerum statum cuius sequelae peiores erunt quam status actualis.

Quidam forsan contendunt quod in legislatione hodierna defectus formae iam plerumque sanatur errore communi vi canonis 209 et declarationis authenticae commissionis ad Codicem interpretandum diei 26 martii 1952. Immerito quidem; nam tantum in casibus rarioribus, ut patet e iurisprudentia rotali, adsunt conditiones ad errorem communem requisitae.

In casu retractationis legislationis nunc existentis de forma celebrationis matrimonii, tota communitas atque ordo moralitatis publicae ex existentia matrimoniorum, utique validorum, sed clandestinorum, absque dubio damnum patientur.

3. Peculiaris abusus qui e retractatione dictae legislationis timendus est, consistet in hoc quod matrimonia coram sacerdote non delegato inita non inscribentur in registro matrimoniorum. Libri enim matrimoniorum a parochis custodiuntur et praevidendum est sacerdotes non delegatos illam inscriptionem neglecturos esse, ea ratione nempe quod ii qui citra Ordinarii loci vel parochi territorii licentiam agunt, per inscriptionem matrimonii propriam culpam aperte faterentur, quod plerumque facere detrectabunt.

4. Insuper, Ecclesia hac in retractatione canonum de forma celebrationis matrimonii hanc celebrationem minus curare videretur quam legislatio civilis. Nam in legislatione civili officiales habiles ad assistendum matrimoniis simul ac conditiones ad validum matrimonium contrahendum ita arcte determinantur ut nullum matrimonium civile secretum existere queat.

5. Matrimonii formam reservari parocho eiusque delegato valde suadetur sana praxi pastorali.

Nam ipsius parochi est suos subditos intuitu matrimonii instruere ac

praeparare et examen canonicum de statu libero instituere. Quare logicum est ipsam celebrationem in linea datae praeparationis coram ipso fieri.

Matrimonium sicut cetera omnia alia sacramenta, est sacramentum communitatis christianae. Opportune celebratur in communitate, cum communitate et pro communitate. Hac ratione optandum est ut, in quantum fieri potest, celebretur in familia paroeciali ad quam pertinent nupturientes, in qua educati sunt vel in quam integrabuntur. Proinde valde convenit ut, post ipsos nupturientes, parochus sive per se sive per suum delegatum principalioris testis locum in celebratione matrimonii obtineat. Per illam ordinationem rerum maxime favetur ut pastoralis cura matrimonii et familiae in generalem pastoralem sollicitudinem inseratur.

6. Denique difficultatibus ex lege hactenus existente ortis aptius remediari potest per facultatem generalem ab Ordinario loci pro suo prudenti arbitrio concedendam.

His ante oculos habitis meo humili iudicio abstinendum est a retractatione canonum in iure hodierno existentium de forma celebrationis matrimonii ordinaria.

67

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Schema *de matrimonii sacramento* placet in eis, quae dicuntur. Melius tamen evaderet, si descriptio theologica vel dogmatica in eo contenta amplificaretur.

Praeter n. 1 omnia enim pertinent ad ordinem iuris. Fundamenta vero dogmatica plus minusve ut nota praesupponuntur et considerantur tantum ratione potestatis legislativae Ecclesiae in causis matrimonialibus. Plus sane de matrimonio praedicari non potest quam hoc: matrimonium esse sacramentum. Si vero haec consideratio matrimonii ut sacramenti illustraretur in intima connexione cum toto ordine salutis, magis poterit tota Ecclesiae doctrina de hac re, et quid vere sit sacramentum, in altiore ordine esse positum apparet. Veritates enim theologicae non tantum sunt fundamentum obligationum iuridicarum et moralium, sed etiam ratione sui summi momenti sunt. Quid valeat ipsum matrimonium christianum demonstrant.

Quaenam veritates de matrimonio in clariore luce poni possent? Ipsa gratia, praeter alia, semper connotat aliquam relationem inter personas, aliquam communicationem, communicationem nempe cum Patre per Christum in Spiritu Sancto; non tantum communicationem, sed etiam quamdam iam unionem. In hac consistit ipsum mysterium salutis: est enim mysterium unionis inter Deitatem et humanitatem in Christo Domino culmen mysterii salutis. Pariter consummatio finalis iure describitur ut summa quaedam communicatio et unio, in qua Deus est « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28).

Etiam nostrum Concilium de hac structura communicatoria ordinis salutis plurius egit, e. g. in constitutione *de sacra Liturgia,* in qua dicitur in art. 7 congregationem fidelium, tamquam ad ordinem salutis pertinentem, signari per praesentiam Christi, sec. illud Dominicum: « Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Ipsa Ecclesia est mysterium aliquod communicationis; est enim mysticum Christi Corpus, populus Dei, Sponsa Christi: quae omnia continent elementum communicationis cuiusdam et unionis.

Sacramentum communicationis eucharisticae est culmen ordinis sacramentalis et condicio, sine qua non sumus membra in sensu pleno Ecclesiae.

Ipsum quoque collegium episcoporum tamquam sacrosanctum quid hanc interiorem structuram communicatoriam Ecclesiae et salutis demonstrat, non ex voluntate nostra, sed ex natura sua, institutione scilicet Christi. Omnes hae relationes, communicationes, communiones pertinent ad ordinem personae, postulant traditionem quamdam integram personae ad personam. Persona enim ex intima sua natura sola esse nequit, compleri nequit sine amore, ut ipsum mysterium Sanctissimae Trinitatis demonstrat. Ita etiam Christus nos praecedit: Ego prius dilexi vos.

Matrimonium igitur non singularem quamdam condicionem tenet in ordine salutis, vel etiam sacramentario. Est enim sacramentum ex gratia Christi. Sed hoc non casu fit vel arbitrarie, sed ideo, quia matrimonium iam in se aptitudinem continet ad sacramentalitatem. Est enim intima coniunctio coniugum in ordine naturae et personae. Matrimonium sacramentum esse non solum significat agi de christianis matrimonio coniunctis, sed ipsum statum matrimonialem constitui in ordine salutis.

Sicut Ecclesia non consistere posset sine statu religiosorum et statu coelibatus, ita etiam non sine statu matrimonii, et hoc non ideo, quia matrimonium fons procreationis generis humani est, sed quia, non obstantibus eis, quae dicuntur in *1 Cor.* cap. 7, ipse status matrimonialis aliquis status essentialis ordinis salutis est, aliqua pars indispensabilis in ipsis thesauris Ecclesiae. Ex hac etiam ratione virginitas et maternitas in eo ordinantur intime ad invicem: Omnis mater virginitatis elementum in se conservat, sicut omnis virgo elementa maternitatis explicat. Haec ratio est, cur sorores in Ecclesia matres vocantur matres, nos vero patres.

Rogo, ut de his veritatibus aliquid plus dicatur in schemate reformato. Iis quae hodie dixit em.mus card. Döpfner de matrimoniis mixtis, etiam ego personaliter consentio. 81 subscriptiones Patrum die 18 secretariatui tradita.

68

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS VON STRENG
Episcopus Basileensis et Luganensis

Mihi valde placet, quod votum *de matrimonii sacramento* incipit a verbis quae « sacrum amoris foedus » efferunt. Ita enim exprimitur amorem esse qualitatem matrimonii omnino essentialem. Per consequens omnia quae de matrimonio dicenda aut quaerenda aut perscrutanda aut examinanda occurrunt, sub amoris respectu fieri oportet. Ex dicto matrimonii tamquam sacro amoris foedere descriptione derivari possunt sequentia:

1. Oportet ut ille amor tamquam vere christianus a fide promanet, secundum Sancti Pauli verba in *1 Cor.* 13 et *Eph.* 5, 21-32. Exsecutio seu realizatio primi et maximi mandati, scil. amoris erga Deum et proximum, in matrimonio conditionibus et exigentiis huius status conformari debet. Huius amoris exercitium totius vitae matrimonialis quodammodo anima est. Quo amore sano exsistente, et ipsum matrimonium erit sanum. Cuius amoris copia deficiente, matrimonii sanitas in periculum vocatur. Ab huius amoris vigore mensura felicitatis coniugum sumenda erit.

2. Amor ille, fide innixus, omnia quae ad matrimonium familiamque pertinent, complecti et compenetrare debet. Amor coniugum naturalis, quem amorem coniugalem vocant, virtute supernaturali amoris Dei et ipsorum coniugum fermentandus, integrandus, sanctificandus, perficiendus est. Ab hac exigentia nec sic dictus « eros » excipiendus est. Immo omnia dona naturalia et supernaturalia inter coniuges commutata a lege illius amoris libera non exstant, ita ut tandem unum totum oriatur amore dispositum, ordinatum, directum, nimirum sacrum amoris foedus.

3. Amor ille naturalis atque simul supernaturalis ex matrimonii instituto etiam unionem carnalem pervadere debet. Intentio prolis procreandae saepe et quidem licite ab hac unione abesse potest et procreatio ipsa reapse raro eam sequitur. Defectus autem amoris, ratione habita *naturae* matrimonii, contradicit ipsi connubio. Amor efficit, ut unio sit actus humanus huic statui congruus. Amor unionem praecedit, comitatur, perficit et intra fines temperantiae, iustitiae, castitatisque inviolati connubii continet et egoismum, qui non raro unionem carnalem dominatur, superare valet.

4. Amor christianus coniugum mentes quoad matrimonii finem socialem — in mandato Dei « crescite et multiplicamini » expressum — imbuat et dirigat. Eo dirigente, coniuges in eum prolis numerum inclinantur, qui eorum condicionibus spiritualibus materialibusque correspondet. Hoc amore animati, paratiores sunt ad generose suscipiendas abnegationes et sacrificia, prolis et procreandae et educandae officio inhaerentia.

5. Hic amor, fide conceptus et nutritus, difficultates quaslibet solvere iuvat. Coniuges, in eo radicati, divinam voluntatem adimplere et etiam in

discrimine conscientiae a via Domini, magisterio Ecclesiae eiusque doctrina lucem praeferente, non declinare serio student.

6. Haec ratio matrimonium sub aspectu amoris contemplandi, nullatenus avertit oculos ab asserendis Dei iuribus in coniuges; e contra, amore isto vigente et coniuges quam intime pervadente, fit, ut coniuges magis magisque amoris perfectionem appetant, et, corde haud diviso, Deo adhaereant, vitae sanctitatem statui matrimoniali adaptatam colentes atque divi Pauli exhortationem sacra Liturgia vitae familiari sequentes: « Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet quaerelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote » (*Col.* 3, 12 ss. uti habetur in festo S. Familiae I. M. I.). Caritate amoreque perfusi, coniuges, licet intime inter se uniti, nihilominus mundo exhibebunt speculum quoddam perfectionis matrimonialis quam Apostolus inculcat: « Hoc itaque dico — inquit — fratres: Tempus breve est, reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi » (*1 Cor.* 7, 29-31).

7. In Novo Testamento Christus matrimonium uti imaginem amoris sui erga Ecclesiam dignitate sacramenti auxit. Haec qualitas sacramentalis amori humano vim soliditatemque supernaturalem praestat, ita ut matrimonium coniugum christianorum paulatim imago amoris, quo Christus et Ecclesia coniunguntur, fiat. Proprietas sacramentalis omnia quae ad matrimonium amoremque coniugalem pertinent, attingit et ea dignitatis sacramenti participant.

Conclusiones: 1. Omnibus matrimonii problematibus sub respectu amoris solutio quaeratur.

2. Instructio pastoralis sponsorum coniugumque his considerationibus imbuatur et in ea ratio amoris primum locum teneat.

3. Nec a legislatione ecclesiastica de matrimonio amoris debita mentio exsulet, nam ius Ecclesiae perfectioni status matrimonialis quae absque amore habere nequit, inservire debet.

Ad n. 1. Ad indolem Sacramenti melius demonstrandam adiungimus sequentia: S. Paulus loquitur de aliqua relatione coniugum christianorum cum matrimonio spirituali inter Christum et Ecclesiam. Verba S. Pauli in Epistola ad *Eph.* 5, 32, seorsim sumpta, indolem sacramentalem matrimonii probare non videtur (traductio in linguam latinam cum verbis « sacramentum magnum » hunc sensum simpliciter non habet). Una tamen cum doctrina Concilii Tridentini matrimonium esse sacramentum, verba haec S. Pauli viam ad demonstrandam sacramentalitatem matrimonii ostendunt, et hoc eo certius, quia theologice constat omnia sacramenta vivam relationem et intimam

unionem cum Christo efficere. Cum haec relatio sit intima et viva, coniuges christiani participant dignitatem, gratiam et amorem Christi, qui est sponsus Ecclesiae, et Ecclesiae tamquam sponsae Christi; hoc est: sponsi accipiunt augmentum gratiae sanctificantis, amoris supernaturalis iusque ad gratias actuales ad implenda officia coniugum et parentum. Sic sacramentum quoque matrimonii gratias speciales continet. Sicut in sacramento baptismatis homo ut membrum cum Christo Capite vitaliter iungitur, ita per sacramentum matrimonii cum Christi et Ecclesiae foedere uniuntur. Ex qua unione sequitur, ut coniuges matrimonio perdurante debent magis ac magis Christi cum Ecclesia foederi sese assimilare et ita ad perfectionem sanctitatis matrimonialis tendere.

Ad n. 8, linn. 21-27, pag. 15. Textus ibidem indicatus sic reformetur: « Ad parentes *quoque* imprimis pertinet tum prudenter et gradatim et tempestive filios instituere quoad *arcana* vitae propagandae; tum *satagere* ut filii discant *amorem veri nominis, quippe qui sit donum Dei Creatoris, magni facere, neve amicitiis quae dicuntur iuvenilibus, praesertim praematuris, vim et virtutem amoris dissipent* ». *Ratio*: 1. Addatur illud *quoque*; nam de facto sub a) *secunda* allegatur parentum obligatio.

2. Loco « mysterium » dicatur « arcana »; siquidem iam in commissione praeparatoria inter membra dubium de recto usu verbi « mysterii » motum est. Inter lingua germana utentes mos adhibendi verbum « mysterii » in huiusmodi textu et contextu viget, sed vix inter alios. De vitae propagandae *arcanis* rectius loqui posse videmur.

3. Occurrente iam verbo curandi in linn. 19-20, aliud hic eligamus vocabulum, scil. *satagere*.

4. Tota parentum praeoccupatio erit, ne filii mentem habeant confusam circa vim naturae insitam temporeque pubertatis effervescentem quae *eros* nomine appellatur, neve eadem abutantur. Est enim donum Dei Creatoris genus humanum perpetuare volentis, donum, dico, quod sane praetiosum est, sed evanescere potest et cuius vis et virtus obruuntur abusu illarum amicitiarum. (Vocationum sacerdotalium et religiosarum diminutio magna ex parte ex hoc abusu provenit!). Textus autem schematis falso de amore seu caritate erga proximum loqui videtur.

Ea qua par est observantia humiliter propono, ut textui schematis *de matrimonio,* iuxta votum a me prolatum, ad n. 8 pag. 16 sub litt. C haec quae sequuntur vel similia inserantur:

Amor est qualitas matrimonii ita essentialis, ut eius exercitium quodammodo anima sit totius vitae matrimonialis. Oportet ut ille amor tamquam vere christianus a fide promanet (cf. *1 Cor.* 13; *Eph.* 5, 21-32). Exsecutio primi et maximi mandati (*Mt.* 22, 34-40) exigentiis multiformibus huius status conformari debet. Amore sano exsistente, et ipsum matrimonium fidelitatis vigore floret. Quo maior defectus amoris fuerit, eo minor casti connubii soliditas erit. Amor naturalis ad quam etiam id pertinet quod vulgo « eros » vocatur, virtute supernaturali caritatis erga Deum et proximum

fermentandus, integrandus, perficiendus est. Ipsam unionem carnalem amor ille naturalis simulque supernaturalis pervadere debet. Amor unionem istam ordinat et perficit dignamque facit hominibus qui verbo Dei ducuntur: « Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus » (*Hebr.* 13, 4). Amore christiano coniugum mentes voluntatesque in matrimonii finem quem dicunt socialem, nempe in Dei mandato « crescite et multiplicamini » expresse, fortiter suaviterque inclinantur atque paratae inveniuntur ad generose suscipiendas abnegationes et sacrificia, et prolis procreandae et (prolis) educandae inhaerentia. Vi amoris, fide concepti et nutriti, difficultates vitae matrimonialis superare et a via Domini, magisterio Ecclesiae eiusque doctrina lucem praeferente, non declinare ediscunt. Amore iste plenius vigente fit, ut coniuges caritatis perfectionem magis magisque appetant, et, corde haud diviso, Deo intimius adhaereant, vitae sanctitatem statui matrimoniali adaptatam colentes atque S. Pauli exhortationem sequentes (*Col.* 3, 12 ss.; qui textus signanter in festo S. Familiae legitur). « Ita enim exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant, et foecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores exsistunt, in signum et participationem illius dilectionis, qua Christus sponsam suam dilexit seque pro ea tradidit » (Const. *De Ecclesia,* pag. 44). Fructus tandem copiae caritatis et amoris erit prompta intelligentia qua coniuges, licet intime inter se uniti, corde percipiunt verba Apostoli, indolem eschatologicam mundi efferentis: « Tempus breve est: reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint ... praeterit enim figura huius mundi » (*1 Cor.* 7, 29-31).

Episcopus Basileensis paucis mensibus abhinc quaestionibus propositis *opiniones cleri dioecesis suae* curae animarum navantis — numero ad 900 in 34 vicariatus foraneos distributi — quoad praxim circa matrimonia mixta in posterum sequendam exploratus est; et quidem hoc eventu:

1. *Concernens formam hucusque imperatam* (matrimonia non valida, nisi coram ministro catholico inita): Permagna pars cleri renuit validitatem omnibus matrimoniis extra Ecclesiam initis et ineundis simpliciter addicendam; maior eius pars tamen desiderat, ut in casibus singularibus exceptiones (ab episcopo) concedantur.

Aliqui vicariatus opinantur agnitionem validitatis omnibus matrimoniis coram ministris ecclesiasticis (etiam acatholicis) initis — non autem mere civiliter initis — concedendam esse; pauci validitatem matrimoniorum extra Ecclesiam initorum accipiunt, liceitatem vero denegant.

2. *Concernens cautiones* (can. 1061). Maxima cleri pars desiderat, ut cautiones etiam in posterum praestentur; aliqui tamen proponunt, ut promissio prolis catholice educandae soli parti catholicae coniugum detur, alii ne in scriptis exigatur. Cautionibus vero praestandis conscientia partis acatholicae coniugum ne laedatur.

3. *Concernens excommunicationes ad mentem can. 2319.* Fere unanimiter exigitur, ut excommunicationes abrogentur.

4. *Concernens missam celebrandam.* Multo maior pars opinatur missae celebrationem concedendam esse, si a parte sponsorum acatholica desideratur.

5. *Concernens sollemnitatem nuptialem aliqualem in templo acatholico* (post nuptias in facie Ecclesiae). Opiniones, an concedenda sit, divisae sunt.

6. *Concernens nuptias mixtas etiam in posterum praecavendas.* Omnes vicariatus opinantur curam animarum id agere debere etiam in posterum, ut fideles, quantum possunt, a nuptiis mixtis absterreantur.

7. *Concernens curam animarum ante et post nuptias mixtas.* Hanc curam maximi momenti esse, ab omnibus agnoscitur. Inter media ad praecavenda matrimonia mixta (instructio, educatio) et illud enumeratur: iuvenibus catholicis talem consuetudinem (milieu) procurandam esse quae matrimonia mere catholica facilitet.

Inter media curae animarum coniugum mixtorum commendantur, ut animarum pastores consuetudine eis iuncti sint, eos domi discrete visitent eosque benignitate et amore prosequantur.

8. *Concernens cooperationem cum ministris acatholicis.* Fere omnes vicariatus foranei cooperationi cum pastoribus acatholicis ad mentem oecumenismi ad praecavenda matrimonia mixta consentiunt, nisi indoles pastoris acatholici aliud suadeat.

69

EXC.MUS P. D. VILLELMUS GORDON WHEELER
Episcopus tit. Theudalensis, coad. c.i.s. Medioburgensis

Medicus catholicus in dioecesi Medioburgensi (Anglia) John Joseph McGrath, M.B., 77, Bolckow Road Granetown Middlesbrough, Yorks, Inghilterra, tenet sententiam ut usum medicinae suppressivae quae ovulationem obviant ad incrementum lactationis et quae involutionem completam mulieris post partum assistant, transgressionem legis Dei naturaeque non constituerunt. Tenet etiam sententiam ut perioda haec fere duo anni protrahere possit in quibus infantes sustinentiam habere maternam possint.

Forsan igitur solutio ad problema populationis etc. sit.

70

EXC.MUS P. D. IOANNES WILLEBRANDS
Episcopus tit. Maurianensis

Omnes nos, carissimi Fratres, scimus matrimonia mixta situationes gravissimas et doloribus plenas gignere tam pro Ecclesia catholica quam pro omnibus Ecclesiis et communitatibus christianis. In multis talibus matrimo-

niis, erga religionem indifferentismus instauratur; saepe infantes et parentes nexum cum Ecclesia et fide christiana amittunt.

Certo matrimonia mixta, speciatim illa in quibus ambo coniuges Ecclesiis suis fideles remanent et fidem christianam profitentur, particularem occasionem praebent in qua Ecclesiae et communitates christianae in concreto aliae aliis adsunt; etenim relationes inter Ecclesias ab invicem seiunctas exprimendae sunt quotidie per illos coniuges infantesque in coniugali amoris et unitatis intima familiaritate.

Magnae difficultates, quas haec condicio includit, specialiter circa fidem ipsam, rationes dant cur generaliter omnes Ecclesiae ab his matrimoniis fideles suos praecavent et arcent. Attamen matrimonia mixta non semper vitari possunt, immo, quia ius ad matrimonium naturale et fundamentale est, in regionibus quibusdam propter condiciones concretas necessaria sunt, atque tum in bonum individuorum tum in bonum Ecclesiae et Societatis duci debent.

In his matrimoniis non solum individuales personae, sed aliquo modo Ecclesiae ipsae vel communitates ecclesiales ad invicem sese habent; nam individualium personarum conscientia per Ecclesiarum praedicationem informatur; sacerdotes et pastores legitimam vicem tenent ut contrahentes tali matrimonio sese praeparent, animarum curae ope quae in his circumstantiis tam necessaria est.

Sed praesertim agitur hic de sacramento matrimonii, sacramenta autem non individuorum sed Ecclesiae sunt. Et in permultis casibus ambo contrahentes ad Ecclesiam vel Communitatem ecclesialem pertinent quae matrimonium ut sacramentum agnoscit et administrat.

Quamvis omnes Ecclesiae generaliter a matrimoniis mixtis arcent propter pericula et tribulationes peculiares proprias, matrimonia ista in iis circumstantiis, ubi nec vitari possunt nec debent, eo vel magis sacramento matrimonii confirmari et benedici debent. Sacramenta enim propter homines. Sacramentum matrimonii est signum nexus inter Christum et Ecclesiam. Gratia sacramenti amor mutuus et vita coniugalis sanctificatur, infirmitas humana roboratur, fides augetur. Virtuti huius sacramenti quod ab apostolo vocatur « magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32) magis credere oportet quam rationibus humanis.

Si tamen ista matrimonia gratia sacramenti privantur, tunc periculum fidei et tribulationes augentur, conscientiae nimis onerantur, coniuges magis a cura pastorali Ecclesiae amoventur et multi Ecclesiae pereunt.

Ex hoc iam sequitur in Ecclesiae legislatione omnia vitanda esse quae coniugi non-catholico iniuriosa vel gravia esse possent, sicut expressio: « secta acatholica » (can. 1060); schemata constitutionis *de Ecclesia* et decreti *de Oecumenismo,* pluria recentiora pontificalia documenta verbis utuntur: « Ecclesiae », vel « Communitates ecclesiales », vel « ecclesiasticae ». Idem dicendum est de hoc vocabulo: « perversionis periculum », propter moralem sensum vocis « perversio » in modernis linguis. Immo, loco prae-

scripti can. 1062 pro coniuge catholico « conversionem coniugis acatholici prudenter procurandi », in memoriam revocanda esset exigentia de fide sua testimonium reddendi verbis et praesertim vita, semper in mutua reverentia, caritate et libertate. Possibile videbitur prohibitionem « bannarum » (can. 1026) auferre, quando secundum Ecclesiae dispositiones matrimonium celebrabitur. Haec autem et alia similia accidentalia et mutatione facilia videntur.

Legislatio ecclesiastica circa matrimonia mixta indolem pastoralem induere debet. Lex hodie vigens intentionem habet ut fideles a matrimoniis mixtis arceantur et ita numerus istorum matrimoniorum minuatur. Sed bene scimus, hanc legem hodie in pluribus casibus talem efficacitatem non habere et forsitan numquam habuisse. Statistice constat numerum matrimoniorum mixtorum in aliquibus regionibus talem esse ut augeri vix possit. Si tamen lex pastoralis finem intentum non attingit, et inefficax evadit, tunc facile in damnum magnum pastorale ducit. Hoc specialiter valet de lege tam severa, quae ius hominis ad matrimonium tangit.

De facto hodie hac lege sat multi catholici a sacramentis paenitentiae et Eucharistiae arcentur, animo exasperato contra Ecclesiam incitantur, immo ab Ecclesia amoventur. Hoc certe non ubique eodem modo fit, sed obligatione tenemur mentem nostram ad hunc gravem statum rerum vertere. De facto etiam hac lege severa connubia multa potius dissolvuntur quam uniuntur. Notum est separationes multo frequentiores esse in matrimoniis mixtis. Statistice cum magna probabilitate probari potest, inter causas huius facti adnumerandam esse hanc quoque legem ecclesiasticam quae validitatem matrimoniorum, quae tum ab aliis ecclesiis et communitatibus ecclesiasticis, tum a societate humana ut vera matrimonia habentur, impedit.

Propositiones, a commissione factae in schemate, viam aperiunt ad meliorem solutionem difficultatum quae matrimonia mixta praebent. Ergo approbandae esse mihi videntur. Solutio perfecta possibilis non est, quia matrimonium mixtum difficultatem intrinsecam habet.

Ad duo puncta specialiter animum advertere vellem:

Secus ac in tempore Concilii Tridentini, hodie problema non est de matrimoniis clandestinis. Problema nostris diebus est potius de intentionibus contrahentium. Nam omnes quidem matrimonia in forma publica contrahunt, attamen in pluribus regionibus matrimonia coram magistratu civili canonice invalida evenire possunt propter defectum consensus iam iure naturali requisiti. Seriae enim dubitationes insurgunt, utrum partes contrahentes revera iura et obligationes assumere volebant cum matrimonio essentialiter coniunctas, v. g. indissolubilitatem. In praxi certitudo de his rebus inveniri non potest, nisi per examen sponsorum ante celebrationem matrimonii haec certitudo a sacerdote acquisita fuerit.

Secundo, quia in matrimoniis mixtis non tantum duo homines individui sed et ipsae Ecclesiae ad invicem se habent, maxime nobis interest, ut Ecclesiae et Communitates ecclesiales nobis doctrinam suam testificentur, non

tantum de casu speciali matrimonii mixti, sed generaliter de natura matrimonii et de eius indissolubilitate. Matrimonium quod pro catholicis, pro orthodoxis, pro vetero-catholicis et pro multis aliis christianis sacramentum, pro omnibus vero christianis res sacra est, inter Ecclesias obiectum dialogi esse debet.

Principia enuntiata in schemate lege confirmari et applicari debent. Tali lege non tantum personarum catholicam eiusque conscientiam sed etiam noncatholicam tangimus. Antequam lex constituitur dialogus cum fratribus separatis de hac re mihi optabilis videtur.

71

Exc.mus P. D. CAESAR ZERBA

Archiepiscopus tit. Colossensis

[*Cf. supra 54, pag. 743-744*].

Ad praefatas animadversiones enucleandas huic folio adnectendum censeo *studium quoddam* accurate confectum super consanguinitate relate ad matrimonia a sacerdote doct. Antonio Moroni apud « Istituto di genetica dell'Università di Parma », quod inscribitur « Fondamento e valore eugenico della legislazione canonica sulla consanguineità » nuper editum. Studium huiusmodi valde praestat ut tradatur ad commissionem pro novo Codice I. C. redigendo.

Opera autem eiusdem auctoris progressu temporis prodibit aliud studium confectum super omnibus matrimoniis inter consanguineos in Italia initis ab anno 1908 usque ad annum 1964, nempe intra spatium 56 annorum, ex quo maxima cum appropinquatione anomaliae tum physicae tum psychicae apparebunt, quae ex istis connubiis in filios promanarunt.

Prima vice ab orbe condito tantae amplitudinis et cum tam ingenti apparatu ad normam regularum scientiae modernae geneticae studium huiusmodi confectum fuit per diligens examen omnium dispensationum matrimonialium concessarum a Sacra Congregatione De Sacramentis, quae singillatim expensae sunt in Tabulario eiusdem S. Congregationis. Summa vero huius amplissimae inquisitionis agnoscetur proximis adventantibus annis.

Proponitur quod integrum comma relatum in pag. 14, n. 6, litt. *b*), linn. 15-22 expungatur.

Rationes autem hae sunt:

Forma proposita occasionem dare potest gravissimis incommodis: confusionibus, levitatibus, deminutioni sensus pastoralis et auctoritatis parochi ipsius; insuper quilibet sacerdos valeret matrimoniis assistere cum ignorantia praescriptionum servandarum et similia.

Praeterea si nonnulla incommoda accidere possunt sub regimine formae canonicae, qua nunc utimur, et quae utpote nimis arcta quibusdam Patribus visa est, et relaxatione indigere, eo maiora praevideri queunt si introducetur

nova proposita forma, quae minus implexa et magis expedita nuncupatur; quaeque iuxta mentem Patrum eam proponentibus ordinata est ad praecavendas fere omnes, uti censent, nullitates connubiorum in futurum; quapropter intentio a Patribus istis praevisa, vitandi nempe in posterum matrimonia clandestina, in irritum cederet.

Ratio enim praecipua cur nova ista proponitur forma est repetenda a nullitate nonnullorum connubiorum, quae quandoque accidit ex inobservantia formae actualis a Codice I. C. statutae.

Sed heic videtur bene posse exclamari « Trepidaverunt timore ubi non erat timor » quoad istos Patres, qui novam formam proponere satagunt.

Casus enim nullitatis matrimonii, qui quotannis accidere solent in universo catholico orbe, quod attinet ad fideles latini ritus, ex defectu assistentiae in sacerdote, collati cum numero connubiorum quae contrahuntur, perpauci sane numerantur.

Isti casus, paucis aliis exceptis, quorum sanationi consulitur per Ordinarios locorum vi facultatum, quibus fruuntur, singillatim deferuntur pro sanatione ob defectum delegationis in sacerdote assistente ad S. Congregationem de Sacramentis. Porro ex diligenti examine peracto in Tabulario eiusdem S. Congregationis ad sequentes reducuntur:

Anno 1945 sanationes postulatae sunt n. 170;
Anno 1946 sanationes postulatae sunt n. 194;
Anno 1947 sanationes postulatae sunt n. 201;
Anno 1948 sanationes postulatae sunt n. 185;
Anno 1949 sanationes postulatae sunt n. 174;
Anno 1950 sanationes postulatae sunt n. 193;
Anno 1955 sanationes postulatae sunt n. 190;
Anno 1956 sanationes postulatae sunt n. 189;
Anno 1957 sanationes postulatae sunt n. 205;
Anno 1958 sanationes postulatae sunt n. 210;
Anno 1959 sanationes postulatae sunt n. 196;
Anno 1960 sanationes postulatae sunt n. 182.

Istud rationarium (vulgo *statistica*) confectum est per sex annos, qui, praecesserunt notam Responsionem Pont. Commissionis Codicis quoad errorem communem diei 26-III-1952 et per sex annos, qui eam subsecuti sunt.

Animadvertendum insuper est quod in pluribus istis casibus pro sanatione sibi delatis S. Congregatio rescripsit eos sanatione non indigere, quia matrimonia valida reperti fuerunt.

Igitur nihil invenitur tam abnorme et mirum, quod suadeat novae canonicae formae inductionem in celebratione matrimoniorum: hic tam parvus numerus sanationum in radice si conferatur cum tot centies centena millia matrimoniorum, quae quotannis celebrantur in universo catholico orbe inter fideles latini ritus, est omnino parvipendendus neque tale constituit incommodum, cui medendo nova forma induci oporteat.

In commate descripto a valida assistentia excluduntur sacerdotes, qui in ipso memoratis censuris sunt innodati; insuper etiam qui sunt ab Episcopo prohibiti; sed quot alii sacerdotes inveniri possunt praesertim in magnis urbibus prudentia carentes, laevae mentis, fatui, pecunia cupidi et similes istis, qui a callidis nupturientibus dolo aut circumventione allici possunt, data pecunia, ad matrimonio adsistendum, praesertim quando haec matrimonia vetita sint ab Ordinario iustis equidem de causis? Ita potest evenire quando et nuptiae sint prohibitae ex impedimento raptus, ob legitimam parentum recusationem, ob impedimentum dirimens dubiae fraternitatis et in aliis casibus abnormibus.

Concludendum ideo censeo hodiernam matrimonii formam canonicam non esse immutandam atque novam per memoratum comma propositam esse reiciendam.

SESSIO PUBLICA V

21 novembris 1964

SESSIO PUBLICA V

21 novembris 1964

1

Processio et Missa

Missa de festo Praesentationis B. M. V. concelebrata est a Summo Pontifice Paulo VI cum 24 Patribus, secundum ritum latinum descriptum in fasciculo cui titulus: *Ordo concelebrationis clausurae tertiae Sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II, die 21 novembris 1964.*

Cum Summo Pontifice concelebraverunt Patres habentes in dioecesi vel in ditione sua quoddam insigne sanctuarium marianum (infra indicatum post nomen et titulum uniuscuiusque concelebrationis): em.mus D. Ioseph card. Garibi y Rivera, arch. Guadalajarensis in Mexico (Guadalupe); beat.mus D. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum in Palaestina (Nazareth); exc.mi DD. Ioseph Walsh, arch. Tuamensis in Hibernia (Knock); Abel Antezana y Rojas, arch. Pacensis in Bolivia (Copacabana); Michaël Gonzi, arch. Melitensis in Melita Insula (Mellieha); Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon (Tewatta); Patricius O'Boyle, arch. Vashingtonensis in Stat. Foed. Amer. Sept. (Immacolata); Leo Stephanus Duval, arch. Algeriensis in Algeria (N. D. D'Afrique); Primus Principi, arch. tit. Tyanensis in Italia (Santa Casa di Loreto); Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus in Hispania (N. S. del Pilar); Antonius Ferreira de Macedo, arch. tit. Gangrensis in Brasilia (Aparecida); Petrus Théas, ep. Tarbiensis et Lourdensis in Gallia (Lourdes); Thomas Leo Parker, ep. Northantoniensis in Anglia (Walsingham); Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio (Sanctuaires Belges); Georgius Leo Pelletier, ep. Trifluvianensis in Canada (N. D. du Cap); Ioseph Schoiswohl, ep. Grecensis-Seccoviensis in Austria (Mariazell); Matthias Wehr, ep. Trevirensis in Germania (Maria Laach); Rajarethinam A. Sundaram, ep. Tanjorensis in India (Velangani); Ioannes Pereira Venancio, ep. Leiriensis in Lusitania (Fatima); Michaël Ntuyahaga, ep. Usumburaënsis in Burundia (Mugera); Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis in Polonia (Czestochowa); Aloisius Tomé, ep. Mercedensis in Argentina (N. S. de Lujan); Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis, coad. s. d. Quitensis in Aequatoria (El Quinche); rev.mus

P. Raymundus Tschudy, O.S.B., abbas Nullius Einsiedlensis in Helvetia (Einsiedeln).

Exc.mis archiepiscopis, episcopis, ceterisque Patribus propria subsellia in Aula conciliari iam occupantibus, Summus Pontifex ingressum facit in Basilicam Vaticanam, comitantibus em.mis cardinalibus et exc.mis patriarchis necnon Patribus concelebrantibus, dum chorus et omnes praesentes cantant antiphonam *Tu es Petrus* alternatim cum versiculis ps. 131.

Post brevem orationem ad altare papale, Summus Pontifex, alternatim cum concelebrantibus omnique populo, preces ad gradus altaris dicit. Prosequitur ritus modo indicato in *Ordine concelebrationis* ...

Rev.mus P. D. Emmanuel Bonet y Muixi, auditor S. R. Rotae, ad legile, Epistolam legit.

Primus e concelebrantibus, em.mus D. Ioseph card. Garibi y Rivera, Evangelium legit.

Ad offertorium, chorus Cappellae Sixtinae, alternantibus Patribus in cantu gregoriano, cantat *Salve Regina.*

Idem chorus, durante concelebrantium communione, cantat *O Sacrum convivium,* et, alternantibus Patribus in cantu gregoriano, *Ubi caritas et amor.*

Sollemni benedictione a Summo Pontifice impertita, missa finitur.

Paramentis depositis, Papa ad solium accedit, dum concelebrantes sua loca in aula petunt.

2

Approbatio et proclamatio decretorum

Post missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres cantant *Christus vincit* cum ps. 116.

Dein P. D. Alfredus Ottaviani, card. primus diaconus, intimavit: Orate.

Omnes genuflectunt.

Summus Pontifex: Adsumus Domine ... una cum Patribus.

Card. diaconus: Levate.

Chorus: Exaudi nos Domine (6 vocibus, auctore Bartolucci).

Summus Pontifex: Mentes nostras ... Da quaesumus ...
Veni Creator Spiritus.

Chorus hymnum prosecutus est (4 vocibus, auctore Bartolucci) alternatim modo gregoriano cum Patribus.

Summus Pontifex: ℣ Protector noster aspice Deus.
℟ Et respice in faciem Christi tui.

℣ Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
℟ Et renovabis faciem terrae.
℣ Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.
℟ Et de Sion tuere nos.
℣ Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣ Domine, exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere; et de eius semper consolatione gaudere.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genetrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus sanctis, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

Receptis documentis a Summo Pontifice, exc.mus P. D. Pericles Felici, *secretarius generalis Ss. Concilii,* ad ambonem accedit ac legit:

Paulus Episcopus, Servus servorum Dei, una cum sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Dogmatica de Ecclesia

Cum venia Beatissimi Patris, lego tantum initium et finem cuiusque capitis [*cf. pag. 784 ss.*]. Ita explicit Constitutio, Patres venerabiles. Quaeritur a vobis: *placet*ne an *non placet?* Velint exc.mi subsecretarii Concilii una cum scrutatoribus adesse operationibus suffragii easque invigilare.

[*Intervallum*] Dum exspectatur exitus suffragationis, chorus exsequitur cantum *Confitebor tibi, Domine,* 5 vocibus, auctore Palestrina.

Secretarius generalis:

Paulus Episcopus, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de Ecclesiis Orientalibus Catholicis

[*Cf. pag. 837 ss.*]. Patres venerabiles, *placet*ne vobis an *non placet* decretum modo lectum?

[*Intervallum*]. Dum exspectatur exitus suffragationis, chorus exsequitur cantum *Ave Maria.*

Secretarius generalis:

Paulus Episcopus, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de Oecumenismo

[*Cf. pag. 845 ss.*]. Venerabiles Patres, *placet*ne an *non placet* Decretum modo perlectum?

[*Intervallum*]. Dum exspectatur exitus suffragationis, chorus exsequitur cantum *Oremus pro Pontifice nostro Paulo ...*

Exc.mus secretarius generalis accedit ad solium et, coram Summo Pontifice genuflexus, ipsi nuntiat exitum suffragationis super constitutione dogmatica *de Ecclesia.*

Beatissime Pater, constitutio dogmatica *de Ecclesia* placuit Patribus 2151, 5 dissentientibus. [*Omnes plaudunt*].

Surgant omnes, sine mitra!

Summus Pontifex: In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti:

Constitutio dogmatica *de Ecclesia,* quae in hac Sacrosancta et Universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta est, placuit Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo nobis tradita potestate, illam, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*plausus*].

Dum exspectatur exitus suffragationum super duobus Decretis, cantus exsequuntur: Chorus: *Exsultate Deo adiutori nostro;* Patres: *Salve Regina* (in cantu gregoriano); *Magnificat* (in cantu gregoriano, 8 G sollemni); Chorus (Patribus alternantibus in cantu gregoriano): *Ave Maris Stella.*

Secretarius generalis: Beatissime Pater, decretum *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis* placuit Patribus 2.110, dissentientibus 39. [*plausus*].

Decretum vero *de Oecumenismo* placuit Patribus 2.137, dissentientibus 11. [*plausus*].

Surgant omnes!

Summus Pontifex: In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti:

Decreta, quae in hac Sacrosancta et Universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta sunt, placuerunt Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*plausus*].

Secretarius generalis: Audiant omnes! Pro decreto *de Ecclesiis Orientalibus catholicis,* Summus Pontifex statuit vacationem legis duorum mensium, facta tamen facultate patriarchis illam iusta de causa reducendi vel prorogandi.

Ill.mus D. Ioannes Baptista Ferrata, advocatus consistorialis, promotor Ss. Concilii, accessit ad Summum Pontificem et dixit:

Rogantur Protonotarii Apostolici hic praesentes, ut velint super Constitutionem et Decreta, nuper lecta et a Beatissimo Papa nostro Paulo VI adprobata una cum Venerabilibus Concilii Patribus, unum vel plura instrumentum vel instrumenta conficere ad perpetuam rei memoriam.

Rev.mus D. Franciscus Hannibal Ferretti, decanus Collegii Protonotariorum Apostolicorum: Conficiemus, vobis testibus.

Secretarius generalis: Audiant iterum omnes, et sedeant! Attentis multarum regionum difficultatibus quoad ieiunium eucharisticum, Summus Pontifex, petitionibus episcoporum benigne annuens, concedit ut hoc ieiunium, quoad cibos solidos dumtaxat, reducatur ad unam tantum horam ante Sacram Communionem [*plausus*] et quidem tum pro sacerdotibus, tum pro fidelibus. Dixi. [*plausus*].

3

Constitutio Dogmatica
DE ECCLESIA

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
UNA CUM SACROSANCTI CONCILII PATRIBUS
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CAPUT I
DE ECCLESIAE MYSTERIO

1. Lumen gentium cum sit Christus, haec Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto congregata, omnes homines claritate Eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminare vehementer exoptat, omni creaturae Evangelium annuntiando (cf. *Mc.* 16, 15). Cum autem Ecclesia sit in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis, naturam missionemque suam universalem, praecedentium Conciliorum argumento instans, pressius fidelibus suis et mundo universo declarare intendit. Condiciones huius temporis huic Ecclesiae officio urgentiorem vim addunt, ut nempe homines cuncti, variis hodie vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniuncti, plenam etiam unitatem in Christo consequantur.

2. Aeternus Pater, liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, mundum universum creavit, homines ad participandam vitam divinam elevare decrevit, eosque lapsos in Adamo non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens, intuitu Christi, Redemptoris, « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae » (*Col.* 1, 15). Omnes autem electos Pater ante saecula « praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit Ipse primogenitus in multis fratribus » (*Rom.* 8, 29). Credentes autem in Christum convocare statuit in sancta Ecclesia, quae iam ab origine mundi praefigurata, in historia populi Israel ac foedere antiquo mirabiliter praeparata,[1] in novissimis temporibus constituta, effuso Spiritu est manifestata, et in fine saeculorum gloriose consummabitur. Tunc autem, sicut apud sanctos Patres legitur, omnes iusti inde ab Adam, « ab Abel iusto

---

[1] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 64, 4: *PL* 3, 1017. *CSEL* (HARTEL), III B, p. 720; S. HILARIUS PICT., *In Mt.* 23, 6: *PL* 9, 1047; S. AUGUSTINUS, *passim*; S. CYRILLUS ALEX., *Glaph. in Gen.* 2, 10: *PG* 69, 110 A.

usque ad ultimum electum »[2] in Ecclesia universali apud Patrem congregabuntur.

3. Venit igitur Filius, missus a Patre, qui nos in Eo ante mundi constitutionem elegit ac in adoptionem filiorum praedestinavit, quia in Eo omnia instaurare sibi complacuit (cf. *Eph.* 1, 4-5 et 10). Christus ideo, ut voluntatem Patris impleret, regnum caelorum in terris inauguravit nobisque Eius mysterium revelavit, atque oboedientia sua redemptionem effecit. Ecclesia, seu regnum Christi iam praesens in mysterio, ex virtute Dei in mundo visibiliter crescit. Quod exordium et incrementum significantur sanguine et aqua ex aperto latere Iesu crucifixi exeuntibus (cf. *Io.* 19, 34), ac praenuntiantur verbis Domini de morte sua in cruce: « Et Ego, si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad Meipsum » (*Io.* 12, 32 gr.). Quoties sacrificium crucis, quo « Pascha nostrum immolatus est Christus » (*1 Cor.* 5, 7), in altari celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur. Simul sacramento panis eucharistici repraesentatur et efficitur unitas fidelium, qui unum corpus in Christo constituunt (cf. *1 Cor.* 10, 17). Omnes homines ad hanc vocantur unionem cum Christo, qui est lux mundi, a quo procedimus, per quem vivimus, ad quem tendimus.

4. Opere autem consummato, quod Pater Filio commisit in terra faciendum (cf. *Io.* 17, 4), missus est Spiritus Sanctus die Pentecostes, ut Ecclesiam iugiter sanctificaret, atque ita credentes per Christum in uno Spiritu accessum haberent ad Patrem (cf. *Eph.* 2, 18). Ipse est Spiritus vitae seu fons aquae salientis in vitam aeternam (cf. *Io.* 4, 14; 7, 38-39), per quem Pater homines, peccato mortuos, vivificat, donec eorum mortalia corpora in Christo resuscitet (cf. *Rom.* 8, 10-11). Spiritus in Ecclesia et in cordibus fidelium tamquam in templo habitat (cf. *1 Cor.* 3, 16; 6, 19), in eisque orat et testimonium adoptionis filiorum reddit (cf. *Gal.* 4, 6; *Rom.* 8, 15-16 et 26). Ecclesiam quam in omnem veritatem inducit (cf. *Io.* 16, 13) et in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit ac dirigit, et fructibus suis adornat (cf. *Eph.* 4, 11-12; *1 Cor.* 12, 4; *Gal.* 5, 22). Virtute Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat et ad consummatam cum Sponso suo unionem perducit.[3] Nam Spiritus et Sponsa ad Dominum Iesum dicunt « Veni! » (cf. *Apoc.* 22, 17).

Sic apparet universa Ecclesia sicuti « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».[4]

---

[2] Cf. S. Gregorius M., *Hom. in Evang.* 19, 1: *PL* 76, 1154 B; S. Augustinus, *Serm.* 341, 9, 11: *PL* 39, 1499 s.; S. Io. Damascenus, *Adv. Iconocl.* 11: *PG* 96, 1357.

[3] Cf. S. Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 24, 1: *PG* 7, 966 B; Harvey 2, 131; ed. Sagnard, *Sources Chr.*, p. 398.

[4] S. Cyprianus, *De Orat. Dom.* 23: *PL* 4, 553; Hartel, III A, p. 285. S. Augustinus, *Serm.* 71, 20, 33: *PL* 38, 463 s.; S. Io. Damascenus, *Adv. Iconocl.* 12: *PG* 96, 1358 D.

5. Ecclesiae sanctae mysterium in eiusdem fundatione manifestatur. Dominus enim Iesus Ecclesiae suae initium fecit praedicando faustum nuntium, adventum scilicet Regni Dei a saeculis in Scripturis promissi: « Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit Regnum Dei » (*Mc.* 1, 15; cf. *Mt.* 4, 17). Hoc vero Regnum in verbo, operibus et praesentia Christi hominibus elucescit. Verbum nempe Domini comparatur semini, quod in agro seminatur (*Mc.* 4, 14): qui illud cum fide audiunt et Christi pusillo gregi (*Lc.* 12, 32) adnumerantur, Regnum ipsum susceperunt; propria dein virtute semen germinat et increscit usque ad tempus messis (cf. *Mc.* 4, 26-29). Miracula etiam Iesu Regnum iam in terris pervenisse comprobant: « Si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei » (*Lc.* 11, 20; cf. *Mt.* 12, 28). Ante omnia tamen Regnum manifestatur in ipsa Persona Christi, Filii Dei et Filii hominis, qui venit « ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45).

Cum autem Iesus, mortem crucis pro hominibus passus, resurrexerit, tamquam Dominus et Christus Sacerdosque in aeternum constitutus apparuit (cf. *Act.* 2, 36; *Hebr.* 5, 6; 7, 17-21), atque Spiritum a Patre promissum in discipulos suos effudit (cf. *Act.* 2, 33). Unde Ecclesia, donis sui Fundatoris instructa fideliterque eiusdem praecepta caritatis, humilitatis et abnegationis servans, missionem accipit Regnum Christi et Dei annuntiandi et in omnibus gentibus instaurandi, huiusque Regni in terris germen et initium constituit. Ipsa interea, dum paulatim increscit, ad Regnum consummatum anhelat, ac totis viribus sperat et exoptat cum Rege suo in gloria coniungi.

6. Sicut in Vetere Testamento revelatio Regni saepe sub figuris proponitur, ita nunc quoque variis imaginibus intima Ecclesiae natura nobis innotescit, quae sive a vita pastorali vel ab agricultura, sive ab aedificatione aut etiam a familia et sponsalibus desumptae, in libris Prophetarum praeparantur.

Est enim Ecclesia *ovile,* cuius ostium unicum et necessarium Christus est (*Io.* 10, 1-10). Est etiam grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit (cf. *Is.* 40, 11; *Ez.* 34, 11 ss.), et cuius oves, etsi a pastoribus humanis gubernantur, indesinenter tamen deducuntur et nutriuntur ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum (cf. *Io.* 10, 11; *1 Pt.* 5, 4), qui vitam suam dedit pro ovibus (cf. *Io.* 10, 11-15).

Est Ecclesia *agricultura* seu ager Dei (*1 Cor.* 3, 9). In illo agro crescit antiqua oliva, cuius radix sancta fuerunt Patriarchae, et in qua Iudaeorum et Gentium reconciliatio facta est et fiet (*Rom.* 11, 13-26). Ipsa plantata est a caelesti Agricola tamquam vinea electa (*Mt.* 21, 33-43 par.; cf. *Is.* 5, 1 ss.). Vitis vera Christus est, vitam et fecunditatem tribuens palmitibus, scilicet nobis, qui per Ecclesiam in ipso manemus, et sine quo nihil possumus facere (*Io.* 15, 1-5).

Saepius quoque Ecclesia dicitur *aedificatio* Dei (*1 Cor.* 3, 9). Dominus ipse se comparavit lapidi, quem reprobaverunt aedificantes, sed qui factus est in caput anguli (*Mt.* 21, 42 par.; cf. *Act.* 4, 11; *1 Pt.* 2, 7; *Ps.* 117, 22). Super illud fundamentum Ecclesia ab Apostolis exstruitur (cf. *1 Cor.* 3, 11),

ab eoque firmitatem et cohaesionem accipit. Quae constructio variis appellationibus decoratur: domus Dei (*1 Tim.* 3, 15), in qua nempe habitat eius *familia,* habitaculum Dei in Spiritu (*Eph.* 2, 19-22), tabernaculum Dei cum hominibus (*Apoc.* 21, 3), et praesertim *templum* sanctum, quod in lapideis sanctuariis repraesentatum a Sanctis Patribus laudatur, et in Liturgia non immerito assimilatur Civitati sanctae, novae Ierusalem.[5] In ipsa enim tamquam lapides vivi his in terris aedificamur (*1 Pt.* 2, 5). Quam sanctam civitatem Ioannes contemplatur, in renovatione mundi descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* 21, 1 s.).

Ecclesia etiam, « quae sursum est Ierusalem » et « mater nostra » appellatur (*Gal.* 4, 26; cf. *Apoc.* 12, 17), describitur ut *sponsa* immaculata Agni immaculati (*Apoc.* 19, 7; 21, 2 et 9; 22, 17), quam Christus « dilexit, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (*Eph.* 5, 26), quam sibi foedere indissolubili sociavit et indesinenter « nutrit et fovet » (*Eph.* 5, 29), et quam mundatam sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam (cf. *Eph.* 5, 24), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem, quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. *Eph.* 3, 19). Dum vero his in terris Ecclesia peregrinatur a Domino (cf. *2 Cor.* 5, 6), tamquam exsulem se habet, ita ut quae sursum sunt quaerat et sapiat, ubi Christus est in dextera Dei sedens, ubi vita Ecclesiae abscondita est cum Christo in Deo, donec cum Sponso suo appareat in gloria (cf. *Col.* 3, 1-4).

7. Dei Filius, in natura humana Sibi unita, morte et resurrectione sua mortem superando, hominem redemit et in novam creaturam transformavit (cf. *Gal.* 6, 15; *2 Cor.* 5, 17). Communicando enim Spiritum suum, fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, tamquam corpus suum mystice constituit.

In corpore illo vita Christi in credentes diffunditur, qui Christo passo atque glorificato, per sacramenta arcano ac reali modo uniuntur.[6] Per baptismum enim Christo conformamur: « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » (*1 Cor.* 12, 13). Quo sacro ritu consociatio cum morte et resurrectione Christi repraesentatur et efficitur: « Consepulti enim sumus cum Illo per baptismum in mortem »; si autem « complantati facti sumus similitudini mortis Eius: simul et resurrectionis erimus » (*Rom.* 6, 4-5). In fractione panis eucharistici de Corpore Domini realiter participantes, ad communionem cum Eo ac inter nos elevamur. « Quoniam unus

---

[5] Cf. ORIGENES, *In Mt.* 16, 21: *PG* 13, 1443 C; TERTULLIANUS, *Adv. Marc.* 3, 7: *PL* 2, 357 C; *CSEL* 47, 3, p. 386. Pro documentis liturgicis, cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 160 B. Vel C. MOHLBERG, *Liber Sacramentorum romanae ecclesiae,* Romae, 1960, p. 111, XC: « Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum aeternum tibi condis habitaculum ... ». Hymnus *Urbs Ierusalem beata* in Breviario monastico, et *Caelestis urbs Ierusalem* in Breviario Romano.

[6] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 62, a. 5, ad 1.

panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus » (*1 Cor.* 10, 17). Ita nos omnes membra illius Corporis efficimur (cf. *1 Cor.* 12, 27), « singuli autem alter alterius membra » (*Rom.* 12, 5).

Sicut vero omnia corporis humani membra, licet multa sint, unum tamen corpus efformant, ita fideles in Christo (cf. *1 Cor.* 12, 12). Etiam in aedificatione corporis Christi diversitas viget membrorum et officiorum. Unus est Spiritus, qui varia sua dona, secundum divitias suas atque ministeriorum necessitates, ad Ecclesiae utilitatem dispertit (cf. *1 Cor.* 12, 1-11). Inter quae dona praestat gratia Apostolorum, quorum auctoritati ipse Spiritus etiam charismaticos subdit (cf. *1 Cor.* 14). Idem Spiritus per Se suaque virtute atque interna membrorum connexione corpus unificans, caritatem inter fideles producit et urget. Unde, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive si unum membrum honoratur, congaudent omnia membra (cf. *1 Cor.* 12, 26).

Huius corporis Caput est Christus. Ipse est imago Dei invisibilis, in Eoque condita sunt universa. Ipse est ante omnes et omnia in Ipso constant. Ipse est caput corporis quod est Ecclesia. Ipse est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens (cf. *Col.* 1, 15-18). Magnitudine virtutis suae caelestibus et terrestribus dominatur, et supereminenti perfectione et operatione sua totum corpus gloriae suae divitiis replet (cf. *Eph.* 1, 18-23).[7]

Omnia membra Ei conformari oportet, donec Christus formetur in eis (cf. *Gal.* 4, 19). Quapropter in vitae Eius mysteria adsumimur, cum Eo configurati, commortui et conresuscitati, donec cum Eo conregnemus (cf. *Phil.* 3, 21; *2 Tim.* 2, 11; *Eph.* 2, 6; *Col.* 2, 12; etc.). In terris adhuc peregrinantes, Eiusque vestigia in tribulatione et persecutione prementes, Eius passionibus tamquam corpus Capiti consociamur, Ei compatientes, ut cum Eo conglorificemur (cf. *Rom.* 8, 17).

Ex Eo « totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei » (*Col.* 2, 19). Ipse in corpore suo, scilicet Ecclesia, dona ministrationum iugiter disponit, quibus Ipsius virtute nobis invicem ad salutem servitia praestamus, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in Illum per omnia, qui est Caput nostrum (cf. *Eph.* 4, 11-16 gr.).

Ut autem in Illo incessanter renovemur (cf. *Eph.* 4, 23), dedit nobis de Spiritu suo, qui unus et idem in Capite et in membris exsistens, totum corpus ita vivificat, unificat et movet, ut Eius officium a sanctis Patribus comparari potuerit cum munere, quod principium vitae seu anima in corpore humano adimplet.[8]

---

[7] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 208.

[8] Cf. LEO XIII, Epist. Enc. *Divinum illud,* 9 maii 1897: *A.S.S.,* 29 (1896-97), p. 650; PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* l. c., pp. 219-220: DENZ. 2288

Christus vero diligit Ecclesiam ut sponsam suam, exemplar factus viri diligentis uxorem suam ut corpus suum (cf. *Eph.* 5, 25-28); ipsa vero Ecclesia subiecta est Capiti suo (*ibid.* 23-24). « Quia in Ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (*Col.* 2, 9), Ecclesiam, quae corpus et plenitudo Eius est, divinis suis donis replet (cf. *Eph.* 1, 22-23), ut ipsa protendat et perveniat ad omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 3, 19).

8. Unicus Mediator Christus Ecclesiam suam sanctam, fidei, spei et caritatis communitatem his in terris ut compaginem visibilem constituit et indesinenter sustentat,[9] qua veritatem et gratiam ad omnes diffundit. Societas autem organis hierarchicis instructa et mysticum Christi Corpus, coetus adspectabilis et communitas spiritualis, Ecclesia terrestris et Ecclesia caelestibus bonis ditata, non ut duae res considerandae sunt, sed unam realitatem complexam efformant, quae humano e divino coalescit elemento.[10] Ideo ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur. Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum organum salutis, Ei indissolubiliter unitum, inservit, non dissimili modo socialis compago Ecclesiae Spiritui Christi, eam vivificanti, ad augmentum corporis inservit (cf. *Eph.* 4, 16).[11]

Haec est unica Christi Ecclesia, quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam profitemur,[12] quam Salvator noster, post resurrectionem suam Petro pascendam tradidit (*Io.* 21, 17), eique ac ceteris Apostolis diffundendam et regendam commisit (cf. *Mt.* 28, 18 ss.), et in perpetuum ut « columnam et firmamentum veritatis » erexit (*1 Tim.* 3, 15). Haec Ecclesia, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, subsistit in Ecclesia catholica, a successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata,[13] licet extra eius compaginem elementa plura sanctificationis et veritatis inveniantur, quae ut dona Ecclesiae Christi propria, ad unitatem catholicam impellunt.

Sicut autem Christus opus redemptionis in paupertate et persecutione perfecit, ita Ecclesia ad eamdem viam ingrediendam vocatur, ut fructus salutis hominibus communicet. Christus Iesus, « cum in forma Dei esset, ... semet-

---

(3808); S. AUGUSTINUS, *Serm.* 268, 2: *PL* 38, 1232, et alibi; S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Eph.* Hom. 9, 3: *PG* 62, 72; DIDYMUS ALEX., *Trin.* 2, 1: *PG* 39, 449 s.; S. THOMAS, *In Col.* 1, 18, lect. 5, ed. MARIETTI, II, n. 46: « Sicut constituitur unum corpus ex unitate animae, ita Ecclesia ex unitate Spiritus ... ».

[9] LEO XIII, Litt. Enc. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889-90), p. 392; ID., Epist. Enc. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), pp. 710 et 724 ss.; PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* l. c., pp. 199-200.

[10] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* l. c., p. 221 ss.; ID., Litt. Enc. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 571.

[11] LEO XIII, Epist. Enc. *Satis cognitum,* l. c., p. 713.

[12] Cf. *Symbolum Apostolicum*: DENZ. 6-9 (10-13); *Symb. Nic.-Const.*: DENZ. 86 (150); coll. *Prof. fidei Trid.*: DENZ. 994 et 999 (1862 et 1868).

[13] Dicitur « Sancta (catholica apostolica) Romana Ecclesia »: in *Prof. fidei Trid.,* l. c. et CONC. VAT. I, Sess. III, Const. dogm. *de fide cath.*: DENZ. 1782 (3001).

ipsum exinanivit, formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 6) et propter nos « egenus factus est, cum esset dives (*2 Cor.* 8, 9): ita Ecclesia, licet ad missionem suam exsequendam humanis opibus indigeat, non ad gloriam terrestrem quaerendam erigitur, sed ad humilitatem et abnegationem etiam exemplo suo divulgandas. Christus a Patre missus est « evangelizare pauperibus, ... sanare contritos corde » (*Lc.* 4, 18), « quaerere et salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10): similiter Ecclesia omnes infirmitate humana afflictos amore circumdat, imo in pauperibus et patientibus imaginem Fundatoris sui pauperis et patientis agnoscit, eorum inopiam sublevare satagit, et Christo in eis inservire intendit. Dum vero Christus, « sanctus, innocens, impollutus » (*Hebr.* 7, 26), peccatum non novit (*2 Cor.* 5, 21), sed sola delicta populi repropitiare venit (cf. *Hebr.* 2, 17), Ecclesia in proprio sinu peccatores complectens, sancta simul et semper purificanda, poenitentiam et renovationem continuo prosequitur.

« Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit » [14] Ecclesia, crucem et mortem Domini annuntians, donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26). Virtute autem Domini resuscitati roboratur, ut afflictiones et difficultates suas, internas pariter et extrinsecas, patientia et caritate devincat, et mysterium Eius, licet sub umbris, fideliter tamen in mundo revelet, donec in fine lumine pleno manifestabitur.

Caput II
DE POPULO DEI

9. In omni quidem tempore et in omni gente Deo acceptus est quicumque timet Eum et operatur iustitiam (cf. *Act.* 10, 35). Placuit tamen Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret. Plebem igitur israeliticam Sibi in populum elegit, quocum foedus instituit et quem gradatim instruxit, Sese atque propositum voluntatis suae in eius historia manifestando eumque Sibi sanctificando. Haec tamen omnia in praeparationem et figuram contigerunt foederis illius novi et perfecti, in Christo feriendi, et plenioris revelationis per Ipsum Dei Verbum carnem factum tradendae. « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum ... Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt Mihi in populum ... Omnes enim cognoscent Me, a minimo usque ad maximum, ait Dominus » (*Ier.* 31, 31-34). Quod foedus novum Christus instituit, novum scilicet testamentum in suo sanguine (cf. *1 Cor.* 11, 25), ex Iudaeis ac gentibus plebem vocans, quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret, essetque novus Populus Dei. Credentes enim in Christum,

---

[14] S. Augustinus, *Civ. Dei*, XVIII, 51, 2: *PL* 41, 614.

renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi (cf. *1 Pt.* 1, 23), non ex carne sed ex aqua et Spiritu Sancto (cf. *Io.* 3, 5-6), constituuntur tandem « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei » (*1 Pt.* 2, 9-10).

Populus ille messianicus habet pro capite Christum, « qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram » (*Rom.* 4, 25), et nunc nomen quod est super omne nomen adeptus, gloriose regnat in caelis. Habet pro conditione dignitatem libertatemque filiorum Dei, in quorum cordibus Spiritus Sanctus sicut in templo inhabitat. Habet pro lege mandatum novum diligendi sicut ipse Christus dilexit nos (cf. *Io.* 13, 34). Habet tandem pro fine Regnum Dei, ab ipso Deo in terris inchoatum, ulterius dilatandum, donec in fine saeculorum ab Ipso etiam consummetur, cum Christus apparuerit, vita nostra (cf. *Col.* 3, 4), et « ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21). Itaque populus ille messianicus, quamvis universos homines actu non comprehendat, et non semel ut pusillus grex appareat, pro toto tamen genere humano firmissimum est germen unitatis, spei et salutis. A Christo in communionem vitae, caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur, et tamquam lux mundi et sal terrae (cf. *Mt.* 5, 13-16), ad universum mundum emittitur.

Sicut vero Israel secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia iam appellatur (*2 Esd.* 13, 1; cf. *Num.* 20, 4; *Deut.* 23, 1 ss.), ita novus Israel qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. *Hebr.* 13, 14), etiam Ecclesia Christi nuncupatur (cf. *Mt.* 16, 18), quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. *Act.* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis unionis visibilis et socialis instruxit. Deus congregationem eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, credentes aspiciunt, convocavit et constituit Ecclesiam, ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis.[1] Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, dum tamen simul tempora et fines populorum transcendit. Per tentationes vero et tribulationes procedens Ecclesia virtute gratiae Dei sibi a Domino promissae confortatur, ut in infirmitate carnis a perfecta fidelitate non deficiat, sed Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum.

10. Christus Dominus, Pontifex ex hominibus assumptus (cf. *Hebr.* 5, 1-5) novum populum « fecit regnum et sacerdotes Deo et Patri suo » (*Apoc.* 1, 6; cf. 5, 9-10). Baptizati enim, per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrantur in domum spiritualem et sacerdotium sanctum, ut per

---

[1] Cf. S. Cyprianus, *Epist.* 69, 6: *PL* 3, 1142 B; Hartel 3 B, p. 754: « inseparabile unitatis sacramentum ».

omnia opera hominis christiani spirituales offerant hostias, et virtutes annuntient Eius qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum (cf. *1 Pt.* 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, in oratione perseverantes et collaudantes Deum (cf. *Act.* 2, 42-47), seipsos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibeant (cf. *Rom.* 12, 1), ubique terrarum de Christo testimonium perhibeant, atque poscentibus rationem reddant de ea quae in eis est spe vitae aeternae (cf. *1 Pt.* 3, 15).

Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, licet essentia et non gradu tantum differant, ad invicem tamen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant.[2] Sacerdos quidem ministerialis, potestate sacra qua gaudet, populum sacerdotalem efformat ac regit, sacrificium eucharisticum in persona Christi conficit illudque nomine totius populi Deo offert; fideles vero, vi regalis sui sacerdotii, in oblationem Eucharistiae concurrunt,[3] illudque in sacramentis suscipiendis, in oratione et gratiarum actione, testimonio vitae sanctae, abnegatione et actuosa caritate exercent.

11. Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis et per sacramenta et per virtutes ad actum deducitur. Fideles per baptismum in Ecclesia incorporati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur et, in filios Dei regenerati, fidem quam a Deo per Ecclesiam acceperunt coram hominibus profiteri tenentur.[4] Sacramento confirmationis perfectius Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur, sicque ad fidem tamquam veri testes Christi verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur.[5] Sacrificium eucharisticum, totius vitae christianae fontem et culmen, participantes, divinam Victimam Deo offerunt atque seipsos cum Ea;[6] ita tum oblatione tum sacra communione, non promiscue sed alii aliter, omnes in liturgica actione partem propriam agunt. Porro corpore Christi in sacra synaxi refecti, unitatem Populi Dei, quae hoc augustissimo sacramento apte significatur et mirabiliter efficitur, modo concreto exhibent.

Qui vero ad sacramentum poenitentiae accedunt, veniam offensionis Deo illatae ab Eius misericordia obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt, et quae eorum conversioni caritate, exemplo, precibus adlaborat. Sacra infirmorum unctione atque oratione presbytero-

---

[2] Cf. Pius XII, All. Magnificate Dominum, 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 669; Litt. Enc. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 555.

[3] Cf. Pius XI, Litt. Enc. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 171 s.; Pius XII, All. *Vous nous avez,* 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 714.

[4] Cf. S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 63, a. 2.

[5] Cf. S. Cyrillus Hieros., *Catech.* 17, de Spiritu Sancto, II, 35-37: *PG* 33, 1009-1012; Nic. Cabasilas, *De vita in Christo,* lib. III, de utilitate chrismatis: *PG* 150, 569-580; S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3 et q. 72, a. 1 et 5.

[6] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), praesertim p. 552 s.

rum Ecclesia tota aegrotantes Domino patienti et glorificato commendat, ut eos alleviet et salvet (cf. *Ic.* 5, 14-16), immo eos hortatur ut sese Christi passioni et morti libere sociantes (cf. *Rom.* 8, 17; *Col.* 1, 24; *2 Tim.* 2, 11-12; *1 Pt.* 4, 13), ad bonum Populi Dei conferant. Iterum, qui inter fideles sacro Ordine insigniuntur, ad Ecclesiam verbo et gratia Dei pascendam, Christi nomine instituuntur. Tandem coniuges christiani, virtute matrimonii sacramenti, quo mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam significant atque participant (cf. *Eph.* 5, 32), se invicem in vita coniugali necnon prolis susceptione et educatione ad sanctitatem adiuvant, adeoque in suo vitae statu et ordine proprium suum in Populo Dei donum habent (cf. *1 Cor.* 7, 7).[7] Ex hoc enim connubio procedit familia, in qua nascuntur novi societatis humanae cives, qui per Spiritus Sancti gratiam, ad Populum Dei saeculorum decursu perpetuandum, baptismo in filios Dei constituuntur. In hac velut Ecclesia domestica parentes verbo et exemplo sint pro filiis suis primi fidei praecones, et vocationem unicuique propriam, sacram vero peculiari cura, foveant oportet.

Tot ac tantis salutaribus mediis muniti, christifideles omnes, cuiusvis conditionis ac status, ad perfectionem sanctitatis qua Pater ipse perfectus est, sua quisque via, a Domino vocantur.

12. Populus Dei sanctus de munere quoque prophetico Christi participat, vivum Eius testimonium maxime per vitam fidei ac caritatis diffundendo, et Deo hostiam laudis offerendo, fructum labiorum confitentium nomini Eius (cf. *Hebr.* 13, 15). Universitas fidelium, qui unctionem habent a Sancto (cf. *1 Io.* 2, 20 et 27), in credendo falli nequit, atque hanc suam peculiarem proprietatem mediante supernaturali sensu fidei totius populi manifestat, cum « ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles »[8] universalem suum consensum de rebus fidei et morum exhibet. Illo enim sensu fidei, qui a Spiritu veritatis excitatur et sustentatur, Populus Dei sub ductu sacri magisterii, cui fideliter obsequens, iam non verbum hominum, sed vere accipit verbum Dei (cf. *1 Thess.* 2, 13), semel traditae sanctis fidei (cf. *Iud.* 3), indefectibiliter adhaeret, recto iudicio in eam profundius penetrat eamque in vita plenius applicat.

Idem praeterea Spiritus Sanctus non tantum per sacramenta et ministeria populum Dei sanctificat et ducit eumque virtutibus ornat, sed dona sua « dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11), inter omnis ordinis fideles distribuit gratias quoque speciales, quibus illos aptos et promptos reddit ad suscipienda varia opera vel officia, pro renovatione et ampliore aedificatione Ecclesiae proficua, secundum illud: « Unicuique datur manifestatio Spiritus ad

---

[7] *1 Cor.* 7, 7: « Unusquisque proprium donum (idion charisma) habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic ». Cf. S. AUGUSTINUS, *De Dono Persev.* 14, 37: *PL* 45, 1015 s.: « Non tantum continentia Dei donum est, sed coniugatorum etiam castitas ».

[8] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Praed. Sanct.* 14, 27: *PL* 44, 980.

utilitatem » (*1 Cor.* 12, 7). Quae charismata, sive clarissima, sive etiam simpliciora et latius diffusa, cum sint necessitatibus Ecclesiae apprime accommodata et utilia, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt. Dona autem extraordinaria non sunt temere expetenda, neque praesumptuose ab eis sperandi sunt fructus operarum apostolicarum; sed iudicium de eorum genuinitate et ordinato exercitio ad eos pertinet, qui in Ecclesia praesunt, et quibus speciatim competit, non Spiritum exstinguere, sed omnia probare et quod bonum est tenere (cf. *1 Thess.* 5, 12 et 19-21).

13. Ad novum Populum Dei cuncti vocantur homines. Quapropter hic populus, unus et unicus manens, ad universum mundum et per omnia saecula est dilatandus, ut propositum adimpleatur voluntatis Dei, qui naturam humanam in initio condidit unam, filiosque suos, qui erant dispersi, in unum tandem congregare statuit (cf. *Io.* 11, 52). Ad hoc enim misit Deus Filium suum, quem constituit heredem universorum (cf. *Hebr.* 1, 2), ut sit Magister, Rex et Sacerdos omnium, Caput novi et universalis populi filiorum Dei. Ad hoc tandem misit Deus Spiritum Filii sui, Dominum et Vivificantem, qui pro tota Ecclesia et singulis universisque credentibus principium est congregationis et unitatis in doctrina Apostolorum et communione, fractione panis et orationibus (cf. *Act.* 2, 42, gr.).

Omnibus itaque gentibus terrae inest unus Populus Dei, cum ex omnibus gentibus mutuetur suos cives, Regni quidem indolis non terrestris, sed caelestis. Cuncti enim per orbem sparsi fideles cum ceteris in Spiritu Sancto communicant, et sic « qui Romae sedet, Indos scit membrum suum esse ».[9] Cum autem Regnum Christi de hoc mundo non sit (cf. *Io.* 18, 36), ideo Ecclesia seu Populus Dei, hoc Regnum inducens, nihil bono temporali cuiusvis populi subtrahit, sed e contra facultates et copias moresque populorum, quantum bona sunt, fovet et assumit, assumendo vero purificat, roborat et elevat. Memor est enim se cum illo Rege colligere debere, Cui gentes in hereditatem datae sunt (cf. *Ps.* 2, 8), et in Cuius civitatem dona et munera adducunt (cf. *Ps.* 71 [72], 10; *Is.* 60, 4-7; *Apoc.* 21, 24). Hic universalitatis character, qui Populum Dei condecorat, ipsius Domini donum est, quo catholica Ecclesia efficaciter et perpetuo tendit ad recapitulandam totam humanitatem cum omnibus bonis eius, sub Capite Christo, in unitate Spiritus Eius.[10]

Vi huius catholicitatis, singulae partes propria dona ceteris partibus et toti Ecclesiae afferunt, ita ut totum et singulae partes augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem in unitate conspirantibus. Inde fit ut Populus Dei non tantum ex diversis populis congregetur, sed etiam in seipso ex variis ordinibus confletur. Adest enim inter membra eius diversitas, sive secundum officia, dum aliqui sacro ministerio in bonum fratrum

---

[9] Cf. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Io.* Hom. 65, 1: *PG* 59, 361.

[10] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 16, 6; III, 22, 1-3: *PG* 7, 925 C-926 A et 955 C-958 A; HARVEY 2, 87 s. et 120-123; SAGNARD, Ed. *Sources Chrét.*, pp. 290-292 et 372 ss.

suorum funguntur, sive secundum condicionem et vitae ordinationem, dum plures in statu religioso, arctiore via ad sanctitatem tendentes, fratres exemplo suo stimulant. Inde etiam in ecclesiastica communione legitime adsunt Ecclesiae particulares, propriis traditionibus fruentes, integro manente primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet,[11] legitimas varietates tuetur et simul invigilat ut particularia, nedum unitati noceant, ei potius inserviant. Inde denique inter diversas Ecclesiae partes vincula intimae communionis quoad divitias spirituales, operarios apostolicos et temporalia subsidia. Ad communicandum enim bona vocantur membra Populi Dei, et de singulis etiam Ecclesiis valent verba Apostoli: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pt.* 4, 10).

Ad hanc igitur catholicam Populi Dei unitatem, quae pacem universalem praesignat et promovet, omnes vocantur homines, ad eamque variis modis pertinent vel ordinantur sive fideles catholici, sive alii credentes in Christo, sive denique omnes universaliter homines, gratia Dei ad salutem vocati.

14. Ad fideles ergo catholicos imprimis Sancta Synodus animum vertit. Docet autem, Sacra Scriptura et Traditione innixa, Ecclesiam hanc peregrinantem necessariam esse ad salutem. Unus enim Christus est Mediator ac via salutis, qui in Corpore suo, quod est Ecclesia, praesens nobis fit; Ipse autem necessitatem fidei et baptismi expressis verbis inculcando (cf. *Mc.* 16, 16; *Io.* 3, 5), necessitatem Ecclesiae, in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, simul confirmavit. Quare illi homines salvari non possent, qui Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, tamen vel in eam intrare, vel in eadem perseverare noluerint.

Illi plene Ecclesiae societati incorporantur, qui Spiritum Christi habentes, integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta accipiunt, et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem atque Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis ac communionis. Non salvatur tamen, licet Ecclesiae incorporetur, qui in caritate non perseverans, in Ecclesiae sinu « corpore » quidem, sed non « corde » remanet.[12] Memores autem sint omnes Ecclesiae filii condicionem suam eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non respondent, nedum salventur, severius iudicabuntur.[13]

---

[11] Cf. S. IGNATIUS M., *Ad Rom.*, Praef.: Ed. FUNK, I, p. 252.

[12] Cf. S. AUGUSTINUS, *Bapt. c. Donat.* V, 28, 39: *PL* 43, 197: « Certe manifestum est, id quod dicitur, in Ecclesia intus et foris, in corde, non in corpore cogitandum ». Cf. *ib.*, III, 19, 26: col. 152; V, 18, 24: col. 189; *In Io.* Tr. 61, 2: *PL* 35, 1800, et alibi saepe.

[13] Cf. *Lc.* 12, 48: « Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo ». Cf. etiam *Mt.* 5, 19-20; 7, 21-22; 25, 41-46; *Iac.* 2, 14.

Catechumeni qui, Spiritu Sancto movente, explicita voluntate ut Ecclesiae incorporentur expetunt, hoc ipso voto cum ea coniunguntur; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia.

15. Cum illis qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem non profitentur vel unitatem communionis sub Successore Petri non servant, Ecclesia semetipsam novit plures ob rationes coniunctam.[14] Sunt enim multi, qui sacram Scripturam ut normam credendi et vivendi in honore habent sincerumque zelum religiosum ostendunt, amanter credunt in Deum Patrem omnipotentem et in Christum, Filium Dei Salvatorem,[15] baptismo signantur, quo Christo coniunguntur, imo et alia sacramenta in propriis Ecclesiis vel communitatibus ecclesiasticis agnoscunt et recipiunt. Plures inter illos et episcopatu gaudent, Sacram Eucharistiam celebrant necnon pietatem erga Deiparam Virginem fovent.[16] Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; imo vera quaedam in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui donis et gratiis etiam in illis sua virtute sanctificante operatur, et quosdam illorum usque ad sanguinis effusionem roboravit. Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur.[17] Quod ut obtineat, Ecclesia Mater precari, sperare et agere non desinit, filiosque ad purificationem et renovationem exhortatur, ut signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgeat.

16. Ii tandem qui Evangelium nondum acceperunt, ad Populum Dei diversis rationibus ordinantur.[18] In primis quidem populus ille cui data fuerunt testamenta et promissa et ex quo Christus ortus est secundum carnem (cf. *Rom.* 9, 4-5), populus secundum electionem carissimus propter patres: sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei (cf. *Rom.* 11, 28-29). Sed propositum salutis et eos amplectitur, qui Creatorem agnoscunt, inter quos imprimis Musulmanos, qui fidem Abrahae se tenere profitentes, nobiscum Deum adorant unicum, misericordem, homines die novissimo iudicaturum. Neque ab aliis, qui in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt, ab huiusmodi Deus ipse longe est, cum det omnibus vitam et inspirationem et omnia (cf. *Act.* 17, 25-28), et Salvator velit omnes homines salvos fieri (cf. *1 Tim.* 2, 4). Qui enim Evangelium Christi Eiusque Ecclesiam sine culpa

---

[14] Cf. LEO XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: *A.S.S.,* 26 (1893-94), p. 707.

[15] Cf. LEO XIII, Epist. Enc. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), p. 738; Epist. Enc. *Caritatis studium,* 25 iul. 1898: *A.S.S.,* 31 (1898-99), p. 11; PIUS XII, Nuntius radioph. *Nell'alba,* 24 dec. 1941: *A.A.S.,* 34 (1942), p. 21.

[16] Cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Rerum Orientalium,* 8 sept. 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 287; PIUS XII, Litt. Enc. *Orientalis Ecclesiae,* 9 apr. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), p. 137.

[17] Cf. Instr. S. S. C. S. OFFICII, 20 dec. 1949: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 142.

[18] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 8, a. 3, ad 1.

ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt, Eiusque voluntatem per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem consequi possunt.[19] Nec divina Providentia auxilia ad salutem necessaria denegat his qui sine culpa ad expressam agnitionem Dei nondum pervenerunt et rectam vitam non sine divina gratia assequi nituntur. Quidquid enim boni et veri apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica aestimatur[20] et ab Illo datum qui illuminat omnem hominem, ut tandem vitam habeat. At saepius homines, a Maligno decepti, evanuerunt in cogitationibus suis, et commutaverunt veritatem Dei in mendacium, servientes creaturae magis quam Creatori (cf. *Rom.* 1, 21 et 25) vel sine Deo viventes ac morientes in hoc mundo, extremae desperationi exponuntur. Quapropter ad gloriam Dei et salutem istorum omnium promovendam, Ecclesia, memor mandati Domini dicentis: « Praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 16), missiones fovere sedulo curat.

17. Sicut enim Filius missus est a Patre, et Ipse Apostolos misit (cf. *Io.* 20, 21), dicens: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20). Quod solemne Christi mandatum annuntiandi veritatem salutarem Ecclesia ab Apostolis recepit adimplendum usque ad ultimum terrae (cf. *Act.* 1, 8). Unde sua facit verba Apostoli: « Vae ... mihi est si non evangelizavero! » (*1 Cor.* 9, 16), ideoque in mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae plene constituantur atque opus evangelizandi et ipsae continuent. A Spiritu Sancto enim ad cooperandum compellitur, ut propositum Dei, qui Christum principium salutis pro universo mundo constituit, effectu compleatur. Praedicando Evangelium, Ecclesia audientes ad fidem confessionemque fidei allicit, ad baptismum disponit, a servitute erroris eripit, eosque Christo incorporat, ut per caritatem in Illum usque ad plenitudinem crescant. Opera autem sua efficit ut quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non pereat, sed sanetur, elevetur et consummetur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis. Cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit.[21] Sed si quilibet credentes baptizare potest, sacerdotis tamen est aedificationem Corporis sacrificio eucharistico perficere, adimplendo verba Dei per prophetam: « Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo

---

[19] Cf. *Epist.* S. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.: Denz. 3869-72.

[20] Cf. Eusebius Caes., *Praeparatio Evangelica,* 1, 1: *PG* 21, 28 AB.

[21] Cf. Benedictus XV, Epist. Apost. *Maximum illud*: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 440, praesertim p. 451 ss.; Pius XI, Litt. Enc. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 18 (1926), pp. 68-69; Pius XII, Litt. Enc. *Fidei Donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 236-237.

oblatio munda » (*Mal.* 1, 11).[22] Ita autem simul orat et laborat Ecclesia, ut in Populum Dei, Corpus Domini et Templum Spiritus Sancti, totius mundi transeat plenitudo, et in Christo, omnium Capite, reddatur universorum Creatori ac Patri omnis honor et gloria.

CAPUT III

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE ET IN SPECIE DE EPISCOPATU

18. Christus Dominus, ad Populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quae ad bonum totius Corporis tendunt. Ministri enim, qui sacra potestate pollent, fratribus suis inserviunt, ut omnes qui de Populo Dei sunt, ideoque vera dignitate christiana gaudent, ad eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant.

Haec Sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani primi vestigia premens, cum eo docet et declarat Iesum Christum Pastorem aeternum sanctam aedificasse Ecclesiam, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (cf. *Io.* 20, 21); quorum successores, videlicet Episcopos, in Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi pastores esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, beatum Petrum ceteris Apostolis praeposuit in ipsoque instituit perpetuum ac visibile unitatis fidei et communionis principium et fundamentum.[1] Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri Primatus Romani Pontificis deque eius infallibili Magisterio, Sacra Synodus cunctis fidelibus firmiter credendam rursus proponit, et in eodem incepto pergens, doctrinam de Episcopis, successoribus Apostolorum, qui cum successore Petri, Christi Vicario[2] ac totius Ecclesiae visibili Capite, domum Dei viventis regunt, coram omnibus profiteri et declarare constituit.

19. Dominus Iesus, precibus ad Patrem fusis, vocans ad Se quos voluit Ipse, duodecim constituit ut essent cum Illo et ut mitteret eos praedicare Regnum Dei (cf. *Mc.* 3, 13-19; *Mt.* 10, 1-42); quos Apostolos (cf. *Lc.* 6, 13) ad modum collegii seu coetus stabilis instituit, cui ex iisdem electum Petrum praefecit (cf. *Io.* 21, 15-17). Eos ad filios Israel primum et ad omnes gentes

---

[22] Cf. *Didachè,* 14: ed. FUNK, I, p. 32; S. IUSTINUS, *Dial.* 41: *PG* 6, 564; S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* IV, 17, 5; *PG* 7, 1023; HARVEY, 2, p. 199 s.; CONC. TRID., Sess. 22, cap. 1; DENZ. 939 (1742).

---

[1] Cf. CONC. VAT. I, Sess. IV, Const. Dogm. *Pastor aeternus*: DENZ. 1821 (3050 s.).

[2] Cf. CONC. FLOR., Decretum pro Graecis: DENZ. 694 (1307) et CONC. VAT. I, *ibid.*: DENZ. 1826 (3059).

misit (cf. *Rom.* 1, 16), ut suae participes potestatis, omnes populos discipulos Ipsius facerent, eosque sanctificarent et gubernarent (cf. *Mt.* 28, 16-20; *Mc.* 16, 15; *Lc.* 24, 45-48; *Io.* 20, 21-23), sicque Ecclesiam propagarent, eamque sub ductu Domini ministrando pascerent, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (cf. *Mt.* 28, 20). In qua missione die Pentecostes plene confirmati sunt (cf. *Act.* 2, 1-26) secundum promissum Domini: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis Mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8). Apostoli autem praedicando ubique Evangelium (cf. *Mc.* 16, 20), ab audientibus Spiritu Sancto operante acceptum, Ecclesiam congregant universalem, quam Dominus in Apostolis condidit et supra beatum Petrum, eorum principem, aedificavit, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (cf. *Apoc.* 21, 14; *Mt.* 16, 18; *Eph.* 2, 20).[3]

20. Missio illa divina, a Christo Apostolis concredita, ad finem saeculi erit duratura (cf. *Mt.* 28, 20), cum Evangelium, ab eis tradendum, sit in omne tempus pro Ecclesia totius vitae principium. Quapropter Apostoli, in hac societate hierarchice ordinata, de instituendis successoribus curam egerunt.

Non solum enim varios adiutores in ministerio habuerunt,[4] sed ut missio ipsis concredita post eorum mortem continuaretur, cooperatoribus suis immediatis, quasi per modum testamenti, demandaverunt munus perficiendi et confirmandi opus ab ipsis inceptum,[5] commendantes illis ut attenderent universo gregi, in quo Spiritus Sanctus eos posuit pascere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28). Constituerunt itaque huius modi viros ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent.[6] Inter varia illa ministeria quae inde a primis temporibus in Ecclesia exercentur, teste traditione, praecipuum locum tenet munus illorum qui, in episcopatum constituti, per successionem ab initio decurrentem,[7] apostolici seminis traduces habent.[8] Ita, ut testatur S. Irenaeus, per eos qui ab

---

[3] Cf. *Liber sacramentorum* S. GREGORII, Praef. in natali S. Mathiae et S. Thomae: *PL* 78, 51 et 152; cf. Cod. Vat. lat. 3548, f. 18; S. HILARIUS, *In Ps.* 67, 10: *PL* 9, 450; *CSEL* 22, p. 286; S. HIERONYMUS, *Adv. Iovin.* 1, 26: *PL* 23, 247 A; S. AUGUSTINUS, *In Ps.* 86, 4: *PL* 37, 1103; S. GREGORIUS M., *Mor. in Iob,* XXVIII, V: *PL* 76, 455-456; PRIMASIUS, *Comm. in Apoc.* V: *PL* 68, 924 BC; PASCHASIUS RADB., *In Mt.* L. VIII, cap. 16: *PL* 120, 561 C; cf. LEO XIII, Epist. *Et sane,* 17 dec. 1888: *A.S.S.,* 21 (1888), p. 321.

[4] Cf. *Act.* 6, 2-6; 11, 30; 13, 1; 14, 23; 20, 17; *1 Thess.* 5, 12-13; *Phil.* 1, 1; *Col.* 4, 11, et passim.

[5] Cf. *Act.* 20, 25-27; *2 Tim.* 4, 6 s. coll. c. *1 Tim.* 5, 22; *2 Tim.* 2, 2; *Tit.* 1, 5; S. CLEM. ROM., *Ad Cor.* 44, 3, ed. FUNK, I, p. 156.

[6] S. CLEM. ROM., *Ad Cor.* 44, 2, ed. FUNK, I, p. 154 s.

[7] Cf. TERTULLIANUS, *Praescr. Haer.* 32: *PL* 2, 52 s.; S. IGNATIUS M., passim.

[8] Cf. TERTULLIANUS, *Praescr. Haer.* 32: *PL* 2, 53.

Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos, traditio apostolica in toto mundo manifestatur [9] et custoditur.[10]

Episcopi igitur communitatis ministerium cum adiutoribus presbyteris et diaconis susceperunt,[11] loco Dei praesidentes gregi,[12] cuius sunt pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri.[13] Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum et successoribus eius transmittendum, ita permanet munus Apostolorum pascendi Ecclesiam, ab ordine sacrato Episcoporum iugiter exercendum.[14] Proinde docet Sacra Synodus Episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse,[15] tamquam Ecclesiae pastores, quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit (cf. *Lc.* 10, 16).[16]

21. In Episcopis igitur, quibus presbyteri assistunt, adest in medio credentium Dominus Iesus Christus, Pontifex Summus. Sedens enim ad dexteram Dei Patris, non deest a suorum congregatione pontificum,[17] sed imprimis per eorum eximium servitium verbum Dei omnibus gentibus praedicat et credentibus sacramenta fidei continuo administrat, eorum paterno munere (cf. *1 Cor.* 4, 15) nova membra Corpori suo regeneratione superna incorporat, eorum denique sapientia et prudentia Populum Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigit et ordinat. Hi pastores ad pascendum dominicum gregem electi, ministri Christi sunt et dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1), quibus concredita est testificatio Evangelii gratiae Dei (cf. *Rom.* 15, 16; *Act.* 20, 24), atque ministratio Spiritus et iustitiae in gloria (cf. *2 Cor.* 3, 8-9).

Ad tanta munera explenda, Apostoli speciali effusione supervenientis

---

9 Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 3, 1: *PG* 7, 848 A; HARVEY 2, 8; SAGNARD, p. 100 s.: « manifestatam ».

10 Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 2, 2: *PG* 7, 847; HARVEY 2, 7; SAGNARD, p. 100: « custoditur », cf. *ibid.*, IV, 26, 2, col. 1053; HARVEY 2, 236, necnon IV, 33, 8; col. 1077; HARVEY 2, 262.

11 S. IGN. M., *Philad.*, Praef., ed. FUNK, I, p. 264.

12 S. IGN. M., *Philad.*, 1, 1; *Magn.* 6, 1, ed. FUNK, I, pp. 264 et 234.

13 S. CLEM. ROM., *l. c.*, 42, 3-4; 44, 3-4; 57, 1-2, ed. FUNK, I, 152, 156 171 s.; S. IGN. M. *Philad.* 2; *Smyrn.* 8, *Magn.* 3; *Trall.* 7, ed. FUNK, I, p. 265 s., 282, 232, 246 s. etc.; S. IUSTINUS, *Apol.*, 1, 65: *PG* 6, 428; S. CYPRIANUS, *Epist.* passim.

14 Cf. LEO XIII, Epist. Enc. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.*, 28 (1895-96), p. 732.

15 Cf. CONC. TRID., Sess. 23, Decr. *de sacr. Ordinis,* cap. 4: DENZ. 960 (1768); CONC. VAT. I, Sess. 4, Const. Dogm. 1 *De Ecclesia Christi,* cap. 3: DENZ. 1828 (3061); PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), pp. 209 et 212; *C.I.C.*, can. 329 § 1.

16 Cf. LEO XIII, Epist. *Et sane,* 17 dec. 1888: *A.S.S.*, 21 (1888), p. 321 s.

17 S. LEO M., *Serm.* 5, 3: *PL* 54, 154.

Spiritus Sancti a Christo ditati sunt (cf. *Act.* 1, 8; 2, 4; *Io.* 20, 22-23), et ipsi adiutoribus suis per impositionem manuum donum spirituale tradiderunt (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6-7), quod usque ad nos in episcopali consecratione transmissum est.[18] Docet autem Sancta Synodus episcopali consecratione plenitudinem conferri sacramenti Ordinis, quae nimirum et liturgica Ecclesiae consuetudine et voce Sanctorum Patrum summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur.[19] Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt. Ex traditione enim, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferri [20] et sacrum characterem ita imprimi,[21] ut Episcopi, eminenti ac adspectabili modo, ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in Eius persona agant.[22] Episcoporum est per Sacramentum Ordinis novos electos in corpus episcopale assumere.

22. Sicut, statuente Domino, sanctus Petrus et ceteri Apostoli unum Collegium apostolicum constituunt, pari ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur. Iam perantiqua disciplina, qua Episcopi in universo orbe constituti ad invicem et cum Romano Episcopo communicabant in vinculo unitatis, caritatis et pacis,[23]

---

[18] CONC. TRID., Sess. 23 cap. 3 citat verba *2 Tim.* 1, 6-7, ut demonstret Ordinem esse verum sacramentum: DENZ. 959 (1766).

[19] In *Trad. Apost.* 3, ed. BOTTE, *Sources Chr.,* pp. 27-30, Episcopo tribuitur « primatus sacerdotii ». Cf. *Sacramentarium Leonianum,* ed. C. MOHLBERG, *Sacramentarium Veronense,* Romae, 1955, p. 119: « ad summi sacerdotii ministerium ... Comple in sacerdotibus tuis mysterii tui summam »... IDEM, *Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae,* Romae, 1960, pp. 121-122: « Tribuas eis, Domine, cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam ». Cf. *PL* 78, 224.

[20] *Trad. Apost.* 2, ed. BOTTE, p. 27.

[21] CONC. TRID., Sess. 23, cap. 4, docet Ordinis sacramentum imprimere characterem indelebilem: DENZ. 960 (1767). Cf. IOANNES XXIII, All. *Iubilate Deo,* 8 maii 1960: *A.A.S.,* 53 (1960), p. 466; PAULUS VI, Homelia in Bas. Vaticana, 20 oct. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 1014.

[22] S. CYPRIANUS, *Epist.* 63, 14: *PL* 4, 386; HARTEL, III B, p. 713: « Sacerdos vice Christi vere fungitur »; S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In 2 Tim.* Hom. 2, 4: *PG* 62, 612: Sacerdos est « symbolon » Christi; S. AMBROSIUS, *In Ps.* 38, 25-26: *PL* 14, 1051-52; *CSEL* 64, 203-204; AMBROSIASTER, *In 1 Tim.* 5, 19: *PL* 17, 479 C et *In Eph.* 4, 11-12: col. 387 C; THEODORUS MOPS., *Hom. Catech.* XV, 21 et 24: ed. TONNEAU, pp. 497 et 503. HESYCHIUS HIEROS., *In Lev.* L. 2, 9, 23: *PG* 93, 894 B.

[23] Cf. EUSEBIUS, *Hist. Eccl.,* V, 24, 10: *GCS* II, 1, p. 495, ed. BARDY, *Sources Chr.* II, p. 69; DIONYSIUS, apud EUSEBIUM, *ib.* VII, 5, 2: *GCS* II, 2, p. 638 s.; BARDY, II, p. 168 s.

itemque concilia coadunata,[24] per quae et altiora quaeque in commune statuerentur,[25] sententia multorum consilio ponderata,[26] ordinis episcopalis indolem et rationem collegialem significant; quam manifeste comprobant Concilia oecumenica decursu saeculorum celebrata. Eandem vero iam innuit ipse usus, antiquitus inductus, plures advocandi Episcopos qui in novo electo ad summi sacerdotii ministerium elevando partem haberent. Membrum Corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris.

Collegium autem seu corpus Episcoporum auctoritatem non habet, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intellegatur, huiusque integre manente potestate Primatus in omnes sive Pastores sive fideles. Romanus enim Pontifex habet in Ecclesiam, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris, plenam, supremam et universalem potestatem, quam semper libere exercere valet. Ordo autem Episcoporum, qui collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit,[27] quae quidem potestas nonnisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest. Dominus unum Simonem ut petram et clavigerum Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18-19), eumque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 15 ss.); illud autem ligandi ac solvendi munus, quod Petro datum est (*Mt.* 16, 19), collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat (*Mt.* 18, 18; 28, 16-20).[28] Collegium hoc quatenus ex multis compositum, varietatem et universalitatem Populi Dei, quatenus vero sub uno capite collectum, unitatem gregis Christi exprimit. In ipso, Episcopi, primatum et principatum Capitis sui fideliter servantes, propria potestate in bonum fidelium suorum, immo totius Ecclesiae funguntur, Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam continenter roborante. Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur. Concilium Oecumenicum numquam datur, quod a Successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum; et Romani Pontificis praerogativa est haec Concilia convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare.[29]

---

[24] Cf. de antiquis Conciliis, EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* V, 23-24: *GCS* II, 1, p. 488 ss.; BARDY, II, p. 66 ss. et passim; CONC. NICAENUM, can. 5: *Conc. Oec. Decr.* p. 7.

[25] TERTULLIANUS, *De Ieiunio,* 13: *PL* 2, 972 B; *CSEL* 20, p. 292, linn. 13-16.

[26] S. CYPRIANUS, *Epist.* 56, 3: HARTEL, III B, p. 650; BAYARD, p. 154.

[27] Cf. Relatio officialis ZINELLI, in CONC. VAT. I: MANSI 52, 1109 C.

[28] Cf. CONC. VAT. I, Schema Const. dogm. II, *de Ecclesia Christi,* c. 4: MANSI 53, 310. Cf. relatio KLEUTGEN de schemate reformato: MANSI 53, 321 B - 322 B et declaratio ZINELLI: MANSI 52, 1110 A. Vide etiam S. LEONEM M., *Serm.* 4, 3: *PL* 54, 151 A.

[29] Cf. *C.I.C.,* can. 227.

Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur.

23. Collegialis unio etiam in mutuis relationibus singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque universali apparet. Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis, tum Episcoporum tum fidelium multitudinis, perpetuum ac visibile principium et fundamentum.[30] Episcopi autem singuli visibile principium et fundamentum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus,[31] ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica exsistit.[32] Qua de causa singuli Episcopi suam Ecclesiam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant in vinculo pacis, amoris et unitatis.

Singuli Episcopi, qui particularibus Ecclesiis praeficiuntur, regimen suum pastorale super portionem Populi Dei sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem exercent. Sed qua membra Collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto tenentur,[33] quae, etiamsi per actum iurisdictionis non exerceatur, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum. Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius Corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis, ipsi efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum.[34]

Cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Coelestinus Patribus Ephesini Concilii com-

---

[30] Cf. CONC. VAT. I, Const. Dogm. *Pastor aeternus*: DENZ. 1821 (3050 s.).

[31] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 66, 8: HARTEL III, 2, p. 733: « Episcopus in Ecclesia et Ecclesia in Episcopo ».

[32] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 55, 24: HARTEL, p. 642, lin. 13: « Una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa ». *Epist.* 36, 4: HARTEL, p. 575, linn. 20-21.

[33] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Fidei Donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237.

[34] Cf. S. HILARIUS PICT., *In Ps.* 14, 3: *PL* 9, 206; *CSEL* 22, p. 86; S. GREGORIUS M., *Moral.* IV, 7, 12: *PL* 75, 643 C; PS.-BASILIUS, *In Is.* 15, 296: *PG* 30, 637 C.

mendavit.[35] Unde singuli Episcopi, quantum propria eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem venire tenentur inter se et cum successore Petri, cui grande munus christiani nominis propagandi singulari modo demandatum est.[36] Quare missionibus tum messis operarios, tum etiam auxilia spiritualia et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent. Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis Ecclesiis, praesertim finitimis et egentioribus, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant.

Divina autem Providentia factum est ut variae variis in locis ab Apostolis eorumque successoribus institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerint coetus, organice coniunctos, qui, salva fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae, gaudent propria disciplina, proprio liturgico usu, theologico spiritualique patrimonio. Inter quas aliquae, notatim antiquae Patriarchales Ecclesiae, veluti matrices fidei, alias pepererunt quasi filias, quibuscum arctiore vinculo caritatis in vita sacramentali atque in mutua iurium et officiorum reverentia ad nostra usque tempora connectuntur.[37] Quae Ecclesiarum localium in unum conspirans varietas indivisae Ecclesiae catholicitatem luculentius demonstrat. Simili ratione Coetus Episcopales hodie multiplicem atque fecundam opem conferre possunt, ut collegialis effectus ad concretam applicationem perducatur.

24. Episcopi, utpote Apostolorum successores, a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae, ut homines universi, per fidem, baptismum et adimpletionem mandatorum salutem consequantur (cf. *Mt.* 28, 18; *Mc.* 16, 15-16; *Act.* 26, 17 s.). Ad hanc missionem implendam, Christus Dominus Spiritum Sanctum promisit Apostolis et die Pentecostes e caelo misit, cuius virtute testes Eidem essent usque ad ultimum terrae, coram gentibus et populis et regibus (cf. *Act.* 1, 8; 2, 1 ss.; 9, 15). Munus autem illud, quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium quod in sacris Litteris « diakonia » seu ministerium significanter nuncupatur (cf. *Act.* 1, 17 et 25; 21, 19; *Rom.* 11, 13; *1 Tim.* 1, 12).

Episcoporum autem missio canonica fieri potest per legitimas consuetu-

---

[35] S. COELESTINUS, *Epist.* 18, 1-2, ad Conc. Eph.: *PL* 50, 505 AB; SCHWARTZ, *Acta Conc. Oec.* I, 1, 1, p. 22. Cf. BENEDICTUS XV, Epist. Apost. *Maximum illud*: *A.A.S.*, 11 (1919), p. 440; PIUS XI, Litt. Enc. *Rerum Ecclesiae*, 28 febr. 1926: *A.A.S.*, 18 (1926), p. 69; PIUS XII, Litt. Enc. *Fidei Donum*, l. c.

[36] LEO XIII, Litt. Enc. *Grande munus*, 30 sept. 1880: *A.S.S.*, 13 (1880), p. 145. Cf. *C.I.C.*, can. 1327; can. 1350 § 2.

[37] De iuribus Sedium patriarchalium, cf. CONC. NICAENUM, can. 6 de Alexandria et Antiochia, et can. 7 de Hierosolymis: *Conc. Oec. Decr.*, p. 8; CONC. LATER. IV, anno 1215, Constit. V: *De dignitate Patriarcharum*: ibid., p. 212; CONC. FERR.-FLOR.: ibid., p. 504.

dines, a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directe per ipsum Successorem Petri; quo renuente seu communionem Apostolicam denegante, Episcopi in officium assumi nequeunt.[38]

25. Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii.[39] Episcopi enim sunt fidei praecones, qui novos discipulos ad Christum adducunt, et doctores authentici seu auctoritate Christi praediti, qui populo sibi commisso fidem credendam et moribus applicandam praedicant, et sub lumine Sancti Spiritus illustrant, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferentes (cf. *Mt.* 13, 52), eam fructificare faciunt erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent (cf. *2 Tim.* 4, 1-4). Episcopi in communione cum Romano Pontifice docentes ab omnibus tamquam divinae et catholicae veritatis testes venerandi sunt; fideles autem in sui Episcopi sententiam de fide et moribus nomine Christi prolatam concurrere, eique religioso animi obsequio adhaerere debent. Hoc vero religiosum voluntatis et intellectus obsequium singulari ratione praestandum est Romani Pontificis authentico magisterio etiam cum non ex cathedra loquitur; ita nempe ut magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiis ab eo prolatis sincere adhaereatur, iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue sive indole documentorum, sive ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, sive ex dicendi ratione.

Licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed communionis nexum inter se et cum Successore Petri servantes, authentice res fidei et morum docentes in unam sententiam tamquam definitive tenendam conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter enuntiant.[40] Quod adhuc manifestius habetur quando, in Concilio Oecumenico coadunati, pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices sunt, quorum definitionibus fidei obsequio est adhaerendum.[41]

Haec autem infallibilitas, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, tantum patet quantum divinae Revelationis patet depositum, sancte custodiendum et fideliter exponendum. Qua quidem infallibilitate Romanus Pontifex, Collegii Episcoporum Caput, vi muneris sui gaudet, quando, ut supremus omnium christifidelium pastor et doctor, qui fratres suos in fide confirmat (cf. *Lc.*

---

[38] Cf. *Cod. Iur. pro Eccl. Orient.*, c. 216-314: de Patriarchis; c. 324-339: de Archiepiscopis maioribus; c. 362-391: de aliis dignitariis; in specie, c. 238 § 3; 216; 240; 251; 255: de Episcopis a Patriarcha nominandis.

[39] Cf. CONC. TRID., Decr. de reform., Sess. V, c. 2, n. 9, et Sess. XXIV, can. 4; *Conc. Oec. Decr.*, pp. 645 et 739.

[40] Cf. CONC. VAT. I, Const. dogm. *Dei Filius*, 3: DENZ. 1712 (3011). Cf. nota adiecta ad Schema I *de Eccl.* (desumpta ex S. ROB. BELLARMINO): MANSI 51, 579 C; necnon Schema reformatum Const. II de Ecclesia Christi, cum commentario KLEUTGEN: MANSI 53, 313 AB; PIUS IX, Epist. *Tuas libenter*: DENZ. 1683 (2879).

[41] Cf. *C.I.C.*, cann. 1322-1323.

22, 32), doctrinam de fide vel moribus definitivo actu proclamat.[42] Quare definitiones eius ex sese, et non ex consensu Ecclesiae, irreformabiles merito dicuntur, quippe quae sub assistentia Spiritus Sancti, ipsi in beato Petro promissa, prolatae sint, ideoque nulla indigeant aliorum approbatione, nec ullam ad aliud iudicium appellationem patiantur. Tunc enim Romanus Pontifex non ut persona privata sententiam profert, sed ut universalis Ecclesiae magister supremus, in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest, doctrinam fidei catholicae exponit vel tuetur.[43] Infallibilitas Ecclesiae promissa in corpore Episcoporum quoque inest, quando supremum magisterium cum Petri Successore exercet. Istis autem definitionibus assensus Ecclesiae numquam deesse potest propter actionem eiusdem Spiritus Sancti, qua universus Christi grex in unitate fidei servatur et proficit.[44]

Cum autem sive Romanus Pontifex sive Corpus Episcoporum cum eo sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam Revelationem, cui omnes stare et conformari tenentur et quae scripta vel tradita per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittitur, atque praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia sancte servatur et fideliter exponitur.[45] Ad quam rite indagandam et apte enuntiandam, Romanus Pontifex et Episcopi, pro officio suo et rei gravitate, per media apta, sedulo operam navant; [46] novam vero revelationem publicam tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt.[47]

26. Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est « oeconomus gratiae supremi sacerdotii »,[48] praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat,[49] et qua continuo vivit et crescit Ecclesia. Haec Christi Ecclesia vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus, quae, pastoribus suis adhaerentes, et ipsae in Novo Testamento ecclesiae vocantur.[50] Hae sunt enim loco suo Populus novus a Deo vocatus, in Spiritu Sancto et in plenitudine multa (cf. *1 Thess.* 1, 5). In eis praedicatione Evangelii Christi congregantur fideles et celebratur mysterium Coenae Domini, « ut per escam et sanguinem Domini corporis fraternitas cuncta copuletur ».[51] In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio,[52] exhibetur symbolum illius caritatis et « unitatis Corporis mystici, sine qua non potest

---

[42] Cf. CONC. VAT. I, Const. dogm. *Pastor Aeternus*: DENZ. 1839 (3074).

[43] Cf. explicatio GASSER in CONC. VAT. I: MANSI 52, 1213 AC.

[44] GASSER, *ibid.*: MANSI 1214 A.

[45] GASSER, *ibid.*: MANSI 1215 CD, 1216-1217 A.

[46] GASSER, *ibid.*: MANSI 1213.

[47] CONC. VAT. I, Const. dogm. *Pastor Aeternus,* 4: DENZ. 1836 (3070).

[48] Oratio consecrationis episcopalis in ritu byzantino: *Euchologion to mega,* Romae, 1873, p. 139.

[49] Cf. S. IGNATIUS M., *Smyrn.* 8, 1: ed. FUNK, I, p. 282.

[50] Cf. *Act.* 8, 1; 14, 22-23; 20, 17, et passim.

[51] Oratio mozarabica: *PL* 96, 759 B.

[52] Cf. S. IGNATIUS M., *Smyrn.* 8, 1: ed. FUNK, I, p. 282.

esse salus ».[53] In his communitatibus, licet saepe exiguis et pauperibus, vel in dispersione degentibus, praesens est Christus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia.[54] Etenim « non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus ».[55]

Omnis autem legitima Eucharistiae celebratio dirigitur ab Episcopo, cui officium commissum est cultum christianae religionis Divinae Maiestati deferendi atque administrandi secundum praecepta Domini et Ecclesiae leges, eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi determinatas.

Ita Episcopi, orando pro populo et laborando, de plenitudine sanctitatis Christi multiformiter et abundanter effundunt. Per ministerium verbi virtutem Dei credentibus in salutem communicant (cf. *Rom.* 1, 16), et per sacramenta, quorum regularem et fructuosam distributionem auctoritate sua ordinant,[56] fideles sanctificant. Ipsi regunt collationem baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur. Ipsi sunt ministri originarii confirmationis, dispensatores sacrorum ordinum et moderatores disciplinae poenitentialis, atque populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio partes suas fide et reverentia impleant, sollicite exhortantur et instruunt. Eis denique quibus praesunt exemplo conversationis suae proficere debent, mores suos ab omni malo temperantes et quantum poterint, Domino adiuvante, ad bonum commutando, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniant sempiternam.[57]

27. Episcopi Ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt,[58] consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate et sacra potestate, qua quidem nonnisi ad gregem suum in veritate et sanctitate aedificandum utuntur, memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator (cf. *Lc.* 22, 26-27). Haec potestas qua nomine Christi personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a suprema Ecclesiae auctoritate exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. Vi huius potestatis Episcopi sacrum ius et coram Domino officium habent in suos subditos leges ferendi, iudicium faciendi, atque omnia, quae ad cultus apostolatusque ordinem pertinent, moderandi.

Ipsis munus pastorale seu habitualis et cotidiana cura ovium suarum plene

---

[53] S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 73, a. 3.

[54] Cf. S. AUGUSTINUS, *C. Faustum,* 12, 20: *PL* 42, 265; *Serm.* 57, 7: *PL* 38, 389, etc.

[55] S. LEO M., *Serm.* 63, 7: *PL* 54, 357 C.

[56] *Traditio Apostolica* Hippolyti, 2-3: ed. BOTTE, pp. 26-30.

[57] Cf. textus *examinis* in initio consecrationis episcopalis, et *Oratio* in fine Missae eiusdem consecrationis, post *Te Deum.*

[58] BENEDICTUS XIV, Br. *Romana Ecclesia,* 5 oct. 1752, § 1: *Bullarium Benedicti XIV,* t. IV, Romae, 1758, 21: « Episcopus Christi typum gerit, Eiusque munere fungitur ». PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* l. c., p. 211: « Assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt ».

committitur, neque vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, Antistites dicuntur.[59] Eorum itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur, sed e contra asseritur, roboratur et vindicatur,[60] Spiritu Sancto constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam indefectibiliter servante.

Episcopus, missus a Patrefamilias ad gubernandam familiam suam, ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris, qui venit non ministrari sed ministrare (cf. *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45) et animam suam pro ovibus ponere (cf. *Io.* 10, 11). Assumptus ex hominibus et circumdatus infirmitate, condolere potest iis qui ignorant et errant (cf. *Hebr.* 5, 1-2). Subditos, quos ut veros filios suos fovet et ad alacriter secum cooperandum exhortatur, audire ne renuat. Pro animabus eorum rationem redditurus Deo (cf. *Hebr.* 13, 17) oratione, praedicatione omnibusque operibus caritatis curam habeat tum eorundem, tum etiam illorum qui de uno grege nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat. Ipse, cum sicut Paulus Apostolus cunctis debitor sit, promptus sit omnibus evangelizare (cf. *Rom.* 1, 14-15), fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem exhortari. Fideles autem Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant,[61] et abundent in gloriam Dei (cf. *2 Cor.* 4, 15).

28. Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (*Io.* 10, 36), consecrationis missionisque suae per Apostolos suos, eorum succcessores, videlicet Episcopos participes effecit,[62] qui munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia legitime tradiderunt. Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur.[63] Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt [64] et vi sacramenti Ordinis,[65]

---

[59] LEO XIII, Epist. Enc. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), p. 732; IDEM, Epist. *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 264; PIUS IX, Litt. Apost. ad Episcopos Germaniae, 12 mart. 1875, et All. Consist., 15 mart. 1875: DENZ. 3112-3117, in nova ed. tantum.

[60] CONC. VAT. I, Const. dogm. *Pastor aeternus,* 3: DENZ. 1828 (3061). Cf. Relatio Zinelli: MANSI 52, 1114 D.

[61] Cf. S. IGNATIUS M., *Ad Ephes.* 5, 1: ed. FUNK, I, p. 216.

[62] Cf. S. IGNATIUS M., *Ad Ephes.* 6, 1: ed. FUNK, I, p. 218.

[63] Cf. CONC. TRID., Sess. 23, *De sacr. Ordinis,* cap. 2: DENZ. 958 (1765), et can. 6: DENZ. 966 (1776).

[64] Cf. INNOCENTIUS I, *Epist. ad Decentium*: *PL* 20, 554 A; MANSI 3, 1029; DENZ. 98 (215): « Presbyteri, licet secundi sint *sacerdotes,* pontificatus tamen *apicem* non habent »; S. CYPRIANUS, *Epist.* 61, 3: ed. HARTEL, p. 696.

[65] Cf. CONC. TRID., l. c., DENZ. 956a-968 (1763-1778), et in specie can. 7: DENZ. 967 (1777); PIUS XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*: DENZ. 2301 (3857-61).

ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis (*Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28), ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti.[66] Muneris unici Mediatoris Christi (*1 Tim.* 2, 5) participes in suo gradu ministerii, omnibus verbum divinum annuntiant. Suum vero munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes [67] Eiusque mysterium proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum coniungunt, et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet Sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis (cf. *Hebr.* 9, 11-28), in sacrificio Missae usque ad adventum Domini (cf. *1 Cor.* 11, 26) repraesentant et applicant.[68] Pro fidelibus autem poenitentibus vel aegrotantibus ministerio reconciliationis et alleviationis summe funguntur, et necessitates ac preces fidelium ad Deum Patrem afferunt (cf. *Hebr.* 5, 1-4). Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes,[69] familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam,[70] colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt. In medio gregis Eum in spiritu et veritate adorant (cf. *Io.* 4, 24). In verbo demum et doctrina laborant (cf. *1 Tim.* 5, 17), credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint.[71]

Presbyteri, ordinis Episcopalis providi cooperatores [72] eiusque adiutorium et organum, ad Populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium [73] cum suo Episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum. In singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum, quocum fidenti et magno animo consociantur, quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt et cura cotidiana exercent. Qui sub auctoritate Episcopi portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt, Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt et in aedificando toto corpore Christi (cf. *Eph.* 4, 12) validam opem afferunt. Ad bonum autem filiorum Dei semper intenti operam suam ad opus pastorale totius dioeceseos, immo totius Ecclesiae conferre studeant. Propter hanc in sacerdotio et missione participationem Presbyteri Episcopum vere ut patrem suum agnoscant eique reverenter oboediant. Episcopus vero Sacerdotes cooperatores suos ut

---

[66] Cf. INNOCENTIUS I, *l. c.*; S. GREGORIUS NAZ., *Apol.* II, 22: *PG* 35, 432 B; Ps.-DIONYSIUS, *Eccl. Hier.*, 1, 2: *PG* 3, 372 D.

[67] Cf. CONC. TRID., Sess. 22: DENZ. 940 (1743); PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 553; DENZ. 2300 (3850).

[68] Cf. CONC. TRID., Sess. 22: DENZ. 938 (1739-40); CONC. VAT. II, Const. *De Sacra Liturgia,* n. 7 et n. 47.

[69] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei,* l. c., sub n. 67.

[70] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 11, 3: *PL* 4, 242 B; HARTEL, II, 2, p. 497.

[71] *Ordo consecrationis sacerdotalis,* in impositione vestimentorum.

[72] *Ordo consecrationis sacerdotalis,* in praefatione.

[73] Cf. S. IGNATIUS M., *Philad.* 4: ed. FUNK, I, p. 266; S. CORNELIUS I, apud S. CYPRIANUM, *Epist.* 48, 2: HARTEL, III, 2, p. 610.

filios et amicos consideret, sicut Christus discipulos suos iam non servos, sed amicos vocat (cf. *Io.* 15, 15). Corpori igitur Episcoporum, ratione Ordinis et ministerii, omnes sacerdotes, tum dioecesani tum religiosi coaptantur et bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia inserviunt.

Vi communis sacrae ordinationis et missionis Presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur, quae sponte ac libenter sese manifestet in mutuo auxilio, tam spirituali quam materiali, tam pastorali quam personali, in conventibus et communione vitae, laboris et caritatis.

Fidelium vero, quos spiritualiter baptismate et doctrina genuerunt (cf. *1 Cor.* 4, 15; *1 Pt.* 1, 23), curam tamquam patres in Christo agant. Forma facti gregis ex animo (*1 Pt.* 5, 3) suae communitati locali ita praesint et inserviant, ut ista digne vocari possit illo nomine, quo unus et totus Populus Dei insignitur, Ecclesiae scilicet Dei (cf. *1 Cor.* 1, 2; *2 Cor.* 1, 1; et passim). Memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, faciem ministerii vere sacerdotalis et pastoralis exhibere, omnibusque testimonium veritatis et vitae reddere debere, et ut boni pastores illos quoque quaerere (cf. *Lc.* 15, 4-7), qui baptizati quidem in Ecclesia catholica a praxi sacramentorum, vel imo a fide defecerunt.

Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ductu Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur.

29. In gradu inferiori hierarchiae sistunt Diaconi, quibus « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » manus imponuntur.[74] Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiae, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt. Diaconi est, prout ei a competenti auctoritate assignatum fuerit, solemniter baptismum administrare, Eucharistiam servare et distribuere, matrimonio Ecclesiae nomine adsistere et benedicere, Viaticum moribundis deferre, fidelibus sacram legere Scripturam, populum instruere et exhortari, fidelium cultui et orationi praesidere, sacramentalia ministrare, ritui funeris ac sepulturae praeesse. Caritatis et administrationis officiis dediti, meminerint Diaconi moniti Beati Polycarpi: « Misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est ».[75]

Cum vero haec munera, ad vitam Ecclesiae summopere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri

---

[74] *Constitutiones Ecclesiae aegyptiacae,* III, 2: ed. FUNK, *Didascalia,* II, p. 103; *Statuta Eccl. Ant.* 37-41: MANSI 3, 954.

[75] S. POLYCARPUS, *Ad Phil.* 5, 2: ed. FUNK, I, p. 300: Christus dicitur « omnium diaconus factus ». Cf. *Didachè,* 15, 1: ibid., p. 32; S. IGNATIUS M., *Trall.* 2, 3: ibid., p. 242; *Constitutiones Apostolorum,* 8, 28, 4: ed. FUNK, *Didascalia,* I, p. 530.

difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit. Ad competentes autem varii generis territoriales Episcoporum coetus, approbante ipso Summo Pontifice, spectat decernere, utrum et ubinam pro cura animarum huiusmodi diaconos institui opportunum sit. De consensu Romani Pontificis hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit, necnon iuvenibus idoneis, pro quibus tamen lex coelibatus firma remanere debet.

CAPUT IV

DE LAICIS

30. Sancta Synodus, muneribus Hierarchiae declaratis, libenter animum advertit statui illorum Christifidelium qui laici nuncupantur. Quodsi omnia quae de Populo Dei dicta sunt, ad laicos, religiosos et clericos aequaliter diriguntur, laicis tamen, viris et mulieribus, ratione condicionis et missionis, quaedam particulariter pertinent, quorum fundamenta ob specialia rerum adiuncta nostri temporis magis expendenda sunt. Pastores enim sacri probe norunt quantum laici ad bonum totius Ecclesiae conferant. Sciunt enim Pastores se a Christo non esse institutos, ut totam missionem salvificam Ecclesiae versus mundum in se solos suscipiant, sed praeclarum munus suum esse ita pascere fideles eorumque ministrationes et charismata ita recognoscere, ut cuncti suo modo ad commune opus unanimiter cooperentur. Oportet enim, ut omnes « veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 4, 15-16).

31. Nomine laicorum hic intelleguntur omnes christifideles praeter membra ordinis sacri et status religiosi in Ecclesia sanciti, christifideles scilicet qui, utpote baptismate Christo concorporati, in Populum Dei constituti, et de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, pro parte sua missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent.

Laicis indoles saecularis propria et peculiaris est. Membra enim ordinis sacri, quamquam aliquando in saecularibus versari possunt, etiam saecularem professionem exercendo, ratione suae particularis vocationis praecipue et ex professo ad sacrum ministerium ordinantur, dum religiosi suo statu praeclarum et eximium testimonium reddunt, mundum transfigurari Deoque offerri non posse sine spiritu beatitudinum. Laicorum est, ex vocatione propria, res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere. In saeculo vivunt, scilicet in omnibus et singulis mundi officiis et operibus et in ordinariis vitae familiaris et socialis condicionibus, quibus eorum exsistentia quasi contexitur. Ubi a Deo vocantur, ut suum proprium munus exercendo,

spiritu evangelico ducti, fermenti instar ad mundi sanctificationem velut ab intra conferant, sicque praeprimis testimonio vitae suae, fide, spe et caritate fulgentes, Christum aliis manifestent. Ad illos ergo peculiari modo spectat res temporales omnes, quibus arcte coniunguntur, ita illuminare et ordinare, ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem Creatoris et Redemptoris.

32. Ecclesia sancta, ex divina institutione, mira varietate ordinatur et regitur. « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (*Rom.* 12, 4-5).

Unus est ergo Populus Dei electus: « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5); communis dignitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes indivisaque caritas. Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata stirpe vel natione, condicione sociali vel sexu, quia « non est Iudaeus neque Graecus: non est servus neque liber: non est masculus neque femina. Omnes enim vos " unus " estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28 gr.; cf. *Col.* 3, 11).

Si igitur in Ecclesia non omnes eadem via incedunt, omnes tamen ad sanctitatem vocantur et coaequalem sortiti sunt fidem in iustitia Dei (cf. *2 Pt.* 1, 1). Etsi quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores pro aliis constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem circa aedificationem Corporis Christi. Distinctio enim quam Dominus posuit inter sacros ministros et reliquum Populum Dei, secumfert coniunctionem, cum Pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur; Ecclesiae Pastores, exemplum Domini secuti, sibi invicem aliisque fidelibus ministrent, hi autem alacriter Pastoribus et doctoribus sociam operam praestent. Sic in varietate omnes testimonium perhibent de mirabili unitate in Corpore Christi: ipsa enim diversitas gratiarum, ministrationum et operationum filios Dei in unum colligit, quia « haec omnia operatur unus atque idem Spiritus » (*1 Cor.* 12, 11).

Laici igitur sicut ex divina dignatione fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare (cf. *Mt.* 20, 28), ita etiam fratres habent eos, qui in sacro ministerio positi, auctoritate Christi docendo et sanctificando et regendo familiam Dei ita pascunt, ut mandatum novum caritatis ab omnibus impleatur. Quocirca pulcherrime dicit S. Augustinus: « Ubi me terret quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum episcopus, vobiscum sum christianus. Illud est nomen officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».[1]

33. Laici in Populo Dei congregati et in uno Corpore Christi sub uno

---

[1] S. AUGUSTINUS, *Serm.* 340, 1: *PL* 38, 1483.

capite constituti, quicumque sunt, vocantur, ut tamquam viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, conferant.

Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae, ad quem apostolatum omnes ab ipso Domino per baptismum et confirmationem deputantur. Sacramentis autem, praesertim sacra Eucharistia, communicatur et alitur illa caritas erga Deum et homines, quae anima est totius apostolatus. Laici autem speciatim ad hoc vocantur, ut praesentem et actuosam reddant Ecclesiam in eis locis et rerum adiunctis, ubi ipsa nonnisi per eos sal terrae evadere potest.[2] Sic omnis laicus, ex ipsis donis sibi collatis, testis simul et vivum instrumentum missionis ipsius Ecclesiae exsistit « secundum mensuram donationis Christi » (*Eph.* 4, 7).

Praeter hunc apostolatum, qui ad omnes omnino christifideles spectat, laici insuper diversis modis ad cooperationem magis immediatam cum apostolatu Hierarchiae vocari possunt,[3] ad modum illorum virorum ac mulierum, qui Paulum apostolum in Evangelio adiuvabant, multum in Domino laborantes (cf. *Phil.* 4, 3; *Rom.* 16, 3 ss.). Praeterea aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spiritualem exercenda, ab Hierarchia adsumantur.

Omnibus igitur laicis onus praeclarum incumbit adlaborandi, ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis magisque pertingat. Via proinde eisdem undequaque pateat, ut pro suis viribus temporumque necessitatibus opus salutare Ecclesiae naviter et ipsi participent.

34. Supremus et aeternus Sacerdos Christus Iesus, cum etiam per laicos suum testimonium suumque servitium continuare velit, eos suo Spiritu vivificat indesinenterque impellit ad omne opus bonum et perfectum.

Illis enim, quos vitae et missioni suae intime coniungit, etiam sui muneris sacerdotalis partem tribuit ad cultum spiritualem exercendum, ut glorificetur Deus et salventur homines. Qua de causa laici, utpote Christo dicati et Spiritu Sancto uncti, mirabiliter vocantur et instruuntur, ut uberiores semper fructus Spiritus in ipsis producantur. Omnia enim eorum opera, preces et incepta apostolica, conversatio coniugalis et familiaris, labor quotidianus, animi corporisque relaxatio, si in Spiritu peragantur, immo molestiae vitae si patienter sustineantur, fiunt spirituales hostiae, acceptabiles Deo per Iesum Christum (cf. *1 Pt.* 2, 5), quae in Eucharistiae celebratione, cum dominici Corporis oblatione, Patri piissime offeruntur. Sic et laici, qua adoratores ubique sancte agentes, ipsum mundum Deo consecrant.

---

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 221 s.; PIUS XII, All. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 790 s.

[3] Cf. PIUS XII, Alloc. *Six ans se sont écoulés,* 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927.

35. Christus, Propheta magnus, qui et testimonio vitae et verbi virtute Regnum proclamavit Patris, usque ad plenam manifestationem gloriae suum munus propheticum adimplet, non solum per Hierarchiam, quae nomine et potestate Eius docet, sed etiam per laicos, quos ideo et testes constituit et sensu fidei et gratia verbi instruit (cf. *Act.* 2, 17-18; *Apoc.* 19, 10), ut virtus Evangelii in vita quotidiana, familiari et sociali eluceat. Ipsi se praebent ut filios repromissionis, si fortes in fide et spe praesens momentum redimunt (cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, 5) et futuram gloriam per patientiam exspectant (cf. *Rom.* 8, 25). Hanc autem spem non in animi interioritate abscondant, sed conversione continua et colluctatione « adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae » (*Eph.* 6, 12) etiam per vitae saecularis structuras exprimant.

Sicut sacramenta Novae Legis, quibus vita et apostolatus fidelium alitur, caelum novum et terram novam (cf. *Apoc.* 21, 1) praefigurant, ita laici evadunt validi praecones fidei sperandarum rerum (cf. *Hebr.* 11, 1), si cum vita ex fide professionem fidei inhaesitanter coniungunt. Haec evangelizatio, nuntium Christi scilicet et testimonio vitae et verbo prolatum, notam quamdam specificam et peculiarem efficacitatem acquirit ex hoc, quod in communibus condicionibus saeculi completur.

Quo in munere magni pretii apparet ille status vitae, qui speciali sacramento sanctificatur, scilicet vita matrimonialis et familiaris. Ibi exercitium et schola praeclara apostolatus laicorum habetur, ubi religio christiana totam vitae institutionem pervadit et in dies magis transformat. Ibi coniuges propriam habent vocationem, ut sibi invicem et filiis sint testes fidei et amoris Christi. Familia christiana tum praesentes virtutes Regni Dei tum spem vitae beatae alta voce proclamat. Ita exemplo et testimonio suo arguit mundum de peccato et eos qui veritatem quaerunt illuminat.

Proinde laici, etiam quando curis temporalibus occupantur, pretiosam actionem ad evangelizandum mundum exercere possunt et debent. Quodsi quidam eorum, deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, quaedam officia sacra pro facultate supplent; et si plures quidem ex eis totas vires suas in opere apostolico impendunt: universos tamen oportet ad dilatationem et incrementum Regni Christi in mundo cooperari. Quapropter laici sollerter in profundiorem cognitionem veritatis revelatae incumbant, et instanter a Deo sapientiae donum impetrent.

36. Christus, factus oboediens usque ad mortem et propter hoc a Patre exaltatus (cf. *Phil.* 2, 8-9), in gloriam regni sui intravit. Cui omnia subiiciuntur, donec Ipse se cunctaque creata Patri subiiciat, ut sit Deus omnia in omnibus (cf. *1 Cor.* 15, 27-28). Quam potestatem discipulis communicavit, ut et illi in regali libertate constituantur et sui abnegatione vitaque sancta regnum peccati in seipsis devincant (cf. *Rom.* 6, 12), immo ut Christo etiam in aliis servientes, fratres suos ad Regem, cui servire regnare est, humilitate et patientia perducant. Dominus enim regnum suum etiam per laicos fideles dilatare cupit, regnum scilicet veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae,

regnum iustitiae, amoris et pacis;[4] in quo regno ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (cf. *Rom.* 8, 21). Magna sane promissio, magnumque mandatum discipulis datur: « Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 23).

Fideles igitur totius creaturae intimam naturam, valorem et ordinationem in laudem Dei agnoscere, et per opera etiam saecularia se invicem ad sanctiorem vitam adiuvare debent, ita ut mundus spiritu Christi imbuatur atque in iustitia, caritate et pace finem suum efficacius attingat. In quo officio universaliter adimplendo laici praecipuum locum obtinent. Sua igitur in profanis disciplinis competentia suaque activitate, gratia Christi intrinsecus elevata, valide conferant operam, ut bona creata secundum Creatoris ordinationem Eiusque Verbi illuminationem humano labore, arte technica, civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in humana et christiana libertate conducant. Ita Christus per Ecclesiae membra totam societatem humanam suo salutari lumine magis magisque illuminabit.

Laici praeterea, collatis quoque viribus, instituta et condiciones mundi, si qua mores ad peccatum incitant, ita sanent, ut haec omnia ad iustitiae normas conformentur et virtutum exercitio potius faveant quam obsint. Ita agendo culturam operaque humana valore morali imbuent. Hoc modo simul ager mundi melius pro semine verbi divini paratur, et Ecclesiae latius patent portae, quibus praeconium pacis in mundum introeat.

Propter ipsam oeconomiam salutis, fideles discant sedulo distinguere inter iura et officia quae eis incumbunt, quatenus Ecclesiae aggregantur, et ea quae eis competunt, ut sunt humanae societatis membra. Utraque inter se harmonice consociare satagent, memores se, in quavis re temporali, christiana conscientia duci debere, cum nulla humana activitas, ne in rebus temporalibus quidem, Dei imperio subtrahi possit. Nostro autem tempore maxime oportet ut distinctio haec simul et harmonia quam clarissime in modo agendi fidelium elucescant, ut missio Ecclesiae particularibus mundi hodierni condicionibus plenius respondere valeat. Sicut enim agnoscendum est terrenam civitatem, saecularibus curis iure addictam propriis regi principiis, ita infausta doctrina, quae societatem, nulla habita religionis ratione, exstruere contendit et libertatem religiosam civium impugnat et eruit, merito reiicitur.[5]

37. Laici, sicut omnes christifideles, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et sacramentorum adiumenta a sacris Pastoribus abundanter accipiendi,[6] hisque necessitates et optata sua ea libertate et fidu-

---

[4] Ex *Praefatione* festi Christi Regis.

[5] Cf. LEO XIII, Epist. Enc. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885)), p. 166 ss.; IDEM, Litt. Enc. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889-90), p. 397 ss.; PIUS XII, All. *Alla vostra filiale,* 23 mart. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 220: « la legittima sana laicità dello Stato ».

[6] *C.I.C.,* can. 682.

cia, quae filios Dei et fratres in Christo decet, patefaciant. Pro scientia, competentia et praestantia quibus pollent, facultatem, immo aliquando et officium habent suam sententiam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt declarandi.[7] Hoc fiat, si casus ferat, per instituta ad hoc ab Ecclesia stabilita, et semper in veracitate, fortitudine et prudentia, cum reverentia et caritate erga illos, qui ratione sacri sui muneris personam Christi gerunt.

Laici, sicut omnes christifideles, illa quae sacri Pastores, utpote Christum repraesentantes, tamquam magistri et rectores in Ecclesia statuunt, christiana oboedientia prompte amplectantur, Christi exemplum secuti, qui, sua oboedientia usque ad mortem, beatam libertatis filiorum Dei viam omnibus hominibus aperuit. Neque omittant precibus suis Praepositos suos Deo commendare, quippe qui pervigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes (cf. *Hebr.* 13, 17).

Sacri vero Pastores laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant et promoveant; libenter eorum prudenti consilio utantur, cum confidentia eis in servitium Ecclesiae officia committant et eis agendi libertatem et spatium relinquant, immo animum eis addant, ut etiam sua sponte opera aggrediantur. Paterno cum amore coepta, vota et desideria a laicis proposita attente in Christo considerent.[8] Iustam autem libertatem, quae omnibus in civitate terrestri competit, Pastores observanter agnoscent.

Ex hoc familiari commercio inter Laicos et Pastores permulta bona Ecclesiae exspectanda sunt: ita enim in laicis roboratur propriae responsabilitatis sensus, fovetur alacritas, et facilius laicorum vires Pastorum operi associantur. Hi vero, laicorum experientia adiuti, tam in rebus spiritualibus quam in temporalibus, distinctius et aptius iudicare valent, ita ut tota Ecclesia, ab omnibus membris suis roborata, suam pro mundi vita missionem efficacius compleat.

38. Unusquisque laicus debet esse coram saeculo testis resurrectionis et vitae Domini Iesu atque signum Dei vivi. Omnes insimul et unusquisque pro sua parte mundum fructibus spiritualibus alere debent (cf. *Gal.* 5, 22), in eumque spiritum diffundere, quo animantur illi pauperes, mites et pacifici, quos Dominus in Evangelio beatos proclamavit (cf. *Mt.* 5, 3-9). Uno verbo, « quod anima est in corpore, hoc sint in mundo christiani ».[9]

---

[7] Cf. PIUS XII, All. *De quelle consolation,* l. c., p. 789: « Dans les batailles décisives, c'est parfois du front que partent les plus heureuses initiatives ... ». IDEM, Alloc. *L'importance de la presse catholique,* 17 febr. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 256.

[8] Cf. *1 Thess.* 5, 19 et *1 Io.* 4, 1.

[9] *Epist. ad Diognetum,* 6: ed. FUNK, I, p. 400. Cf. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Mt.* Hom. 46 (47), 2: *PG* 58, 478, de fermento in massa.

Caput V

DE UNIVERSALI VOCATIONE AD SANCTITATEM IN ECCLESIA

39. Ecclesia, cuius mysterium a Sacra Synodo proponitur, indefectibiliter sancta creditur. Christus enim, Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu « solus Sanctus » celebratur,[1] Ecclesiam tamquam sponsam suam dilexit, Seipsum tradens pro ea, ut illam sanctificaret (cf. *Eph.* 5, 25-26), eamque Sibi ut corpus suum coniunxit atque Spiritus Sancti dono cumulavit, ad gloriam Dei. Ideo in Ecclesia omnes, sive ad Hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur, iuxta illud Apostoli: « Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra » (*1 Thess.* 4, 3; cf. *Eph.* 1, 4). Haec autem Ecclesiae sanctitas in gratiae fructibus quos Spiritus in fidelibus producit, incessanter manifestatur et manifestari debet; multiformiter exprimitur apud singulos, qui in suo vitae ordine ad perfectionem caritatis, aedificantes alios, tendunt; proprio quodam modo apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt. Quae consiliorum praxis, Spiritu Sancto impellente, a multis christianis assumpta, sive privatim sive in conditione vel statu in Ecclesia sancitis, praeclarum in mundo fert, et ferre oportet, eiusdem sanctitatis testimonium et exemplum.

40. Omnis perfectionis divinus Magister et Exemplar, Dominus Iesus, sanctitatem vitae, cuius Ipse et auctor et consummator exstat, omnibus et singulis discipulis suis cuiuscumque conditionis praedicavit: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48).[2] In omnes enim Spiritum Sanctum misit, qui eos intus moveat, ut Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute sua (cf. *Mc.* 12, 30), et ut invicem se diligant sicut Christus eos dilexit (cf. *Io.* 13, 34; 15, 12). Christi asseclae a Deo non secundum opera sua, sed secundum propositum et gratiam Eius vocati atque in Iesu Domino iustificati, in fidei baptismate vere filii Dei et consortes divinae naturae, ideoque reapse sancti effecti sunt. Eos proinde oportet sanctificationem quam acceperunt, Deo dante, vivendo tenere atque perficere. Ab Apostolo monentur, ut vivant « sicut decet sanctos » (*Eph.* 5, 3), et induant « sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam » (*Col.* 3, 12), fructusque Spiritus habeant in sanctificationem (cf. *Gal.* 5, 22; *Rom.* 6, 22). Cum vero in multis offendamus omnes (cf. *Iac.* 3, 2),

---

[1] Missale Romanum, *Gloria in excelsis*. Cf. *Lc.* 1, 35; *Mc.* 1, 24; *Lc.* 4, 34; *Io.* 6, 69 (ho hagios tou Theou); *Act.* 3, 14; 4, 27 et 30; *Hebr.* 7, 26; *1 Io.* 2, 20; *Apoc.* 3, 7.

[2] Cf. Origenes, *Comm. Rom.* 7, 7: *PG* 14, 1122 B; Ps.-Macarius, *De Oratione*, 11: *PG* 34, 861 AB; S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3.

misericordiae Dei iugiter egemus atque orare quotidie debemus: « Et dimitte nobis debita nostra » (*Mt.* 6, 12).[3]

Cunctis proinde perspicuum est, omnes christifideles cuiuscumque status vel ordinis ad vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem vocari,[4] qua sanctitate, in societate quoque terrena, humanior vivendi modus promovetur. Ad quam perfectionem adipiscendam fideles vires secundum mensuram donationis Christi acceptas adhibeant, ut Eius vestigia sequentes Eiusque imagini conformes effecti, voluntatem Patris in omnibus obsequentes, gloriae Dei et servitio proximi toto animo sese devoveant. Ita sanctitas Populi Dei in abundantes fructus excrescet, sicut in Ecclesiae historia per tot Sanctorum vitam luculenter commonstratur.

41. In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur ab omnibus, qui a Spiritu Dei aguntur, atque voci Patri oboedientes Deumque Patrem in spiritu et veritate adorantes, Christum pauperem, humilem, et crucem baiulantem sequuntur, ut gloriae Eius mereantur esse consortes. Unusquisque vero secundum propria dona et munera per viam fidei vivae, quae spem excitat et per caritatem operatur, incunctanter incedere debet.

Gregis Christi Pastores imprimis oportet, ut ad imaginem summi et aeterni Sacerdotis, Pastoris et Episcopi animarum nostrarum, sancte et alacriter, humiliter et fortiter exsequantur ministerium suum, quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praecelsum sanctificationis medium. Ad plenitudinem sacerdotii electi, sacramentali gratia donantur, ut orando, sacrificando et praedicando, per omnem formam episcopalis curae et servitii, perfectum pastoralis caritatis munus exerceant,[5] animam suam pro ovibus ponere ne timeant et forma facti gregis (cf. *1 Pt.* 5, 3), Ecclesiam etiam exemplo suo ad maiorem in dies sanctitatem promoveant.

Presbyteri in similitudinem ordinis Episcoporum, quorum spiritualem coronam efformant,[6] de eorum muneris gratia participantes per Christum, aeternum et unicum Mediatorem, quotidiano officii sui exercitio in Dei proximique amore crescant, communionis sacerdotalis vinculum servent, in omni bono spirituali abundent atque vivum Dei testimonium omnibus praestent,[7]

---

[3] Cf. S. Augustinus, *Retract.* II, 18: *PL* 32, 637 s.; Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 225.

[4] Cf. Pius XI, Litt. Enc. *Rerum omnium,* 26 ian. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), p. 50 et pp. 59-60; Litt. Enc. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 548; Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 117; All. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 27-28; All. *Nel darvi,* 1 iul. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 574 s.

[5] Cf. S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 5 et 6; *De perf. vitae spir.,* c. 18; Origenes, *In Is.,* Hom. 6, 1: *PG* 13, 239.

[6] Cf. S. Ignatius M., *Magn.* 13, 1: ed. Funk, I, p. 241.

[7] Cf. S. Pius X, Exhort. *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *A.S.S.,* 41 (1908), p. 560 s.; *C.I.C.,* can. 124; Pius XI, Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 22 s.

aemuli eorum sacerdotum, qui saeculorum decursu, in humili saepe et abscondito servitio praeclarum sanctitatis specimen reliquerunt. Quorum laus est in Ecclesia Dei. Pro plebe sua et toto Populo Dei ex officio precantes et sacrificium offerentes, agnoscendo quod agunt et imitando quod tractant,[8] nedum apostolicis curis, periculis et aerumnis impediantur, per ea potius ad altiorem sanctitatem ascendant, ex abundantia contemplationis actionem suam nutriendo et fovendo, in oblectamentum totius Ecclesiae Dei. Omnes presbyteri et speciatim illi qui peculiari suae ordinationis titulo sacerdotes dioecesani vocantur, meminerint quantum ad suam sanctificationem conferant cum suo Episcopo fidelis coniunctio atque generosa cooperatio.

Missionis autem et gratiae supremi Sacerdotis peculiari modo participes sunt inferioris quoque ordinis ministri, imprimis Diaconi, qui mysteriis Christi et Ecclesiae servientes,[9] ab omni vitio puros se custodire atque Deo placere et omne bonum coram hominibus providere debent (cf. *1 Tim.* 3, 8-10 et 12-13). Clerici, qui a Domino vocati et in partem Eius sepositi, sub vigilantia Pastorum ad officia ministrorum se praeparant, mentes et corda sua tam praeclarae electioni conformare tenentur, in oratione assidui, amore ferventes, quaecumque sunt vera, iusta et bonae famae cogitantes, omnia in gloriam et honorem Dei perficientes. Quibus accedunt illi a Deo electi laici, qui, ut plene se dedant apostolicis operibus, ab Episcopo vocantur et in agro Domini cum multo fructu laborant.[10]

Coniuges autem parentesque christiani oportet ut propriam viam sequentes, amore fideli, totius vitae decursu se invicem in gratia sustineant, et prolem amanter a Deo acceptam christianis doctrinis et evangelicis virtutibus imbuant. Ita enim exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant, et foecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores exsistunt, in signum et participationem illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit.[11] Simile exemplum alio modo praebetur a viduis et innuptis, qui ad sanctitatem et operositatem in Ecclesia, et ipsi haud parum conferre possunt. Ii vero, qui laboribus saepe duris incumbunt, oportet ut humanis operibus seipsos perficiant, concives adiuvent, totamque societatem et creationem ad meliorem statum promoveant, verum etiam ut Christum, cuius manus fabrilibus se exercuerunt et qui semper cum Patre ad salutem omnium operatur, in actuosa caritate imitentur, spe gaudentes, alter alterius onera portantes, atque ipso suo quotidiano labore ad altiorem ascendant sanctitatem etiam apostolicam.

Specialiter etiam Christo pro salute mundi patienti se uniri sciant ii, qui

---

[8] *Ordo consecrationis sacerdotalis,* in Exhortatione initiali.

[9] Cf. S. Ignatius M., *Trall.* 2, 3: ed. Funk, I, p. 244.

[10] Cf. Pius XII, All. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 36.

[11] Pius XI, Litt. Enc. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 548 s.; cf. S. Io. Chrysostomus, *In Ephes.* Hom. 20, 2: *PG* 62, 136 ss.

paupertate, infirmitate, morbo, variisque aerumnis opprimuntur, vel persecutionem propter iustitiam patiuntur, quos Dominus in Evangelio beatos praedicavit et quos « Deus ... omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, Ipse perficiet, confirmabit solidabitque » (*1 Pt.* 5, 10).

Omnes igitur christifideles in vitae suae conditionibus, officiis vel circumstantiis, et per illa omnia, in dies magis sanctificabuntur, si cuncta e manu Patris caelestis cum fide suscipiunt et voluntati divinae cooperantur, caritatem qua Deus dilexit mundum in ipso temporali servitio omnibus manifestando.

42. « Deus caritas est et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo » (*1 Io.* 4, 16). Deus autem caritatem suam in cordibus nostris diffudit per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (cf. *Rom.* 5, 5); ideoque donum primum et maxime necessarium est caritas, qua Deum super omnia et proximum propter Illum diligimus. Ut vero caritas tamquam bonum semen in anima increscat et fructificet, unusquisque fidelis debet verbum Dei libenter audire Eiusque voluntatem, opitulante Eius gratia, opere complere, sacramentis, praesertim Eucharistiae, et sacris actionibus frequenter participare, seseque orationi, sui ipsius abnegationi, fraterno actuoso servitio et omnium virtutum exercitationi constanter applicare. Caritas enim, ut vinculum perfectionis et plenitudo legis (cf. *Col.* 3, 14; *Rom.* 13, 10), omnia sanctificationis media regit, informat ad finemque perducit.[12] Unde caritate tum in Deum tum in proximum signatur verus Christi discipulus.

Cum Iesus, Dei Filius, caritatem suam manifestaverit, animam suam pro nobis ponendo, nemo maiorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro Eo et fratribus suis ponit (cf. *1 Io.* 3, 16; *Io.* 15, 13). Ad hoc ergo maximum amoris testimonium reddendum coram omnibus, praesertim persecutoribus, aliqui christiani iam a primo tempore vocati sunt et semper vocabuntur. Martyrium igitur, quo discipulus Magistro pro mundi salute mortem libere accipienti assimilatur, Eique in effusione sanguinis conformatur, ab Ecclesia eximium donum supremaque probatio caritatis aestimatur. Quod si paucis datur, omnes tamen parati sint oportet, Christum coram hominibus confiteri, Eumque inter persecutiones, quae Ecclesiae numquam desunt, in via crucis subsequi.

Sanctitas Ecclesiae item speciali modo fovetur multiplicibus consiliis, quae Dominus in Evangelio discipulis suis observanda proponit.[13] Inter quae eminet pretiosum gratiae divinae donum, quod a Patre quibusdam datur

---

[12] Cf. S. AUGUSTINUS, *Enchir.* 121, 32: *PL* 40, 288. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 1; PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 660.

[13] De consiliis in genere, cf. ORIGENES, *Comm. Rom.* X, 14: *PG* 14, 1275 B; S. AUGUSTINUS, *De S. Virginitate,* 15, 15: *PL* 40, 403; S. THOMAS, *Summa Theol.* I-II, q. 100, a. 2 C (in fine); II-II, q. 44, a. 4, ad 3.

(cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 7), ut in virginitate vel coelibatu facilius indiviso corde (cf. *1 Cor.* 7, 32-34) Deo soli se devoveant.[14] Haec perfecta propter Regnum caelorum continentia semper in honore praecipuo ab Ecclesia habita est, tamquam signum et stimulus caritatis, ac quidam peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo.

Ecclesia etiam Apostoli monitionem recogitat, qui fideles ad caritatem provocans, eos exhortatur, ut hoc in se sentiant quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-8) et propter nos « egenus factus est, cum esset dives » (*2 Cor.* 8, 9). Huius caritatis et humilitatis Christi imitationem et testimonium cum a discipulis semper praeberi necesse sit, gaudet Mater Ecclesia plures in sinu suo inveniri viros ac mulieres, qui exinanitionem Salvatoris pressius sequuntur et clarius demonstrant, paupertatem in filiorum Dei libertate suscipientes et propriis voluntatibus abrenuntiantes: illi scilicet sese homini propter Deum in re perfectionis ultra mensuram praecepti subiiciunt, ut Christo oboedienti sese plenius conforment.[15]

Omnes igitur christifideles ad sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitantur et tenentur. Attendant igitur omnes, ut affectus suos recte dirigant, ne usu rerum mundanarum et adhaesione ad divitias contra spiritum paupertatis evangelicae a caritate perfecta prosequenda impediantur, monente Apostolo: Qui utuntur hoc mundo, in eo ne sistant: praeterit enim figura huius mundi (cf. *1 Cor.* 7, 31 gr.).[16]

Caput VI

DE RELIGIOSIS

43. Consilia evangelica castitatis Deo dicatae, paupertatis et oboedientiae, utpote in verbis et exemplis Domini fundata et ab Apostolis et Patribus Ecclesiaeque doctoribus et pastoribus commendata, sunt donum divinum, quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat. Ipsa autem auctoritas Ecclesiae, duce Spiritu Sancto, ea interpretari, eorum praxim moderari et etiam stabiles inde vivendi formas constituere curavit. Quo fac-

---

[14] De praestantia sacrae virginitatis, cf. Tertullianus, *Exhort. Cast.* 10: *PL* 2, 925 C; S. Cyprianus, *Hab. Virg.* 3 et 22: *PL* 4, 443 B et 461 A s.; S. Athanasius (?), *De Virg.*: *PG* 28, 252 ss.; S. Io. Chrysostomus, *De Virg.*: *PG* 48, 533 ss.

[15] De spirituali *paupertate* cf. *Mt.* 5, 3 et 19, 21; *Mc.* 10, 21; *Lc.* 18, 22; de *oboedientia* exemplum Christi affertur *Io.* 4, 34 et 6, 38; *Phil.* 2, 8-10; *Hebr.* 10, 5-7. Patres et ordinum fundatores abundant.

[16] De praxi effectiva consiliorum quae non omnibus imponitur, cf. S. Io. Chrysostomus, *In Mt.* Hom. 7, 7: *PG* 57, 81 s.; S. Ambrosius, *De Viduis,* 4, 23: *PL* 16, 241 s.

tum est ut, quasi in arbore ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini ramificata, variae formae vitae solitariae vel communis, variaeque familiae creverint, quae tum ad profectum sodalium, tum ad bonum totius Corporis Christi opes augent.[1] Illae enim familiae sodalibus suis adminicula conferunt stabilitatis in modo vivendi firmioris, doctrinae ad perfectionem prosequendam probatae, communionis in militia Christi fraternae, libertatis per oboedientiam roboratae, ita ut suam religiosam professionem secure implere et fideliter custodire valeant, atque in caritatis via spiritu gaudentes progrediantur.[2]

Status huiusmodi, ratione habita divinae et hierarchicae Ecclesiae constitutionis, non est intermedius inter clericalem et laicalem conditionem, sed ex utraque parte quidam christifideles a Deo vocantur, ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quisque modo, eiusdem missioni salvificae prosint.[3]

44. Per vota aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata, quibus christifidelis ad tria praedicta consilia evangelica se obligat, Deo summe dilecto totaliter mancipatur, ita ut ipse ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo referatur. Per baptismum quidem mortuus est peccato, et Deo sacratus; ut autem gratiae baptismalis uberiorem fructum percipere queat, consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia liberari intendit ab impedimentis, quae ipsum a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere possent, et divino obsequio intimius consecratur.[4] Tanto autem perfectior erit consecratio, quo per firmiora et stabiliora vincula magis repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus.

Cum vero evangelica consilia suos asseclas, per caritatem ad quam ducunt,[5] Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono quoque totius Ecclesiae devoveatur oportet. Inde oritur officium pro viribus et secundum formam propriae vocationis, sive oratione, sive actuosa quoque opera, laborandi ad Regnum Christi in animis radicandum et

---

[1] Cf. ROSWEYDUS, *Vitae Patrum,* Antwerpiae, 1628. *Apophtegmata Patrum*: *PG* 65; PALLADIUS, *Historia Lausiaca*: *PG* 34, 995 ss., ed. C. BUTLER, Cambridge 1898 (1904); PIUS XI, Const. Apost. *Umbratilem,* 8 iul. 1924: *A.A.S.,* 16 (1924), pp. 386-387; PIUS XII, All. *Nous sommes heureux,* 11 apr. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 283.

[2] PAULUS VI, All. *Magno gaudio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 566.

[3] Cf. *C.I.C.,* cann. 487 et 488, 4°; PIUS XII, All. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 27 s.; PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 120 ss.

[4] PAULUS VI, *l. c.,* p. 567.

[5] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3 et q. 188, a. 2; S. BONAVENTURA, Opusc. XI, *Apologia Pauperum,* c. 3, 3: ed. Opera, Quaracchi, t. 8 1898, p. 245 a.

roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum. Unde et Ecclesia propriam indolem variorum Institutorum religiosorum tuetur et fovet.

Evangelicorum proinde consiliorum professio tamquam signum apparet, quod omnia Ecclesiae membra ad officia vocationis christianae impigre adimplenda efficaciter attrahere potest ac debet. Cum enim Populus Dei hic manentem civitatem non habeat, sed futuram inquirat, status religiosus, qui suos asseclas a curis terrenis magis liberat, magis etiam tum bona caelestia iam in hoc saeculo praesentia omnibus credentibus manifestat, tum vitam novam et aeternam redemptione Christi acquisitam testificat, tum resurrectionem futuram et gloriam Regni caelestis praenuntiat. Formam quoque vitae, quam Filius Dei accepit, mundum ingressus ut faceret voluntatem Patris, quamque discipulis Ipsum sequentibus proposuit, idem status pressius imitatur atque in Ecclesia perpetuo repraesentat. Regni Dei denique super omnia terrestria elevationem eiusque summas necessitudines peculiari modo patefacit; supereminentem quoque magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam, in Ecclesia mirabiliter operantem, cunctis hominibus demonstrat.

Status ergo, qui professione consiliorum evangelicorum constituitur, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet.

45. Cum ecclesiasticae Hierarchiae munus sit Populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cf. *Ez.* 34, 14), ad ipsam spectat evangelicorum consiliorum praxim, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, legibus suis sapienter moderari.[6] Ipsa etiam, Spiritus Sancti impulsus dociliter sequens, regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas recipit et ulterius ordinatas authentice adprobat, necnon Institutis ad aedificationem Corporis Christi passim erectis, ut secundum spiritus fundatorum crescant atque floreant, auctoritate sua invigilante et protegente adest.

Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singuli a Summo Pontifice, ratione ipsius in universam Ecclesiam primatus, intuitu utilitatis communis, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximi et ei soli subiici possunt.[7] Similiter possunt propriis auctoritatibus patriarchalibus relinqui aut committi. Ipsi sodales, in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam secundum canonicas leges praestare debent Episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam.[8]

---

[6] Cf. Conc. Vat. I, Schema *De Ecclesia Christi,* cap. XV, et Adnot. 48: Mansi 51, 459 s. et 619 s.; Leo XIII, Epist. *Au milieu des consolations,* 23 dec. 1900: *A.S.S.,* 33 (1900-01), p. 361; Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater,* l. c., p. 114 s.

[7] Cf. Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: *A.S.S.,* 13 (1880-81), p. 483. Pius XII, All. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28 s.

[8] Cf. Pius XII, All. *Annus sacer,* l. c., p. 28; Pius XII, Const. Apost.

Ecclesia autem professionem religiosam non tantum sua sanctione ad status canonici dignitatem erigit, sed eam ut statum Deo consecratum etiam actione sua liturgica exhibet. Ipsa enim Ecclesia, auctoritate sibi a Deo commissa, profitentium vota suscipit, prece sua publica eis auxilia et gratiam a Deo impetrat, eos Deo commendat eisque spiritualem benedictionem impertitur, oblationem eorum sacrificio eucharistico adsocians.

46. Sollicite attendant religiosi, ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies, sive fidelibus sive infidelibus, melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel turbis Regnum Dei annuntiantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, et omnibus benefacientem, semper autem voluntati Patris qui Eum misit oboedientem.[9]

Omnes tandem perspectum habeant, consiliorum evangelicorum professionem, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae indubie magni aestimanda veniunt, tamen personae humanae vero profectui non obstare, sed natura sua ei summopere prodesse. Consilia enim, secundum cuiusquam personalem vocationem voluntarie suscepta, ad cordis purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant et praesertim ad genus vitae virginalis ac pauperis, quod sibi elegit Christus Dominus, quodque Mater Eius Virgo amplexa est, hominem christianum magis conformare valent, ut exemplo tot sanctorum fundatorum comprobatur. Nec quisquam aestimet religiosos consecratione sua aut ab hominibus alienos aut inutiles in civitate terrestri fieri. Nam etsi quandoque coaetaneis suis non directe adsistunt, profundiore tamen modo eos in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis spiritualiter cooperantur, ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur, ne forte in vanum laboraverint qui aedificant eam.[10]

Idcirco denique Sacra Synodus confirmat et laudat viros ac mulieres, Fratres ac Sorores, qui in monasteriis, vel in scholis et nosocomiis, vel in missionibus, constanti et humili fidelitate in praedicta consecratione Sponsam Christi condecorant, omnibusque hominibus generosa ac diversissima servitia praestant.

47. Unusquisque autem ad professionem consiliorum vocatus sedulo curet, ut in quam vocationem a Deo vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem, ad maiorem gloriam unius et indivisae Trinitatis, quae in Christo et per Christum est omnis sanctitatis fons et origo.

Sedes Sapientiae, 31 maii 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 355; PAULUS VI, *l. c.,* pp. 570-571.

[9] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 214 s.

[10] Cf. PIUS XII, All. *Annus sacer,* l. c., p. 30; All. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 39 s.

CAPUT VII

DE INDOLE ESCHATOLOGICA ECCLESIAE PEREGRINANTIS EIUSQUE UNIONE CUM ECCLESIA CAELESTI

48. Ecclesia, ad quam in Christo Iesu vocamur omnes et in qua per gratiam Dei sanctitatem acquirimus, nonnisi in gloria caelesti consummabitur, quando adveniet tempus restitutionis omnium (*Act.* 3, 21) atque cum genere humano universus quoque mundus, qui intime cum homine coniungitur et per eum ad finem suum accedit, perfecte in Christo instaurabitur (cf. *Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 20; *2 Pt.* 3, 10-13).

Christus quidem exaltatus a terra omnes traxit ad seipsum (cf. *Io.* 12, 32 gr.); resurgens ex mortuis (cf. *Rom.* 6, 9) Spiritum suum vivificantem in discipulos immisit et per eum Corpus suum quod est Ecclesia ut universale salutis sacramentum constituit; sedens ad dexteram Patris continuo operatur in mundo ut homines ad Ecclesiam perducat arctiusque per eam sibi coniungat ac proprio Corpore et Sanguine illos nutriendo gloriosae vitae suae faciat esse participes. Restitutio ergo quam promissam exspectamus, iam incepit in Christo, provehitur in missione Spiritus Sancti et per Eum pergit in Ecclesia in qua per fidem de sensu quoque vitae nostrae temporalis edocemur, dum opus a Patre nobis in mundo commissum cum spe futurorum bonorum ad finem perducimus et salutem nostram operamur (cf. *Phil.* 2, 12).

Iam ergo fines saeculorum ad nos pervenerunt (cf. *1 Cor.* 10, 11) et renovatio mundi irrevocabiliter est constituta atque in hoc saeculo reali quodam modo anticipatur: etenim Ecclesia iam in terris vera sanctitate licet imperfecta insignitur. Donec tamen fuerint novi caeli et nova terra, in quibus iustitia habitat (cf. *2 Pt.* 3, 13), Ecclesia peregrinans, in suis sacramentis et institutionibus, quae ad hoc aevum pertinent, portat figuram huius saeculi quae praeterit et ipsa inter creaturas degit quae ingemiscunt et parturiunt usque adhuc et exspectant revelationem filiorum Dei (cf. *Rom.* 8, 19-22).

Coniuncti ergo Christo in Ecclesia et signati Spiritu Sancto « qui est pignus hereditatis nostrae » (*Eph.* 1, 14), vere filii Dei nominamur et sumus (cf. *1 Io.* 3, 1), sed nondum apparuimus cum Christo in gloria (cf. *Col.* 3, 4), in qua similes Deo erimus, quoniam videbimus Eum sicuti est (cf. *1 Io.* 3, 2). Itaque « dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino » (*2 Cor.* 5, 6) et primitias Spiritus habentes intra nos gemimus (cf. *Rom.* 8, 23) et cupimus esse cum Christo (cf. *Phil.* 1, 23). Eadem autem caritate urgemur ut magis vivamus Ei, qui pro nobis mortuus est et resurrexit (cf. *2 Cor.* 5, 15). Contendimus ergo in omnibus placere Domino (cf. *2 Cor.* 5, 9) et induimus armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli et resistere in die malo (cf. *Eph.* 6, 11-13). Cum vero nesciamus diem neque horam, monente Domino, constanter vigilemus oportet ut, expleto unico terrestris nostrae vitae cursu (cf. *Hebr.* 9, 27), cum Ipso ad nuptias intrare et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46), neque sicut servi mali et

pigri (cf. *Mt.* 25, 26) iubeamur discedere in ignem aeternum (cf. *Mt.* 25, 41), in tenebras exteriores ubi « erit fletus et stridor dentium » (*Mt.* 22, 13 et 25, 30). Etenim, antequam cum Christo glorioso regnemus, omnes nos manifestabimur « ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum » (*2 Cor.* 5, 10) et in fine mundi « procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii » (*Io.* 5, 29; cf. *Mt.* 25, 46). Existimantes proinde quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18; cf. *2 Tim.* 2, 11-12), fortes in fide exspectamus « beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (*Tit.* 2, 13), « qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corporis claritatis suae » (*Phil.* 3, 21) et qui veniet « glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt » (*2 Thess.* 1, 10).

49. Donec ergo Dominus venerit in maiestate sua et omnes Angeli cum eo (cf. *Mt.* 25, 31) et, destructa morte, Illi subiecta fuerint omnia (cf. *1 Cor.* 15, 26-27), alii e discipulis Eius in terris peregrinantur, alii hac vita functi purificantur, alii vero glorificantur intuentes « clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est »; [1] omnes tamen, gradu quidem modoque diverso, in eadem Dei et proximi caritate communicamus et eundem hymnum gloriae Deo nostro canimus. Universi enim qui Christi sunt, Spiritum Eius habentes, in unam Ecclesiam coalescunt et invicem cohaerent in Ipso (cf. *Eph.* 4, 16). Viatorum igitur unio cum fratribus qui in pace Christi dormierunt, minime intermittitur, immo secundum perennem Ecclesiae fidem, spiritualium bonorum communicatione roboratur.[2] Ex eo enim quod caelites intimius cum Christo uniuntur, totam Ecclesiam in sanctitatem firmius consolidant, cultum, quem ipsa hic in terris Deo exhibet, nobilitant ac multipliciter ad ampliorem eius aedificationem contribuunt (cf. *1 Cor.* 12, 12-27).[3] Nam in patriam recepti et praesentes ad Dominum (cf. *2 Cor.* 5, 8), per Ipsum, cum Ipso et in Ipso non desinunt apud Patrem pro nobis intercedere,[4] exhibentes merita quae per unum Mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum (cf. *1 Tim.* 2, 5) in terris sunt adepti, Domino in omnibus servientes et adimplentes ea quae desunt passionum Christi in carne sua pro Corpore Eius quod est Ecclesia

---

[1] CONC. FLORENTINUM, *Decretum pro Graecis*: DENZ. 693 (1305).

[2] Praeter documenta antiquiora contra quamlibet formam evocationis spirituum inde ab Alexandro IV (27 sept. 1258), cf. Enc. S. S. C. S. OFFICII, *De magnetismi abusu,* 4 aug. 1856: *A.S.S.*, (1865), pp. 177-178; DENZ. 1653-1654 (2823-2825); responsionem S. S. C. S. OFFICII, 24 apr. 1917: *A.A.S.*, 9 (1917), p. 268; DENZ. 2182 (3642).

[3] Videatur synthetica expositio huius doctrinae paulinae in: PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943, p. 200 et passim.

[4] Cf., i. a., S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 85, 24: *PL* 37, 1099; S. HIERONYMUS, *Liber contra Vigilantium,* 6: *PL* 23, 344; S. THOMAS, *In 4^m^ Sent.*, d. 45, q. 3, a. 2; S. BONAVENTURA, *In 4^m^ Sent.*, d. 45, a. 3, q. 2; etc.

(cf. *Col.* 1, 24).[5] Eorum proinde fraterna sollicitudine infirmitas nostra plurimum iuvatur.

50. Hanc communionem totius Iesu Christi Mystici Corporis apprime agnoscens, Ecclesia viatorum inde a primaevis christianae religionis temporibus, defunctorum memoriam magna cum pietate excoluit [6] et, « quia sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur » (*2 Mach.* 12, 46), etiam suffragia pro illis obtulit. Apostolos autem et martyres Christi, qui sui sanguinis effusione supremum fidei et caritatis testimonium dederant, in Christo arctius nobis coniunctos esse Ecclesia semper credidit, eos simul cum Beata Virgine Maria et sanctis Angelis peculiari affectu venerata est,[7] eorumque intercessionis auxilium pie imploravit. Quibus mox adnumerati sunt alii quoque qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati [8] et tandem ceteri quos praeclarum virtutum christianarum exercitium [9] ac divina charismata piae fidelium devotioni et imitationi commendabant.[10]

Dum enim illorum conspicimus vitam qui Christum fideliter sunt secuti, nova ratione ad futuram Civitatem inquirendam (cf. *Hebr.* 13, 14 et 11, 10) incitamur simulque tutissimam edocemur viam qua inter mundanas varietates, secundum statum ac condicionem unicuique propriam, ad perfectam cum Christo unionem seu sanctitatem pervenire poterimus.[11] In vita eorum qui, humanitatis nostrae consortes, ad imaginem tamen Christi perfectius transformantur (cf. *2 Cor.* 3, 18), Deus praesentiam vultumque suum hominibus vivide manifestat. In eis Ipse nos alloquitur, signumque nobis praebet Regni sui,[12] ad quod tantam habentes impositam nubem testium (cf. *Hebr.* 12, 1), talemque contestationem veritatis Evangelii, potenter attrahimur.

Nec tamen solius exempli titulo caelitum memoriam colimus, sed magis adhuc ut totius Ecclesiae unio in Spiritu roboretur per fraternae caritatis exercitium (cf. *Eph.* 4, 1-6). Nam sicut christiana inter viatores communio propinquius nos ad Christum adducit, ita consortium cum Sanctis nos Christo coniungit, a quo tamquam a Fonte et Capite omnis gratia et ipsius Populi

---

[5] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 245.

[6] Cf. Plurimae inscriptiones in Catacumbis romanis.

[7] Cf. Gelasius I, Decretalis *De libris recipiendis*, 3: *PL* 59, 160, Denz. 165 (353).

[8] Cf. S. Methodius, *Symposion*, VII, 3: GCS (Bonwetsch), p. 74.

[9] Cf. Benedictus XV, *Decretum approbationis virtutum in Causa beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Nepomuceni Neumann*: *A.A.S.*, 14 (1922), p. 23; plures Allocutiones Pii XI de Sanctis: *Inviti all'eroismo*. Discorsi ... t. I-III, Romae 1941-1942, passim; Pius XII, *Discorsi e Radiomessaggi*, t. 10, 1949, pp. 37-43.

[10] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 581.

[11] Cf. *Hebr.* 13, 7; *Eccl.* 44-50; *Hebr.* 11, 3-40. Cf. etiam Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), pp. 582-583.

[12] Cf. Conc. Vaticanum I, Const. *De fide catholica*, cap. 3: Denz. 1794 (3013).

Dei vita promanat.[13] Summopere ergo decet ut hos Iesu Christi amicos et coheredes, fratres quoque nostros et benefactores eximios diligamus, debitas pro ipsis Deo rependamus gratias,[14] « suppliciter eos invocemus et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugiamus ».[15] Omne enim genuinum amoris testimonium caelitibus a nobis exhibitum, suapte natura tendit ac terminatur ad Christum qui est « corona Sanctorum omnium » [16] et per Ipsum ad Deum qui est mirabilis in Sanctis suis et in ipsis magnificatur.[17]

Nobilissima vero ratione unio nostra cum Ecclesia caelesti actuatur, cum, praesertim in sacra Liturgia, in qua virtus Spiritus Sancti per signa sacramentalia super nos agit, divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus,[18] et universi, in sanguine Christi ex omni tribu et lingua et populo et natione redempti (cf. *Apoc.* 5, 9) atque in unam Ecclesiam congregati, uno cantico laudis Deum unum et trinum magnificamus. Eucharisticum ergo sacrificium celebrantes cultui Ecclesiae caelestis vel maxime iungimur communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed et beati Ioseph et beatorum Apostolorum et Martyrum et omnium Sanctorum.[19]

51. Quam venerabilem maiorum nostrorum fidem circa vitale consortium cum fratribus qui in gloria caelesti sunt vel adhuc post mortem purificantur, magna cum pietate haec Sacrosancta Synodus recipit et decreta Sacrorum Conciliorum Nicaeni II,[20] Florentini [21] et Tridentini [22] rursus proponit. Simul autem pro pastorali sua sollicitudine omnes ad quos spectat hortatur, ut si qui abusus, excessus vel defectus hic illicve irrepserint, eos arcere aut corrigere satagant ac omnia ad pleniorem Christi et Dei laudem instaurent. Doceant ergo fideles authenticum Sanctorum cultum non tam in actuum exteriorum multiplicitate quam potius in intensitate amoris nostri actuosi consistere, quo, ad maius nostrum et Ecclesiae bonum, Sanctorum quaerimus « et

---

[13] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 216.

[14] Quoad gratitudinem erga ipsos Sanctos, cf. E. Diehl, *Inscriptiones latinae christianae veteres*, I, Berolini, 1925, nn. 2008, 2382 et passim.

[15] Conc. Tridentinum, Sess. 25, *De invocatione ... Sanctorum*: Denz. 984 (1821).

[16] Breviarium Romanum, *Invitatorium in festo Sanctorum Omnium.*

[17] Cf., v. g., *2 Thess.* 1, 10.

[18] Conc. Vaticanum II, Const. *De Sacra Liturgia*, cap. 5, n. 104.

[19] *Canon* Missae Romanae.

[20] Conc. Nicaenum II, Act. VII: Denz. 302 (600).

[21] Conc. Florentinum, *Decretum pro Graecis*: Denz. 693 (1304).

[22] Conc. Tridentinum, Sess. 25, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus*: Denz. 984-988 (1821-1824); Sess. 25, *Decretum de Purgatorio*: Denz. 983 (1820); Sess. 6, *Decretum de iustificatione*, can. 30: Denz. 840 (1580).

conversatione exemplum et communione consortium, et intercessione subsidium ».[23] Ex altera vero parte instruant fideles nostram cum caelitibus conversationem, dummodo haec in pleniore fidei luce concipiatur, nequaquam extenuare latreuticum cultum, Deo Patri per Christum in Spiritu tributum, sed illum e contra impensius ditare.[24]

Nam omnes qui filii Dei sumus et unam familiam in Christo constituimus (cf. *Hebr.* 3, 6), dum in mutua caritate et una sanctissimae Trinitatis laude invicem communicamus, intimae Ecclesiae vocationi correspondemus et consummatae gloriae liturgiam praegustando participamus.[25] Quando enim Christus apparebit et gloriosa mortuorum resurrectio erit, claritas Dei illuminabit caelestem Civitatem et eius lucerna erit Agnus (cf. *Apoc.* 21, 24). Tunc tota Ecclesia sanctorum in summa caritatis beatitudine adorabit Deum et « Agnum qui occisus est » (*Apoc.* 5, 12), una voce proclamans: « Sedenti in throno, et Agno: benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum » (*Apoc.* 5, 13-14).

Caput VIII

DE BEATA MARIA VIRGINE DEIPARA IN MYSTERIO CHRISTI ET ECCLESIAE

I. Prooemium

52. Benignissimus et sapientissimus Deus, mundi redemptionem complere volens, « ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, factum ex muliere, ... ut adoptionem filiorum reciperemus » (*Gal.* 4, 4-5). « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ».[1] Quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et continuatur in Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit, et in qua fideles Christo Capiti adhaerentes atque cum omnibus sanctis Eius communicantes, memoriam etiam venerentur oportet « in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis Dei et Domini nostri Iesu Christi ».[2]

---

[23] Ex *Praefatione,* aliquibus dioecesibus concessa.

[24] Cf. S. Petrus Canisius, *Catechismus Maior seu Summa Doctrinae christianae,* cap. III (ed. crit. F. Streicher), Pars I, pp. 15-16, n. 44 et pp. 100-101, n. 49.

[25] Cf. Conc. Vaticanum II, Const. *De Sacra Liturgia,* cap. 1, n. 8.

---

[1] *Credo* in Missa Romana: Symbolum Constantinopolitanum: Mansi 3, 566. Cf. Conc. Ephesinum, ibid., 4, 1130 (necnon ibid. 2, 665 et 4, 1071); Conc. Chalcedonense, ibid., 7, 111-116; Conc. Constantinopolitanum II, ibid., 9, 375-396.

[2] *Canon* Missae Romanae.

53. Virgo enim Maria, quae Angelo nuntiante Verbum Dei corde et corpore suscepit et Vitam mundo protulit, ut vera Mater Dei ac Redemptoris agnoscitur et honoratur. Intuitu meritorum Filii sui sublimiore modo redempta Eique arcto et indissolubili vinculo unita, hoc summo munere ac dignitate ditatur ut sit Genetrix Dei Filii, ideoque praedilecta filia Patris necnon sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis creaturis, caelestibus et terrestribus, longe antecellit. Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo « plane mater membrorum (Christi), ... quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius Capitis membra sunt ».[3] Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filialis pietatis affectu tamquam matrem amantissimam prosequitur.

54. Ideo Sacrosancta Synodus, doctrinam de Ecclesia, in qua divinus Redemptor salutem operatur, exponens, illustrare sedulo intendit tum munus Beatae Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis Mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, matrem Christi et matrem hominum, maxime fidelium, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam, neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere. Servantur itaque in suo iure sententiae, quae in scholis catholicis libere proponuntur de Illa, quae in Sancta Ecclesia locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum.[4]

II. De munere B. Virginis in oeconomia salutis

55. Sacrae Litterae Veteris Novique Testamenti et veneranda Traditio munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido ostendunt et veluti conspiciendum proponunt. Libri quidem Veteris Testamenti historiam salutis, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, describunt. Quae primaeva documenta, qualiter in Ecclesia leguntur et sub luce ulterioris et plenae revelationis intelliguntur, clarius pedetentim in lucem proferunt figuram mulieris, Matris Redemptoris. Ipsa, sub hac luce, iam prophetice adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gn.* 3, 15). Similiter haec est Virgo quae concipiet et pariet Filium, cuius nomen vocabitur Emmanuel (cf. *Is.* 7, 14; cf. *Mic.* 5, 2-3; *Mt.* 1, 22-23). Ipsa praecellit inter humiles ac pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab Eo sperant et accipiunt. Cum Ipsa tandem praecelsa Filia Sion, post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Oeconomia, quando Filius Dei

---

[3] S. Augustinus, *De S. Virginitate,* 6: *PL* 40, 399.

[4] Cf. Paulus Pp. VI, *Allocutio in Concilio,* die 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 37.

humanam naturam ex ea assumpsit, ut mysteriis carnis suae hominem a peccato liberaret.

56. Voluit autem misericordiarum Pater, ut acceptatio praedestinatae matris incarnationem praecederet, ut sic, quemadmodum femina contulit ad mortem, ita etiam femina conferret ad vitam. Quod praecellentissime valet de Matre Iesu, quae ipsam Vitam, omnia renovantem, mundo effudit, et a Deo donis tanto munere dignis praedita est. Unde nil mirum apud Sanctos Patres usum invaluisse quo Deiparam appellarunt totam sanctam et ab omni peccati labe immunem, quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam.[5] Singularis prorsus sanctitatis splendoribus a primo instante suae conceptionis ditata, Nazarethana Virgo ab Angelo nuntiante, Dei mandato, ut « gratia plena » salutatur (cf. *Lc.* 1, 28), et caelesti nuntio ipsa respondet: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.* 1, 38). Ita Maria filia Adam, verbo divino consentiens, facta est Mater Iesu, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit, sub Ipso et cum Ipso, omnipotentis Dei gratia, mysterio redemptionis inserviens. Merito igitur SS. Patres Mariam non mere passive a Deo adhibitam, sed libera fide et oboedientia humanae saluti cooperantem censent. Ipsa enim, ut ait S. Irenaeus, « oboediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis ».[6] Unde non pauci Patres antiqui in praedicatione sua cum eo libenter asserunt: « Hevae inoboedientiae nodum solutionem accepisse per oboedientiam Mariae; quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc virginem Mariam solvisse per fidem »; [7] et comparatione cum Heva instituta, Mariam « matrem viventium » appellant,[8] saepiusque affirmant: « mors per Hevam, vita per Mariam ».[9]

57. Haec autem Matris cum Filio in opere salutari coniunctio a tempore virginalis conceptionis Christi ad Eius usque mortem manifestatur; in primis quidem cum Maria, exsurgens cum festinatione ad visitandam Elisabeth, ab ea ob fidem suam in salutem promissam beata salutatur et praecursor in sinu matris exsultavit (cf. *Lc.* 1, 41-45); in nativitate vero, cum Deipara Filium suum primogenitum, qui virginalem eius integritatem non minuit sed sacra-

[5] Cf. S. GERMANUS CONST., *Hom. in Annunt. Deiparae*: *PG* 98, 328 A, *In Dorm.* 2: col. 357; ANASTASIUS ANTIOCH., *Serm. 2 de Annunt.,* 2: *PG* 89, 1377 AB, *Serm.* 3, 2: col. 1388 C; S. ANDREAS CRET., *Can. in B. V. Nat.* 4: *PG* 97, 1321 B. *In B. V. Nat.,* 1: col. 812 A. *Hom. in dorm.* 1: col. 1068 C; S. SOPHRONIUS, *Or. 2 in Annunt.,* 18: *PG* 87 (3), 3237 BD.

[6] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 22, 4: *PG* 7, 959 A; HARVEY, 2, 123.

[7] S. IRENAEUS, *ibidem*; HARVEY, 2, 124.

[8] S. EPIPHANIUS, *Haer.* 78, 18: *PG* 42, 728 CD; 729 AB.

[9] S. HIERONYMUS, *Epist.* 22, 21: *PL* 22, 408; cf. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 51, 2, 3: *PL* 38, 335; *Serm.* 232, 2: col. 1108; S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 12, 15: *PG* 33, 741 AB; S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In Ps.* 44, 7: *PG* 55, 193; S. IO. DAMASCENUS, *Hom. 2 in dorm. B. M. V.,* 3: *PG* 96, 728.

vit,[10] pastoribus et Magis laetabunda ostendit. Cum autem Eum in templo, dono pauperum oblato, Domino praesentavit, audivit Simeonem simul praenuntiantem Filium futurum contradictionis signum et matris animam gladium pertransiturum, ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes (cf. *Lc.* 2, 34-35). Puerum Iesum deperditum ac cum dolore quaesitum, parentes eius in templo invenerunt in his quae Patris Eius erant occupatum; verbumque Filii non intellexerunt. Mater vero Eius omnia haec in corde suo meditabunda conservabat (cf. *Lc.* 2, 41-51).

58. In vita publica Iesu, Mater Eius signanter apparet, in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae, misericordia permota, initium signorum Iesu Messiae intercessione sua induxit (cf. *Io.* 2, 1-11). In decursu praedicationis Eius suscepit verba, quibus Filius, Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollens, audientes et custodientes verbum Dei, sicut ipsa fideliter faciebat (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), beatos proclamavit (cf. *Mc.* 3, 35 par. *Lc.* 11, 27-28). Ita etiam B. Virgo in peregrinatione fidei processit, suamque unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad crucem, ubi non sine divino consilio stetit (cf. *Io.* 19, 25), vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens; ac demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente uti mater discipulo, hisce verbis data est: Mulier, ecce filius tuus (cf. *Io.* 19, 26-27).[11]

59. Cum vero Deo placuerit humanae salutis sacramentum non ante solemniter manifestare quam promissum a Christo Spiritum effunderet, Apostolos videmus ante diem Pentecostes « perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu et fratribus Eius » (*Act.* 1, 14), Mariam quoque precibus suis implorantem donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat. Denique Immaculata Virgo, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis,[12] expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta est,[13] ac tamquam universorum Regina a Domino exaltata, ut plenius conformaretur Filio suo, Domino dominantium (cf. *Apoc.* 19, 16) ac peccati mortisque victori.[14]

---

[10] Cf. CONC. LATERANENSE anni 649, can. 3: MANSI 10, 1151; S. LEO M., *Epist. ad Flav.*: *PL* 54, 759; CONC. CHALCEDONENSE: MANSI 7, 462; S. AMBROSIUS, *De instit. virg.*: *PL* 16, 320.

[11] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), pp. 247-248.

[12] Cf. PIUS IX, *Bulla Ineffabilis,* 8 dec. 1854: *Acta Pii IX,* 1, I, p. 616, DENZ. 1641 (2803).

[13] Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), DENZ. 2333 (3903). Cf. S. IO. DAMASCENUS, *Enc. in dorm. Dei genitricis,* Hom. 2 et 3: *PG* 96, 721-761, speciatim col. 728 B; S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In S. Dei gen. dorm.* Serm. 1: *PG* 98 (6), 340-348, Serm. 3: col. 361; S. MODESTUS HIER., *In dorm. SS. Deiparae*: *PG* 86 (2), 3277-3312.

[14] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46

III. De Beata Virgine et Ecclesia

60. Unicus est Mediator noster secundum verba Apostoli: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6). Mariae autem maternum munus erga homines hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed virtutem eius ostendit. Omnis enim salutaris Beatae Virginis influxus in homines non ex aliqua rei necessitate, sed ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, Eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit; unionem autem immediatam credentium cum Christo nullo modo impedit sed fovet.

61. Beata Virgo, ab aeterno una cum divini Verbi incarnatione tamquam Mater Dei praedestinata, divinae Providentiae consilio, his in terris exstitit alma divini Redemptoris Mater, singulariter prae aliis generosa socia, et humilis ancilla Domini. Christum concipiens, generans, alens, in templo Patri sistens, Filioque suo in cruce morienti compatiens, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide, spe et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam. Quam ob causam mater nobis in ordine gratiae exstitit.

62. Haec autem in gratiae oeconomia maternitas Mariae indesinenter perdurat, inde a consensu quem in Annuntiatione fideliter praebuit, quamque sub cruce incunctanter sustinuit, usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. In caelis enim assumpta salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis.[15] Materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus necnon in periculis et angustiis versantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur. Propterea B. Virgo in Ecclesia, titulis Advocatae, Auxiliatricis, Adiutricis, Mediatricis invocatur.[16] Quod tamen ita intelligitur, ut dignitati et efficacitati Christi unius Mediatoris nihil deroget, nihil superaddat.[17]

(1954), pp. 633-636, Denz. 3913 ss. Cf. S. Andreas Cret., *Hom. 3 in dorm. SS. Deiparae*: *PG* 97, 1089-1109; S. Io. Damascenus, *De fide orth.*, IV, 14. *PG* 94, 1153-1161.

[15] Cf. Kleutgen, textus reformatus *De mysterio Verbi incarnati,* cap. IV: Mansi 53, 290. Cf. S. Andreas Cret., *In nat. Mariae,* sermo 4: *PG* 97, 865 A; S. Germanus Constantinop., *In annunt. Deiparae*: *PG* 98, 321 BC. *In dorm. Deiparae,* III: col. 361 D; S. Io. Damascenus, *In dorm. B. V. Mariae,* Hom. 1, 8: *PG* 96, 712 BC - 713 A.

[16] Cf. Leo XIII, Litt. Enc. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *A.S.S.*, 15 (1895-96), p. 303; S. Pius X, Litt. Enc. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta,* I, p. 154, Denz. 1978 a (3370); Pius XI, Litt. Enc. *Miserentissimus,* 8 maii 1928: *A.A.S.*, 20 (1928), p. 178; Pius XII, *Nuntius Radioph.,* 13 maii 1946: *A.A.S.*, 38 (1946), p. 266.

[17] S. Ambrosius, *Epist.* 63: *PL* 16, 1218.

Nulla enim creatura cum Verbo incarnato ac Redemptore connumerari umquam potest; sed sicut sacerdotium Christi variis modis tum a ministris tum a fideli populo participatur, et sicut una bonitas Dei in creaturis modis diversis realiter diffunditur, ita etiam unica mediatio Redemptoris non excludit, sed suscitat variam apud creaturas participatam ex unico fonte cooperationem.

Tale autem munus subordinatum Mariae Ecclesia profiteri non dubitat, iugiter experitur et fidelium cordi commendat, ut hoc materno fulti praesidio Mediatori ac Salvatori intimius adhaereant.

63. Beata autem Virgo divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, suisque singularibus gratiis et muneribus, etiam cum Ecclesia intime coniungitur: Deipara est Ecclesiae typus, ut iam docebat S. Ambrosius, in ordine scilicet fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis.[18] In mysterio enim Ecclesiae, quae et ipsa iure mater vocatur et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebens.[19] Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nescia, Spiritu Sancto obumbrata, tamquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio praestans fidem, nullo dubio adulteratam. Filium autem peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus (*Rom.* 8, 29), fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur.

64. Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum Dei fideliter susceptum et ipsa fit mater: praedicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat. Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure custodit, et imitans Domini sui Matrem, virtute Spiritus Sancti, virginaliter servat integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem.[20]

65. Dum autem Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit, qua sine macula et ruga existit (cf. *Eph.* 5, 27), christifideles adhuc nituntur, ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget. Ecclesia de Ea pie recogitans Eamque in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur. Maria enim, quae, in historiam salutis intime ingressa, maxima fidei placita in se quodam-

---

[18] S. AMBROSIUS, *Expos. Lc.* II, 7: *PL* 15, 1555.

[19] Cf. Ps.-PETRUS DAM., *Serm.* 63: *PL* 144, 861 AB; GODEFRIDUS A S. VICTORE, *In nat. B. M.*, Ms. Paris, Mazarine, 1002, fol. 109 r; GERHOHUS REICH., *De gloria et honore Filii hominis*, 10: *PL* 194, 1105 AB.

[20] S. AMBROSIUS, *l. c.* et *Expos. Lc.* X, 24-25: *PL* 15, 1810; S. AUGUSTINUS, *In Io.* Tr. 13, 12: *PL* 35, 1499. Cf. *Serm.* 191, 2, 3: *PL* 38, 1010; etc. Cf. etiam Ven. BEDA, *In Lc. Expos.* I, cap. 2: *PL* 92, 330; ISAAC DE STELLA, *Serm.* 51: *PL* 194, 1863 A.

modo unit et reverberat, dum praedicatur et colitur, ad Filium suum Eiusque sacrificium atque ad amorem Patris credentes advocat. Ecclesia vero, gloriam Christi prosequens, praecelso suo Typo similior efficitur, continuo progrediens in fide, spe et caritate, ac divinam voluntatem in omnibus quaerens et obsequens. Unde etiam in opere suo apostolico Ecclesia ad Eam merito respicit, quae genuit Christum, ideo de Spiritu Sancto conceptum et de Virgine natum, ut per Ecclesiam in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat. Quae Virgo in sua vita exemplum exstitit materni illius affectus, quo cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad regenerandos homines animentur oportet.

IV. De cultu Beatae Virginis in Ecclesia

66. Maria, per gratiam Dei post Filium prae omnibus angelis et hominibus exaltata, utpote sanctissima Dei Mater, quae mysteriis Christi interfuit, speciali cultu ab Ecclesia merito honoratur. Et sane ab antiquissimis temporibus Beata Virgo sub titulo « Deiparae » colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis et necessitatibus suis deprecantes confugiunt.[21] Inde praesertim ab Ephesina Synodo cultus populi Dei erga Mariam mirabiliter crevit in veneratione et dilectione, in invocatione et imitatione, secundum ipsius verba prophetica: « Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est » (*Lc.* 1, 48). Qui cultus, prout in Ecclesia semper exstitit, singularis omnino quamquam est, essentialiter differt a cultu adorationis, qui Verbo incarnato aeque ac Patri et Spiritui Sancto exhibetur, eidemque potissimum favet. Variae enim formae pietatis erga Dei Genitricem, quas Ecclesia intra limites sanae et orthodoxae doctrinae, pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium approbavit, id efficiunt ut, dum Mater honoratur, Filius, propter quem omnia (cf. *Col.* 1, 15-16) et in quo aeterno Patri « complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (*Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur, Eiusque mandata serventur.

67. Hanc catholicam doctrinam Sacrosancta Synodus consulto docet, simulque omnes Ecclesiae filios admonet, ut cultum, praesertim liturgicum, erga Beatam Virginem generose foveant, praxes autem et exercitia pietatis erga Eam saeculorum cursu a Magisterio commendata magni faciant et ea quae anteactis temporibus de cultu imaginum Christi, Beatae Virginis et Sanctorum decreta fuere, religiose servent.[22] Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortatur, ut aeque ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant.[23] Studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum et Docto-

[21] « Sub tuum praesidium ».

[22] Conc. Nicaenum II, anno 787: Mansi 13, 378-379, Denz. 302 (600-601); Conc. Trident., sess. 25: Mansi 33, 171-172.

[23] Cf. Pius XII, *Nuntius radioph.*, 24 oct. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 679; Litt. Enc. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 637.

rum Ecclesiaeque liturgiarum sub ductu Magisterii excolentes, recte illustrent munera et privilegia Beatae Virginis, quae semper Christum spectant, totius veritatis, sanctitatis et pietatis originem. Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos vel alios quoscumque in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere possent. Meminerint porro fideles veram devotionem neque in sterili et transitorio affectu, neque in vana quadam credulitate consistere, sed a vera fide procedere, qua ad Dei Genetricis excellentiam agnoscendam adducimur, et ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum imitationem excitamur.

V. Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti Populo Dei

68. Interim autem Mater Iesu, quemadmodum in caelis corpore et anima iam glorificata, imago et initium est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae, ita his in terris quoadusque advenerit dies Domini (cf. *2 Pt.* 3, 10), tamquam signum certae spei et solatii peregrinanti Populo Dei praelucet.

69. Sacrosanctae huic Synodo magnum affert gaudium et solatium, etiam inter fratres seiunctos non deesse, qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem, speciatim apud Orientales, qui ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrunt.[24] Universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum effundant, ut Ipsa, quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in caelo super omnes beatos et angelos exaltata, in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive quae christiano nomine decorantur, sive quae Salvatorem suum adhuc ignorant, cum pace et concordia in unum Populum Dei feliciter congregentur, ad gloriam Sanctissimae et individuae Trinitatis.

Haec omnia et singula quae in hac Constitutione dogmatica edicta sunt placuerunt Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. *

Romae, apud S. Petrum, die XXI mensis novembris anno MCMLXIV.

---

[24] Cf. Pius XI, Litt. Enc. *Ecclesiam Dei,* 12 nov. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), p. 581; Pius XII, Litt. Enc. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 590-591.

* Notificationes ... cf. Communicationes II et III et Nota explicativa praevia, pag. 10-13.

4

Decretum

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS CATHOLICIS

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
UNA CUM SACROSANCTI CONCILII PATRIBUS
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

PROOEMIUM

1. Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus liturgicos, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica magni facit. In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae ab Apostolis per Patres est traditio,[1] quaeque partem constituit divinitus revelati atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium, quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus cupiens ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant, praeter ea quae ad universam spectant Ecclesiam, capita quaedam statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis.

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS SEU RITIBUS

2. Sancta et catholica Ecclesia, quae est corpus Christi Mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias seu ritus constituunt. Inter eas mirabilis viget communio, ita ut varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declaret; Ecclesiae enim catholicae hoc propositum est, ut salvae et integrae maneant uniuscuiusque particularis Ecclesiae seu ritus traditiones, eademque pariter vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.[2]

---

[1] Leo XIII, Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, in *Leonis XIII Acta,* vol. XIV, pp. 201-202.

[2] S. Leo IX, Litt. *In terra pax,* an. 1053: « Ut enim »; Innocentius III, Synodus Lateranensis IV, an. 1215, cap. IV: « Licet Graecos »; Litt. *Inter quatuor,* 2 aug. 1206: « Postulasti postmodum »; Innocentius IV, Ep. *Cum de cetero,* 27 aug. 1247; Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, prooem.; Nicolaus III, Instructio *Istud est memoriale,* 9 oct. 1278; Leo X, Litt. Ap. *Accepimus nuper,* 18 maii 1521; Paulus III, Litt. Ap. *Dudum,* 23 dec. 1534; Pius IV, Const. *Romanus Pontifex,* 16 febr. 1564, § 5; Clemens VIII, Const. *Magnus Dominus,* 23 dec.

3. Huiusmodi particulares Ecclesiae, tum Orientis tum Occidentis, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit. Eaedem proinde pari pollent dignitate, ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, etiam quod attinet ad Evangelium praedicandum in universum mundum (cf. *Mc.* 16, 15), sub moderamine Romani Pontificis.

4. Provideatur igitur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium ac propterea constituantur paroeciae atque propria hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium. Hierarchae vero variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis conventibus, unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.[3] Clerici omnes et ascendentes ad ordines sacros bene instruantur de ritibus et praesertim de normis practicis in materiis interritualibus, imo et laici in institutione catechetica de ritibus eorumque normis doceantur. Omnes denique et singuli catholici, necnon baptizati cuiusvis Ecclesiae vel communitatis acatholicae ad plenitudinem communionis catholicae convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent;[4] salvo iure recurrendi ad Sedem Apostolicam in casibus peculiaribus personarum, communitatum, vel regionum, quae, uti suprema relationum interecclesialium arbitra, providebit necessitatibus in spiritu oecumenico, ipsa vel per alias auctoritates, datis opportunis normis, decretis vel rescriptis.

DE SPIRITUALI ECCLESIARUM ORIENTALIUM PATRIMONIO SERVANDO

5. Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint.[5] Qua-

---

1595, § 10; PAULUS V, Const. *Solet circumspecta,* 10 dec. 1615, § 3; BENEDICTUS XIV, Ep. Enc. *Demandatam,* 24 dec. 1743, § 3; Ep. Enc. *Allatae sunt,* 26 iun. 1755, §§ 3, 6-19, 32; PIUS VI, Litt. Enc. *Catholicae communionis,* 24 maii 1787; PIUS IX, Litt. *In suprema,* 6 ian. 1848, § 3; Litt. Ap. *Ecclesiam Christi,* 26 nov. 1853; Const. *Romani Pontificis,* 6 ian. 1862; LEO XIII, Litt. Ap. *Praeclara,* 20 iun. 1894, n. 7; Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, prooem.; etc.

[3] PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 4.

[4] PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 8: « sine licentia Sedis Apostolicae », sequendo praxim saeculorum praecedentium; item quoad baptizatos acatholicos in can. 11 habetur: « ritum quem maluerint amplecti possunt »; in textu proposito disponitur modo positivo observantia ritus pro omnibus et ubique terrarum.

[5] Cf. LEO XIII, Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894; Ep. Ap. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894, et documenta in nota 2 allata.

propter Sancta Synodus patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale non solum aestimatione debita et iusta laude prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae firmiter considerat. Quamobrem sollemniter declarat, Ecclesias Orientis sicut et Occidentis iure pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur.

6. Sciant ac pro certo habeant omnes Orientales, se suos legitimos ritus liturgicos suamque disciplinam semper servare posse et debere, ac nonnisi ratione proprii et organici progressus mutationes inducendas esse. Haec omnia, igitur, maxima fidelitate ab ipsis Orientalibus observanda sunt; qui quidem harum rerum cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere debent, et, si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint, ad avitas traditiones redire satagant. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii frequens cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus habeant commercium, in cognitione et cultu rituum, disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis Orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, instituantur.[6] Religionibus vero et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur, ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, constituant.[7]

DE PATRIARCHIS ORIENTALIBUS

7. Ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis Oecumenicis agnita.[8]

Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, cui competit iurisdictio in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum proprii territorii vel ritus, ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis.[9]

Ubicumque Hierarcha alicuius ritus extra fines territorii patriarchalis constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus ad normam iuris.

8. Patriarchae Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore poste-

---

[6] Cf. Benedictus XV, Motu proprio *Orientis catholici,* 15 oct. 1917; Pius XI, Litt. Enc. *Rerum orientalium,* 8 sept. 1928, etc.

[7] Praxis Ecclesiae catholicae temporibus Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII motum hunc abunde demonstrat.

[8] Cf. Synodum Nicaenam I, can. 6; Constantinopolitanam I, cann. 2 et 3; Chalcedonensem, can. 28; can. 9; Constantinopolitanam IV, can. 17; can. 21; Lateranensem IV, can. 5; can. 30; Florentinam, Decr. pro Graecis; etc.

[9] Cf. Synodum Nicaenam I, can. 6; Constantinopolitanam I, can. 3; Constantinopolitanam IV, can. 17; Pius XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* can. 216, § 2, 1°.

riores, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.[10]

9. Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium patriarchae, quippe qui suo quisque patriarchatui tamquam pater et caput praesint.

Ideo statuit haec Sancta Synodus, ut eorum iura atque privilegia instaurentur, iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et Synodorum Oecumenicarum decreta.[11]

Haec autem iura et privilegia sunt illa, quae tempore unionis Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad hodiernas conditiones aliquantum aptanda sint.

Patriarchae cum suis synodis superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus intra fines territorii patriarchalis, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi.

10. Quae de Patriarchis sunt dicta, valent etiam, ad normam iuris, de Archiepiscopis maioribus, qui universae cuidam Ecclesiae particulari seu ritui praesunt.[12]

11. Cum institutum patriarchale in Ecclesiis Orientalibus sit forma regiminis traditionalis, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat ut, ubi opus sit, novi erigantur patriarchatus, quorum constitutio Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur.[13]

DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

12. Veterem disciplinam de sacramentis apud Orientales Ecclesias vigentem, itemque praxim quae ad eorum celebrationem et ministrationem spectat, Sancta Oecumenica Synodus confirmat et laudat, et, si casus ferat, exoptat ut eadem instauretur.

---

[10] In synodis Oecumenicis: Nicaena I, can. 6; Constantinopolitana I, can. 3; Constantinopolitana IV, can. 21; Lateranensi IV, can. 5; Florentina, decr. pro Graecis, 6 iul. 1439, § 9. Cf. PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 219, etc.

[11] Cf. *supra,* nota 8.

[12] Cf. Synodum Ephesinam, can. 8; CLEMENS VII, *Decet Romanum Pontificem,* 23 febr. 1596; PIUS VII, Litt. Ap. *In universalis Ecclesiae,* 22 febr. 1807; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, cann. 324-339; Syn. Carthaginen., an. 419, can. 17.

[13] Syn. Carthaginen., an. 419, cann. 17 et 57; Chalcedonensis, an. 451, can. 12; S. INNOCENTIUS I, Litt. *Et onus et honor,* a. c. 415: « Nam quid sciscitaris »; S. NICOLAUS I, Litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « A quo autem »; INNOCENTIUS III, Litt. *Rex regum,* 25 febr. 1204; LEO XII, Const. Ap. *Petrus Apostolorum Princeps,* 15 aug. 1824; LEO XIII, Litt. Ap. *Christi Domini,* an. 1895; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 159.

13. Disciplina de ministro S. Chrismatis inde ab antiquissimis temporibus apud Orientales vigens plene instauretur. Idcirco presbyteri hoc sacramentum conferre valent, adhibito Chrismate a patriarcha vel episcopo benedicto.[14]

14. Presbyteri omnes orientales hoc sacramentum, sive una cum Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris tum communis tum particularis.[15] Presbyteri quoque latini ritus, secundum facultates quibus gaudent circa ministrationem huius sacramenti, valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum Orientalium ministrare, sine praeiudicio ritui, servatis quoad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis.[16]

15. Fideles obligatione tenentur diebus dominicis et festis interesse divinae liturgiae aut, iuxta praescripta vel consuetudinem proprii ritus, celebrationi divinarum laudum.[17] Quo facilius fideles hanc obligationem adimplere valeant, statuitur tempus utile, pro hoc praecepto adimplendo, decurrere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi.[18] Enixe commendatur fidelibus, ut his diebus, imo frequentius ac vel etiam quotidie, Sacram Eucharistiam suscipiant.[19]

16. Ob quotidianam permixtionem fidelium diversarum particularium Ecclesiarum in eadem regione vel territorio orientali, facultas presbyterorum

---

[14] Cf. Innocentius IV, Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 3, n. 4; Syn. Lugdunensis II, an. 1274 (professio fidei Michaelis Palaeologi Gregorio X oblata); Eugenius IV, in Syn. Florentina, Const. *Exsultate Deo,* 22 nov. 1439, § 11; Clemens VIII, Instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595; Benedictus XIV, Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § II, n. 1, § III, n. 1, etc.; Synodus Laodicena, an. 347/381, can. 48; Syn. Sisen. Armenorum, an. 1342; Synodus Libanen. Maronitarum, an. 1736, P. II, Cap. III, n. 2, et aliae Synodi particulares.

[15] Cf. S. C. S. Officii, Instr. (ad Ep. Scepusien.), an. 1783; S. C. de Prop. Fide (pro Coptis), 15 mart. 1790, n. XIII; *Decr.* 6 oct. 1863, C, a; S. C. pro Eccl. Orient., 1 maii 1948; S. C. S. Officii, resp. 22 apr. 1896 cum litt. 19 maii 1896.

[16] *C.I.C.,* can. 782, § 4; S. C. pro Eccl. Orient., Decretum « *de Sacramento Confirmationis administrando etiam fidelibus orientalibus a presbyteris latini ritus, qui hoc indulto gaudent pro fidelibus sui ritus* », 1 maii 1948.

[17] Cf. Syn. Laodicen., an. 347/381, can. 29; S. Nicephorus CP., cap. 14; Syn. Duinen. Armenorum, an. 719, can. 31; S. Theodorus Studita, sermo 21; S. Nicolaus I, Litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « In quorum Apostolorum »; « Nos cupitis »; « Quod interrogatis »; « Praeterea consulitis »; « Si die Dominico »; et Synodi particulares.

[18] Novum quid, saltem ubi viget obligatio audiendi S. Liturgiam; ceterum cohaeret diei liturgicae apud Orientales.

[19] Cf. Canones Apostolorum, 8 et 9; Syn. Antiochena, an. 341, can. 2; Timotheus Alexandrinus, interrogat. 3; Innocentius III, Const. *Quia divinae,* 4 ian. 1215; et plurimae Synodi particulares Ecclesiarum Orientalium recentiores.

cuiuscumque ritus excipiendi confessiones, a propriis hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium extenditur concedentis necnon ad loca et fideles cuiuscumque ritus in eodem territorio, nisi hierarcha loci, quoad loca sui ritus, expresse renuerit.[20]

17. Ut antiqua sacramenti Ordinis disciplina in Ecclesiis Orientalibus iterum vigeat, exoptat haec Sancta Synodus, ut institutum diaconatus permanentis ubi in desuetudinem venerit, instauretur.[21] Quoad subdiaconatum vero et Ordines inferiores eorumque iura et obligationes, provideat Auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae particularis.[22]

18. Ad praecavenda matrimonia invalida, quando catholici orientales cum acatholicis orientalibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domesticae paci, Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de iure servandis.[23]

DE CULTU DIVINO

19. Dies festos pro omnibus Ecclesiis Orientalibus communes in posterum constituere, transferre aut supprimere unius est Synodi Oecumenicae vel Sedis Apostolicae. Dies vero festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere, transferre aut supprimere, praeter Apostolicam Sedem, competit Synodis patriarchalibus aut archiepiscopalibus, debita tamen ratione habita totius regionis ceterarumque Ecclesiarum particularium.[24]

20. Donec perveniatur ad optatam inter omnes christianos conventionem

---

[20] Salva territorialitate iurisdictionis, canon providere intendit, in bonum animarum, pluralitati iurisdictionis in eodem territorio.

[21] Cf. Syn. Nicaena I, can. 18; Syn. Neocaesarien., an. 314/325, can. 12; Syn. Sardicen., an. 343, can. 8; S. Leo M., Litt. *Omnium quidem,* 13 ian. 444; Syn. Chalcedonen., can. 6; Syn. Constantinopolitana IV, cann. 23, 26; etc.

[22] Subdiaconatus consideratur apud Ecclesias Orientales plures Ordo minor, sed Motu proprio Pii XII, *Cleri sanctitati,* ei praescribuntur obligationes Ordinum maiorum. Canon proponit ut redeatur ad disciplinam antiquam singularum Ecclesiarum quoad obligationes subdiaconorum, in derogationem iuris communis « *Cleri sanctitati* ».

[23] Cf. Pius XII, Motu proprio *Crebrae allatae,* 22 febr. 1949, can. 32, § 2, n. 5° (facultas patriarcharum dispensandi a forma); Pius XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 267 (facultas patriarcharum sanandi in radice); S. C. S. Officii et S. C. pro Eccl. Orient., an. 1957 concedunt facultatem dispensandi a forma et sanandi ob defectum formae (ad quinquennium): « extra patriarchatus, Metropolitis, ceterisque Ordinariis locorum ... qui nullum habent Superiorem infra Sanctam Sedem ».

[24] Cf. S. Leo M., Litt. *Quod saepissime,* 15 apr. 454: « Petitionem autem »; S. Nicephorus CP., cap. 13; Syn. Sergii Patriarchae, 18 sept. 1596, can. 17; Pius VI, Litt. Ap. *Assueto paterne,* 8 apr. 1775; etc.

de unico die, quo festivitas Paschatis ab omnibus celebretur, interim ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchis vel Supremis in loco Auctoritatibus ecclesiasticis committitur, ut, unanimi consensu et collatis consiliis cum iis quorum interest, de festo Paschatis eadem die Dominica celebrando conveniant.[25]

21. Singuli fideles extra regionem vel territorium proprii ritus versantes, quoad legem de temporibus sacris, ad disciplinam in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.[26]

22. Clerici et religiosi orientales celebrent iuxta propriae disciplinae praescripta et traditiones Laudes Divinas, quae inde ab antiqua aetate magno in honore fuerunt apud omnes Ecclesias Orientales.[27] Fideles quoque, exempla maiorum secuti, in Divinas Laudes pro viribus et devote incumbant.

23. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae Auctoritatem cum Consilio hierarcharum, ius pertinet moderandi usum linguarum in sacris actionibus liturgicis nec non, facta relatione ad Sedem Apostolicam, probandi versiones textuum in linguam vernaculam.[28]

DE CONVERSATIONE CUM FRATRIBUS ECCLESIARUM SEIUNCTARUM

24. Ad Ecclesias Orientales, communionem cum Sede Apostolica Romana habentes, peculiare pertinet munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi, iuxta principia decreti huius S. Synodi « De Oecumenismo », precibus imprimis, vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione, collaboratione ac fraterna rerum animorumque aestimatione.[29]

25. Ab Orientalibus seiunctis, in unitatem catholicam sub influxu gratiae Sancti Spiritus convenientibus, ne plus exigatur quam quod simplex fidei catholicae professio exigit. Et cum apud eos sacerdotium validum servatum

---

[25] Cf. Syn. Vaticana II, Const. *De Sacra Liturgia,* 4 dec. 1963.

[26] Cf. Clemens VIII, Instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595, § 6. « Si ipsi graeci »; S. C. S. Officii, 7 iun. 1673, ad 1 et 3; 13 mart. 1727, ad 1; S. C. de Prop. Fide, Decret. 18 aug. 1913, art. 33; Decret. 14 aug. 1914, art. 27; Decret. 27 mart. 1916, art. 14; S. C. pro Eccl. Orient., Decret. 1 mart. 1929, art. 36; Decret. 4 maii 1930, art. 41.

[27] Cf. Syn. Laodicen., 347/381, can. 18; Syn. Mar Issaci Chaldaeorum, an. 410, can. 15; S. Nerses Glaien. Armenorum, an. 1166; Innocentius IV, Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 8; Benedictus XIV, Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § 7, n. 5; Instr. *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745, §§ 42 ss.; et Synodi particulares recentiores: Armenorum (1911), Coptorum (1898), Maronitarum (1736), Rumenorum (1872), Ruthenorum (1891), Syrorum (1888).

[28] Ex traditione orientali.

[29] Ex tenore Bullarum unionis singularum Ecclesiarum orientalium catholicarum.

sit, clericis orientalibus, in unitatem catholicam convenientibus, facultas est proprium Ordinem exercendi, iuxta normas a competenti Auctoritate statutas.[30]

26. Communicatio in sacris, quae unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum aberrationis in fine, scandali et indifferentismi includit, lege divina prohibetur.[31] Praxis vero pastoralis demonstrat, ad fratres orientales quod spectat, varia considerari posse et debere singularum personarum adiuncta, in quibus nec unitas Ecclesiae laeditur, nec pericula vitanda adsunt, sed necessitas salutis et bonum spirituale animarum urgent. Ideo Ecclesia catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, mitiorem saepe adhibuit et adhibet rationem agendi, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebens, per participationem in sacramentis aliisque in functionibus et rebus sacris. His attentis, Sancta Synodus, « ne impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur » [32] et ad magis fovendam unionem cum Ecclesiis Orientalibus a nobis seiunctis, sequentem agendi rationem statuit.

27. Positis memoratis principiis, Orientalibus, qui bona fide seiuncti inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum conferri possunt; imo, etiam catholicis eadem sacramenta licet petere ab iis ministris acatholicis, in quorum Ecclesia habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.[33]

28. Item, positis iisdem principiis, communicatio in sacris functionibus, rebus et locis inter catholicos et fratres seiunctos orientales iusta de causa permittitur.[34]

29. Haec mitior communicationis in sacris cum fratribus Ecclesiarum Orientalium seiunctarum ratio vigilantiae et moderamini hierarcharum locorum committitur, ut, collatis inter se consiliis, et, si casus ferat, auditis etiam hierarchis Ecclesiarum seiunctarum, opportunis efficacibusque praeceptis et normis christianorum moderentur conversationem.

---

[30] Obligatio synodalis quoad fratres seiunctos orientales et quoad omnes Ordines cuiuscumque gradus tum iuris divini tum ecclesiastici.

[31] Haec doctrina valet etiam in Ecclesiis seiunctis.

[32] S. BASILIUS M., *Epistula canonica ad Amphilochium*: *PG* 32, 669 B.

[33] Fundamentum mitigationis consideratur: 1) validitas sacramentorum; 2) bona fides et dispositio; 3) necessitas salutis aeternae; 4) absentia sacerdotis proprii; 5) exclusio periculorum vitandorum et formalis adhaesionis errori.

[34] Agitur de s. d. « communicatione in sacris extrasacramentali ». Concilium est quod mitigationem concedit, servatis servandis.

CONCLUSIO

30. Magnopere laetatur Sancta Synodus de fructuosa et actuosa collaboratione Orientalium et Occidentalium Ecclesiarum Catholicarum, simulque declarat: hae omnes iuris dispositiones pro praesentibus conditionibus statuuntur, usquedum Ecclesia catholica et Ecclesiae Orientales seiunctae ad plenitudinem communionis convenient.

Interim tamen omnes christiani, Orientales nec non Occidentales, enixe rogantur, ut ferventes atque assiduas, imo quotidianas preces Deo fundant ut, Sanctissima Deipara auxiliante, omnes unum fiant. Orent quoque, ut tot christianis cuiuscumque Ecclesiae, qui, strenue profitentes Christi nomen, patiuntur et angustiantur, Spiritus Sancti Paracliti adfluat plenitudo confortationis et solatii.

Omnes caritate fraternitatis invicem diligamus, honore invicem praevenientes (*Rom.* 12, 10).

Haec omnia et singula quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXI mensis novembris anno MCMLXIV.

5

Decretum
DE OECUMENISMO

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
UNA CUM SACROSANCTI CONCILII PATRIBUS
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

PROOEMIUM

1. Unitatis redintegratio inter universos Christianos promovenda unum est ex praecipuis Sacrae Oecumenicae Synodi Vaticanae Secundae propositis. Una enim atque unica a Christo Domino condita est Ecclesia, plures tamen christianae Communiones sese ut Iesu Christi veram haereditatem hominibus proponunt; discipulos quidem Domini omnes se esse profitentur at diversa sentiunt et per diversas ambulant vias, ac si Christus Ipse divisus sit.[1] Quae

[1] Cf. *1 Cor.* 1, 13.

sane divisio et aperte voluntati Christi contradicit et scandalo est mundo atque sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae affert detrimentum.

Dominus vero saeculorum, qui propositum gratiae suae erga nos peccatores sapienter et patienter prosequitur, novissime in Christianos inter se disiunctos animi compunctionem et desiderium unionis abundantius effundere incepit. Qua gratia permulti ubique homines permoti sunt atque inter fratres quoque nostros seiunctos amplior in dies motus, Spiritus Sancti fovente gratia, exortus est ad omnium Christianorum unitatem restaurandam. Hunc autem unitatis motum, oecumenicum nuncupatum, participant qui Deum Trinum invocant atque Iesum confitentur Dominum et Salvatorem, nec modo singuli seiunctim, sed etiam in coetibus congregati, in quibus Evangelium audierunt quosque singuli Ecclesiam dicunt esse suam et Dei. Fere omnes tamen, etsi diverso modo, ad Ecclesiam Dei unam et visibilem adspirant, quae sit vere universalis et ad universum mundum missa ut mundus ad Evangelium convertatur et sic salvus fiat ad gloriam Dei.

Haec igitur Sacra Synodus ea omnia laeto animo considerans, cum iam doctrinam de Ecclesia declaraverit, desiderio unitatis inter omnes Christi discipulos restaurandae permota, Catholicis omnibus proponere vult adiumenta, vias ac modos quibus ipsi possint huic divinae vocationi et gratiae respondere.

Caput I

DE CATHOLICIS OECUMENISMI PRINCIPIIS

2. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quod Filius Dei unigenitus a Patre in mundum missus est, ut homo factus, totum genus humanum redimendo regeneraret atque in unum congregaret.[2] Qui antequam seipsum in ara crucis hostiam immaculatam offerret, Patrem pro credentibus oravit, dicens: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21), et in Ecclesia sua Eucharistiae mirabile sacramentum instituit, quo unitas Ecclesiae et significatur et efficitur. Discipulis suis novum mutui amoris mandatum dedit[3] atque Paraclitum Spiritum promisit[4] qui, Dominus et vivificans, cum eis maneret in aeternum.

Exaltatus autem in cruce et glorificatus Dominus Iesus Spiritum promissum effudit, per quem Novi Foederis populum, qui est Ecclesia, in unitatem fidei, spei et caritatis vocavit et congregavit, sicut docet Apostolus: « Unum corpus et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 4-5). Etenim « quicumque

---

[2] Cf. *1 Io.* 4, 9; *Col.* 1, 18-20; *Io.* 11, 52.
[3] Cf. *Io.* 13, 34.
[4] Cf. *Io.* 16, 7.

in Christo baptizati estis, Christum induistis ... Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 27-28). Spiritus Sanctus, qui credentes inhabitat totamque replet atque regit Ecclesiam, miram illam communionem fidelium efficit et tam intime omnes in Christo coniungit, ut Ecclesiae unitatis sit Principium. Ille divisiones gratiarum et ministrationum operatur,[5] variis muneribus Ecclesiam Iesu Christi ditans « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

Ad hanc autem sanctam suam Ecclesiam ubique terrarum usque ad consummationem saeculi stabiliendam, Christus munus docendi, regendi et sanctificandi Collegio Duodecim concredidit.[6] Inter eos Petrum elegit, super quem post fidei confessionem Ecclesiam suam aedificare decrevit; cui claves regni caelorum promisit [7] atque, post suae dilectionis professionem, universas oves in fide confirmandas [8] et in perfecta unitate pascendas commisit,[9] Ipso Christo Iesu summo angulari lapide [10] et pastore animarum nostrarum [11] in aeternum manente.

Iesus Christus per Apostolorum eorumque successorum, nempe episcoporum cum Petri successore capite, fidelem Evangelii praedicationem sacramentorumque administrationem, et per gubernationem in dilectione, Spiritu Sancto operante, populum suum crescere vult eiusque communionem perficit in unitate: in confessione unius fidei, in divini cultus communi celebratione, necnon in familiae Dei fraterna concordia.

Ita Ecclesia, unicus Dei grex, tamquam signum levatum in nationes,[12] Evangelium pacis ministrans toti generi humano,[13] peregrinatur in spe ad patriae supernae metam.[14]

Hoc est unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, in Christo et per Christum, Spiritu Sancto munerum varietatem operante. Huius mysterii supremum exemplar et principium est in Trinitate Personarum unitas unius Dei Patris et Filii in Spiritu Sancto.

3. In hac una et unica Dei Ecclesia iam a primordiis scissurae quaedam exortae sunt,[15] quas ut damnandas graviter vituperat Apostolus; [16] posterioribus vero saeculis ampliores natae sunt dissensiones, et Communitates haud

---

[5] Cf. *1 Cor.* 12, 4-11.
[6] Cf. *Mt.* 28, 18-20, collato *Io.* 20, 21-23.
[7] Cf. *Mt.* 16, 19, collato *Mt.* 18, 18.
[8] Cf. *Lc.* 22, 32.
[9] Cf. *Io.* 21, 15-17.
[10] Cf. *Eph.* 2, 20.
[11] Cf. *1 Pt.* 2, 25; CONC. VATICANUM I, Sess. IV (1870), Constitutio *Pastor Aeternus*: Coll. Lac. 7, 482 a.
[12] Cf. *Is.* 11, 10-12.
[13] Cf. *Eph.* 2, 17-18, collato *Mc.* 16, 15.
[14] Cf. *1 Pt.* 1, 3-9.
[15] Cf. *1 Cor.* 11, 18-19; *Gal.* 1, 6-9; *1 Io.* 2, 18-19.
[16] Cf. *1 Cor.* 1, 11 sqq.; 11, 22.

exiguae a plena communione Ecclesiae catholicae seiunctae sunt, quandoque non sine hominum utriusque partis culpa. Qui autem nunc in talibus Communitatibus nascuntur et fide Christi imbuuntur, de separationis peccato argui nequeunt, eosque fraterna reverentia et dilectione amplectitur Ecclesia catholica. Hi enim qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur. Profecto, ob discrepantias variis modis vigentes inter eos et Ecclesiam catholicam tum in re doctrinali et quandoque etiam disciplinari tum circa structuram Ecclesiae, plenae ecclesiasticae communioni opponuntur impedimenta non pauca, quandoque graviora, ad quae superanda tendit motus oecumenicus. Nihilominus, iustificati ex fide in baptismate, Christo incorporantur,[17] ideoque christiano nomine iure decorantur et a filiis Ecclesiae catholicae ut fratres in Domino merito agnoscuntur.[18]

Insuper ex elementis seu bonis, quibus simul sumptis ipsa Ecclesia aedificatur et vivificatur, quaedam immo plurima et eximia exstare possunt extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta: Verbum Dei scriptum, vita gratiae, fides, spes et caritas, aliaque interiora Spiritus Sancti dona ac visibilia elementa: haec omnia, quae a Christo proveniunt et ad Ipsum conducunt, ad unicam Christi Ecclesiam iure pertinent.

Non paucae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres a nobis seiunctos peraguntur, quae variis modis secundum diversam condicionem uniuscuiusque Ecclesiae vel Communitatis procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt quae ingressum in salutis communionem pandant.

Proinde ipsae Ecclesiae [19] et Communitates seiunctae, etsi defectus illas pati credimus, nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis quae Ecclesiae catholicae concredita est.

Attamen fratres a nobis seiuncti, sive singuli sive Communitates et Ecclesiae eorum, unitate illa non fruuntur, quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit quos in unum corpus et in novitatem vitae regeneravit et convivificavit, quamque Sacrae Scripturae et veneranda Ecclesiae Traditio profitentur. Per solam enim catholicam Christi Ecclesiam, quae generale auxilium salutis est, omnis salutarium mediorum plenitudo attingi potest. Uni

---

[17] Cf. CONC. FLORENTINUM, Sess. VIII (1439), Decretum *Exsultate Deo*: MANSI 31, 1055 A.

[18] Cf. S. AUGUSTINUS, *In Ps. 32, Enarr.* II, 29: *PL* 36, 299.

[19] Cf. CONC. LATERANENSE IV (1215), Constitutio IV: MANSI 22, 990; CONC. LUGDUNENSE II (1274), Professio fidei Michaelis Palaeologi: MANSI 24, 71 E; CONC. FLORENTINUM, Sess. VI (1439), Definitio *Laetentur caeli*: MANSI 31, 1026 E.

nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest credimus Dominum commisisse omnia bona Foederis Novi, ad constituendum unum Christi corpus in terris, cui plene incorporentur oportet omnes, qui ad populum Dei iam aliquo modo pertinent. Qui populus, durante sua terrestri peregrinatione, quamvis in membris suis peccato obnoxius remaneat, in Christo crescit et a Deo, secundum Eius arcana consilia, suaviter ducitur, usquedum ad totam aeternae gloriae plenitudinem in caelesti Ierusalem laetus perveniat.

4. Cum hodie in pluribus orbis partibus, afflante Spiritus Sancti gratia, oratione, verbo et opere multi conatus fiant accedendi ad illam plenitudinem unitatis, quam Iesus Christus vult, haec Sancta Synodus cunctos fideles catholicos hortatur ut, signa temporum agnoscentes, operi oecumenico sollerter participent.

Per « Motum oecumenicum » intelliguntur activitates et incepta, quae pro variis Ecclesiae necessitatibus et opportunitatibus temporum ad Christianorum unitatem fovendam suscitantur et ordinantur, ut sunt: primum, omnes conatus ad eliminanda verba, iudicia et opera, quae fratrum seiunctorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondeant, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddant; dein, in conventibus Christianorum ex diversis Ecclesiis vel Communitatibus in spiritu religioso ordinatis, « dialogus » inter peritos apte instructos initus, in quo unusquisque suae Communionis doctrinam profundius explicat eiusque characteres perspicue praesentat. Per hunc enim dialogum veriorem utriusque Communionis doctrinae vitaeque cognitionem et magis aequam aestimationem omnes acquirunt; tum etiam illae Communiones eam consequuntur ampliorem collaborationem in quibusvis officiis ad bonum commune ab omni conscientia christiana postulatis, et in oratione unanimi, sicubi licet, conveniunt. Denique omnes suam fidelitatem voluntati Christi circa Ecclesiam examinant atque, ut oportet, opus renovationis nec-non reformationis strenue aggrediuntur.

Quae omnia, cum a fidelibus Ecclesiae catholicae sub pastorum vigilantia prudenter et patienter perficiuntur, ad bonum aequitatis et veritatis, concordiae et collaborationis, fraterni animi et unionis conferunt; ut hac via paulatim, superatis obstaculis perfectam communionem ecclesiasticam impedientibus, omnes Christiani, in una Eucharistiae celebratione, in unius unicaeque Ecclesiae unitatem congregentur quam Christus ab initio Ecclesiae suae largitus est, quamque inamissibilem in Ecclesia catholica subsistere credimus et usque ad consummationem saeculi in dies crescere speramus.

Patet autem opus praeparationis ac reconciliationis eorum singulorum qui plenam communionem catholicam desiderant, ab oecumenico incepto natura sua distingui; nulla tamen adest oppositio, cum utrumque ex Dei mirabili dispositione procedat.

Fideles catholici in actione oecumenica sine dubio de fratribus seiunctis solliciti sint oportet, pro illis orando, de rebus Ecclesiae cum illis communicando, primos gressus ad illos movendo. In primis vero ipsimet sincero attentoque animo ea perpendere debent, quae in ipsa Familia catholica reno-

vanda et efficienda sunt, ut eius vita fidelius et clarius testimonium reddat de doctrina institutisque a Christo per Apostolos traditis.

Quamvis enim Ecclesia catholica omni a Deo revelata veritate et omnibus mediis gratiae ditata sit, tamen membra eius non omni quo par est fervore inde vivunt, ita ut vultus Ecclesiae fratribus a nobis seiunctis et universo mundo minus affulgeat atque regni Dei incrementum retardetur. Quapropter Catholici omnes ad perfectionem christianam tendere debent [20] atque, pro sua quisque condicione, eniti ut Ecclesia, humilitatem et mortificationem Iesu in corpore suo portans,[21] de die in diem mundetur et renovetur, donec Christus eam sibi exhibeat gloriosam, non habentem maculam aut rugam.[22]

In necessariis unitatem custodientes, omnes in Ecclesia, secundum munus unicuique datum, cum in variis formis vitae spiritualis et disciplinae, tum in diversitate liturgicorum rituum, immo et in theologica veritatis revelatae elaboratione, debitam libertatem servent; in omnibus vero caritatem colant. Hac enim agendi ratione ipsi veri nominis catholicitatem simul et apostolicitatem Ecclesiae in dies plenius manifestabunt.

Ex altera parte necessarium est Catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, a communi patrimonio promanantia, quae apud fratres a nobis seiunctos inveniuntur. Divitias Christi et virtutum opera agnoscere in vita aliorum, qui pro Christo testimonium ferunt, quandoque usque ad sanguinis effusionem, aequum et salutare est: Deus enim semper mirabilis est et mirandus in operibus suis.

Neque est praetereundum, quaecumque Spiritus Sancti gratia in fratribus seiunctis efficiuntur, eadem ad nostram quoque aedificationem conferre posse. Quodcumque vere christianum est, numquam germanis fidei bonis adversatur, immo semper efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae attingatur.

Attamen divisiones Christianorum impedimento Ecclesiae sunt quominus ipsa ad effectum deducat plenitudinem catholicitatis sibi propriam in iis filiis, qui sibi quidem baptismate appositi, sed a sua plena communione seiuncti sunt. Immo et pro ipsa Ecclesia difficilius fit plenitudinem catholicitatis sub omni respectu in ipsa vitae realitate exprimere.

Haec Sacra Synodus cum gaudio advertit participationem fidelium catholicorum in actione oecumenica in dies augeri, eamque episcopis ubique terrarum commendat, ut eadem promoveatur sollerter, et prudenter ab ipsis dirigatur.

---

[20] Cf. *Ic.* 1, 4; *Rom.* 12, 1-2.
[21] Cf. *2 Cor.* 4, 10; *Phil.* 2, 5-8.
[22] Cf. *Eph.* 5, 27.

CAPUT II

DE OECUMENISMI EXERCITIO

5. Ad totam Ecclesiam sollicitudo unionis instaurandae spectat, tam ad fideles quam ad pastores et unumquemque secundum propriam virtutem afficit, sive in vita christiana quotidiana sive in theologicis et historicis investigationibus. Haec cura fraternam coniunctionem inter omnes Christianos existentem iam quodammodo manifestat, atque ad plenam perfectamque unitatem secundum Dei benevolentiam conducit.

6. Cum omnis renovatio Ecclesiae[23] essentialiter in aucta fidelitate erga vocationem eius consistat, ea procul dubio ratio est cur motus versus unitatem contendat. Ecclesia in via peregrinans vocatur a Christo ad hanc perennem reformationem qua ipsa, qua humanum terrenumque institutum, perpetuo indiget; ita ut si quae, pro rerum temporumque adiunctis, sive in moribus, sive in ecclesiastica disciplina, sive etiam in doctrinae enuntiandae modo — qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet — minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur.

Haec igitur renovatio insigne obtinet momentum oecumenicum. Varii autem illi modi vitae Ecclesiae, per quos haec renovatio iam efficitur — ut sunt motus biblicus et liturgicus, praedicatio Verbi Dei atque catechesis, laicorum apostolatus, vitae religiosae novae formae, matrimonii spiritualitas, doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali, — tamquam pignora et auspicia quaedam sunt habenda, quae futuros oecumenismi progressus fauste portendunt.

7. Oecumenismus veri nominis sine interiore conversione non datur. Etenim ex novitate mentis,[24] ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis liberrima effusione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis. Ideo a Spiritu divino imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, atque fraternae in alios animi liberalitatis. « Obsecro itaque vos », ait Apostolus gentium, « ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 1-3). Exhortatio haec illos praesertim spectat, qui ad sacrum ordinem eo consilio evecti sunt, ut continuetur missio Christi, qui inter nos « non venit ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28).

De culpis etiam adversus unitatem valet testimonium S. Ioannis: « Si dixerimus quoniam non peccavimus: mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis » (*1 Io.* 1, 10). Humili igitur prece veniam petimus a Deo et a fratribus seiunctis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

---

[23] Cf. CONC. LATERANENSE V, Sess. XII (1517), Constitutio *Constituti*: MANSI 32, 988 B-C.

[24] Cf. *Eph.* 4, 23.

Meminerint omnes christifideles se Christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem secundum Evangelium vitam degere studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu unientur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valebunt.

8. Haec cordis conversio vitaeque sanctitas, una cum privatis et publicis supplicationibus pro Christianorum unitate, tamquam anima totius motus oecumenici existimandae sunt et merito oecumenismus spiritualis nuncupari possunt.

Sollemne enim est Catholicis frequenter ad illam orationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in pervigilio mortis a Patre flagranter precatus est: « Ut omnes unum sint » (*Io.* 17, 21).

In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, cuiusmodi sunt precationes quae « pro unitate » indicuntur, atque in oecumenicis conventibus licitum est immo et optandum, ut Catholici cum fratribus seiunctis in oratione consocientur. Communes eiusmodi preces perefficax sane medium sunt gratiae unitatis impetrandae et genuina significatio vinculorum, quibus Catholici cum fratribus seiunctis adhuc coniunguntur: « Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Attamen communicationem in sacris considerare non licet velut medium indiscretim adhibendum ad Christianorum unitatem restaurandam. Quae communicatio a duobus principiis praecipue pendet: ab unitate Ecclesiae significanda, et a participatione in mediis gratiae. Significatio unitatis plerumque vetat communicationem. Gratia procuranda quandoque illam commendat. De modo concreto agendi, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum, prudenter decernat auctoritas episcopalis localis, nisi aliud a conferentia episcopali, ad normam propriorum statutorum, vel a Sancta Sede statuatur.

9. Fratrum seiunctorum animum cognoscere oportet. Ad hoc necessario requiritur studium, quod secundum veritatem et animo benevolo peragendum est. Catholici debito modo praeparati acquirant necesse est meliorem cognitionem doctrinae et historiae, vitae spiritualis et cultualis, psychologiae religiosae et culturae, quae fratribus propria est. Ad id assequendum multum iuvant ex utraque parte conventus ad theologicas praesertim quaestiones tractandas, ubi unusquisque par cum pari agat, dummodo qui in illis partem habent sub praesulum vigilantia, vere periti sint. Ex tali dialogo etiam clarius innotescet, quae sit revera Ecclesiae catholicae condicio. Hac via et seiunctorum fratrum mens melius cognoscetur eisque fides nostra aptius exponetur.

10. Sacrae theologiae institutiones et aliae disciplinae praesertim historicae tradantur oportet etiam sub aspectu oecumenico, ut usque accuratius rerum veritati respondeant.

Multum enim interest futuros pastores et sacerdotes pollere theologia hoc modo adamussim elaborata, non polemice, in iis imprimis, quae fratrum seiunctorum erga Ecclesiam catholicam relationes spectant.

A sacerdotum enim formatione necessaria institutio ac formatio spiritualis fidelium et religiosorum quam maxime pendet.

Etiam Catholici in missionalia opera in iisdem terris ac alii Christiani incumbentes hodie praesertim cognoscant oportet quaestiones et fructus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatu oriuntur.

11. Modus ac ratio fidem catholicam exprimendi nullatenus obstaculum fieri debet dialogo cum fratribus. Integra doctrina lucide exponatur omnino oportet. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur et eius sensus genuinus et certus obscuratur.

Simul fides catholica et profundius et rectius explicanda est, modo et sermone qui etiam a fratribus seiunctis possit vere comprehendi.

Insuper in dialogo oecumenico theologi catholici, doctrinae Ecclesiae inhaerentes, una cum fratribus seiunctis investigationem peragentes de divinis mysteriis, cum veritatis amore, caritate et humilitate progredi debent. In comparandis doctrinis meminerint existere ordinem seu « hierarchiam » veritatum doctrinae catholicae, cum diversus sit earum nexus cum fundamento fidei christianae. Sic via sternetur qua per fraternam hanc aemulationem omnes incitentur ad profundiorem cognitionem et clariorem manifestationem investigabilium divitiarum Christi.[25]

12. Coram omnibus gentibus Christiani universi fidem in Deum unum et trinum, in Filium Dei incarnatum, Redemptorem et Dominum nostrum profiteantur et communi conatu in mutua aestimatione testimonium reddant spei nostrae, quae non confundit. Cum hodiernis temporibus in re sociali cooperatio latissime instauretur, omnes prorsus homines ad communem operam vocantur, potiore vero ratione ii, qui in Deum credunt, maxime autem omnes Christiani utpote Christi nomine insigniti. Omnium Christianorum cooperatio coniunctionem illam qua inter se uniuntur vivo modo exprimit atque Christi Servi vultum in pleniorem lucem ponit. Cooperatio haec, in non paucis nationibus iam instaurata, magis magisque perficiatur oportet, in regionibus praesertim, ubi evolutio socialis vel technica peragitur, sive in dignitate personae humanae recte aestimanda, sive in bono pacis promovendo, sive in sociali Evangelii applicatione prosequenda, sive in scientiis et artibus spiritu christiano provehendis, sive etiam in cuiusvis generis remediis adhibendis contra nostrae aetatis aerumnas, cuiusmodi sunt fames et calamitates, analphabetismus et inopia, penuria habitationum et non aequa bonorum distributio. Hac cooperatione omnes qui in Christum credunt facile addiscere possunt, quomodo alii alios melius cognoscere et pluris aestimare queant atque ad unitatem Christianorum via sternatur.

---

[25] Cf. *Eph.* 3, 8.

CAPUT III

DE ECCLESIIS ET DE COMMUNITATIBUS ECCLESIALIBUS A SEDE APOSTOLICA ROMANA SEIUNCTIS

13. Ad duas praecipuas scissionum categorias inconsutilem tunicam Christi afficientium oculos convertimus.

Primae earum in Oriente evenerunt, sive contestatione dogmaticarum formularum Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis, sive, posteriore tempore, per solutionem ecclesiasticae communionis inter Patriarchatus orientales et Sedem Romanam.

Aliae dein, post amplius quattuor saecula, in Occidente ortae sunt ex eventibus qui sub nomine Reformationis communiter veniunt. Exinde a Sede Romana plures Communiones sive nationales sive confessionales seiunctae sunt. Inter eas, in quibus traditiones et structurae catholicae ex parte subsistere pergunt, locum specialem tenet Communio anglicana.

Hae tamen diversae divisiones inter se valde differunt non solum ratione originis, loci et temporis, sed praesertim natura et gravitate quaestionum ad fidem et structuram ecclesiasticam pertinentium.

Quam ob rem, haec Sancta Synodus, nec condiciones diversas diversorum Coetuum christianorum parvipendens, neque superstites, non obstante divisione, nexus inter eos praeteriens, ad prudentem actionem oecumenicam exercendam sequentes considerationes proponere decernit.

I - *De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione*

14. Ecclesiae Orientis et Occidentis per non pauca saecula suam propriam viam, fraterna tamen communione fidei et vitae sacramentalis coniunctae, secutae sunt, Sede Romana moderante communi consensu, si dissensiones circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur. Sacrosanctae Synodo gratum est, inter cetera gravis momenti, omnibus in mentem revocare plures in Oriente florere particulares seu locales Ecclesias, inter quas primum locum tenent Ecclesiae Patriarchales, et ex quibus non paucae ab ipsis Apostolis ortum habere gloriantur. Proinde apud Orientales praevaluit atque praevalet sollicitudo et cura servandi fraternas illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent.

Praetermittendum pariter non est Ecclesias Orientis ab origine habere thesaurum, ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in ordine iuridico Ecclesia Occidentis deprompsit. Neque illud parvi faciendum est fundamentalia dogmata christianae fidei de Trinitate et de Verbo Dei, ex Virgine Maria incarnato, in Conciliis oecumenicis in Oriente celebratis definita esse. Ad hanc fidem servandam illae Ecclesiae multa et passae sunt et patiuntur.

Tradita autem ab Apostolis haereditas diversis formis et modis acceptata est et inde ab ipsis Ecclesiae primordiis hic et illic varie explicata ob diversitatem quoque ingenii et vitae condicionum. Quae omnia, praeter causas externas, propter defectum etiam mutuae comprehensionis et caritatis separationibus ansam praebuerunt.

Quamobrem Sacrosancta Synodus omnes quidem, sed praesertim eos exhortatur qui in instaurationem plenae communionis optatae inter Ecclesias orientales et Ecclesiam catholicam incumbere intendunt, ut debitam considerationem habeant de hac peculiari condicione nascentium crescentiumque Ecclesiarum Orientis et de indole relationum, quae inter eas et Sedem Romanam ante separationem vigebant atque rectam de his omnibus existimationem sibi efforment. Haec accurate servata ad dialogum intentum summopere conferent.

15. Omnibus quoque notum est quanto cum amore Christiani orientales liturgica Sacra peragant, praesertim celebrationem eucharisticam, fontem vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, qua fideles cum episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur, « divinae consortes naturae » (*2 Petr.* 1, 4) effecti. Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit,[26] et per concelebrationem communio earum manifestatur.

In cultu hoc liturgico Mariam semper Virginem, quam Oecumenica Synodus Ephesina solemniter Deiparam Sanctissimam proclamavit ut vere et proprie Christus Filius Dei et Filius Hominis secundum Scripturas agnosceretur, Orientales pulcherrimis hymnis magnificant et multos quoque Sanctos, inter quos Patres universalis Ecclesiae, collaudant.

Cum autem illae Ecclesiae, quamvis seiunctae, vera sacramenta habeant, praecipue vero, vi successionis apostolicae, Sacerdotium et Eucharistiam, quibus arctissima necessitudine adhuc nobiscum coniunguntur, quaedam communicatio in sacris, datis opportunis circumstantiis et approbante auctoritate ecclesiastica, non solum possibilis est sed etiam suadetur.

In Oriente quoque inveniuntur divitiae illarum traditionum spiritualium, quas praesertim monachismus expressit. Ibi enim inde a gloriosis Sanctorum Patrum temporibus floruit spiritualitas illa monastica, quae dein ad occidentales partes manavit et ex qua religiosum latinorum institutum tamquam e suo fonte originem duxit ac deinceps novum vigorem identidem accepit. Quapropter enixe commendatur ut Catholici frequentius accedant ad has spirituales Patrum Orientalium divitias quae hominem totum ad divina contemplanda evehunt.

---

[26] Cf. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem Homelia XLVI*: *PG* 59, 260-262.

Ditissimum Orientalium patrimonium liturgicum et spirituale cognoscere, venerari, conservare et fovere omnes sciant maximi esse momenti ad plenitudinem traditionis christianae fideliter custodiendam et ad reconciliationem orientalium et occidentalium Christianorum perficiendam.

16. Praeterea a primis iam temporibus Ecclesiae Orientis disciplinas proprias a Sanctis Patribus atque Synodis, etiam Oecumenicis, sancitas sequebantur. Cum autem unitati Ecclesiae minime obstet, immo decorem eius augeat et ad missionem eius implendam non parum conferat quaedam morum consuetudinumque diversitas, uti supra memoratur, Sacra Synodus, ad omne dubium tollendum, declarat Ecclesias Orientis, memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, facultatem habere se secundum proprias disciplinas regendi, utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animorum consulendo aptiores. Perfecta huius traditionalis principii observantia, non semper quidem servata, ad ea pertinet quae ad unionem restaurandam tamquam praevia condicio omnino requiruntur.

17. Quae supra de legitima diversitate dicta sunt, eadem placet etiam de diversa theologica doctrinarum enuntiatione declarare. Etenim in veritatis revelatae exploratione methodi gressusque diversi ad divina cognoscenda et confitenda in Oriente et in Occidente adhibiti sunt. Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab uno quam ab altero, ita ut tunc variae illae theologicae formulae non raro potius inter se compleri dicendae sint quam opponi. Ad traditiones theologicas authenticas Orientalium quod attinet, agnoscendum est eas eximio quidem modo in Sacris Scripturis radicatas esse, vita liturgica foveri et exprimi, viva apostolica traditione scriptisque Orientalium Patrum ac spiritualium auctorum nutriri, ad rectam vitae institutionem, immo ad christianam veritatem plene contemplandam tendere.

Haec Sancta Synodus, gratias agens Deo quod multi orientales Ecclesiae catholicae filii, qui hoc patrimonium custodiunt et illud purius pleniusque vivere cupiunt, iam cum fratribus traditionem occidentalem colentibus in plena communione vivunt, declarat, totum hoc patrimonium spirituale ac liturgicum, disciplinare ac theologicum in diversis suis traditionibus ad plenam catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae pertinere.

18. His omnibus bene perspectis, haec Sacrosancta Synodus renovat id quod a Sacris praeteritis Conciliis nec non a Romanis Pontificibus declaratum est, nempe ad communionem et unitatem restaurandam vel servandam opus esse « nihil ultra imponere oneris quam necessaria » (*Act.* 15, 28). Vehementer etiam exoptat ut ad eam paulatim consequendam omnes conatus exinde intendant in variis institutis et formis vitae Ecclesiae, praesertim oratione et fraterno dialogo circa doctrinam et muneris pastoralis urgentiores aetatis nostrae necessitates. Eodem modo pastoribus et fidelibus Ecclesiae catholicae commendat necessitudines cum eis qui non iam in Oriente, sed procul a patria vitam degunt, ut fraterna collaboratio cum eis in spiritu caritatis et secluso omni spiritu contentiosae aemulationis crescat. Quod si hoc opus

toto animo promoveatur, Sacrosancta Synodus sperat fore, ut sublato pariete occidentalem orientalemque Ecclesiam dividente, unica tandem fiat mansio angulari firmata lapide, Christo Iesu, qui faciet utraque unum.[27]

II - *De Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus in Occidente seiunctis*

19. Ecclesiae et Communitates ecclesiales, quae vel in gravissimo illo rerum discrimine, quod in Occidente iam ab exeunte medio aevo initium sumpsit, vel posterioribus temporibus ab Apostolica Sede Romana separatae sunt, cum Ecclesia catholica peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur ob diuturnam populi christiani vitam praeteritis saeculis in ecclesiastica communione peractam.

Cum hae vero Ecclesiae et Communitates ecclesiales propter diversitatem originis, doctrinae et vitae spiritualis non tantum a nobis, sed etiam inter se non parum differant, eas aeque describere opus perdifficile est, quod hic aggredi non intendimus.

Quamvis motus oecumenicus et desiderium pacis cum Ecclesia catholica nondum ubique invaluerint, spes nobis est fore ut in omnibus sensus oecumenicus et mutua aestimatio paulatim crescant.

Attamen agnoscendum est inter has Ecclesias et Communitates atque Ecclesiam catholicam magni ponderis discrepantias adesse, non tantum indolis historicae, sociologicae, psychologicae, culturalis, sed imprimis interpretationis revelatae veritatis. Quo autem facilius, non obstantibus illis differentiis, dialogus oecumenicus instaurari possit, in sequentibus quaedam efferre volumus quae fundamentum huius dialogi atque incitamentum esse possunt ac debent.

20. Mens nostra eos imprimis Christianos respicit, qui Iesum Christum ut Deum ac Dominum et unicum mediatorem inter Deum et homines palam confitentur ad unius gloriam Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Non leves scimus quidem existere discrepantias a doctrina catholicae Ecclesiae etiam de Christo Verbo Dei incarnato et de opere redemptionis, proinde de mysterio ministerioque Ecclesiae et munere Mariae in opere salutis. Laetamur tamen videntes fratres seiunctos in Christum tamquam fontem et centrum communionis ecclesiasticae intendere. Desiderio tacti unionis cum Christo compelluntur ad unitatem magis magisque quaerendam atque etiam ad testimonium fidei suae ubique apud gentes reddendum.

21. Sacrarum Scripturarum amor et veneratio ac prope cultus fratres nostros ad constans et sollers Sacrae Paginae studium adducunt: Evangelium « virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum, et Graeco » (*Rom.* 1, 16).

---

[27] Cf. Conc. Florentinum, Sess. VI (1439), Definitio *Laetentur caeli*: Mansi 31, 1026 E.

Spiritum Sanctum invocantes, in ipsis Sacris Scripturis Deum inquirunt quasi sibi loquentem in Christo, a Prophetis praenuntiato, Verbo Dei pro nobis incarnato. In iis vitam Christi contemplantur et ea quae Divinus Magister ad salutem hominum docuit et peregit, mysteria praesertim mortis eius et resurrectionis.

At cum Christiani a nobis seiuncti auctoritatem divinam Sacrorum Librorum affirmant, aliter ac nos — diversi quidem diverse — sentiunt de habitudine Scripturas inter et Ecclesiam, in qua secundum fidem catholicam magisterium authenticum peculiarem obtinet locum in Verbo Dei scripto exponendo et praedicando.

Nihilominus Sacra Eloquia in ipso dialogo eximia sunt instrumenta in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam, quam Salvator omnibus hominibus exhibet.

22. Baptismi Sacramento, quandocumque iuxta Domini institutionem rite confertur ac debita animi dispositione accipitur, homo vere Christo crucifixo et glorificato incorporatur atque ad vitae divinae consortium regeneratur iuxta illud Apostoli: « consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis » (*Col.* 2, 12).[28]

Baptismus igitur vinculum unitatis sacramentale constituit vigens inter omnes qui per illum regenerati sunt. Attamen baptismus per se dumtaxat initium et exordium est, quippe qui totus in acquirendam tendit plenitudinem vitae in Christo. Itaque baptismus ordinatur ad integram fidei professionem, ad integram incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, ad integram denique in communionem eucharisticam insertionem.

Communitates ecclesiales a nobis seiunctae, quamvis deficiat earum plena nobiscum unitas ex baptismate profluens, et quamvis credamus illas, praesertim propter Sacramenti Ordinis defectum, genuinam atque integram substantiam Mysterii eucharistici non servasse, tamen, dum in Sancta Coena mortis et resurrectionis Domini memoriam faciunt, vitam in Christi communione significari profitentur atque gloriosum Eius adventum exspectant. Quapropter doctrina circa Coenam Domini, cetera sacramenta et cultum ac Ecclesiae ministeria obiectum dialogi constituat oportet.

23. Christiana horum fratrum conversatio fide in Christum alitur, baptismatis gratia et Verbo Dei audito fovetur. Manifestatur quidem in oratione privata, in meditatione biblica, in familiae christianae vita, in cultu communitatis ad laudem Dei congregatae. Ceteroquin cultus eorum nonnumquam elementa conspicua communis antiquae liturgiae prae se fert.

Fides qua Christo creditur fructus edit in laude et gratiarum actione pro beneficiis divinitus acceptis; accedit vivus iustitiae sensus et sincera caritas in proximum. Haec autem operosa fides haud pauca etiam instituta ad miseriam spiritualem et corporalem sublevandam, ad iuventutis educationem

---

[28] Cf. *Rom.* 6, 4.

excolendam, ad sociales vitae condiciones humaniores reddendas, ad pacem universim constabiliendam protulit.

Quod si inter Christianos multi non semper eadem ratione atque Catholici Evangelium in re morali intelligunt neque easdem solutiones difficiliorum hodiernae societatis quaestionum admittunt, nihilominus ut nos volunt verbo Christi ut fonti christianae virtutis haerere et apostolico oboedire praecepto: « Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum » (*Col.* 3, 17). Hinc dialogus oecumenicus de morali Evangelii applicatione initium sumere potest.

24. Sic post breviter expositas condiciones, quibus exerceri contingit actio oecumenica, et principia quibus moderanda est, fidenter oculos ad futura convertimus. Haec Sacrosancta Synodus hortatur fideles, ut a quavis levitate vel imprudenti zelo se abstineant, quae vero progressui unitatis nocere possint. Eorum enim oecumenica actio non potest esse nisi plene sincereque catholica, fidelis nempe veritati, quam ab Apostolis et Patribus accepimus, et consentanea fidei, quam Ecclesia catholica semper professa est, ac simul in eam plenitudinem tendens, qua Dominus decursu temporum Corpus Suum vult augeatur.

Haec Sacrosancta Synodus instanter exoptat ut filiorum Ecclesiae catholicae incepta cum inceptis fratrum seiunctorum coniuncta progrediantur, quin Providentiae viis ullum ponatur obstaculum et quin futuris Spiritus Sancti impulsionibus praeiudicetur. Insuper se consciam esse declarat hoc sanctum propositum reconciliandi Christianos omnes in unitate unius unicaeque Ecclesiae Christi humanas vires et dotes excedere. Quapropter spem suam in oratione Christi pro Ecclesia, in amore Patris erga nos, in virtute Spiritus Sancti penitus ponit. « Spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5).

Haec omnia et singula quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXI mensis novembris anno MCMLXIV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego Eugenius ep. Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae card. Tisserant, Sacri Collegii Decanus.*

✠ Ego Ioseph ep. Albanensis card. Pizzardo.

---

* Quidam Patres suffragium dederunt, quin decreta Ss. Concilii subsignaverint.

In Concilio Oecumenico concessum est ut crucem suo nomini apponerent iis quoque Patribus Cardinalibus qui, etsi ordinis presbyteralis, episcopi tamen residentiales essent.

✠ Ego Benedictus ep. Praenestinus card. Aloisi Masella.
✠ Ego Hamletus Ioannes ep. tit. Tusculanus card. Cicognani.
✠ Ego Ioseph ep. tit. Sabinensis et Mandelensis card. Ferretto.
✠ Ego Emmanuel titulo Ss. Marcellini et Petri presb. card. Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis.
✠ Ego Ignatius Gabriel titulo Basilicae XII Apostolorum presb. card. Tappouni, patr. Antiochenus Syrorum.
Ego Iacobus Aloisius titulo S. Laurentii in Damaso presb. card. Copello, S.R.E. Cancellarius.
✠ Ego Petrus titulo Ss.mae Trinitatis in Monte Pincio presb. card. Gerlier, arch. Lugdunensis et Viennensis, primas Galliae.
Ego Gregorius Petrus titulo S. Bartholomaei in Insula presb. card. Agagianian.
✠ Ego Normannus Thomas titulo Ss. Quattuor Coronatorum presb. card. Gilroy, arch. Sydneyensis.
✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis ante Portam Latinam presb. card. Frings, arch. Coloniensis.
✠ Ego Ernestus titulo S. Sabinae presb. card. Ruffini, arch. Panormitanus.
✠ Ego Antonius titulo S. Laurentii in Panisperna presb. card. Caggiano, arch. Bonaërensis.
Ego Petrus titulo S. Laurentii in Lucina presb. card. Ciriaci.
✠ Ego Mauritius titulo S. Mariae de Pace presb. card. Feltin, arch. Parisiensis.
✠ Ego Iacobus titulo S. Mariae in Transpontina presb. card. Lercaro, arch. Bononiensis.
✠ Ego Stephanus titulo S. Mariae Trans Tiberim presb. card. Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, primas Poloniae.
✠ Ego Ferdinandus titulo S. Augustini presb. card. Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus.
✠ Ego Paulus Aemilius titulo S. Mariae Angelorum in Thermis presb. card. Léger, arch. Marianopolitanus.
✠ Ego Ioannes titulo S. Marci presb. card. Urbani, patr. Venetiarum.
Ego Paulus titulo S. Mariae in Vallicella presb. card. Giobbe, S.R.E. Datarius.
Ego Ferdinandus titulo S. Eustachii presb. card. Cento.
✠ Ego Ioseph titulo S. Honuphrii in Ianiculo presb. card. Garibi y Rivera, arch. Guadalajarensis.
Ego Carolus titulo S. Agnetis extra moenia presb. card. Confalonieri.
✠ Ego Paulus titulo Ss. Quirici et Iulittae presb. card. Richaud, arch. Burdigalensis.
✠ Ego Ioseph Maria titulo Ss. Viti, Modesti et Crescentiae presb. card. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis.
✠ Ego Franciscus titulo S. Eusebii presb. card. König, arch. Vindobonensis.
✠ Ego Iulius titulo S. Mariae Scalaris presb. card. Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.
Ego Paulus titulo S. Andreae Apostoli de Hortis presb. card. Marella.
Ego Gustavus titulo S. Hieronymi Illiricorum presb. card. Testa.
✠ Ego Albertus titulo S. Caeciilae presb. card. Meyer, arch. Chicagiensis.
Ego Aloisius titulo S. Andreae de Valle presb. card. Traglia.
✠ Ego Petrus Tatsuo titulo S. Antonii Patavini de urbe presb. card. Doi, arch. Tokiensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis Baptistae Florentiorum presb. card. Léfebvre, arch. Bituricensis.
✠ Ego Bernardus titulo S. Ioachimi presb. card. Alfrink, arch. Ultraiectensis.
✠ Ego Laureanus titulo S. Francisci Assisiensis ad Ripam Maiorem presb. card. Rugambwa, ep. Bukobaënsis.
✠ Ego Ioseph titulo Ss.mi Redemptoris et S. Alfonsi in Exquiliis presb. card. Ritter, arch. S. Ludovici.
✠ Ego Ioseph Humbertus titulo Ss. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri presb. card. Quintero, arch. Caracensis.
✠ Ego Aloisius titulo S. Mariae Novae presb. card. Concha, arch. Bogotensis.
Ego Iosephus titulo S. Priscae presb. card. Da Costa Nuñes.
Ego Hildebrandus titulo S. Sebastiani ad Catacumbas presb. card. Antoniutti.
Ego Ephraem titulo S. Crucis in Hierusalem presb. card. Forni.
✠ Ego Ioannes titulo S. Mariae de Aracoeli presb. card. Landázuri Ricketts, arch. Limanus, primas Peruviae.
✠ Ego Radulphus titulo S. Bernardi ad Thermas presb. card. Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.
✠ Ego Leo Ioseph titulo S. Petri ad Vincula presb. card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.
Ego Alaphridus S. Mariae in Domnica protodiac. card. Ottaviani.
Ego Albertus S. Prudentianae diac. card. Di Jorio.
Ego Franciscus S. Mariae in Cosmedin diac. card. Roberti.
Ego Arcadius Ss. Blasii et Caroli ad Catinarios diac. card. Larraona.
Ego Franciscus Ss. Cosmae et Damiani diac. card. Morano.
Ego Guillelmus Theodorus S. Theodori in Palatio card. Heard.
Ego Augustinus S. Sabae diac. card. Bea.
Ego Antonius S. Eugenii diac. card. Bacci.
Ego Frater Michael S. Pauli Apostoli in Arenula diac. card. Browne.
Ego Ioachim Anselmus S. Apollnariis diac. card. Albareda.

✠ Ego Stephanus I Sidarouss, patr. Alexandrinus Coptorum.
✠ Ego Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum.
✠ Ego Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum.
✠ Ego Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum.
✠ Ego Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum.
✠ Ego Ioseph Viera Alvernaz, patr. Indiarum Orientalium.

✠ Ego Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ukrainorum, primas Ukrainiae.
✠ Ego Ioannes Carolus McQuaid, arch. Dublinensis, primas Hiberniae.
✠ Ego Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae.
✠ Ego Octavius Antonius Beras, arch. S. Dominici, primas Indiarum Occidentalium.
✠ Ego Mauritius Roy, arch. Quebecensis, primas Canadiae.
✠ Ego Demetrius Moscato, arch. primas Salernitanus et administrator perpetuus Acernensis.
✠ Ego Hugo Camozzo, arch. Pisanus et primas Sardiniae et Corsicae.
✠ Ego Alexander Tokić, arch. Antibarensis et primas Serbiae.

✠ Ego Michael Darius Miranda y Gómez, arch. Mexicanus, primas Mexici.
✠ Ego Ioannes Carolus Heenan, arch. Vestmonasteriensis, primas Angliae.
✠ Ego Villelmus Conway, arch. Armachanus, primas totius Hiberniae.
✠ Ego Franciscus M. da Silva, arch. Bracharensis, primas Hispaniarum.

✠ Ego Andreas Cesarano, arch. Sipontinus.
✠ Ego Aloisius Centoz, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne.
✠ Ego Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus.
✠ Ego Ioannes Emmanuel González Arbeláez, arch. tti. Oxyrynchitanus.
✠ Ego Antonius Riberi, arch. tit. Darensis.
✠ Ego Ioannes Georgius Stété, arch. Damascenus Syrorum.
✠ Ego Ludovicus Mathias, arch. Madrapolitanus et Meliaporensis
✠ Ego Paulus Kiredjian, arch. Constantinopolitanus Armenorum.
✠ Ego Fredericus Eduardus Camillus Lamy, arch. tit. Byziensis.
✠ Ego Iustinus Daniel Simonds, arch. Melbournensis.
✠ Ego Floridus Ambrosius Acciari, arch. Rhodiensis.
✠ Ego Vincentius Alexander González y Robleto, arch. Managuensis.
✠ Ego Patricius Finbar Ryan, arch. Portus Hispaniae.
✠ Ego Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.
✠ Ego Athanasius Toutoungi, arch. Aleppensis Melkitarum.
✠ Ego Marianus Rossell y Arellano, arch. Guatimalensis.
✠ Ego Alfredus Silva Santiago, arch. tit. Petrensis in Palaestina.
✠ Ego Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis.
✠ Ego Ioseph Walsh, arch. Tuamensis.
✠ Ego Nercès Tayroyan, arch. Babylonensis Armenorum.
✠ Ego Aemilius Mauritius Guerry, arch. Cameracensis.
✠ Ego Moises Alves de Pinho, arch. Luandensis.
✠ Ego Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis.
✠ Ego Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis.
✠ Ego Norbertus Perini, arch. Firmanus.
✠ Ego Mesrop Habozian, arch. tit. Camaco.
✠ Ego Norbertus Robichaud, arch. Monctonensis.
✠ Ego Fortinus Gómez León, arch. Antequerensis.
✠ Ego Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum.
✠ Ego Alfredus Cifuentes Gómez, arch. Serenensis.
✠ Ego Abel Isidorus Antezana y Rojas, arch. Pacensis in Bolivia.
✠ Ego Michael Gonzi, arch. Melitensis.
✠ Ego Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus.
✠ Ego Humbertus Malchiodi, arch.-ep. Placentinus.
✠ Ego Ioseph Antonius O'Sullivan, arch. Kingstoniensis.
✠ Ego Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum.
✠ Ego Marius de Miranda Vilas-Bôas, arch. Parahybensis.
✠ Ego Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus.
✠ Ego Franciscus Imberti, arch. Vercellensis.
✠ Ego Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia.
✠ Ego Aegidius Bignamini, arch. Anconitanus.
✠ Ego Thomas Cooray, arch. Colombensis in Ceylon.
✠ Ego Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia.

✠ Ego Fredericus Melendro, arch. Nganchimensis.
✠ Ego Pacificus Vanni, arch. tit. Proconnesius.
✠ Ego Paulus Yü Pin, arch. Nanchimensis.
✠ Ego Aloisius Morel, arch. tit. Aeniensis.
✠ Ego Dominicus Lucas Capozi, arch. Taeiuenensis.
✠ Ego Alexander Derouineau, arch. Coenmimensis.
✠ Ego Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Burzio, arch. tit. Gortyniensis.
✠ Ego Paulus Schulte, arch. Indianapolitanus.
✠ Ego Caietanus Pollio, arch. Hydruntinus.
✠ Ego Alfredus Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis in Brasilia.
✠ Ego Angelus Rossini, arch. Amalphitanus.
✠ Ego Gabriel Garrone, arch. Tolosanus.
✠ Ego Antonius Taffi, arch. tit. Sergiopolitanus.
✠ Ego Petrus Thomas McKeefry, arch. Vellingtonensis.
✠ Ego Antonius Gregorius Vuccino, arch. tit. Aprensis.
✠ Ego Alexander Scandar, arch.-ep. Lycopolitanus.
✠ Ego Sebastianus Fraghi, arch. Arborensis.
✠ Ego Laurentius Gargiulo, arch. tit. Germensis in Hellesponto.
✠ Ego Ludovicus M. Ferdinandus de Bazelaire de Ruppière, arch. Chamberiensis.
✠ Ego Reginaldus Ioseph M. Addazzi, arch. Tranensis et Barolensis.
✠ Ego Patritius Ludovicus O'Boyle, arch. Vashingtonensis.
✠ Ego Michael O'Neill, arch. Reginatensis.
✠ Ego Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis.
✠ Ego Patricius M. O'Donnell, arch. tit. Pelusiotanus.
✠ Ego Ioannes Rizzo, arch. Rossanensis.
✠ Ego Iacobus Cornelius van Miltenburg, arch.-ep. Hyderabadensis in Pakistan.
✠ Ego Robertus Ronca, arch. tit. Naupactensis.
✠ Ego Raphael Mario Radossi, arch. Spoletanus.
✠ Ego Ioannes B. Bosio, arch. Theatinus.
✠ Ego Philippus Nabaa, arch. Berytanus et Gibailensis Melkitarum.
✠ Ego Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia.
✠ Ego Vido Aloisius Bentivoglio, arch. Catanensis.
✠ Ego Emmanuel M. Ferreira da Silva, arch. tit. Cyzicensis.
✠ Ego Isaac Ghattas, arch.-ep. Thebanus.
✠ Ego Paulus Botto, arch. Calaritanus.
✠ Ego Ioseph Patricius Hurley, arch.-ep. S. Augustini.
✠ Ego Petrus Sigismondi, arch. tit. Neapolitanus in Pisidia.
✠ Ego Paulus Noussier, arch. Hermopolitanus.
✠ Ego Raphael Calabrìa, arch. Beneventanus.
✠ Ego Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis.
✠ Ego Antonius Samoré, arch. tit. Ternobenus.
✠ Ego Constantinus Stella, arch. Aquilanus.
✠ Ego Vido Tonetti, arch.-ep. Cuneensis.
✠ Ego Ioannes Ferro, arch. Rheginensis.
✠ Ego Augustus Bertazzoni, arch.-ep. Potentinus et Marsicensis.
✠ Ego Ludovicus Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis.

✠ Ego Octavianus Márquez Tóriz, arch. Angelorum.
✠ Ego Sergius Pignedoli, arch. tit. Iconiensis.
✠ Ego Dionysius Eugenius Hurley, arch. Durbanianus.
✠ Ego Ioannes Colburn Garner, arch. Praetoriensis.
✠ Ego Audenus McCann, arch. Capetownensis.
✠ Ego Didacus Venini, arch. tit. Adanensis.
✠ Ego Franciscus Carpino, arch. tit. Serdicensis.
✠ Ego Ioseph Rabbani, arch. tit. Nacolensis.
✠ Ego Patricius Iacobus Skinner, arch. S. Ioannis Terrae Novae.
✠ Ego Ioseph Alexander Fernandes, arch. Dehliensis.
✠ Ego Alfonsus Espino y Silva, arch. Monterreyensis.
✠ Ego Gordon Ioseph Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensis.
✠ Egd Ioseph M. Cuenco, arch. Jacensis.
✠ Ego Emmanuel Pius López Estrada, arch. Jalapensis.
✠ Ego Zaya Dachtou, arch. Urmiensis.
✠ Ego Philippus Franciscus Pocock, arch. tit. Isauropolitanus.
✠ Ego Hugo Bressane de Araújo, arch.-ep. Mariliensis.
✠ Ego Ioseph Medeiros Delgado, arch. Fortalexiensis.
✠ Ego Ianuarius Verolino, arch. tit. Corinthiensis.
✠ Ego Ioannes Dooley, arch. tit. Macrensis in Rhodope.
✠ Ego Hilarius Alcini, arch. tit. Nicaenus.
✠ Ego Hyacinthus Ioannes Ambrosi, arch. tit. Anchialitanus.
✠ Ego Albertus Gaudentius Ramos, arch. Belemensis de Pará.
✠ Ego Ioannes Dadone, arch.-ep. Fossanensis.
✠ Ego Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii.
✠ Ego Paulus Bertoli, arch. tit. Nicomediensis.
✠ Ego Ioseph Bartholomaeus Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis.
✠ Ego Ioseph Kuo, arch. tit. Salaminensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Hunkeler, arch. Kansanopolitanus in Kansas.
✠ Ego Gregorius Modrego y Casáus, arch.-ep. Barcinonensis.
✠ Ego Henricus Nicodemo, arch. Barensis.
✠ Ego Thomas Aloisius Boland, arch. Novarcensis.
✠ Ego Caelestinus Ioseph Damiano, arch.-ep. Camdensis.
✠ Ego Anacletus Cazzaniga, arch. Urbinatensis.
✠ Ego Edgardus Aristides Maranta, arch. Daressalaamensis.
✠ Ego Hector Cunial, arch. tit. Soteropolitanus.
✠ Ego Ioannes Bučko, arch. tit. Leucadensis.
✠ Ego Michael Olçomendy, arch. Malacensis-Singaporensis.
✠ Ego Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis.
✠ Ego Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis.
✠ Ego Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus.
✠ Ego Raphael Garcia y Garcia de Castro, arch. Granatensis.
✠ Ego Raphael Forni, arch. tit. Aeginensis.
✠ Ego Ambrosius Rayappan, arch. Pondicheriensis et Cuddalorensis.
✠ Ego Ioseph Garcia y Goldaraz, arch. Vallisoletanus.
✠ Ego Ioannes Petrus Leonard, arch. Maduraiensis.
✠ Ego Romulus Carboni, arch. tit. Sidoniensis.
✠ Ego Mauritius Perrin, arch. tit. Novensis.

✠ Ego Henricus Pintonello, arch. tit. Theodosiopolitanus in Arcadia.
✠ Ego Athanasius Ioannes Daniel Bakose, arch. Babylonensis Syrorum.
✠ Ego Aloisius Raimondi, arch. tit. Tarsensis.
✠ Ego Henricus Audrain, arch. Auxitanus.
✠ Ego Leo Stephanus Duval, arch. Algeriensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Grimshaw, arch. Birminghamiensis.
✠ Ego Marcellus M. Dubois, arch. Bisuntinus.
✠ Ego Dominicus Picchinenna, arch. Cosentinus.
✠ Ego Hermenegildus Florit, arch. Florentinus.
✠ Ego Villelmus Patricius Whelan, arch. Bloemfonteinensis.
✠ Ego Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis.
✠ Ego Natalis Mosconi, arch. Ferrariensis.
✠ Ego Humbertus Mozzoni, arch. tit. Sidetanus.
✠ Ego Guilfordus Clyde Young, arch. Hobartensis.
✠ Ego Victor Bazin, arch. Rangunensis.
✠ Ego Ioseph Strebler, arch. tit. Nicopolitanus in Epiro.
✠ Ego Aemilius Socquet, arch. tit. Selimbrianus.
✠ Ego Victor Sartre, arch. tit. Beroensis.
✠ Ego Ioseph Cucherousset, arch. Banguensis.
✠ Ego Helder Pessâo Câmara, arch. Olindensis et Recifensis.
✠ Ego Ioseph Schneider, arch. Bambergensis.
✠ Ego Adelmus Machado Cavalcanti, arch. Macejensis.
✠ Ego Franciscus Poirier, arch. Portus Principis.
✠ Ego Renatus Graffin, arch. tit. Misthiensis.
✠ Ego Ioannes Wolff, arch. de Diego Suarez.
✠ Ego Ludovicus Amadeus Lefèvre, arch. Rabatensis.
✠ Ego Xaverius Ferdinandus Throyer, arch. tit. Odessitanus.
✠ Ego Petrus Leclerc, arch.-ep. Seguensis.
✠ Ego Michael Bernard, arch. tit. Arensis in Mauritania.
✠ Ego Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide.
✠ Ego Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis.
✠ Ego Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis.
✠ Ego Evasius Colli, arch.-ep. Parmensis.
✠ Ego Avelar Brandâo Vilela, arch. Teresianus.
✠ Ego Gerardus de Milleville, arch. tit. Gabalensis.
✠ Ego Antonius Ioseph Plaza, arch. Platensis.
✠ Ego Caesar Antonius Mosquera Corral, arch. Guayaquilensis.
✠ Ego Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis.
✠ Ego Dominicus Romualdus Basilius Athaide, arch. Agraensis.
✠ Ego Emmanuel Dos Santos Rocha, arch. tit. Mitylenensis.
✠ Ego Ludovicus Ferrand, arch. Turonensis.
✠ Ego Franciscus Markall, arch. Salisburiensis.
✠ Ego Primus Principi, arch. tit. Tyanensis.
✠ Ego Ismael Marius Castellano, arch. Senensis.
✠ Ego Henricus Delgado y Gómez, arch. Pampilonensis.
✠ Ego Marcus Armandus Lallier, arch. Massiliensis.
✠ Ego Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum.
✠ Ego Franciscus Aldegunde Dorrego, arch. Tingitanus.

✠ Ego Carolus M. Jurgens Byrne, arch. Cuschensis.
✠ Ego Orlandus Chavez, arch. Cuiabaensis.
✠ Ego Ioseph Amici, arch. Mutinensis.
✠ Ego Villelmus Bolatti, arch.-ep. Rosariensis.
✠ Ego Ferdinandus Gomes dos Santos, arch. Goianiensis.
✠ Ego Aurelius Signora, arch. tit. Nicosiensis.
✠ Ego Germinianus Esorto, arch. Sinus Albi.
✠ Ego Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis.
✠ Ego Ioannes de Sousa Lima, arch. Manaensis.
✠ Ego Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis.
✠ Ego Emmanuel a Jesu Serrano Abad, arch. Conchensis in Aequatore.
✠ Ego Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis.
✠ Ego Raphael Rabban, arch. Cherchensis.
✠ Ego Ioannes Rezende Costa, arch. tit. Martyropolitanus.
✠ Ego Henricus Hector Golland Trindade, arch. Botucatuensis.
✠ Ego Ioseph M. Cordeiro, arch. Karachiensis.
✠ Ego Aloisius del Rosario, arch. Zamboangensis.
✠ Ego Ioannes B. da Mota e Albuquerque, arch. Victoriensis Spiritus S.
✠ Ego Theophilus Camomot Bastide, arch. tit. Marcianopolitanus.
✠ Ego Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Bernal Ortiz, arch. Civitatis Bolivarensis.
✠ Ego Ioannes Hieronymus Adam, arch. Liberopolitanus.
✠ Ego Carolus Grano, arch. tit. Thessalonicensis.
✠ Ego Angelus Dell'Acqua, arch. tit. Chalcedonensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Dearden, arch. Detroitensis.
✠ Ego Villelmus Cousins, arch. Milwaukiensis.
✠ Ego Benedictus Falcucci, arch. tit. Preslavensis.
✠ Ego Ansgarius de Oliveira, arch. Marianensis.
✠ Ego Aemilius Tagle Covarrubias, arch.-ep. Vallis Paradisi.
✠ Ego Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis.
✠ Ego Paulus Aijiro Yamaguchi, arch. Nagasakiensis.
✠ Ego Benedictus Printesis, arch. Atheniensis.
✠ Ego Dionysius Antonius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum.
✠ Ego Linus Zanini, arch. tit. Hadrianopolitanus in Haemimonto.
✠ Ego Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrensis.
✠ Ego Arturus Duque Villegas, arch. Manizalensis.
✠ Ego Ioannes McCarthy, arch. Kadunaensis.
✠ Ego Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis.
✠ Ego Gasto Mojaisky-Perrelli, arch.-ep. Nuscanus.
✠ Ego Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum.
✠ Ego Martinus Ioannes O'Connor, arch. tit. Laodicenus in Syria.
✠ Ego Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis.
✠ Ego Franciscus Marty, arch. Remensis.
✠ Ego Raphael Baratta, arch. Perusinus.
✠ Ego Ioannes Villot, arch. tit. Bosporensis.
✠ Ego Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis.
✠ Ego Felix Scalais, arch. tit. Aquensis in Numidia.
✠ Ego Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis.

✠ Ego Ioseph Floribertus Cornelis, arch. Elisabethapolitanus.
✠ Ego Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis.
✠ Ego Thomas Morris, arch. Casheliensis.
✠ Ego Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis.
✠ Ego Conradus Bafile, arch. tit. Antiochenus in Pisidia.
✠ Ego Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus.
✠ Ego Hieronymus Rakotomalala, arch. Tananarivensis.
✠ Ego Bernardus Yago, arch. Abidjanensis.
✠ Ego Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis.
✠ Ego Ioseph Vincentius Távora, arch. Aracajuensis.
✠ Ego Carolus Humbertus Rodriguez-Quirós, arch. S. Ioseph in Costarica.
✠ Ego Aemilius Arsenius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia.
✠ Ego Serapion Uluhogian, arch. tit. Chersonesitanus in Zechia.
✠ Ego Marcus Mihayo, arch. Taboraensis.
✠ Ego Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina.
✠ Ego Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis.
✠ Ego Ioseph Mojoli, arch. tit. Larissensis in Thessalia.
✠ Ego Ioannes Perris, arch. Naxiensis.
✠ Ego Marcus Alaupović, arch. Serajensis (Vrhbosnensis).
✠ Ego Petrus Martinus Ngo-dinh-Thuc, arch. Hueensis.
✠ Ego Ioannes B. Urrutia, arch. tit. Carpathiensis.
✠ Ego Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus.
✠ Ego Ioseph Kiwanuka, arch. Rubagaensis.
✠ Ego Matthaeus Garković, arch. Jadrensis.
✠ Ego Nicolaus Schneiders, arch. Makassarensis.
✠ Ego Pius Kerketta, arch. Ranchiensis.
✠ Ego Georgius Flahiff, arch. Vinnipegensis.
✠ Ego Emmanuel Mabathoana, arch. Maseruensis.
✠ Ego Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartensis.
✠ Ego Antonius Henricus van den Hurk, arch. Medanensis.
✠ Ego Herculanus van der Burgt, arch. Pontianakensis.
✠ Ego Ioseph Raphael Pulido Mendez, arch. tit. Cyrrhensis.
✠ Ego Albertus Castelli, arch. tit. Rhusiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum.
✠ Ego Asrate M. Yemmeru, arch. Neanthopolitanus.
✠ Ego Gabriel Bakatku, arch. Beogradensis.
✠ Ego Conradus Mingo, arch. Montis Regalis.
✠ Ego Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia.
✠ Ego Laurentius Ioseph Shehan, arch. Baltimorensis.
✠ Ego Ioannes Patricius Cody, arch. Novae Aureliae.
✠ Ego Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum.
✠ Ego Ioannes Murphy, arch. Cardiffensis.
✠ Ego Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.
✠ Ego Sanctes Portalupi, arch. tit. Christopolitanus.
✠ Ego Emmanuel Clarizio, arch. tit. Claudiopolitanus in Isauria.
✠ Ego Ambrosius Marchioni, arch. tit. Severianensis.
✠ Ego Ioseph Caprio, arch. tit. Apolloniensis.
✠ Ego Marius Brini, arch. tit. Algizensis.

✠ Ego Xaverius Zuppi, arch. tit. Serrensis in Proconsulari.
✠ Ego Aemilius De Brigard Ortiz, arch. tit. Dystiensis.
✠ Ego Antonius Pinci, arch. tit. Tarasensis in Numidia.
✠ Ego Conradus Ursi, arch. Acheruntinus.
✠ Ego Claudius Dupuy, arch. Albiensis.
✠ Ego Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoene.
✠ Ego Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis.
✠ Ego Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis.
✠ Ego Robertus Dosseh, arch. Lomensis.
✠ Ego Paulus Carta, arch. Turritanus.
✠ Ego Gilbertus Ramantoanina, arch. Fianarantsoaensis.
✠ Ego Villelmus Motolese, arch. Tarentinus.
✠ Ego Ioseph Thomas McGucken, arch. S. Francisci in California.
✠ Ego Iacobus Ioseph Byrne, arch. Dubuquensis.
✠ Ego Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis.
✠ Ego Ioannes B. Sye Bong-kil, arch. Taeguensis.
✠ Ego Lucas Augustus Sangaré, arch. Bamakoensis.
✠ Ego Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis et Gradiscanus.
✠ Ego Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis.
✠ Ego Ioseph D'Angelo Neto, arch. do Pouso Alegre.
✠ Ego Geraldus M. de Morais Penido, arch. Judiciforensis.
✠ Ego Antonius Del Giudice, arch tit. Hierapolitanus in Syria.
✠ Ego Hector Henricus Santos Hernández, arch. Tegucigalpensis.
✠ Ego Thomas Leonetti, arch. Capuanus.
✠ Ego Antonius Varthalitis, arch. Corcyrensis, Zacynthiensis et Cephaloniensis.
✠ Ego Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques.
✠ Ego Albertus Vincentius D'Souza, arch. Calcuttensis.
✠ Ego Pacificus M. Aloisius Perantoni, arch. Lancianensis.
✠ Ego Henricus Dante, arch. tit. Carpasiensis.
✠ Ego Caesar Zerba, arch. tit. Colossensis.
✠ Ego Paulus Philippe, arch. tit. Heracleopolitanus.
✠ Ego Petrus Palazzini, arch. tit. Caesariensis in Cappadocia.
✠ Ego Agnellus Rossi, arch. el. S. Pauli.
✠ Ego Vitus Roberti, arch. tit. Tomitanus.
✠ Ego Ioannes Iulianus Weber, arch.-ep. Argentoratensis.
✠ Ego Renatus Ludovicus M. Stourm, arch. Senonensis.
✠ Ego Alexander B. Gottardi, arch. Tridentinus.
✠ Ego Albertus Rencoret Donoso, arch. Portus Montt.
✠ Ego Emmanuel Sanchez Beguiristain, arch. Ss. Conceptionis.
✠ Ego Franciscus Fasola, arch. Messanensis.
✠ Ego Ioseph Schiavini, arch. tit. Famagustanus.
✠ Ego Clemens Ignatius Mansourati, arch. tit. Apamenus in Syria.
✠ Ego Antonius Santin, arch. Tergestinus et Iustinopolitanus.
✠ Ego Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis.
✠ Ego Clemens Gaddi, arch. ep. Bergomensis.
✠ Ego Paulinus Limongi, arch. tit. Nicaeensis in Haemimonto.
✠ Ego Marius Casariego, arch. tit. Pergensis.
✠ Ego Michael Federici, arch. S. Severinae.

✠ Ego Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemontio.
✠ Ego Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus.
✠ Ego Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis.
✠ Ego Carolus Marianus Perez Estava, arch. Saltensis.
✠ Ego Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis.
✠ Ego Leonardus Ioseph Raymond, arch. Nagpurensis.
✠ Ego Georgius Andreas Beck, arch. Liverpolitanus.
✠ Ego Iacobus Donaldus Scanlan, arch. Glasguensis.
✠ Ego Bruno Frattegiani, arch. Camarinensis.
✠ Ego Ioseph Pogačnik, arch. Labacensis.
✠ Ego Thomas Albertus Clavel Méndez, arch. Panamensis.
✠ Ego Vincentius Enrique y Tarancón, arch. Ovetensis.
✠ Ego Ludovicus Levesque, arch. tit. Egnatiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph da Mota e Albuquerque, arch. S. Ludovici in Marignano.
✠ Ego Andreas Pallier, arch. tit. Marcellianensis.
✠ Ego Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus.
✠ Ego Theophilus Mbemba, arch. Brazzapolitanus.
✠ Ego Angelus M. Ocampo Berrio, arch. Tunquensis.
✠ Ego Iacobus Villelmus Gleeson, arch. tit. Aurusulianensis.
✠ Ego Bruno Torpigliani, arch. tit. Mallianensis.
✠ Ego Andreas Hamvas, arch. Colocensis.

✠ Ego Ludovicus de Cooman, ep. tit. Taciamontanensis.
✠ Ego Franciscus M. Franco, ep. tit. Iliensis.
✠ Ego Ioannes Mele, ep. Lungrensis.
✠ Ego Fidelis Garcia Martinez, ep. tit. Sululitanus.
✠ Ego Ioannes Smit, ep. tit. Paraliensis.
✠ Ego Carolus Vanuytven, ep. tit. Megarensis.
✠ Ego Ioachim Eftimios, ep. Mariamnensis.
✠ Ego Iacobus Ioseph McNamee, ep. Ardachadensis.
✠ Ego Boleslaus Sloskans, ep. tit. Cillitanus.
✠ Ego Hadrianus Larribeau, ep. tit. Thinitanus.
✠ Ego Hector Catry, ep. tit. Simtensis.
✠ Ego Ioseph Placidus M. Nicolini, ep. Assisiensis.
✠ Ego Stephanus Hàsz, ep. tit. Surenus.
✠ Ego Gaudentius Binaschi, ep. Pineroliensis.
✠ Ego Iacobus Patritius O'Collins, ep. Ballaratensis.
✠ Ego Thomas Wade, ep. tit. Barbalissenus.
✠ Ego Dominicus Petroni, ep. Melphiensis et Rapollensis.
✠ Ego Ioseph Aldaeus Desmarais, ep. Amosensis.
✠ Ego Matthias Solá y Farrell, ep. tit. Colophoniensis.
✠ Ego Antonius Valente da Fonseca, ep. Villaregalensis.
✠ Ego Aloisius Guizar Barragán, ep. Saltillensis.
✠ Ego Theodorum Eugenin, ep. tit. Hierissensis.
✠ Ego Thomas Gorman, ep. Dallesensis-Arcis Vorthensis.
✠ Ego Aemilius Sosa Gaona, ep. tit. Sergentzensis.
✠ Ego Patricius Ioseph Farrelly, ep. Lismorensis.
✠ Ego Ioannes da Silva Campos Neves, ep. Lamacensis.

✠ Ego Timotheus Georgius Raymundos, ep. tit. Chariopolitanus.
✠ Ego Alphonsus M. Conradus Ferroni, ep. Laohocheuvensis.
✠ Ego Ioseph Franciolini, ep. Cortonensis.
✠ Ego Beniaminus Ubaldi, ep. Eugubinus.
✠ Ego Franciscus Niccoli, ep. Collensis.
✠ Ego Stanislaus Amilcarus Battistelli, ep. Teramensis et Atriensis.
✠ Ego Iacobus Mangers, ep. Osloensis.
✠ Ego Georgius Augustus Louis, ep. Petrocoricensis.
✠ Ego Ioseph Rancans, ep. tit. Marcopolitanus.
✠ Ego Nicolaus Capasso, ep. Acerrarum.
✠ Ego Ioseph Cognata, ep. tit. Pharsalius.
✠ Ego Ioseph Bonhomme, ep. tit. Tulanensis.
✠ Ego Ioseph Trudel, ep. tit. Nobensis.
✠ Ego Antonius Abed, ep. Tripolitanus Maronitarum.
✠ Ego Edgarus Antonius Häring, ep. Scioceuvensis.
✠ Ego Franciscus Venantius Filippini, ep. tit. Thinisensis in Numidia.
✠ Ego Ioannes Capobianco, ep. Urbaniensis et S. Angeli in Vado.
✠ Ego Leo Radulphus Hayes, ep. Davenportensis.
✠ Ego Faustinus Baldini, ep. Massanus.
✠ Ego Ioachim Amman, ep. tit. Petnellissensis.
✠ Ego Villelmus Cobben, ep. Helsinskiensis.
✠ Ego Aemilianus Cagnoni, ep. Cephaludensis.
✠ Ego Christophorus Arduinus Terzi, ep. tit. Diocletianensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Lacoursière, ep. tit. Amadassenus.
✠ Ego Camillus Verfaillie, ep. tit. Oeensis.
✠ Ego Alexander Roy, ep. tit. Ambiensis.
✠ Ego Nicolaus Laudadio, ep. tit. Alamiliarensis.
✠ Ego Cuthbertus Martinus O'Gara, ep. Iuenlimensis.
✠ Ego Paulus Bouque, ep. tit. Abbir Germaniciana.
✠ Ego Stephanus Ferrando, ep. Shillongensis.
✠ Ego Leo Angelus Olano y Urteaga, ep. tit. Laginensis.
✠ Ego Ferdinandus Longinotti, ep. S. Severini.
✠ Ego Franciscus Aemilius M. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaritanus.
✠ Ego Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Combensis.
✠ Ego Assuerus Theophanus Bassi, ep. Loiamensis.
✠ Ego Marius Civelli, ep. Ueihueivensis.
✠ Ego Philippus Côté, ep. Siuceuvensis.
✠ Ego Sanctes Moro Briz, ep. Abulensis.
✠ Ego Georgius Leo Leech, ep. Harrisburgensis.
✠ Ego Achilles Salvucci, ep. Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis.
✠ Ego Ludovicus de Courrèges d'Ustou, ep. Montis Albani.
✠ Ego Albertus M. Guiot, ep. Portus Pacis.
✠ Ego Paulus Samson Ioannes M. Robert, ep. Gonayvesensis.
✠ Ego Emmanuel Moll y Salord, ep. Dertosensis.
✠ Ego Candidus Bampi, ep. tit. Tloensis.
✠ Ego Ioannes Aloisius Coudert, ep. tit. Rhodiapolitanus.
✠ Ego Vincentius Dereere, ep. Trivandrensis Latinorum.
✠ Ego Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis.

✠ Ego Blasius Budelacci, ep. tit. Nyssenus.
✠ Ego Alfredus Viola, ep. Saltensis in Uruguay.
✠ Ego Antonius Teutonico, ep. Aversanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Villipelet, ep. Nannetensis.
✠ Ego Simon Conradus Landersdorfer, ep. Passaviensis.
✠ Ego Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis.
✠ Ego Theodorus Schu, ep. Iencheuvensis.
✠ Ego Laurentius Basoli, ep. Oleastrensis.
✠ Ego Carolus Rossi, ep. Bugellensis.
✠ Ego Innocentius Alfredus Russo, ep. tit. Pegaeus.
✠ Ego Iulius Bieniek, ep. tit. Dascyleotanus.
✠ Ego Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis.
✠ Ego Emmanuel de Medeiros Guerreiro, ep. Nampulensis.
✠ Ego Alfredus Couderc, ep. Vivariensis.
✠ Ego Henricus Ambrosius Pinger, ep. Ceuzuenensis.
✠ Ego Franciscus Augustinus Henschke, ep. Corvopolitanus.
✠ Ego Marcellus Oliverius Maradan, ep. Portus Victoriae.
✠ Ego Armandus Clabaut, ep. tit. Troadensis.
✠ Ego Michael Browne, ep. Galviensis et Duacensis.
✠ Ego Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis.
✠ Ego Ioseph Franciscus Ryan, ep. Hamiltonensis.
✠ Ego Carolus Leo Nelligan, ep. tit. Phoenicius.
✠ Ego Raphael Barbieri, ep. Cassanensis.
✠ Ego Vincentius Del Signore, ep. Fanensis.
✠ Ego Ioseph Perniciaro, ep. tit. Arbanensis.
✠ Ego Octavius Terrienne, ep. tit. Menelaitensis.
✠ Ego Iacobus Mendonça, ep. Tiruchirapolitanus.
✠ Ego Ioseph Pronti, ep. Nucerinus Tadinensis.
✠ Ego Petrus Massa, ep. Naniamensis.
✠ Ego Emmanuel Larrain Errazuriz, ep. Talcensis.
✠ Ego Alphonsus M. Van den Bosch, ep. Matadiensis.
✠ Ego Henricus Ioseph Piérard, ep. Benensis.
✠ Ego Urbanus Stephanus Morlion, ep. Balduinopolitanus.
✠ Ego Constantinus Gómez Villa, ep. tit. Cucusenus.
✠ Ego Vincentius Lojali, ep. Amerinus.
✠ Ego Paulus Babini, ep. Foroliviensis.
✠ Ego Ioannes B. Hadrianus Llosa, ep. Adiacensis.
✠ Ego Paulus Rusch, ep. Oenipontanus.
✠ Ego Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis.
✠ Ego Paulus Mazé, ep. tit. Ascalonitanus.
✠ Ego Thomas McCabe, ep. Vollongongensis.
✠ Ego Patricius Cleary, ep. Nancemensis.
✠ Ego Antonius Albers, ep. Malangensis.
✠ Ego Ioannes Theodorus Suhr, ep. Hafniae.
✠ Ego Thomas Rochus Agniswami, ep. Kottarensis.
✠ Ego Franciscus Bruls, ep. Villavicentiensis.
✠ Ego Franciscus Marchesani, ep. Clavarensis.
✠ Ego Beniaminus Socche, ep. Regiensis in Aemilia.

✠ Ego Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis.
✠ Ego Adolphus Ciuchini, ep. Algarensis.
✠ Ego Attilius Constantinus M. Barneschi, ep. Manziniensis.
✠ Ego Ignatius de Alba y Hernández, ep. Colimensis.
✠ Ego Ludovicus Laravoire Morrow, ep. Krishnagarensis.
✠ Ego Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis.
✠ Ego Sigisbaldus Blasius Kurz, ep. tit. Terenuthitanus.
✠ Ego Henricus Martinus Mekkelholt, ep. tit. Dausarenus.
✠ Ego Carolus Ioseph Lemaire, ep. tit. Otroensis.
✠ Ego Fridericus Antonius Donaghy, ep. Uceuvensis.
✠ Ego Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyallpurensis.
✠ Ego Cornelius Farren, ep. Derriensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Condon, ep. Great-Ormensis.
✠ Ego Raphael Campelli, ep. Calliensis et Pergulanus.
✠ Ego Ioachim Pedicini, ep. Abellinensis.
✠ Ego Augustus Osvaldus Salinas Fuenzalida, ep. Linarensis.
✠ Ego Ioseph Lach, ep. tit. Dodonaeus.
✠ Ego Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculanus.
✠ Ego Patricius Ioseph Kelly, ep. Urbis Beninensis.
✠ Ego Sydnaeus Matthaeus Metzger, ep. Elpasensis.
✠ Ego Edmundus Peiris, ep. Chilavensis.
✠ Ego Albertus Carinci, ep. Boianensis-Campobassensis.
✠ Ego Vincentius Brizgys, ep. tit. Bosanensis.
✠ Ego Ioannes Michael O'Neill, ep. Portus Gratiae-Granfallensis.
✠ Ego Petrus M. Théas, ep. Tarbiensis et Lapurdensis.
✠ Ego Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis.
✠ Ego Victorius De Zanche, ep. Concordiensis.
✠ Ego Eliseus Coroli, ep. tit. Zamensis Maior.
✠ Ego Cyrillus Ioannes Zohrabian, ep. tit. Acilisenus.
✠ Ego Ioseph Angrisani, ep. Casalensis.
✠ Ego Leo de Uriarte Bengoa, ep. tit. Madaurensis.
✠ Ego Vincentius Kovács, ep. tit. Zaraitanus.
✠ Ego Felix Bonomini, ep. Comensis.
✠ Ego Thomas Leo Parker, ep. Northantoniensis.
✠ Ego Marianus Hyacinthus Valdivia y Ortiz, ep. Huancayensis.
✠ Ego Theodosius Moreno Quintana, ep. Huarazensis.
✠ Ego Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis.
✠ Ego Daniel Gomes Junquiera, ep. Novae Lisbonae.
✠ Ego Rosarius Brodeur, ep. Alexandrinus in Ontario.
✠ Ego Dionysius Moynihan, ep. Kerriensis.
✠ Ego Vitus Chang Tso-Huan, ep. tit. Cyanitanus.
✠ Ego Andreas Dupont, ep. Bobodiulassensis.
✠ Ego Michael O'Reilly, ep. S. Georgii Terrae Novae.
✠ Ego Carolus Baldini, ep. Clusinus et Pientinus.
✠ Ego Alexander Menchaca Lira, ep. tit. Pinarensis.
✠ Ego Petrus Aguilera Narbona, ep. Iquiquensis.
✠ Ego Antonius M. Casaux, ep. Lucionensis.
✠ Ego Henricus M. Verin de la Brunelière, ep. S. Petri et Arcis Galliae.

✠ Ego Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis.
✠ Ego Petrus Villelmus Bartholome, ep. S. Clodoaldi.
✠ Ego Antoninus Catarella, ep. Platiensis.
✠ Ego Antonius Zattera, ep. Pelotensis.
✠ Ego Ioannes Gunnarson, ep. tit. Holarensis.
✠ Ego Ioannes Senner, ep. Cochabambensis.
✠ Ego Daniel Llorente y Federico, ep. Segobiensis.
✠ Ego Ernestus De Paula, ep. tit. Hierocaesariensis.
✠ Ego Rembertus Casimirus Kowalski, ep. Uciamensis.
✠ Ego Andreas M. Charue, ep. Namurcensis.
✠ Ego Petrus Čule, ep. Mandetriensis.
✠ Ego Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis.
✠ Ego Emmanuel Galea, ep. tit. Trallianus in Asia.
✠ Ego Aloisius Rosa, ep. Balneoregiensis.
✠ Ego Carolus Allorio, ep. Papiensis.
✠ Ego Camillus Andreas Le Blanc, ep. Bathurstensis in Canada.
✠ Ego Georgius Leo Pelletier, ep. Trifluvianensis in Canada.
✠ Ego Marcus Lacroix, ep. tit. Rhosiensis.
✠ Ego Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis.
✠ Ego Villelmus Tiburtius McCarthy, ep. Rapidopolitanus.
✠ Ego Ioannes Gay, ep. Imae Telluris et Pointapitrensis.
✠ Ego Thomas Niu Hui-Ching, ep. Iamceuvensis.
✠ Ego Alfonsus Emmanuel Escalante, ep. tit. Soranus.
✠ Ego Aemilius Baroncelli, ep. Recinetensis Lauretanus.
✠ Ego Franciscus Van den Bergh, ep. Lisalaensis.
✠ Ego Eduardus Nécsey, ep. tit. Veliciensis.
✠ Ego Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis.
✠ Ego Nilus Nicolaus Savaryn, ep. Edmontensis Ucrainorum.
✠ Ego Carolus Stoppa, ep. Albae Pompeiensis.
✠ Ego Mauritius Paulus Rousseau, ep. tit. Ausafensis.
✠ Ego Delphinus Ribeiro Guedes, ep. S. Ioannis a Rege.
✠ Ego Ignatius Mummadi, ep. Gunturensis.
✠ Ego Ioseph Gori, ep. Nepesinus et Sutrinus.
✠ Ego Antonius Bagnoli, ep. Fesulanus.
✠ Ego Ioseph Battaglia, ep. Faventinus.
✠ Ego Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis.
✠ Ego Ioseph Dell'Omo, ep. Aquensis.
✠ Ego Carolus Zinato, ep. Vicentinus.
✠ Ego Innocentius Rodriguez Diez, ep. Conchensis.
✠ Ego Raphael Alvarez Lara, ep. Guadicensis.
✠ Ego Ludovicus Severinus Haller, ep. tit. Bethleemitanus.
✠ Ego Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis.
✠ Ego Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis.
✠ Ego Ioseph Stella, ep. Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis.
✠ Ego Ignacius Krause, ep. Scioenteanus.
✠ Ego Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus.
✠ Ego Ioannes Nicolai, ep. Tarijensis.
✠ Ego Georgius Alapatt, ep. Trichuriensis.

✠ Ego Patritius Franciscus Lyons, ep. Saliensis.
✠ Ego Alexander Kovács, ep. Sabariensis.
✠ Ego Eugenius O'Doherty, ep. Dromorensis.
✠ Ego Hieronymus Bartholomaeus Bortignon, ep. Patavinus.
✠ Ego Michael Angelus Garcia y Aráuz, ep. Jalapensis in Guatimala.
✠ Ego Raphael González Estrada, ep. tit. Matregensis.
✠ Ego Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis.
✠ Ego Aloisius Almarcha Hernández, ep. Legionensis.
✠ Ego Ferdinandus Pasini, ep. Saniuenensis.
✠ Ego Henricus Gelain, ep. Vaccariensis.
✠ Ego Augustinus Jauffrès, ep. tit. Arsennaritanus.
✠ Ego Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis.
✠ Ego Henricus Ioseph Grimmelsman, ep. Evansvicensis.
✠ Ego Iacobus Connelly, ep. Riverormensis.
✠ Ego Carolus a Trinitate Borge y Catrilla, ep. tit. Lappensis.
✠ Ego Saturninus Rubio y Montiel, ep. Oxomensis-Sorianus.
✠ Ego Richardus Cleire, ep. tit. Tadamatensis.
✠ Ego Vincentius Roig y Villalba, ep. tit. Aradensis.
✠ Ego Alfredus Marie, ep. Caiennensis.
✠ Ego Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus.
✠ Ego Adolphus Bolte, ep. Fuldensis.
✠ Ego Antonius Ioannes King Mussio, ep. Steubenvicensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Schenk, ep. Duluthensis.
✠ Ego Vincentius Stanislaus Waters, ep. Raleighiensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Smith, ep. Pembrokensis.
✠ Ego Thaddaeus Le Huu Tu, ep. tit. Daphnusiensis.
✠ Ego Henricus Routhier, ep. tit. Naissitanus.
✠ Ego Ioseph Köstner, ep. Gurcensis.
✠ Ego Aetius Barbieri, ep. Civitatis Plebis.
✠ Ego Dominicus Valerii, ep. Marsorum.
✠ Ego Ioseph de Medeiros Leite, ep. Oliveirensis.
✠ Ego Iacobus Garcia Goulart, ep. Diliensis.
✠ Ego Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis.
✠ Ego Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis.
✠ Ego Carolus Boiardi, ep. Apuaniensis.
✠ Ego Bertrandus Lacaste, ep. Oranensis.
✠ Ego Renatus Ioseph Piérard, ep. Catalaunensis.
✠ Ego Renatus Boisguérin, ep. Suifuanus.
✠ Ego Carolus Greco, ep. Alexandrinus.
✠ Ego Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. S. Sebastiani.
✠ Ego Franciscus Gerardus Kramer, ep. Lunganensis.
✠ Ego Stephanus Kuijpers, ep. Paramariboensis.
✠ Ego Ioannes Petrus Zarranz y Pueyo, ep. Placentinus in Hispania.
✠ Ego Arturus Tabera Araoz, ep. Albasitensis.
✠ Ego Maturinus Blanchet, ep. Augustanus.
✠ Ego Ioannes B. Piasentini, ep. Clodiensis.
✠ Ego Petrus Raimondi, ep. Crotonensis.
✠ Ego Thomas Laurentius Noa, ep. Marquettensis.

✠ Ego Casimirus Ioseph Kowalski, ep. Culmensis.
✠ Ego Leonillus Scheffer, ep. tit. Isbitanus.
✠ Ego Carolus Ioseph Van Melckebeke, ep. Nimsciianus.
✠ Ego Faustinus Tissot, ep. Chemceuvensis.
✠ Ego Antonius Demets, ep. tit. Cadossensis.
✠ Ego Aloisius Gonzaga Peluso, ep. Pachoeirensis de Itapemirim.
✠ Ego Danius Bolognini, ep. Cremonensis.
✠ Ego Leo Ferdinandus Dworschak, ep. Fargensis.
✠ Ego Daniel Ioseph Feeney, ep. Portlandensis.
✠ Ego Abel Ribeiro Camelo, ep. Goiasensis.
✠ Ego Ludovicus M. Ioseph Durrieu, ep. Uahiguijaensis.
✠ Ego Iacobus Holmes-Siedle, ep. Kigomaensis.
✠ Ego Andreas van den Bronk, ep. Parakuensis.
✠ Ego Emmanuel Martin del Campo Padilla, ep. Leonensis.
✠ Ego Patricius Dunne, ep. tit. Narensis.
✠ Ego Eduardus Aloisius Fitzgerald, ep. Virionaensis.
✠ Ego Aurelius Marena, ep. Rubensis et Bituntinus.
✠ Ego Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis.
✠ Ego Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis.
✠ Ego Beniaminus Ibberson Webster, ep. Peterboroughensis.
✠ Ego Gabriel Paulinus Bueno Couto, ep. tit. Leucenus.
✠ Ego Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis.
✠ Ego Bernardus Dionysius Stewart, ep. Sandhurstensis.
✠ Ego Franciscus Jedwabski, ep. tit. Maxulitanus.
✠ Ego Michael Klepacz, ep. Lodzensis.
✠ Ego Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis.
✠ Ego Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McDonough, ep. Savannensis.
✠ Ego Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico.
✠ Ego Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus.
✠ Ego Nicolaus Verhoeven, ep. Manadoensis.
✠ Ego Leopoldus Brellinger, ep. Chimscienensis.
✠ Ego Ioseph Carolus McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis.
✠ Ego Secundus Chiocca, ep. tit. Caesariensis in Bythinia.
✠ Ego Ioseph Melas, ep. Nuorensis.
✠ Ego Ioannes Eduardus Petit, ep. Menevensis.
✠ Ego Ioannes B. Fauret, ep. de Pointe Noire.
✠ Ego Iacobus Fergus, ep. Achadensis.
✠ Ego Ioannes Lück, ep. Alivalensis.
✠ Ego Daniel Liston, ep. Portus Ludovici.
✠ Ego Basilius Khoury, ep. Sidoniensis Melkitarum.
✠ Ego Floid Laurentius Begin, ep. Quercopolitanus.
✠ Ego Ioseph Hascher, ep. tit. Aeliensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Hagendorens, ep. Tshumbeensis.
✠ Ego Daniel Tavares Baeta Neves, ep. tit. Alexandrinus Minor.
✠ Ego Camillus Placidus Crous y Salichs, ep. tit. Cratiensis.
✠ Ego Leonardus Ioseph Raymond, ep. Allahabadensis.
✠ Ego Claudius Bayet, ep. tit. Cidyessensis.

✠ Ego Georgius Béjot, ep. tit. Cassandrensis.
✠ Ego Aurelius Del Pino Gómez, ep. Illerdensis.
✠ Ego Andreas Fauvel, ep. Corisopitensis.
✠ Ego Alphonsus Ródenas Garcia, ep. Almeriensis.
✠ Ego Albericus Semeraro, ep. Uritanus.
✠ Ego Eduardus Mason, ep. tit. Rusicadensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum.
✠ Ego Ioannes Kyne, ep. Midensis.
✠ Ego Georgius Xenopulos, ep. Syrensis.
✠ Ego Nicanor Carolus Gavilanes Chamorro, ep. Portus Veteris.
✠ Ego Petrus M. Puech, ep. Carcassonensis.
✠ Ego Ioseph Aurelianus Bilgeri, ep. Eshowensis.
✠ Ego Augustinus Wildermuth, ep. Patnensis.
✠ Ego Adolphus Alexander Noser, ep. tit. Hierpinianensis.
✠ Ego Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis.
✠ Ego Carolus M. Cavallera, ep. Nyeriensis.
✠ Ego Nicolaus Hetting, ep. Ravalpindensis.
✠ Ego Ioseph Maximilianus Müller, ep. Siopolitanus.
✠ Ego Henricus Brault, ep. S. Deodati.
✠ Ego Ignacius Glennie, ep. Trincomaliensis.
✠ Ego Hubertus M. Newell, ep. Cheyennensis.
✠ Ego Iacobus Aloisius McNulty, ep. Buffalensis.
✠ Ego Hugo Aloisius Donohoe, ep. Stocktonensis.
✠ Ego Albertus Zuroweste, ep. Bellevillensis.
✠ Ego Wendelinus Ioseph Nold, ep. Galvestoniensis-Houstoniensis.
✠ Ego Carolus Eduardus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis.
✠ Ego Ioseph Alvares Mácua, ep. tit. Collybrassenus.
✠ Ego Anselmus Pietrulla, ep. Tubaraoensis.
✠ Ego Paulus Petrus Pinier, ep. Constantinianus.
✠ Ego Emmanuel Könner, ep. tit. Modrenus.
✠ Ego Franciscus Bottino, ep. tit. Sebastenus in Palaestina.
✠ Ego Benignus Carrara, ep. Imolensis.
✠ Ego Emmanuel Petrus da Cunha Cintra, ep. Petropolitanus.
✠ Ego Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus.
✠ Ego Franciscus Gleeson, ep. de Fairbanks.
✠ Ego Antonius Ferreira Gomes, ep. Portugallensis.
✠ Ego Ioseph Rodgers, ep. Laoniensis.
✠ Ego Antonius Tedde, ep. Uxellensis et Terralbensis.
✠ Ego Ioseph Brendan Whelan, ep. Overriensis.
✠ Ego Rodericus Serra, ep. S. Caroli in Brasilia.
✠ Ego Ioseph Terceiro de Sousa, ep. Penedensis.
✠ Ego Andreas Roborecki, ep. Saskatoonensis Ucrainorum.
✠ Ego Iacobus Black, ep. Pasletanus.
✠ Ego Isidorus Borecki, ep. Torontinus Ucrainorum.
✠ Ego Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus.
✠ Ego Ioannes Toohey, ep. Maitlandensis.
✠ Ego Eduardus Ioannes Doody, ep. Armidalensis.
✠ Ego Sylvius Cassulo, ep. Maceratensis et Tolentinus.

✠ Ego Ioseph Delphinus Des Rosiers, ep. Qachasnekensis.
✠ Ego Eduardus Caelestinus Daly, ep. Desmoinensis.
✠ Ego Ioannes B. Dal Prà, ep. Interamnensis et Narniensis.
✠ Ego Fredericus Hall, ep. tit. Castranovensis.
✠ Ego Michael Albertus Arduino, ep. Hierarcensis-Locrensis.
✠ Ego Ioseph Iulianus Oste, ep. Geholensis.
✠ Ego Vincentius Billington, ep. Kampalaensis.
✠ Ego Kenedus Rodericus Turner, ep. Liscioeivensis.
✠ Ego Russel Ioseph McVinney, ep. Providentiensis.
✠ Ego Villelmus Brasseur, ep. tit. Agathonicianus.
✠ Ego Horacius Ferucius Ceol, ep. Chiceuvensis.
✠ Ego Ioannes B. Velasco, ep. Sciiamenensis.
✠ Ego Georgius Mercier, ep. Laguatensis.
✠ Ego Raphael Macario, ep. tit. Tiberiensis.
✠ Ego Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus.
✠ Ego Andreas Jacq, ep. tit. Cerasenus.
✠ Ego Leo Arkfeld, ep. tit. Bucellensis.
✠ Ego Petrus Severi, ep. tit. Pergamenus.
✠ Ego Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis.
✠ Ego Carolus Angeleri, ep. tit. Ptolemaidensis in Lybia.
✠ Ego Percival Caza, ep. tit. Albulensis.
✠ Ego Henricus Vion, ep. Pictaviensis.
✠ Ego Ioseph Lazarus Neves, ep. Assisensis.
✠ Ego Claudius Constantinus M. Flusin, ep. S. Claudii.
✠ Ego Ioannes B. Parodi, ep. Savonensis et Naulensis.
✠ Ego Franciscus Minerva, ep. Lyciensis.
✠ Ego Ioseph Alves de Sa'Trindade, ep. Montisclarensis.
✠ Ego Carolus Ioseph Leiprecht, ep. Rottenburgensis.
✠ Ego Thomas Vincentius Cahill, ep. Cairnensis.
✠ Ego Emmanuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero.
✠ Ego Franciscus Esser, ep. Keimoesanus.
✠ Ego Antonius Victor Hälg, ep. tit. Baianensis.
✠ Ego Alphonsus M. Ungarelli, ep. tit. Azurensis.
✠ Ego Hugo Boyle, ep. Ioannesburgensis.
✠ Ego Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis.
✠ Ego Bruno Hippel, ep. Oudtshoornensis.
✠ Ego Lucianus Lacoste, ep. Talianus.
✠ Ego Villelmus Aloisius O'Connor, ep. Campifontis in Illinois.
✠ Ego Carolus M. Himmer, ep. Tornacensis.
✠ Ego Franciscus Constantinus Mazzieri, ep. Ndolaensis.
✠ Ego Vladimirus Borić, ep. de Punta Arenas.
✠ Ego Ioseph Romaeus Gagnon, ep. Edmundstonensis.
✠ Ego Lurdu Mariaden Salvanaden, ep. Salemensis.
✠ Ego Ceslaus Falkowski, ep. Lomzensis.
✠ Ego Paulus Tobar González, ep. Cuttackensis.
✠ Ego Hieronymus Aemilianus Pillai, ep. Jaffnensis.
✠ Ego Franciscus Odo De Wilde, ep. Niangaraensis.
✠ Ego Paulus Hippolytus de Souza Libório, ep. Parnaibensis.

✠ Ego Carolus Hermannus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph.
✠ Ego Ludovicus Ioannes Guyot, ep. Constantiensis.
✠ Ego Ioannes Evangelista McBride, ep. Kokstadensis.
✠ Ego Leo D'Mello, ep. Aimerensis et Jaipurensis.
✠ Ego Petrus Grimm, ep. Zincheuvensis.
✠ Ego Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis.
✠ Ego Edwinus Pinto, ep. Ahmedabadensis.
✠ Ego Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus.
✠ Ego Ioseph Calasanctius Rosenhammer, ep. tit. Amporensis.
✠ Ego Andreas Alexius D'Souza, ep. Poonensis.
✠ Ego Ioseph Rudderham, ep. Cliftoniensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Martinez Vargas, ep. Armeniensis.
✠ Ego Ioannes Beniaminus Grellinger, ep. tit. Syenitanus.
✠ Ego Ioachim Muccin, ep. Feltrensis et Bellunensis.
✠ Ego Ioannes Capistranus Cayer, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Bernardinus Collin, ep. Diniensis.
✠ Ego Villelmus Kempf, ep. Limburgensis.
✠ Ego Petrus Kalwa, ep. Lublinensis.
✠ Ego Matthaeus Vido Sperandeo, ep. Calvensis et Theanensis.
✠ Ego Robertus Pobožný, ep. tit. Neilenus.
✠ Ego Ambrosius Lazik, ep. tit. Appianus.
✠ Ego Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis.
✠ Ego Franciscus Zauner, ep. Linciensis.
✠ Ego Henricus Pinault, ep. Cemtuanus.
✠ Ego Andreas Vérineux, ep. Imcheuvensis.
✠ Ego Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis.
✠ Ego Ioannes Patricius Kavanagh, ep. Dunedinensis.
✠ Ego Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis.
✠ Ego Arthurus Quintanilla, ep. Coeitevensis.
✠ Ego Cyrillus Conradus Cowderoy, ep. Southvarcensis.
✠ Ego Antonius Bergamaschi, ep. Feretranus.
✠ Ego Georgius Guibert, ep. Reunionensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Muthappa, ep. Coimbaturensis.
✠ Ego Hirtius Aloisius Magliacani, ep. tit. Diensis.
✠ Ego Ioannes Ambrosius Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis.
✠ Ego Ioannes Russell, ep. Richmondiensis.
✠ Ego Christophorus Weldon, ep. Campifontis.
✠ Ego Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis.
✠ Ego Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis.
✠ Ego Emmanuel Llopis Ivorra, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum.
✠ Ego Andreas Parenty, ep. tit. Sitifensis.
✠ Ego Iacobus Cannonero, ep. Astensis.
✠ Ego Sylvius Aloisius Haro Alvear, ep. Ibarrensis.
✠ Ego Alexander M. Zaleski, ep. tit. Lyrbitanus.
✠ Ego David Cunningham, ep. tit. Lampsacenus.
✠ Ego Polycarpus da Costa Vaz, ep. Aegitaniensis.
✠ Ego Bernardus Arango Henao, ep. Barrancabermejensis.
✠ Ego Emmanuel Marengo, ep. Azulensis.

✠ Ego Timotheus Phedliminus O'Shea, ep. Livingstonensis.
✠ Ego Gerardus van Velsen, ep. Kroonstadensis.
✠ Ego Gustavus Iosephus Bouve, ep. Kongoloensis.
✠ Ego Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis.
✠ Ego Antonius Koreiche, ep. Sidoniensis Maronitarum.
✠ Ego Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Franciscus Pennisi, ep. Ragusiensis.
✠ Ego Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus.
✠ Ego Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis.
✠ Ego Ioseph M. Garcia Lahiguera, ep. Huelvensis.
✠ Ego Dragutin Nežic, ep. Parentinus et Polensis.
✠ Ego Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis.
✠ Ego Vincentius Reyes, ep. Boranganensis.
✠ Ego Ferdinandus Guercilena, ep. Kentunghensis.
✠ Ego Petrus Dudziec, ep. tit. Camulianensis.
✠ Ego Raimundus de Castro e Silva, ep. tit. Uzalensis.
✠ Ego Ignatius Gregorius Larrañaga Lasa, ep. Pimliamensis.
✠ Ego Victor M. Keuppens, ep. Kaminaensis.
✠ Ego Aloisius Haene, ep. Guelensis.
✠ Ego Thomas Fernando, ep. Tuticorensis.
✠ Ego Hermannus Tillemans, ep. tit. Berissenus.
✠ Ego Abdallah Nujaim, ep. Heliopolitanus Maronitarum.
✠ Ego Sebastianus Vayalil, ep. Palaiensis.
✠ Ego Augustinus Quinn, ep. Kilmorensis.
✠ Ego Merlinus Ioseph Guilfoyle, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis.
✠ Ego Vincentius M. Jacono, ep. tit. Patarensis.
✠ Ego Ioannes Florianus Löwenau, ep. tit. Drivastensis.
✠ Ego Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis.
✠ Ego Angelus Hidalgo Ibañez, ep. Jacensis.
✠ Ego Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis et Rossensis.
✠ Ego Villelmus Cleven, ep. tit. Sasimensis.
✠ Ego Ioannes B. Cesana, ep. Guluensis.
✠ Ego Ludovicus Cabrera Cruz, ep. S. Ludovici Potosiensis.
✠ Ego Augustinus D'Arco, ep. Castri Maris.
✠ Ego Blasius Musto, ep. Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi.
✠ Ego Patricius O'Boyle, ep. Alladensis.
✠ Ego Adolphus Gregorius Schmitt, ep. Bulauaiensis.
✠ Ego Alphonsus Beretta, ep. Varangalensis.
✠ Ego Andreas Jacques, ep. Bomaensis.
✠ Ego Paulus Gúrpide Beope, ep. Flaviobrigensis.
✠ Ego Petrus Zuccarino, ep. Bobiensis.
✠ Ego Albertus Franciscus Cousineau, ep. Capitis Haitiani.
✠ Ego Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis.
✠ Ego Ioseph Lennon Federal, ep. Civitatis Lacus Salis.
✠ Ego Nicolaus Petrus van der Westen, ep. Pangkalpinangensis.
✠ Ego Caesarius Benedetti, ep. tit. Tedditanus.
✠ Ego Gerardus Mongeau, ep. tit. Dianensis.

✠ Ego Paschalis Venezia, ep. Arianensis.
✠ Ego Ghebre Iesus Iacob, ep. tit. Erythritanus.
✠ Ego Haile Mariam Cahsay, ep. Adigratensis.
✠ Ego Dinus Aloisius Romoli, ep. Pisciensis.
✠ Ego Antonius Hubertus Thijssen, ep. Larantukanus.
✠ Ego Villelmus van Bekkum, ep. Rutengensis.
✠ Ego Leo Adolphus Messmer, ep. Ambaniaensis.
✠ Ego Aemilius Pizzoni, ep. Terracinensis, Privernensis et Setinus.
✠ Ego Aemilius Pirolley, ep. Nanceiensis.
✠ Ego Hilarius Roatta, ep. S. Agathae Gothorum.
✠ Ego Vitalis Bonifacius Bertoli, ep. tit. Attaeatanus.
✠ Ego Petrus Carretto, ep. tit. Zenobiensis.
✠ Ego Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis.
✠ Ego Ioseph Hiltl, ep. tit. Constantiniensis.
✠ Ego Antonius Jeremias Pesce, ep. Dodomaensis.
✠ Ego Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis-Sirmiensis.
✠ Ego Vido M. Casullo, ep. tit. Uticensis.
✠ Ego Ioannes B. Franz, ep. Peoriensis.
✠ Ego Petrus Ioseph Rivera Mejía, ep. Succursensis et S. Aegidii.
✠ Ego Peregrinus de La Fuente, ep. tit. Mylasensis.
✠ Ego Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis.
✠ Ego Fulton Sheen, ep. tit. Caesarianensis.
✠ Ego Maximus Tessier, ep. Timminsensis.
✠ Ego Loras Thomas Lane, ep. Rockfordiensis.
✠ Ego Aemilianus Frenette, ep. S. Hieronymi Terrebonae.
✠ Ego Hermannus Westermann, ep. Sambalpurensis.
✠ Ego Ioseph Schoiswohl, ep. Graecensis-Secoviensis.
✠ Ego Aemilius Elias Verhille, ep. Arcis Rousset.
✠ Ego Villelmus M. Van Zuylen, ep. Leodiensis.
✠ Ego Dermot O'Flanagan, ep. Junellensis.
✠ Ego Ioseph Fady, ep. Lilongwensis.
✠ Ego Orestes Marengo, ep. Tezpurensis.
✠ Ego Paulus Furuya Yoshiyuki, ep. Kyotensis.
✠ Ego Villelmus Duschak, ep. tit. Abiddensis.
✠ Ego Henricus Dupont, ep. tit. Dorylaensis.
✠ Ego Ioannes Paschang, ep. Insulae Grandis.
✠ Ego Lancellottus Ioannes Goody, ep. Bumburiensis.
✠ Ego Matthias Wehr, ep. Trevirensis.
✠ Ego Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis.
✠ Ego Paulus Chevalier, ep. Cenomanensis.
✠ Ego Ioannes Lesourd, ep. Nunensis.
✠ Ego Salvator Quezada Limón, ep. de Aguas Calientes.
✠ Ego Marcellus Riopel, ep. tit. Neocaesariensis in Syria.
✠ Ego Antonius Poma, ep. Mantuanus.
✠ Ego Aloisius Carolus Borromeo, ep. Pisaurensis.
✠ Ego Bonaventura Jáuregui Prieto, ep. Zipaquirensis.
✠ Ego Vincentius Radicioni, ep. Montis Alti.
✠ Ego Fredericus Rintelen, ep. tit. Chusirensis.

✠ Ego Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania.
✠ Ego Ioseph Pavlišić, ep. tit. Bruzenus.
✠ Ego Lucas Katsusaburo Arai, ep. Yokohamaensis.
✠ Ego Alfredus Lanctót, ep. Rulengensis.
✠ Ego Andreas Jacquemin, ep. Baiocensis.
✠ Ego Petrus Marinus Arntz, ep. Bandungensis.
✠ Ego Georgius Manrique, ep. Orurensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Klein, ep. Saskatoonensis.
✠ Ego Aloisius Victor Sartori, ep. S. Mariae.
✠ Ego Patricius Winters, ep. Mbuluensis.
✠ Ego Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus.
✠ Ego Lambertus Hoch, ep. Siouxormensis.
✠ Ego Henricus Baaken, ep. tit. Gordenus.
✠ Ego Aloisius Bigirumwami, ep. Nyundoensis.
✠ Ego Iacobus Buis, ep. tit. Astypalaensis.
✠ Ego Adolphus Binni, ep. Nolanus.
✠ Ego Xaverius M. Ariz Huarte, ep. tit. Baparensis.
✠ Ego Lionellus Audet, ep. tit. Thibaritanus.
✠ Ego Antonius Frondosa, ep. Capicensis.
✠ Ego Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis.
✠ Ego Bryan Gallagher, ep. Portus Piriensis.
✠ Ego Stephanus Loosdregt, ep. tit. Amaurensis.
✠ Ego Raimundus Larose, ep. Chittagongensis.
✠ Ego Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Boardman, ep. tit. Gunelensis.
✠ Ego Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus.
✠ Ego Ioseph Nepote-Fus, ep. tit. Helensis.
✠ Ego Ioachim de Lange, ep. tit. Photicensis.
✠ Ego Carolus Aloisius Geromini, ep. tit. Zabensis.
✠ Ego Alexander Fernández Feo-Tinoco, ep. S. Christophori in Venezuela.
✠ Ego Ioseph Gargitter, ep. Bausanensis-Brixinensis.
✠ Ego Flavianus Ariola, ep. Lagaspiensis.
✠ Ego Aloisius Rodriguez Pardo, ep. S. Crucis de Sierra.
✠ Ego Ioseph Adelinus Dantas, ep. Garanhunensis.
✠ Ego Thomas Wilsezynski, ep. tit. Polybotensis.
✠ Ego Philippus Lussier, ep. S. Pauli in Alberta.
✠ Ego Michael Arattukulam, ep. Aleppeyensis.
✠ Ego Petrus Brot, ep. tit. Marcianensis.
✠ Ego Bernardus Fey Schneider, ep. tit. Philadelphensis minor.
✠ Ego Prosper Dodds, ep. Zigvinchorensis.
✠ Ego Ioseph Howard Hodges, ep. Whelingensis.
✠ Ego Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis.
✠ Ego Raimundus Masnou Boixeda, ep. Vicensis.
✠ Ego Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis-Septensis.
✠ Ego Alphonsus Zaplana Bellizza, ep. Tacnensis.
✠ Ego Michael Antonius Medina y Medina, ep. Monteriensis.
✠ Ego Ioseph McGee, ep. Gallovidianus.
✠ Ego Valterus Kampe, ep. tit. Bassianensis.

✠ Ego Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis.
✠ Ego Iacobus Navagh, ep. Patersonensis.
✠ Ego Michael Alfonsus Harrington, ep. Kamloopsensis.
✠ Ego Paulus Constantinus Schoenmaeckers, ep. tit. Acarasiensis.
✠ Ego Ioseph Carraro, ep. Veronensis.
✠ Ego Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis.
✠ Ego Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. tit. Ceryniensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Hackett, ep. tit. Helenopolitanus in Palaestina.
✠ Ego Thomas Ioseph Brosnahan, ep. Liberae Urbis et Boensis.
✠ Ego Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis.
✠ Ego Gregorius Elias Olazar Muruaga, ep. tit. Prusensis.
✠ Ego Isidorus Marcus Emanuel, ep. Spirensis.
✠ Ego Franciscus Rendeiro, ep. Pharaonensis.
✠ Ego Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampicensis.
✠ Ego Augustinus Ioachim Lopes de Moura, ep. Portalegrensis-Castri Albi.
✠ Ego Artemius Prati, ep. Carpensis.
✠ Ego Ioannes B. Pardini, ep Aesinus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Sanguon Souvannasri, ep. tit. Oenoandensis.
✠ Ego Ioseph Truong-cao-Dai, ep. tit. Silensis.
✠ Ego Rajarethinam Arokiaswami Sundaram, ep. Tanjorensis.
✠ Ego Alphonsus Fresnel, ep. Arcis Delphini.
✠ Ego Villelmus Sedlmeier, ep. tit. Aulonitanus.
✠ Ego Emmanuel Alphonsus de Carvalho, ep. Angrensis.
✠ Ego Marinus Bergonzini, ep. Volaterranus.
✠ Ego Ioannes Klooster, ep. Surabaiensis.
✠ Ego Ubaldus Evaristus Cibrián Fernández, ep. tit. Bidensis.
✠ Ego Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus.
✠ Ego Otho Motta, ep. Campaniensis in Brasilia.
✠ Ego Natalis Boucheix, ep. Portus Novi.
✠ Ego Petrus de la Chanonie, ep. Claromontanus.
✠ Ego Ioannes Ernestus Ménard, ep. Ruthenensis.
✠ Ego Ioseph Pullano, ep. Pactensis.
✠ Ego Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis.
✠ Ego Secundus Garcia, ep. tit. Olympenus.
✠ Ego Gerardus Valencia Cano, ep. tit. Rhesainensis.
✠ Ego Ioannes Bokenfohr, ep. Kimberleyensis.
✠ Ego Ivo Plumey, ep. Garuensis.
✠ Ego Remigius Augustin, ep. tit. Turuzitanus.
✠ Ego Aloisius Cicuttini, ep. Civitatis Castelli.
✠ Ego Vincentius De Chiara, ep. Miletensis.
✠ Ego Mauritius Raspini, ep. Oppidensis.
✠ Ego Aldus Forzoni, ep. Dianensis.
✠ Ego Constantinus Caminada, ep. Ferentinus.
✠ Ego Aegidius Henricus Alexis Barthe, ep. Foroiuliensis Tolonensis.
✠ Ego Virginius Dondeo, ep. Urbevetanus.
✠ Ego Franciscus Ioseph Green, ep. Tucsonensis.

✠ Ego Carolus Anasagasti, ep. tit. Caltadriensis.
✠ Ego Ioannes Hubertus Macey Rodgers, ep. tit. Sbidensis.
✠ Ego Albertus Leménager, ep. Yarmuthensis.
✠ Ego Alfredus Rubio Diaz, ep. Sonsonensis.
✠ Ego Augustus Gianfranceschi, ep. Caesenatensis.
✠ Ego Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Brennan, ep. Toovoombensis.
✠ Ego Dominicus Ekandem, ep. de Ikot Ekpene.
✠ Ego Alexander Renard, ep. Versaliensis.
✠ Ego Colemannus Carroll, ep. Miamiensis.
✠ Ego Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis.
✠ Ego Ioseph Borgatti, ep. Viedmensis.
✠ Ego Bernardus Ioseph Flanagan, ep. Vigorniensis.
✠ Ego Hermannus Spiess, ep. tit. Cemerinianensis.
✠ Ego Alfredus Vozzi, ep. Cavensis et Sarnensis.
✠ Ego Eduardus Polanco Brito, ep. S. Iacobi Equitum.
✠ Ego Carolus Bandini, ep. Sarsinatensis.
✠ Ego Amatus Decosse, ep. Gravelburgensis.
✠ Ego Placidus M. Cambiaghi, ep. Novariensis.
✠ Ego Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis.
✠ Ego Ioseph Armandus Gutierrez Granier, ep. tit. Pionitanus.
✠ Ego Pius Bonaventura Dlamini, ep. Umzimkulensis.
✠ Ego Septimius Eusebius Mari, ep. tit. Pachnemunitanus.
✠ Ego Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis.
✠ Ego Athanasius Cheriyan Paochirakal, ep. Tiruvallensis.
✠ Ego Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoensis.
✠ Ego Franciscus Clemens Van Hoeck, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Villelmus Ioannes Demarteau, ep. Bandjarmasinensis.
✠ Ego Ioannes David, ep. Maiungaensis.
✠ Ego Laureanus Castán Lacoma, ep. Segentinus-Guadalajariensis.
✠ Ego Laurentius Bessone, ep. Meruensis.
✠ Ego Clarentius Georgius Issenmann, ep. tit. Filacensis.
✠ Ego Ioseph Garneri, ep. Segusiensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis.
✠ Ego Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus.
✠ Ego Ioseph M. Pernicone, ep. tit. Hadrianopolitanus in Honoriade.
✠ Ego Alphonsus Caelestinus Basilius Baud, ep. Berberatensis.
✠ Ego Ioannes Reddington, ep. Josensis.
✠ Ego Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Capadocia.
✠ Ego Marius Longo Dorni, ep. Pistoriensis.
✠ Ego Leo Christophorus Byrne, ep. tit. Sabadiensis.
✠ Ego Emmanuel Pereira Da Costa, ep. Campinae Grandis.
✠ Ego Eugenius de Araújo Sales, ep. tit. Thibicensis.
✠ Ego Ioseph Bretault, ep. Kuduguensis.
✠ Ego Petrus Fiordelli, ep. Pratensis.
✠ Ego Robertus Joyce, ep. Burlingtonensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Sanlan, ep. tit. Cenensis.
✠ Ego Hermannus Ioannes van Elswijck, ep. Morogoroensis.

✠ Ego Camillus Faresin, ep. tit. Bubastitanus.
✠ Ego Hieronymus Hannan, ep. Scrantonensis.
✠ Ego Malcholmus MacEachern, ep. Carolinapolitanus.
✠ Ego Raymundus Bogarin Argaña, ep. S. Ioannis B. a Missionibus.
✠ Ego Gilbertus Baroni, ep. Albinganensis.
✠ Ego Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus.
✠ Ego Ioannes Pereiro Venâncio, ep. Leiriensis.
✠ Ego Antonius De Campos, ep. tit. Febianensis.
✠ Ego Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis.
✠ Ego Honoratus Van Waeyenbergh, ep. tit. Gilbensis.
✠ Ego Ioannes Donavan, ep. tit. Rhasensis.
✠ Ego Ioseph Gennangi, ep. Kamechliensis Armenorum.
✠ Ego Eugenius Beitia Aldazabal, ep. Santanderiensis.
✠ Ego Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus.
✠ Ego Ioannes Rupp, ep. Monoecensis.
✠ Ego Aemilius Benavent Escuin, ep. tit. Cercinitanus.
✠ Ego Ioseph Clovis Thibault, ep. tit. Canathenus.
✠ Ego Bruno Wechner, ep. tit. Cartennitanus.
✠ Ego Florentinus de Andrade e Silva, ep. tit. Heliosebastenus.
✠ Ego Andreas Creemers, ep. Bondoensis.
✠ Ego Thomas McGettrick, ep. Ogogiaensis.
✠ Ego Ludovicus Julliard, ep. tit. Vulturiensis.
✠ Ego Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis.
✠ Ego Andreas Pioger, ep. Sagiensis.
✠ Ego Cyprianus Tourel, ep. Montis Pessulani.
✠ Ego Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum.
✠ Ego Franciscus Nunes Teixeira, ep. Quelimanensis.
✠ Ego Rogerius Michon, ep. Carnutensis.
✠ Ego Ioannes Wember, ep. tit. Vasadensis.
✠ Ego Ioseph Asajiro Satowaki, ep. Kagoshimaensis.
✠ Ego Dominicus Vendargon, ep. Kuala Lumpurensis.
✠ Ego Paulus Dumouchel, ep. tit. Sufetanus.
✠ Ego Franciscus Chan, ep. Pinangensis.
✠ Ego Caesarius Alexander Minali, ep. tit. Achyraensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Flórez Hernández, ep. Ibaguensis.
✠ Ego Emmanuel Antonius Pires, episcopus Silva Portuensis.
✠ Ego Antonius Mistrorigo, ep. Tarvisinus.
✠ Ego Felicissimus Stephanus Tinivella, ep. tit. Canensis.
✠ Ego Iulius Laschi Gonzalez, ep. tit. Abydenus.
✠ Ego Carolus Van den Ouwelant, ep. Surigensis.
✠ Ego Ernestus Arturus Green, ep. Portus Elizabethensis.
✠ Ego Emmanuel del Rosario, ep. Malolosinus.
✠ Ego Patricius Cronin, ep. tit. Ubazensis.
✠ Ego Villelmus Hart, ep. Dunkeldensis.
✠ Ego Renatus Fourrey, ep. Bellicensis.
✠ Ego Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauropolitanus.
✠ Ego Vincentius de Araujo Matos, ep. Cratensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McCarthy, ep. S. Catharinae in Ontario.

✠ Ego Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis.
✠ Ego Antonius M. Michelato Danese, ep. tit. Archelaidensis.
✠ Ego Angelus Rodriguez Gamoneda, ep. tit. Gazerensis.
✠ Ego Ioseph Albertus Rosario, ep. Amravatensis.
✠ Ego Ubaldus Theophanus Stella, ep. tit. Antaeopolitanus.
✠ Ego Ioseph Bascuñana Llópez, ep. Celsonensis.
✠ Ego Alphonsus Silveira de Mello, ep. tit. Nasaitensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Pimiento Rodriguez, ep. Garzonensis-Neivensis.
✠ Ego Iacobus Eugenius Ludovicus Ménager, ep. Meldensis.
✠ Ego Otho Spülbeck, ep. Mismensis.
✠ Ego Urbanus M. Person, ep. tit. Cymaeus.
✠ Ego Ioseph Damasus Laberge, ep. tit. Clypiensis.
✠ Ego Gregorius Espiga e Infante, ep. tit. Aphnaetenus.
✠ Ego Paulus Etoga, ep. Mbalmayoensis.
✠ Ego Antonius Ravagli, ep. Mutilensis.
✠ Ego Iacobus Henricus Romeijn, ep. Samarindaensis.
✠ Ego Syrus Silvestri, ep. Fulginatensis.
✠ Ego Ladislaus Paz, ep. Corumbensis.
✠ Ego Aristides Pirovano, ep. tit. Hadrianiensis.
✠ Ego Altinus Ribeiro De Santana, ep. Sadabandeiropolitanus.
✠ Ego Epiphanius Surban Belmonte, ep. Dumaguetensis.
✠ Ego Edmundus Aloisius Kunz, ep. tit. Ptolemaidensis in Phoenicia.
✠ Ego Bernardus Ioseph Topel, ep. Spokanensis.
✠ Ego Petrus Kimbondo, ep. Kisantuensis.
✠ Ego Ioannes Mocellini, ep. Comaclensis.
✠ Ego Laurentius Morin, ep. Principis Albertensis.
✠ Ego Simon Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Santos Ascarza, ep. Valdiviensis.
✠ Ego Sebastianus Valloppilly, ep. Tellicherriensis.
✠ Ego Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia.
✠ Ego Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis.
✠ Ego Eustachius Smith, ep. tit. Apamensis.
✠ Ego Michael Aurrecoechea Palacio, ep. tit. Dolichenus.
✠ Ego Matthias Zvekanovic, ep. tit. Burcensis.
✠ Ego Thomas Mongo, ep. Dualaensis.
✠ Ego Narcissus Jubany Arnau, ep. Gerundensis.
✠ Ego Constantinus Christianus Luna, ep. Zacapensis.
✠ Ego Ludovicus Manresa Formosa, ep. Altensis.
✠ Ego Franciscus Antonius Marrocco, ep. tit. Limnensis.
✠ Ego Caelestinus Michael Fernández Pérez, ep. S. Marci in Guatimala.
✠ Ego Philippus Furlong, ep. tit. Araxensis.
✠ Ego Argimirus Alvares Garcia Rodriguez, ep. tit. Coropissenus.
✠ Ego Ioannes Morkovsky, ep. tit. Tigavitanus.
✠ Ego Victorius Longo, ep. tit. Lorymiensis.
✠ Ego Robertus Stephanus Dehler, ep. tit. Clazomeniensis.
✠ Ego Marius Paré, ep. Chicoutimiensis.
✠ Ego Henricus Forer, ep. tit. Memphitanus.
✠ Ego Aloisius Rinaldi, ep. S. Marci et Bisinianensis.

✠ Ego Antonius Reiterer, ep. Lydenburgensis.
✠ Ego Georgius Pearce, ep. tit. Attalensis in Pamphylia.
✠ Ego Deodatus Yougbare, ep. Kupelaensis.
✠ Ego Dorotheus Fernandez y Fernandez, ep. tit. Castabalensis.
✠ Ego Antonius Cardoso Cunha, ep. tit. Barenus in Pisidia.
✠ Ego Martinus Antonius Jansen, ep. Roterodamensis.
✠ Ego Valerianus Bélanger, ep. tit. Cyrenensis.
✠ Ego Gabriel Ganni, ep. Berytensis Chaldaeorum.
✠ Ego Petrus Antonius Nierman, ep. Groningensis.
✠ Ego Eduardus Franciscus Ioseph Schlotterback, ep. tit. Balanensis.
✠ Ego Elias Mchonde, ep. Mahengensis.
✠ Ego Antonius Ona de Echave, ep. Lucensis in Hispania.
✠ Ego Ioseph Philippus de Carmine Colaço, ep. S. Iacobi Capitis Viridis.
✠ Ego Richardus Ackerman, ep. Covingtonensis.
✠ Ego Thomas Eduardus Gill, ep. tit. Lambaesitanus.
✠ Ego Michael Nóvoa Fuente, ep. tit. Chytriensis.
✠ Ego Rogerius Johan, ep. Agennensis.
✠ Ego Michael Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum (pro De Ecclesia et pro De Oecumenismo).
✠ Ego Ioseph Khoury, ep. Tyrensis Maronitarum.
✠ Ego Rudolfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus.
✠ Ego Adalbertus Almeida Merino, ep. Zacatecensis.
✠ Ego Florentius Angelini, ep. tit. Messeniensis.
✠ Ego Ioel Bellec, ep. Elnensis.
✠ Ego Ioannes Carberry, ep. Lafayettensis in Indiana.
✠ Ego Antonius Cece, ep. tit. Tamiathitanus.
✠ Ego Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis.
✠ Ego Carolus M. Cafferata, ep. S. Ludovici in Argentina.
✠ Ego Franciscus Vennera, ep. S. Nicolai de los Arroyos.
✠ Ego Franciscus Borgias Valenzuela Rios, ep. Antofagastensis.
✠ Ego Philippus Matthaeus Hannan, ep. tit. Hieropolitanus.
✠ Ego Eduardus Aloisius McGurkin, ep. Shrinyangaensis.
✠ Ego Hieronymus Lingenheim, ep. Sokodensis.
✠ Ego Petrus Rouanet, ep. Daloaensis.
✠ Ego Andreas Duirat, ep. Buakensis.
✠ Ego Adolfus Marx, ep. tit. Citrensis.
✠ Ego Maximilianus Valdes Subercaseaux, ep. Osornensis.
✠ Ego Ioseph Vázquez Diaz, ep. tit. Usulensis.
✠ Ego Laurentius Glenn, ep. Crookstoniensis.
✠ Ego Andreas Iacobus Fougerat, ep. Gratianopolitanus.
✠ Ego Ioannes Farmer Healy, ep. Gibraltariensis.
✠ Ego Stephanus Kocisko, ep. Passaicensis.
✠ Ego Ioseph Schmondiuk, ep. Stanfordensis Ucrainorum.
✠ Ego Matthaeus Pothanamuzhi, ep. Kothamangalemensis.
✠ Ego Ioseph Petrus da Silva, ep. tit. Thiavensis.
✠ Ego Franciscus Bougon, ep. Molinensis.
✠ Ego Ioseph Alì Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venezuela.
✠ Ego Dantes Battaglierin, ep. Kulnensis.

✠ Ego Ioseph Bezerra Coutinho, ep. Stantianus.
✠ Ego Caelestinus Bezmalinovic, ep. tit. Hadrumetinus.
✠ Ego Marius Di Lieto, ep. Asculanus Apuliae et Ceriniolensis.
✠ Ego Odilo Etspüler, ep. tit. Fatensis.
✠ Ego Henricus Byrne, ep. tit. Lamianus.
✠ Ego Telesphorus Ioannes Cioli, ep. Arretinus.
✠ Ego Stephanus László, ep. Sideropolitanus.
✠ Ego Arturus Franciscus Fox, ep. tit. Rhinocoruritanus.
✠ Ego Emmanuel Menéndez, ep. Foromartiniensis.
✠ Ego Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria.
✠ Ego Cornelius Chitsulo, ep. Dedzaensis.
✠ Ego Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis.
✠ Ego Arnoldus Bogaert, ep. Rosensis.
✠ Ego Germanus Villa Gaviria, ep. Barranquillensis.
✠ Ego Paulus Correa León, ep. Cucutensis.
✠ Ego Ignatius Doggett, ep. tit. Mundinizensis.
✠ Ego Ioseph Gustavus Prévost, ep. tit. Ammaedarensis.
✠ Ego Henricus Anselmus Clinch, ep. tit. Badiensis.
✠ Ego Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti.
✠ Ego Ioannes M. Holterman, ep. Gulielmopolitanus.
✠ Ego Vincentius Kennally, ep. tit. Sassuritanus.
✠ Ego Carolus Arturus Brown, ep. tit. Vallitanus.
✠ Ego Iacobus Aloisius Coelho, ep. Maringaensis.
✠ Ego Severinus Marianus de Aguiar, ep. Pesqueirensis.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Andreas Ouelette, ep. tit. Carrhenus.
✠ Ego Alexander Carter, ep. S. Mariae Ormensis.
✠ Ego Ioannes M. Ogez, ep. Mbararaensis.
✠ Ego Ioseph Alphonsus Tscherrig, ep. tit. Nephelidensis.
✠ Ego Villelmus Marinus Bekkers, ep. Buscoducensis.
✠ Ego Franciscus Spanedda, ep. Basanensis.
✠ Ego Gerardus Couturier, ep. Altaripensis.
✠ Ego Andreas Gregorius Grutka, ep. Gariensis.
✠ Ego Hilarius Hacker, ep. Bismarckiensis.
✠ Ego Radulphus Zambrano Camader, ep. Facatativensis.
✠ Ego Iustinus Iacobus Field, ep. S. Georgii in Insula Granada.
✠ Ego Carolus Alphonsus Gachet, ep. Castriesensis.
✠ Ego Secundus Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis.
✠ Ego Valerianus Ludovicus Arroyo, ep. tit. Gomphensis.
✠ Ego Rudolphus Koppmann, ep. tit. Dalisandensis in Pamphylia.
✠ Ego Ioannes Choi, ep. Pusanensis.
✠ Ego Ioannes Kwao Amuzu Aggey, ep. tit. Siguitanus.
✠ Ego Henricus M. Janssen, ep. Hildeseiensis.
✠ Ego Ioseph Olivotti, ep. tit. Samiensis.
✠ Ego Ioannes a Cruce Anyogu, ep. Enuguensis.
✠ Ego Daniel Raimundus Lamont, ep. Umtaliensis.
✠ Ego Marcellus Morgante, ep. Asculanus in Piceno.
✠ Ego Thomas Reis, ep. Zachuensis.
✠ Ego Georgius Ioseph Biskup, ep. tit. Hemeriensis.

✠ Ego Carmelus Canzonieri, ep. Calatayeronensis.
✠ Ego Michael Raspanti, ep. Moronensis.
✠ Ego Georgius Kemerer, ep. Posadensis.
✠ Ego Horatius Semeraro, ep. Cariatensis.
✠ Ego Ioannes Ahern, ep. Cloynensis.
✠ Ego Gregorius Warmeling, ep. Joinvillensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Casey, ep. Lincolnensis.
✠ Ego Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina.
✠ Ego Georgius Raymundus Chalup, ep. Gualeguaychensis.
✠ Ego Georgius Mayer, ep. S. Rosae in Argentina.
✠ Ego Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae.
✠ Ego Franciscus Brustia, ep. Andriensis.
✠ Ego Aemilius Cinense, ep. S. Ferdinandi.
✠ Ego Franciscus Ricceri, ep. Drepanensis.
✠ Ego Renatus Boudon, ep. Mimatensis.
✠ Ego Ioannes Fryns, ep. Kinduensis.
✠ Ego Henricus Bernardinus Hoffmann, ep. Gibutensis.
✠ Ego Ioseph Hasler, ep. S. Galli.
✠ Ego Augustus Trujillo Arango, ep. Jericoensis.
✠ Ego Theodulphus Domingo y Sabugal, ep. Tuguegaraoanus.
✠ Ego Pacificus Scozzina, ep. Formosae.
✠ Ego Emmanuel Talamás Camandari, ep. Civitatis Juarezensis.
✠ Ego Ioseph Petrus Costa, ep. Caetitensis.
✠ Ego Ioseph M. Pires, ep. Arrasuahyensis.
✠ Ego Radulphus Primatesta, ep. Fororaphaeliensis.
✠ Ego Andreas Sana, ep. Akrensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Maginn, ep. tit. Curiensis.
✠ Ego Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis.
✠ Ego Martinus Stanton, ep. tit. Citiensis.
✠ Ego Valterus Villelmus Curtis, ep. Bridgeportensis.
✠ Ego Ioannes Iacobus Rudin, ep. Musonensis.
✠ Ego Alfredus Stemper, ep. tit. Eleutheropolitanus in Palaestina.
✠ Ego Humbertus Lara Mejía, ep. tit. Traianopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Raphael Bidawid, ep. Amadiensis.
✠ Ego Bernardinus Mazzarella, ep. Comayoguensis.
✠ Ego Felix Leonardo, ep. Thelesinus.
✠ Ego Helmodus Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis.
✠ Ego Aloisius Carli, ep. Signinus.
✠ Ego Georgius Dwyer, ep. Loidensis.
✠ Ego Alfredus Atton, ep. Langrensis.
✠ Ego Ioannes Iriarte, ep. Reconquistensis.
✠ Ego Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus.
✠ Ego Ioannes Fearns, ep. tit. Geritanus.
✠ Ego Albertus Sanschagrin, ep. tit. Bagensis.
✠ Ego Ioseph Eugenius Corrêa, ep. Caratingensis.
✠ Ego Iacobus Cunningham, ep. Hagulstadensis et Novocastrensis.
✠ Ego Wilson Laus Schmidt, ep. Xapecoensis.
✠ Ego David De Souza, ep. Funchalensis.

✠ Ego Dominicus Roa Perez, ep. Maracaibensis
✠ Ego Ioannes B. Musty, ep. tit. Botrianensis.
✠ Ego Fredericus Villelmus Freking, ep. Salinensis.
✠ Ego Ioannes Vonderach, ep. Curiensis.
✠ Ego Iulius Puset, ep. Tamatavensis.
✠ Ego Theodorus Van den Tillaert, ep. Atambuensis.
✠ Ego Angelus Barbisotti, ep. tit. Cauniensis.
✠ Ego Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis.
✠ Ego Leonardus Cowley, ep. tit. Pertusensis.
✠ Ego Alfonsus Schladweiler, ep. Novae Ulmae.
✠ Ego Henricus Principe, ep. tit. Abilenus Lysaniae.
✠ Ego Ioseph Ioachim Ribeiro, ep. tit. Aegeaensis.
✠ Ego Ioannes Jaroszewiez, ep. tit. Letopolitanus.
✠ Ego Vincentius Favé, ep. tit. Andedensis.
✠ Ego Paulus Vignancour, ep. Valentinus.
✠ Ego Franciscus Ferreira Arreda, ep. Texcocensis.
✠ Ego Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis.
✠ Ego Camillus Vandekerckhove, ep. Bikoroensis.
✠ Ego Michael Moloney, ep. Bathurstensis in Gambia.
✠ Ego Camillus Chilouet, ep. Farafanganensis.
✠ Ego Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis.
✠ Ego Villelmus Richardus Field, ep. Ondoensis.
✠ Ego Antonius Barbosa, ep. Campi Grandis.
✠ Ego Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus.
✠ Ego Iacobus Ryan, ep. tit. Margensis.
✠ Ego Hyacinthus Gad, ep. tit. Gratianopolitanus.
✠ Ego Alexander Schell, ep. Clivi Zamoerensis.
✠ Ego Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Phelbesianus.
✠ Ego Angelus Riesco Carbajo, ep. Limisensis.
✠ Ego Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanius.
✠ Ego Marianus Oblak, ep. tit. Flaviensis.
✠ Ego Ioseph Drzazga, ep. tit. Siniandenus.
✠ Ego Ioseph Martenetz, ep. tit. Soldaiensis.
✠ Ego David Ioannes Cashman, ep. tit. Cantanensis.
✠ Ego Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis.
✠ Ego Ioseph Antonius Dammert Bellido, ep. Cajamarcensis.
✠ Ego Antonius Lima dos Santos, ep. lheosensis.
✠ Ego Simeon Kokoff, ep. tit. Bathnensis.
✠ Ego Alcides Mendoza Castro, ep. Abancaiensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus.
✠ Ego Nemesius Rivera Meza, ep. tit. Diospolitanus superior.
✠ Ego Augustus Petrò, ep. Uruguaianensis.
✠ Ego Henricus Pachowiak, ep. tit. Phyteanus.
✠ Ego Henricus Tenhumberg, ep. tit. Thuburnicensis.
✠ Ego Ioannes Kabès, ep. tit. Cleopadritensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Fresno Larrain, ep. Copiapoensis.
✠ Ego Adolphus Aloisius Bossi, ep. tit. Parnassenus.
✠ Ego Henricus Bartoletti, ep. tit. Myndiensis.

✠ Ego Henricus Murphy, ep. Limericiensis.
✠ Ego Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis.
✠ Ego Michael Villelmus Hyle, ep. Vilmingtoniensis.
✠ Ego Ioseph Lecuona Labandibar, ep. tit. Vagadensis.
✠ Ego Villelmus Pluta, ep. tit. Leptomagnensis.
✠ Ego Salvator Martinez Aguirre, ep. tit. Arcensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Pardy, ep. Cheongiuensis.
✠ Ego Eduardus Piana, ep. tit. Eureoensis in Phoenicia.
✠ Ego Hugo Poletti, ep. tit. Medelitanus.
✠ Ego Antonius Corso, ep. tit. Moglaenensis.
✠ Ego Villelmus Michael Fitzgerald, ep. tit. Zernensis.
✠ Ego Antonius Pirotto, ep. Troianus.
✠ Ego Ioseph Germanus Benavides Morriberón, ep. Chachapoyasensis.
✠ Ego Henricus Mazerat, ep. Andegavensis.
✠ Ego Vilfridus Emmet Doyle, ep. Nelsonensis.
✠ Ego Michael Garcia Franco, ep. Marathanensis.
✠ Ego Iacobus Schuck, ep. tit. Avissensis.
✠ Ego Daniel Stuyvenberg, ep. tit. Dionysiensis.
✠ Ego Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis.
✠ Ego Raphael Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum.
✠ Ego Carolus Msakila, ep. Karemaensis.
✠ Ego Richardus Finn, ep. Ibadanensis.
✠ Ego Ioseph Pintado, ep. tit. Phobenus.
✠ Ego Andreas Katkoff, ep. tit. Naupliensis.
✠ Ego Benignus Chiriboga, ep. Latacungensis.
✠ Ego Demetrius Mansilla Reoyo, ep. Civitatensis.
✠ Ego Venceslaus Wycisk, ep. tit. Caesariensis in Numidia.
✠ Ego Lech Kaczmarek, ep. tit. Alienus.
✠ Ego Albinus Luciani, ep. Victoriensis Venetorum.
✠ Ego Ioseph Gabriel Calderón, ep. Carthadensis in Columbia.
✠ Ego Fidelis Cortès Pérez, ep. Chilapensis.
✠ Ego Emmanuel Tavares de Araújo, ep. Caicoensis.
✠ Ego Alphonsus Niehues, ep. tit. Eureoensis in Epiro.
✠ Ego Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis.
✠ Ego Petrus Ioannes Antonius Moors, ep. Ruremondensis.
✠ Ego Iulius Angerhausen, ep. tit. Eminentianensis.
✠ Ego Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis.
✠ Ego Marcellus Mendiharat, ep. tit. Zertensis.
✠ Ego Raymundus D'Mello, ep. Allahabadensis.
✠ Ego Alphonsus Sánchez Tinoco, ep. Papantlensis.
✠ Ego Ignatius Arbulù Pineda, ep. Huanucensis.
✠ Ego Ioseph Thurler, ep. tit. Capitoliensis.
✠ Ego Franciscus Lehaen, ep. Sakaniensis.
✠ Ego Michael Kien Samophithak, ep. tit. Octabensis.
✠ Ego Antonius Gogo Nwedo, ep. Umuahiaensis.
✠ Ego Ioannes Karroum, ep. Spinensis Syrorum.
✠ Ego Carolus Mulrooney, ep. tit. Valentinianensis.
✠ Ego Iulius Gonzalez Ruiz, ep. Puniensis.

✠ Ego Paulus Piché, ep. tit. Orcistenus.
✠ Ego Angelus Zambarbieri, ep. Guastallensis.
✠ Ego Plato Kornyljak, ep. tit. Castromartianus.
✠ Ego Ioseph Nkongolo, ep. Lueboensis.
✠ Ego Eugenius Maillat, ep. Nzerekoreensis.
✠ Ego Paulus Savino, ep. tit. Caesariensis in Thessalia.
✠ Ego Didacus Parodi, ep. tit. Centerariensis.
✠ Ego Henricus Jenny, ep. tit. Lycaonensis.
✠ Ego Amandus Hubert, ep. tit. Saitanus.
✠ Ego Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis.
✠ Ego Angelus Martinez, ep. Tsiroanomandidyensis.
✠ Ego Constantius Micci, ep. Larinensis.
✠ Ego Thomas Manning, ep. tit. Arsamosatenus.
✠ Ego Raymundus de Lamoureyre, ep. Muilaensis.
✠ Ego Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis.
✠ Ego Ioseph Dalvit, ep. S. Matthaei.
✠ Ego Georgius Jacquot, ep. Vapincensis.
✠ Ego Franciscus Janssen, ep. tit. Coelianensis.
✠ Ego Ioannes Burke, ep. Simlensis.
✠ Ego Ioannes Lenhardt, ep. tit. Carystensis.
✠ Ego Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior.
✠ Ego Michael Ntuyahaga, ep. Usumburaensis.
✠ Ego Aloisius Munive Escobar, ep. Tlaxcalensis.
✠ Ego Bernardus Schräder, ep. tit. Scyrius.
✠ Ego Zeno Albinus Testa, ep. tit. Tinistensis.
✠ Ego Albertus Etges, ep. S. Crucis in Brasilia.
✠ Ego Carolus Buswell, ep. Pueblensis.
✠ Ego Iolanthes Nuzzi, ep. Campaniensis.
✠ Ego Augustus Carvalho, ep. Caruaruensis.
✠ Ego Arnulphus Arcilla, ep. Sorsogonensis.
✠ Ego Ioseph Winkler, ep. tit. Dadimensis.
✠ Ego Honoratus Piazera, ep. Neo-Iguassuensis.
✠ Ego Stephanus Bello, ep. Aleppensis Chaldaeorum.
✠ Ego Petrus Rougé, ep. Nemausensis.
✠ Ego Bernardus Schilling, ep. tit. Callipolitanus.
✠ Ego Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis.
✠ Ego Samuel Ludovicus Gaumain, ep. Munduensis.
✠ Ego Franciscus Vollaro, ep. Ambatondrazakaensis.
✠ Ego Georgius Bernarding, ep. tit. Belabitenensis.
✠ Ego Dominicus Yoshimatsu Noguchi, ep. Hiroshimaensis.
✠ Ego Samuel Ruiz Garcia, ep. Chiapasensis.
✠ Ego Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis.
✠ Ego Iacobus Hogan, ep. tit. Philomeliensis.
✠ Ego Vincentius Hines, ep. Norvicensis.
✠ Ego Ioseph de Solitudine Torres y Castañeda, ep. Civitatis Obregonensis.
✠ Ego Henricus Gufflet, ep. tit. Calamensis.
✠ Ego Marius Maziers, ep. tit. Augustopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Alphonsus Carolus Kempf, ep. tit. Limyrensis.

✠ Ego Raphael Pellecchia, ep. Aliphanus.
✠ Ego Marion Franciscus Forst, ep. Dodgepolitanus.
✠ Ego Iacobus Malone, ep. tit. Alabandensis.
✠ Ego Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus.
✠ Ego Ioseph Goupy, ep. Blasensis.
✠ Ego Ioannes Dozolme, ep. Aniciensis.
✠ Ego Melchior Ioachim da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis.
✠ Ego Moyses Iulius Blanchoud, ep. Rivi Quarti.
✠ Ego Petrus Poreku Dery, ep. Vaensis.
✠ Ego Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis.
✠ Ego Ioseph Busimba, ep. Gomaensis.
✠ Ego Thomas Villelmus Muldoon, ep. tit. Fesseitanus.
✠ Ego Ioannes Crawford, ep. tit. Caffenus.
✠ Ego Albertus Scola, ep. Nursinus.
✠ Ego Iacobus Hagan, ep. Makurdensis.
✠ Ego Albinus Mensa, ep. Eporediensis.
✠ Ego Georgius Hammes, ep. Superiorensis.
✠ Ego Mauritius Pourchet, ep. S. Flori.
✠ Ego Eduardus Thomas Boza Masvidal, ep. tit. Vindensis.
✠ Ego Humbertus Altomare, ep. Muranus.
✠ Ego Ioseph Maximinus Eusebius Dominguez y Rodriguez, ep. Matanzensis.
✠ Ego Stephanus McGill, ep. Ergadiensis et Insularum.
✠ Ego Franciscus Xaverius Rajaonarivo, ep. Miarinarivensis.
✠ Ego Hector Rueda Hernández, ep. Bucaramanguensis.
✠ Ego Villelmus Eduardus Power, ep. Antigonicensis.
✠ Ego Georgius Albertus Giraldo Restrepo, ep. Pastopolitanus.
✠ Ego Angelus Pérez Cisneros, ep. Barcinonensis in Venezuela.
✠ Ego David Picâo, ep. tit. Thoitanus.
✠ Ego Ioseph M. Cirarda Lachiondo, ep. tit. Drusilianensis.
✠ Ego Arturus Antonius Szymanski Ramirez, ep. tit. Cerasuntinus.
✠ Ego Bruno Pelaia, ep. Tricaricensis.
✠ Ego Clemens Ioseph Carolus Isnard, ep. Neo-Friburgensis.
✠ Ego Anastasius Granados Garcia, ep. tit. Cidramenus.
✠ Ego Paulus Cheng, ep. tit. Ucculensis.
✠ Ego Eligius Tato Losada, ep. tit. Cardicensis.
✠ Ego Armandus Cirio, ep. Toletanus in Brasilia.
✠ Ego Antonius Fustella, ep. Tudertinus.
✠ Ego Macarius Tinti, ep. Fabrianensis et Mathelicensis.
✠ Ego Iulianus Groblicki, ep. tit. Philadelphiensis in Arabia.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. Morombensis.
✠ Ego Ioseph Melhado Campos, ep. Lorenensis.
✠ Ego Aniger Franciscus M. Melillo, ep. Piracicabensis.
✠ Ego Eugenius Klein, ep. tit. Echinensis.
✠ Ego Arturus Rivera Damas, ep. tit. Legiensis.
✠ Ego Cletus Franciscus O'Donnel, ep. tit. Abattensis.
✠ Ego Leo Lemay, ep. tit. Agbiensis.
✠ Ego Salvator Sorrentino, ep. tit. Gerasenus.
✠ Ego Stephanus Desmazières, ep. tit. Bybliensis.

✠ Ego Ioseph Brandâo De Castro, ep. Propriensis.
✠ Ego Emmanuel Daddi, ep. Mausiliensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitanus.
✠ Ego Basilius Cristea, ep. tit. Lebediensis.
✠ Ego Iacobus Ward, ep. tit. Sitensis.
✠ Ego Humbertus Tonna, ep. Floridensis.
✠ Ego Orestes Iacobus Nuti, ep. Canalopolitanus.
✠ Ego Ioseph Brendan Houlihan, ep. Eldoretensis.
✠ Ego Garabed Amadouni, ep. tit. Amathusius in Cypro.
✠ Ego Vladimirus Malanczuk, ep. tit. Epiphaniensis in Syria.
✠ Ego Eduardus Ioannes Harper, ep. tit. Heracleensis Ponticus.
✠ Ego Franciscus Bertoglio, ep. tit. Pariensis.
✠ Ego Theotonius Amal Ganguly, ep. tit. Olivensis.
✠ Ego Ioseph Lenotti, ep. Fodianus.
✠ Ego Andreas Bontems, ep. Maurianensis.
✠ Ego Benedictus Epiphanius Rodriguez, ep. tit. Arycandensis.
✠ Ego Thomas Patricius Collins, ep. tit. Sufetulensis.
✠ Ego Ioseph Raymundus Windle, ep. tit. Uzitensis.
✠ Ego Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis.
✠ Ego Thomas Holland, ep. Salfordiensis.
✠ Ego Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus.
✠ Ego Albertus Descamps, ep. tit. Tunetensis.
✠ Ego David Maloney, ep. tit. Ruspensis.
✠ Ego Carolus Gnädinger, ep. tit. Celerinensis.
✠ Ego Franciscus Robertus Rush, ep. Rockhamptoniensis.
✠ Ego Paulus Aemilius Charbonneau, ep. Hullensis.
✠ Ego Franciscus Ndong, ep. tit. Raphaneotanus.
✠ Ego Michael Nguyen Khac Ngu, ep. Longxuyensis.
✠ Ego Ioseph Tran-Van-Thien, ep. Mythoensis.
✠ Ego Vedastus M. Jacquier, ep. tit. Sufasaritanus.
✠ Ego Valentinus Vailati, ep. S. Severi.
✠ Ego Ioseph Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia.
✠ Ego Henricus Angelelli Carletti, ep. tit. Listrensis.
✠ Ego Abdul Ahad Sana, ep. Alquoshensis Chaldaeorum.
✠ Ego Titus Mancini, ep. tit. Vartanensis.
✠ Ego Leo Carolus Ioseph De Kesel, ep. tit. Synaitanus.
✠ Ego Henricus Laurentius Cabrera Urdangarin, ep. Mercedanianus.
✠ Ego Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis.
✠ Ego Petrus Han Kong-ryel, ep. Ieoniuensis.
✠ Ego Ioseph Hubertus Soudant, ep. Palembangensis.
✠ Ego Lambertus van Kessel, ep. Sintangensis.
✠ Ego Robertus Bézac, ep. Aturensis.
✠ Ego Ioannes Aloisius Jobidon, ep. Mzuzuensis.
✠ Ego Carmelus Zazinovic, ep. tit. Lebessenus.
✠ Ego Franciscus Kervéadou, ep. Briocensis.
✠ Ego Carolus Quintinus Bertramus Olwell, ep. tit. Thabracensis.
✠ Ego Victor Ioannes Hermannus Ioachim Tielbeek, ep. tit. Tipasensis in Numidia.

✠ Ego Theodorus Gerardus Antonius Hendriksen, ep. tit. Cumenensis.
✠ Ego Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbiatanus.
✠ Ego Carolus Alexander Grant, ep. tit. Alindensis.
✠ Ego Aloisius Franciscus Frizar Salazar, ep. tit. Philitanus.
✠ Ego Ludovicus Sanchez-Moreno Lira, ep. tit. Nilopolitanus.
✠ Ego Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal.
✠ Ego Augustinus Farah, ep. Tripolitanus Melkitarum.
✠ Ego Albertus Malbois, ep. tit. Altavensis.
✠ Ego Henricus Ioseph Soenneker, ep. Ovensburgensis.
✠ Ego Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis.
✠ Ego Michael González Ibarra, ep. Rivoriensis.
✠ Ego Hippolytus Berlier, ep. Niameyensis.
✠ Ego Michael Vial, ep. Nivernensis.
✠ Ego Victorius Cecchi, ep. Forosemproniensis.
✠ Ego Marius Renatus Cornejo Radavero, ep. tit. Sanavensis.
✠ Ego Abraham François, ep. Asmarensis.
✠ Ego Thomas Albertus Newman, ep. Promensis.
✠ Ego Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus.
✠ Ego Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis.
✠ Ego Petrus Tou, ep. Hsinchuensis.
✠ Ego Ioannes B. Gobbato, ep. Taunggyiensis.
✠ Ego Ioseph Cheng Tien-Siang, ep. Kaohsiungensis.
✠ Ego Angelus Cuniberti, ep. tit. Arsinoensis in Cypro.
✠ Ego Georgius Nkalanga, ep. tit. Balburensis.
✠ Ego Ioseph Almici, ep. tit. Arcadiensis.
✠ Ego Geraldus Franciscus O'Keefe, ep. tit. Candybensis.
✠ Ego Calogerus Lauricella, ep. tit. Selensis.
✠ Ego Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurtensis.
✠ Ego Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira.
✠ Ego Petrus Bantigua, ep. tit. Catulensis.
✠ Ego Ignatius Phakoe, ep. Leribensis.
✠ Ego Ioannes Whealon, ep. tit. Andrapenus.
✠ Ego Antonius Mabutas y Lloren, ep. Laoagensis.
✠ Ego Villelmus McNaughton, ep. Inchonensis.
✠ Ego Benedictus Dominicus Coscia, ep. Jataiensis.
✠ Ego Iacobus Franciscus De Nevares, ep. Neuquenianus.
✠ Ego Franciscus Philippus Muguerza, ep. Novoraniensis.
✠ Ego Georgius Ioseph Gottwald, ep. tit. Cedamusensis.
✠ Ego Philippus Pocci, ep. tit. Jerichuntinus.
✠ Ego Ioannes Canestri, ep. tit. Tenediensis.
✠ Ego Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii.
✠ Ego Vincentius Zazpe, ep. Raphaeliensis.
✠ Ego Mauritius Eugenius Magliano, ep. Rivogallaecensis.
✠ Ego Albertus Devoto, ep. Goyanensis.
✠ Ego Gerardus Ferreira Reis, ep. Leopoldinensis.
✠ Ego Petrus Bouckaert, ep. Popokabakaensis.
✠ Ego Alexander Mbuka-Nzundu, ep. tit. Cataquensis.
✠ Ego Paulus Sani, ep. Denpasarensis.

✠ Ego Ioseph Arneric, ep. Sibenicensis.
✠ Ego Albertus Hermelink, ep. de Tandjung-Karang.
✠ Ego Renatus Kérautret, ep. tit. Arcopolitanus.
✠ Ego Vido Riobé,ep. Aurelianensis.
✠ Ego Antonius Rossi, ep. Cervi Lusci.
✠ Ego Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Gregorius McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis.
✠ Ego Philippus Iacobus Benítez Avalos, ep. tit. Chersonesitanus in Europa.
✠ Ego Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis.
✠ Ego Iaroslav Gabro, ep. S. Nicolai Chicagiensis Ucrainorum.
✠ Ego Augustinus Eugenius Hornyak, ep. tit. Hermonthitanus.
✠ Ego Paulus Ioseph Tavares, ep. Macaonensis.
✠ Ego Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis.
✠ Ego Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis.
✠ Ego Ioseph Leo Rojas Chaparro, ep. Truxillensis in Venezuela.
✠ Ego Ioannes B. Gahamanyi, ep. Butarensis.
✠ Ego Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis.
✠ Ego Antonius Hofmann, ep. tit. Berenicensis.
✠ Ego Ioseph Maurus Ramalho de Alarcón Santiago, ep. Iguatuvinus.
✠ Ego Raimundus Caesar Bergamin, ep. Padangensis.
✠ Ego Paternus Nicolaus Ioannes Cornelius Geise, ep. Bogorensis.
✠ Ego Angelus Prinetto, ep. tit. Hadrianopolitanus.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Buchkremer, ep. tit. Aggaritanus.
✠ Ego Ioannes Bluyssen, ep. tit. Aetensis.
✠ Ego Aloisius Oldani, ep. tit. Gergitanus.
✠ Ego Thomas Ioseph Drury, ep. Angelianus.
✠ Ego Hadrianus Ddungu, ep. Masakaensis.
✠ Ego Branislaus Dabrowski, ep. tit. Hadrianothaereus.
✠ Ego Paulus Latusek, ep. tit. Aninetensis.
✠ Ego Antonius Caillot, ep. Ebroicensis.
✠ Ego Geraldus Emmet Carter, ep. Londonensis.
✠ Ego Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis.
✠ Ego Hyacinthus Eccher, ep. tit. Garrianensis.
✠ Ego Petrus Saburo Hirata, ep. Oitaensis.
✠ Ego Henricus Véniat, ep. Arcis Archambault.
✠ Ego Iacobus Komba, ep. tit. Thignicensis.
✠ Ego Gregorius Garavito, ep. tit. Cyparissiensis.
✠ Ego Ernestus Unterköfler, ep. tit. Latopolitanus.
✠ Ego Artemius Casas, ep. Imusensis.
✠ Ego Michael Darmancier, ep. tit. Auguritensis.
✠ Ego Paulus Ghizzoni, ep. tit. Thenitanus.
✠ Ego Robertus Caceres, ep. Melensis.
✠ Ego Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus.
✠ Ego Andreas Charles de la Brousse, ep. Divionensis.
✠ Ego Leo Maher, ep. S. Rosae in California.
✠ Ego Ioseph Villelmus Regan, ep. tit. Isindensis.
✠ Ego Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Julii.
✠ Ego Petrus Filipak, ep. Jacarezinhoensis.

✠ Ego Marcus Caliaro, ep. Sabinensis et Mandelensis.
✠ Ego Ioannes de Cambourg, ep. tit. Eutymensis.
✠ Ego Ioseph Amihere Essuah, ep. Kumasiensis.
✠ Ego Augustus Azzolini, ep. Makenensis.
✠ Ego Sigfridus Kowalski, ep. tit. Assiensis.
✠ Ego Ildephonsus M. Sansierra, ep. tit. Oriensis.
✠ Ego Iacobus Corboy, ep. Monzensis.
✠ Ego Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus.
✠ Ego Franciscus Tortora, ep. tit. Liviensis.
✠ Ego Gerardus Henricus De Vet, ep. Bredanus.
✠ Ego Hermannus Volk, ep. Moguntinus.
✠ Ego Ioannes Hoffmann, ep. Vestphalianus.
✠ Ego Rudolphus Graber, ep. Ratisbonensis.
✠ Ego Villelmus Sillekens, ep. Ketapangensis.
✠ Ego Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramyttenus.
✠ Ego Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis.
✠ Ego Ernestus Segura, ep. tit. Carpitanus.
✠ Ego Emmanuel Augustus Cárdenas, ep. tit. Aulonensis.
✠ Ego Ignatius Strecker, ep. Campofonti-Capitis Girardeaunensis.
✠ Ego Cornelius Chizzini, ep. tit. Aegaeus.
✠ Ego Cornelius De Wit, ep. tit. Aperlitanus.
✠ Ego Aemilius Guano, ep. Liburnensis.
✠ Ego Iacobus Patria, ep. tit. Uthinensis.
✠ Ego Nicolaus Grimley, ep. tit. Thuburbitanus.
✠ Ego Aloisius Eduardus Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensis.
✠ Ego Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis.
✠ Ego Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus.
✠ Ego Ioannes Shojiro Ito, ep. Niigataensis.
✠ Ego Lambertus van Heygen, ep. Dumensis.
✠ Ego Daniel Catarzi, ep. Uviraensis.
✠ Ego Villelmus Franciscus Kupfer, ep. Taichungensis.
✠ Ego Petrus Magoshiro Matsuoka, ep. Nagoyaensis.
✠ Ego Ioannes Proni, ep. Thermularum.
✠ Ego Mauritius De Keyzer, ep. tit. Tiniensis.
✠ Ego Brennus Foley, ep. Lancastrensis.
✠ Ego Villelmus Ericus Grasar, ep. Salopiensis.
✠ Ego Iacobus Landriault, ep. Hearstensis.
✠ Ego Sylvester Villelmus Treinen, ep. Xylopolitanus.
✠ Ego Varnerius Boudreaux, ep. Calyndensis.
✠ Ego Ioannes Marchesi, ep. tit. Coelenus.
✠ Ego Michael D'Aversa, ep. tit. Macrensis in Mauretania.
✠ Ego Aloisius Liverzani, ep. Tusculanus.
✠ Ego Milo McKeon, ep. tit. Antipyrgensis.
✠ Ego Anselmus Zarza, ep. Linarenus.
✠ Ego Victorinus Alvarez Tena, ep. Apatzinganiensis.
✠ Ego Antonius Angioni, ep. tit. Hipponensis.
✠ Ego Victorius M. Costantini, ep. Suessanus.
✠ Ego Franciscus Zayek, ep. tit. Callinicensis Maronitarum.

✠ Ego Ioannes B. Przyklenk, ep. Januariensis.
✠ Ego Franciscus Reh, ep. tit. Macrianensis in Mauritania.
✠ Ego Vincentius Baldwin, ep. tit. Bencennensis.
✠ Ego Iulius Peeters, ep. Bucaensis.
✠ Ego Iacobus Weinbacher, ep. tit. Thalensis.
✠ Ego Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán.
✠ Ego Raymundus Lui, ep. Paracatuensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Thomas, ep. Geraldtonensis.
✠ Ego Raphael Ayala y Ayala, ep. Tehuacaniensis.
✠ Ego Leonellus Berti, ep. tit. Germanicopolitanus.
✠ Ego Hugo Aufderbeck, ep. tit. Arcenus.
✠ Ego Petrus Boillon, ep. Virodunensis.
✠ Ego Michael Ioseph Green, ep. tit. Trisipensis.
✠ Ego Geraldus Vincentius McDevitt, ep. tit. Tigiensis.
✠ Ego Ioseph Gonçalves da Costa, ep. tit. Rhodopolitanus.
✠ Ego Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius.
✠ Ego Raymundus Hunthausen, ep. Helenensis.
✠ Ego Achilles Palmerini, ep. Aeserniensis et Venafranus.
✠ Ego Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis.
✠ Ego Acacius Rodriguez Alves, ep. Palmonopolitanus.
✠ Ego Duraisamy Simon Lourdusamy, ep. tit. Sozusenus in Lybia.
✠ Ego Laurentius Trevor Picachy, ep. Jamshedpurensis.
✠ Ego Raymundus Ndudi, ep. tit. Mataritanus in Proconsulari.
✠ Ego Fortunatus Da Veiga Coutinho, ep. Belgaumensis.
✠ Ego Paschalis Bacile, ep. Iaciensis.
✠ Ego Ioseph Mancuso, ep. Mazariensis.
✠ Ego Petrus Birch, ep. Ossoriensis.
✠ Ego Ioseph Esau Robles Jiménez, ep. Tulancingensis.
✠ Ego Ioseph Heuschen, ep. tit. Druensis.
✠ Ego Ioannes Mouisset, ep. Nicensis.
✠ Ego Leo Tigga, ep. Dumkaensis.
✠ Ego Ericus Benjamin, ep. Darjeelingensis.
✠ Ego Aloisius Morstabilini, ep. Brixiensis.
✠ Ego Iulianus Barni, ep. tit. Coracesiotanus.
✠ Ego Dinus Tomassini, ep. Isclanus.
✠ Ego Andreas Bréheret, ep. Cadurcensis.
✠ Ego Miltonius Corrêa Pereira, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Alanus Leroy, ep. Kilvaensis.
✠ Ego Ioseph Nicomedes Grossi, ep. Spelaeopolitanus.
✠ Ego Alfredus Cavagna, ep. tit. Tianus.
✠ Ego Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis.
✠ Ego Aloisius Paro, ep. tit. Diocaesariensis in Isauria.
✠ Ego Franciscus Xaverius Gillmore Stock, ep. tit. Auziensis.
✠ Ego Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis.
✠ Ego Alphonsus Arteaga Yepes, ep. tit. Auzegerensis.
✠ Ego Emmanuel De Almeida Trindade, ep. Aveirensis.
✠ Ego Alphonsus Petrus Torres, ep. Catamarcensis.
✠ Ego Climerius Almeide de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista.

✠ Ego Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis.
✠ Ego Hieronymus Ioseph Podestà, ep. Avellanediensis.
✠ Ego Marius Zanchin, ep. Fidentinus.
✠ Ego Constantinus Trapani, ep. Nicosiensis.
✠ Ego Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambaensis.
✠ Ego Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis.
✠ Ego Casimirus Ioannes Majdanski, ep. tit. Zorolensis.
✠ Ego Michael Balaguer, ep. tit. Castellominoritanus.
✠ Ego Hadrianus Hipolito, ep. tit. Diospolitanus in Thracia.
✠ Ego Raphael Sarmiento Peralta, ep. Ocaniensis.
✠ Ego Remigius Ioseph De Roo, ep. Victoriensis in Insula Vancouver.
✠ Ego Ioannes Gazza, ep. tit. Circesiensis.
✠ Ego Cyprianus Kihangire, ep. tit. Maurensis.
✠ Ego Ivo Georgius Renatus Ramousse, ep. tit. Pisitanus.
✠ Ego Ioannes Picco, ep. tit. Anaeus.
✠ Ego Henricus Clemens Donze, ep. Tutelensis.
✠ Ego Ioseph Arturus Costello, ep. tit. Chomatitanus.
✠ Ego Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus.
✠ Ego Pompaeus de Sá Leão y Seabra, ep. Malanjensis.
✠ Ego Gerardus Schaffran, ep. tit. Semneaensis.
✠ Ego Ioachim Segedi, ep. tit. Gypsariensis.
✠ Ego Clarencius Elwell, ep. tit. Conensis.
✠ Ego Antonius D'Erchia, ep. tit. Podaliensis.
✠ Ego Victorius Ottaviani, ep. Alatrinus.
✠ Ego Felix Riza Ribeiro, ep. Tetiensis.
✠ Ego Villelmus Gran, ep. tit. Raphiensis.
✠ Ego Salamon Ferraz, ep. tit. Eleuthernensis.
✠ Ego Bernardus Nolker, ep. Paranaguensis.
✠ Ego Ignacius Leonorus Arroyo, ep. Tuxpaniensis.
✠ Ego Ioseph Guadalupe Padilla Lozano, ep. Verae Crucis.
✠ Ego Audenus McCoy, ep. Oyoensis.
✠ Ego Petrus Caelestinus Nkou, ep. Sangmelimaensis.
✠ Ego Ioseph M. Carrizo Villareal, ep. Chitrensis.
✠ Ego Marcellus Rosina, ep. tit. Aezanitanus.
✠ Ego Ildephonsus Rea, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Georgius Henricus Speltz, ep. tit. Claniensis.
✠ Ego Gaugerius Leuliet, ep. Ambianensis.
✠ Ego Amedeus Gonzalez Ferreiro, ep. tit. Metrensis.
✠ Ego Emmanuel Lisboa De Oliveira, ep. Nazarensis.
✠ Ego Ignatius Prieto Vega, ep. Vankiensis.
✠ Ego Ioannes Höhne, ep. tit. Urimensis.
✠ Ego Dionysius Vincentius Durning, ep. Arushaensis.
✠ Ego Eduardus Macheiner, ep. tit. Seljensis.
✠ Ego Iesus Sison, ep. Tarlacensis.
✠ Ego Henricus Theissing, ep. tit. Minensis.
✠ Ego Franciscus Costa, ep. tit. Emmausensis.
✠ Ego Franciscus Rossi, ep. Derthonensis.
✠ Ego Nivaldus Monte, ep. tit. Eluzanus.

✠ Ego Abel Conigli, ep. Biturgensis.
✠ Ego Philippus Broers, ep. Carabellensis.
✠ Ego Ioseph Aloisius Castro, ep. S. Philippi.
✠ Ego Henricus Alvear Urrutia, ep. tit. Columnatensis.
✠ Ego Marianus Gaviola, ep. Cabanatuensis.
✠ Ego Ioseph Rossi, ep. tit. Palmyrensis.
✠ Ego Antonius Cunial, ep. Lucerinus.
✠ Ego Salvator Nicolosi, ep. Liparensis.
✠ Ego Lucianus Agboka, ep. Abomeiensis.
✠ Ego Altivus Pacheco Ribeiro, ep. Barrensis de Pirahy.
✠ Ego Thomas Ryan, ep. Clonfertensis.
✠ Ego Ioannes Hermil, ep. tit. Maridensis.
✠ Ego Bohdan Bejac, ep. tit. Idassensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Tirada Pedraza, ep. tit. Theleptensis.
✠ Ego Renatus Audet, ep. tit. Chonochoritanus..
✠ Ego Ioseph de Iesu Garcia Ayala, ep. tit. Lacedaemoniensis.
✠ Ego Alfonsus Gerardus Bannwarth, ep. Suessionensis.
✠ Ego Ioannes Melis Fois, ep. Ampuriensis et Templensis.
✠ Ego Laurentius Michael De Falco, ep. Amarillensis.
✠ Ego Adolfus Rodriguez Herrera, ep. Camagueyensis.
✠ Ego Hamletus De Angelis, ep. Vianensis.
✠ Ego Alfonsus Uribe Jaramillo, ep. tit. Aureliopolitanus in Asia.
✠ Ego Normannus Ioseph Gallagher, ep. tit. Adrasenus.
✠ Ego Laurentius Noël, ep. tit. Agathopolitanus.
✠ Ego Franciscus Esteves Dias, ep. Lusitanianus.
✠ Ego Thomas Vaquero, ep. S. Ioannis in Brasilia.
✠ Ego Basilius Petrus Carolus Habra, ep. tit. Bathnensis Syrorum.
✠ Ego Ioseph Garcia Villas, ep. de Sancto Petro Sula.
✠ Ego Ioannes B. Mudartha, ep. tit. Idebessanus.
✠ Ego Stephanus Courtois, ep. Kayesensis.
✠ Ego Desiderius de Montclos, ep. Sikassensis.
✠ Ego Aloisius Ioannes Tomé, ep. Mercedensis.
✠ Ego Mesrob Terzian, ep. tit. Comanensis in Armenia.
✠ Ego Ioseph a Carmine Valle Gallardo, ep. tit. Germanicensis in Numidia.
✠ Ego Hieronymus Hastrich, ep. tit. Gurzensis.
✠ Ego Aloisius Bettazzi, ep. tit. Thagastensis.
✠ Ego Arnoldus Radulphus Cotey, ep. Nachingweaensis.
✠ Ego Felicissimus Raeymaeckers, ep. tit. Aperlitanus.
✠ Ego Ioseph Khiamsun Nittayo, ep. tit. Obbensis.
✠ Ego Ioannes Carlos Fero, ep. Ss.mae Conceptionis in Argentina.
✠ Ego Italus Severinus Di Stefano, ep. S. Rochi.
✠ Ego Albertus Thomas, ep. Barthurstensis.
✠ Ego Victorinus Kong-hi Youn, ep. Suwonensis.
✠ Ego Ioseph Petralia, ep. Agrigentinus.
✠ Ego Henricus Pechuán Marin, ep. Crucis Axeatae.
✠ Ego Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum.
✠ Ego Eugenius Abissa Kwaku, ep. Abenguruensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Elkichi Tanaka, ep. Takamatsuensis.

✠ Ego Fredericus Sargolini, ep. tit. Lysiadensis.
✠ Ego Clemens Kabukasansha, ep. tit. Cibyratensis.
✠ Ego Iulius Leguerrier, ep. tit. Bavagaliensis.
✠ Ego Boleslaus Micas Taborski, ep. tit. Dicensis.
✠ Ego Eduardus Fedders, ep. tit. Antiochenus ad Meandrum.
✠ Ego Aloisius Alfonsus Crespo, ep. Lojanus.
✠ Ego Alfonsus Mathias, ep. Chikmagalurensis.
✠ Ego Gerardus Tickle, ep. tit. Belensis.
✠ Ego Matthias Fernandes, ep. Mysuriensis.
✠ Ego Villelmus Dunne, ep. Kituriensis.
✠ Ego Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis.
✠ Ego Ioannes Graham, ep. tit. Sabratensis.
✠ Ego Bernardus Kelly, ep. tit. Tegeaeus.
✠ Ego Ioseph Daley, ep. tit. Dareaeus.
✠ Ego Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudentianensis.
✠ Ego Vincentius Maya, ep. tit. Comanensis Ponticus.
✠ Ego Andreas Petrus Cornelius Sol, ep. tit. Regianensis.
✠ Ego Ignatius Gopu, ep. tit. Feraditanus maior.
✠ Ego Bernardus Cazzaro, ep. tit. Pyrgensis.
✠ Ego Ambrosius Yeddanapally, ep. Bellaryensis.
✠ Ego Carolus Manziana, ep. Cremensis.
✠ Ego Ioannes Paulus M. Vincent, ep. Baionensis, Lascurrensis et Oloronensis.
✠ Ego Ioannes Kaldany, ep. tit. Gabenus.
✠ Ego Iacobus Martin, ep. tit. Neapolitanus in Palaestina.
✠ Ego Daniel Sheehan, ep. tit. Capensis.
✠ Ego Philippus a Iesu Cueto González, ep. Tlalnepantlanus.
✠ Ego Leo Chambon, ep. Bossangoensis.
✠ Ego Aeneas Selis, ep. tit. Caesariensis in Mauretania.
✠ Ego Bogdan Marianus Vincentius Sikorski, ep. Plocensis.
✠ Ego Eugenius Santiago Peyrou, ep. Rivadavia.
✠ Ego Villelmus Gordon Wheeler, ep. tit. Theudalensis.
✠ Ego Ioannes Wiesen, ep. tit. Telmissensis.
✠ Ego Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis.
✠ Ego Antonius Maanicus, ep. Bangassuensis.
✠ Ego Albertus Ioseph Tsiahoana, ep. tit. Abtugnitanus.
✠ Ego Henricus Ioseph Cornelius De Cocq, ep. tit. Aquensis in Byzacena.
✠ Ego Franciscus Kuharić, ep. tit. Metensis.
✠ Ego Antonius de Castro Xavier Montiero, ep. tit. Ombitanus.
✠ Ego Ioseph Albertus Lopes de Castro Pinto, ep. tit. Hieropolitanus in Isauria.
✠ Ego Thomas Andreas Donnellan, ep. Ogdenburgensis.
✠ Ego Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.
✠ Ego Lucas Olu Chukwuka Nwaezeapu, ep. Varriensis.
✠ Ego Sanctes Quadri, ep. tit. Villanovensis.
✠ Ego Ferdinandus Azcárate de Andrada, ep. tit. Cefalensis.
✠ Ego Carolus Oviedo Cavada, ep. tit. Beneventensis.
✠ Ego Aloisius Yanez Ruiz Tagle, ep. S. Mariae Angelorum.
✠ Ego Eduardus Pironio; ep. tit. Caeciritanus.
✠ Ego Romulus Alberti, ep. tit. Belalitanus.

✠ Ego Lucianus Metzinger, ep. tit. Autentensis.
✠ Ego Paulus Verschuren, ep. tit. Aquaesirensis.
✠ Ego Pius Benincasa, ep. tit. Burunitanus.
✠ Ego Stanislaus Brzana, ep. tit. Cuprutensis.
✠ Ego Paulus Hnilica, ep. tit. Rusadicensis.
✠ Ego Hadrianus Gand, ep. tit. Maurianensis minor.
✠ Ego Edmundus Quaglia Martinez, ep. Jodinensis.
✠ Ego Leontius Albertus Van Peteghem, ep. Gandavensis.
✠ Ego Ioannes Gerardus Willebrands, ep. tit. Maurianensis.
✠ Ego Iulius Franco Arango, ep. Duitamensis.
✠ Ego Petrus Salmon, ep. tit. Jucundiana.
✠ Ego Ioannes Fallani, ep. tit. Parthensiensis.
✠ Ego Ioseph Guerra Campos, ep. tit. Mutiensis.
✠ Ego Maximinus Romero Lema, ep. tit. Hortensis.
✠ Ego Marcellus Chauvin, ep. Fada Ngurmaensis.
✠ Ego Albertus Ndongmo, ep. Nkongsambensis.
✠ Ego Ioannes Bianchi, ep. tit. Seleucianensis.
✠ Ego Augustus Delisle, ep. Kabbaensis.
✠ Ego Maurus Rubio Repullès, ep. Salmantinus.
✠ Ego Ioannes Badré, ep. tit. Aquanovensis in Proconsulari.
✠ Ego Albertus Cosma do Amaral, ep. tit. Tagariensis.
✠ Ego Henricus Dias Nogueira, ep. Cabralopolitanus.
✠ Ego Brianus Patritius Ashby, ep. Christopolitanus.
✠ Ego Ianuarius Jenko, ep. tit. Acufidensis.
✠ Ego Petrus Paulus Koop, ep. Linensis.
✠ Ego Antonius Hacault, ep. tit. Mediensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Nierhoff, ep. Floreslensis.
✠ Ego Michael Rusnak, ep. tit. Tzernicensis.
✠ Ego Renatus Spallanzani, ep. tit. Mazacensis.
✠ Ego Paulus Brezanóczy, ep. tit. Rotariensis.
✠ Ego Ioseph Bánk, ep. tit. Materianensis.
✠ Ego Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensis.
✠ Ego Ioseph Cserháti, ep. tit. Melzitanus.
✠ Ego Gasto Heins, ep. tit. Belesanensis.
✠ Ego Petrus Augustus Boussard, ep. Venetensis.
✠ Ego Ioannes Vilnet, ep. S. Deodati.
✠ Ego Bernardus Oguki Atakjah, ep. Atakpamensis.
✠ Ego Marcellus Evaristus Van Rengen, ep. Mvekaensis.
✠ Ego Albertus Zambrano Palacios, ep. tit. Carensis in Numidia.
✠ Ego Laudislaus Rubin, ep. tit. Sertensis.
✠ Ego Daniel Donaldus Herlihy, ep. Fernensis.

Ego Petrus Romualdus Zilianti, abbas nullius S. Mariae Oliveti Maioris.
Ego Martinus Michler, abbas nullius B. M. V. de Monteserrato Fluminis Ianuarii.
Ego Henricus Groner, abbas nullius B. M. V. Maris Stellae.
Ego Anselmus Ludovicus Tranfaglia, abbas nullius Montis Virginis.
Ego Faustus Mezza, abbas nullius Ss.mae Trinitatis Cavensis.
Ego Raimundus Tschudy, abbas nullius Einsiedlensis.

Ego Valterus Arturus Coggin, abbas nullius M. Mariae Auxiliatricis de Belmont.
Ego Hieronymus Ferdinandus Weber, abbas nullius S. Petri apud Münster.
Ego Theodorus Minisci, abbas nullius B. Mariae Cryptaeferratae.
Ego Aegidius Gavazzi, abbas Sublacensis.
Ego Gregorius Gomez, abbas nullius Novae Nurciae.
Ego Norbertus Legànyi, abbas nullius S. Martini in Monte Pannoniae.
Ego Ioannes Franzoni, abbas nullius S. Pauli in Urbe.

Ego Marcus Libardoni, prael. nullius Huariensis.
Ego Naevius Hayes, prael. nullius Sicuanensis.
Ego Israel Rolón, prael. nullius Caacupensis.
Ego Redemptus Gauci, prael. nullius Chuquibambensis.
Ego Iucundus Grotti, prael. nullius Acrensis et Puruensis.
Ego Florentinus Armas Lerena, prael. nullius Chotensis.
Ego Damianus Nicolau, prael. nullius Huamacucianus.
Ego Raimundus Salas Valdes, prael. nullius Aricensis.
Ego Martinus Legarra Tellechea, prael. nullius Buccae Taurinae.
Ego Marius Robertus Anglim, prael. nullius Coaritanus.
Ego Ioannes Conway McNabb, prael. nullius Chulucanensis.
Ego Nicolaus D'Antonio Salza, prael. nullius Immac. Conc. B. M. V. in Olancho.
Ego Hadrianus Veigle, prael. nullius Borbensis.

Ego Ianuarius Artázcon Lizarraga, adm. ap. de El Petèn.

Ego Paulus Hugentobler, praef. apost. Tsitsiharensis.
Ego Petrus Moretti, praef. apost. Tungchovensis.
Ego Quintinus Pessers, praef. apost. Kiangchovensis.
Ego Matthias Buchholz, praef. apost. Shihtsienensis.
Ego Pacificus Calzolari, praef. apost. Siangtanensis.
Ego Inigo Maximilianus König, praef. apost. Shaovuensis.
Ego Dominicus Desperben, praef. apost. Hainanensis.
Ego Hermenegildus da Losenstein, praef. apost. Khiamuszeensis.
Ego Ioseph Aemilius Malenfant, praef. apost. de Benares-Gorakhpur.
Ego Petrus Maleddu. praef. apost. Hinganfuensis.
Ego Dominicus Ferrara, praef. apost. Mopoiensis.
Ego Eduardus Gabriel Quint, praef. apost. Veihaiveiensis.
Ego Renatus Landru, praef. apost. Gaoensis.
Ego Henricus Vallejo, praef. apost. Tierradentroensis.
Ego Victor Van Beurden, praef. apost. Kolensis.
Ego Eugenius Fahy, praef. apost. Yanchovensis.
Ego Georgius Breen, praef. apost. Haflongensis.
Ego Iacobus Ireland, praef. apost. de Insulis Falkland seu Malvinis.
Ego Albanus de Blackburn, praef. apost. de Jullundur.
Ego Aloisius Dettmer, praef. apost. De Aarensis.
Ego Heribertus Correa Yepes, praef. apost. Mituensis.
Ego Clarentius Iacobus Duhart, praef. apost. Udonthanensis.
Ego Theophilus Albertus Cadoux, praef. apost. Kaolackensis.
Ego Ioseph a Iesu Arango, praef. apost. Guapiensis.

Ego Felix Erviti, praef. apost. de Sahara Hispaniae et Ifni.
Ego Emmanuel Gomez Frande, praef. apost. S. Michaelis de Sucumbios.
Ego Urbanus McGarry, praef. apost. Bhagalpurensis.
Ego Ioannes Giordani, praef. apost. Paciensis in California Inferiori.
Ego Villelmus Van den Elzen, praef. apost. Dorumaensis.
Ego Attilius Previtali, praef. apost. Misuratensis.
Ego Ioannes Coudray, praef. apost. Kankanensis.
Ego Firminus Schmidt, praef. apost. Mendiensis.
Ego Urbanus Murphy, praef. apost. Bechuanalandensis.
Ego Rupertus Hillerich, praef. apost. Solwenziensis.
Ego Ioannes de Deo Campuzano, praef. apost. Galapagensis.
Ego Villelmus Mahony, praef. apost. Ilorinensis.
Ego Gerardus Ioseph Deschamps, praef. apost. Daruensis.
Ego Hermannus Gerardus Te Riele, praef. apost. Malakalensis.
Ego Edvinus Kinch, praef. apost. Ingwavumensis.
Ego Ioannes Thomas Durkin, praef. apost. de Louis Trichardt.
Ego Ioannes Boerkamp, praef. apost. Kashmirensis et Jammuensis.
Ego Antonius de Hornedo Correa, praef. apost. S. Francisci Xaverii.
Ego Ioseph Landreau, praef. apost. S. Ludovici Senegalensis.
Ego Ioannes Ferreira, praef. apost. Guineae Lusitanae.
Ego Angelus Romaniello, praef. apost. Kweilinensis.
Ego Henricus Hubertus Wintermolen, praef. apost. Samensis.
Ego Iesus Coronado Caro, praef. apost. Ariariensis.
Ego Ioannes Wendner, praef. apost. Raipurensis.
Ego Colin Davies, praef. apost. de Ngong.
Ego Alfonsus Cuypers, praef. apost. de Vichada.
Ego Gerardus Legeland, praef. apost. Veetebulaensis.
Ego Paschalis Sweeney, praef. apost. Vanimo.
Ego Iacobus Timotheus Cotter, praef. apost. Maiduguriensis.
Ego Ioseph Kantzian, ordinarius Armenorum Graeciae.
Ego Ianuarius Paul, ordinarius Chandaensis.

Ego Ioseph Soetemans, abbas gen. Congr. Ss.mi Salvatoris Lateranensis.
Ego Gebardus Koberger, abbas gen. Congr. Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensium Austriaca.
Ego Angelinus Lovey, praep. gen. Congr. Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis.
Ego Norbertus Calmels, abbas gen. O. Praem.
Ego Villelmus Van Hees, magister gen. O.S.Cr.
Ego Christophorus Butler, praeses Congr. Angliae O.S.B.
Ego Basilius Niederberger, praeses Congr. Helveticae O.S.B.
Ego Ioannes Hoeck, praeses Congr. Bavaricae O.S.B.
Ego Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.
Ego Dionysius Strittmatter, praeses Congr. Americanae Cassinensis O.S.B.
Ego Benedictus Reetz, praeses Congr. Beuronensis O.S.B.
Ego Petrus Caelestinus Gusi, abbas gen. Congr. Sublacensis O.S.B.
Ego Gilbertus Hess, praeses Congr. Helveto-Americanae O.S.B.
Ego Maurus Riha, praeses Congr. Austriacae ab Immaculata Conceptione.
Ego Henricus Brechter, archiabbas Congr. Ottilensis O.S.B.

Ego Godefridus Dayez, praeses Congr. Belgicae ab Annuntiatione B.M.V.
Ego Maurus Verzich, praeses Congr. Slavae S. Adalberti.
Ego Aliprandus Catani, prior gen. Congr. Monachorum Eremitarum Camaldulensium O.S.B.
Ego Marianus Oscoz, maior Congr. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae.
Ego Alphonsus Salvini, abbas gen. Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.
Ego Leo Cornelli, abbas gen. Congr. Silvestrinae O.S.B.
Ego Hemaiagh Ghedigian, abb. gen. Melch. Venet.
Ego Sighardus Kleiner, abbas gen. S. Ord. Cist.
Ego Carolus Braunstorfer, abbas praeses Congr. Austriacae S. Ord. Cist.
Ego Theobaldus Moscatelli, abbas praeses Congr. S. Bernardi Italiae S. Ord. Cist.
Ego Ioannes Van Engelen, abbas praeses Congr. Belgicae S. Ord. Cist.
Ego Bernardus De Terris, abb. praeses Congr. Senanquensis S. Ord. Cist.
Ego Nivardus Buttarazzi, abbas praeses Congr. Casamari S. Ord. Cist.
Ego Augustinus Ciesielski, abbas praeses Congr. Poloniae S. Ord. Cist.
Ego Emmanuel Chu-kim-Tuyen, abb. praeses Congr. S. Familiae S. Ord. Cist.
Ego Ignatius Gillet, abb. gen. ord. Cist. Ref.
Ego Rabban Abdul Ahad, Ord. Anton. S. Ormisdae Chald.
Ego Augustinus Sépinski, min. gen. O.F.M.
Ego Basilius Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.
Ego Clemens a Milwaukee, min. gen. O.F.M. Cap.
Ego Ioannes Bocella, min. gen. T.O.R.
Ego Lucianus Rubio, prior gen. O.E.S.A.
Ego Ioseph Torbey, sup. gen. Ordinis Antoniani Libanensis Maronitarum.
Ego Maroun Harika, sup. gen. Ordinis Antoniani S. Isaiae Maronitarum.
Ego Athanasius Welyckj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat.
Ego Saba Youakim, sup. gen. Ordinis Basiliani Ss.mi Salvatoris Melkitarum.
Ego Athanasius Hage, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis B. Melkitarum.
Ego Hilarius Capucci, sup. gen. Ordinis Basiliani Aleppini.
Ego Anicetus Fernandez Alonso, mag. gen. O.P.
Ego Angelus Almárcegui, prior gen. O.R.S.A.
Ego Raimundus Gabriel M. a Ss.mo Sacramento, prior gen. Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini.
Ego Kilianus Healy, prior gen. O. Carm.
Ego Anastasius a SS. Rosario, praep. gen. O.C.D.
Ego Michael a Iesu, min. gen. Ordinis Ss.mae Trinitatis redemptionis captivorum.
Ego Bernardus Navarro Allende, mag. gen. O. de M.
Ego Alphonsus M. Montá, prior gen. O.S.M.
Ego Franciscus Savarese, corrector gen. Ord. Minimorum.
Ego Marianus Tumler, Magister Superior Ord. Teutonici.
Ego Iulianus Adrover, praep. gen. Ordinis Theatinorum.
Ego Ioannes Bernasconi, praep. gen. Congr. Barnabitarum.
Ego Ioannes Swain, vic. gen. S.I.
Ego Ioseph Boeris, praep. gen. Ordinis C.R.S.
Ego Carolus Mansfeld, praef. gen. Ordinis Min. Inf.
Ego Florillus Piersanti, praep. gen. CC.RR.MM.
Ego Aloisius De Santis, rector gen. O.M.D.
Ego Vincentius Tomek, praep. gen. Sch. P.

Ego Theodorus Foley, praep. gen. C.P.
Ego Villelmus Gaudreau, rector maior C.SS.R.
Ego Henricus Systermans, sup. gen. SS.CC.
Ego Ioseph Buckley, praep. gen. S.M.
Ego Cornelius Heiligers, sup. gen. S.M.M.
Ego Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I.
Ego Leonardus Carrieri, sup. gen. M.SS.CC.
Ego Paulus Ioseph Hoffer, sup. gen. S.M.
Ego Ioannes Gaddo, praep. gen. I.C.
Ego Germanus M. Lalande, sup. gen. C.S.C.
Ego Vilfridus Ioseph Dufault, sup. gen. A.A.
Ego Rolandus Huot, sup. gen. S.S.S.
Ego Petrus Schweiger, sup. gen. C.M.F.
Ego Renatus Ziggiotti, rector maior Societatis S. Francisci Salesii.
Ego Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C.
Ego Villelmus Buckley, sup. gen. O.S.F.S.
Ego Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D.
Ego Villelmus Slattery, sup. gen. C.M.
Ego Mauritius Quéguiner, sup. gen. M.E.P.
Ego Villelmus Möhler, rector gen. S.A.C.
Ego Leo Volker, sup. gen. P.A.
Ego Henricus Mondé, sup. gen. S.M.A.
Ego Conradus Blanchet, sup. gen. M.S.
Ego Ioseph Antonius De Palma, sup. gen. S.C.I.
Ego Gaetanus Briani, sup. gen. F.S.C.I.
Ego Omer Degrijse, sup. gen. C.I.C.M.
Ego Bonaventura Schweizer, sup. gen. S.D.S.
Ego Dominicus Fiorina, sup. gen. I.M.C.
Ego Henricus Bliestle, sup. gen. M.S.F.
Ego Ioseph Zambarbieri, dir. gen. Don Orione.
Ego Iacobus Kielt, sup. gen. Soc. S. Colombani.

PROCURATORES *

✠ Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae (Adam Hefter, arch. tit. Maximianopolitanus in Rhodope).
✠ Michael Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Franciscus Orozco Lomelin, ep. tit. Vitensis).
✠ Michael Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Ioseph Villalón Mercado, ep. tit. Hermianensis).
✠ Humbertus Malchiodi, arch. ep. Placentinus (Caietanus Malchiodi, ep. tit. Amasenus).
✠ Constantinus Stella, arch. Aquilanus (Emmanuel da Silveira d'Elboux, arch. Curitibensis).
✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Felix Roeder, ep. tit. Anthedonensis).

* Intra uncos refertur nomen Patris, qui repraesentatur.

✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Augustus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina).
✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Raimundus Henricus Martin, praef. ap. Insularum S. Petri et Miquelonensis).
✠ Patricius M. O'Donnell, arch. tit. Pelusiotanus (Iacobus Duhig, arch. Brisbanensis).
✠ Ioannes Kodwo Amissah, arch. Littoris Capitis (Ioseph Bowers, ep. Accraensis).
✠ Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis (Ioannes Ioseph Diaz Plata, prael. Bertraniae in Catatumbo).
✠ Petrus Palazzini, arch. tit. Caesariensis in Cappadocia (Adulfus Servandus Tortolo, arch. Paranensis).
✠ Gasto Mojaisky-Perelli, arch. ep. Nusanus (Christophorus Dominicus Carullo, arch. Composanus).
✠ Gasto Majaisky-Perelli, arch. ep. Nusanus (Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Almirus Marques Ferreira, ep. Fertiliensis).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Ioseph Andreas Coimbra, ep. Patensis).
✠ Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus (Ioseph Mauritius da Rocha, ep. Brigantiensis in Brasilia).
✠ Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis (Petrus Francis, ep. tit. Arabissenus).
✠ Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis (Maximilianus de Fürstenberg, arch. tit. Paltenus).
✠ Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis (Andreas Leclerc, ep. tit. Haephestiensis).
✠ Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauropolitanus (Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis).
✠ Ioseph Varano, ep. Jaboticaballensis (Lafayette Libânio, ep. Riopretensis).
✠ Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis (Robertus Constantinus Lagae, ep. tit. Tricca).
✠ Ioannes Beniaminus Grellinger, ep. tit. Siene (Stanislaus Vincentius Bona, ep. Sinus Viridis).
✠ Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis (Ioannes Angelus Poli, ep. tit. Pertensis).
✠ Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis (Iacobus Michael Liston, ep. Aucopolitanus).
✠ Leonardus Cowley, ep. tit. Pertusiensis (Leo Binz, arch. S. Pauli de Minnesota).
✠ Henricus Mazerat, ep. Andegavensis (Augustus Ioseph Gaudel, ep. tit. Nisyensis).
✠ Petrus Moors, ep. Ruremondensis (Ioannes Jobst, ep. tit. Pitanaeus).
✠ Georgius Jacquot, ep. Vapicensis (Augustus Bonnabel, ep. tit. Zuritanus).
✠ Constantius Micci, ep. Larinensis (Alexander Durán Moreira, ep. S. Caroli Ancudiae).
✠ Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus (Ioannes M. Jan, ep. tit. Edistianensis).

✠ Villelmus Sedlmeier, ep. tit. Aulonitanus (Ioannes Ruth, ep. tit. Amudarsensis).
✠ Primus Gasbarri, ep. tit. Thenessensis (Clemens card. Micara, ep. Veliternus).
✠ Ioannes Theodorus Senner, ep. Cochabambensis (Petrus Franciscus Luna, ep. tit. Titoiolitanus).
✠ Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyalpurensis (Aloisius Ludovicus Scheerer, ep. Multanensis).
✠ Carolus Zinato, ep. Vicentinus (Octavius La Liva, arch. tit. Heliopolitanus in Phaenicia).
✠ Ioseph Dell'Omo, ep. Aquensis (Maurilius card. Fossati, arch. Taurinensis).
✠ Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán (Alfonsus Höfer Hombach, ep. tit. Thebanus in Phthiotide).
✠ Andreas Van den Broek, ep. Parakuensis (Ioseph Geraldus Holland, ep. tit. Cynopolitanus in Aegypto).
✠ Ioannes Carolus McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis (Ioseph M. Yuen Ching Ping, ep. Ciumatiensis).
✠ Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus (Anastasius Hurtado y Robles, ep. Tepicensis).
✠ Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus (Emmanuel Hieronymus Gerena y Camarena, ep. tit. Bosetanus).
✠ Alfonsus Sánchez Tinico, ep. Papantlensis (Ioseph a Iesu Sahagún de la Parra, ep. Tullanus).
✠ Alphonsus Sánchez Tinico, ep. Papantlensis (Ioseph a Iesu Angulo del Valle y Navarro, ep. Tabasquensis).
✠ Hugo Poletti, ep. tit. Medolitanus (Paulus Ioseph Schmitt, ep. Metensis).
✠ Alfonsus Niehues, ep. tit. Euraeensis in Epiro (Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus).
✠ Alfonsus Niehues, ep. tit. Euraeensis in Epiro (Daniel Hostin, ep. Lagensis).
✠ Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis (Angelus Calabretta, ep. Nepensis).
✠ Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis (Eduardus Larrain Cordovez, ep. Rancaguensis).
✠ Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae (Raimundus Ioseph Castellano, arch. Cordubensis in Argentina).
✠ Ioseph Ludovicus Andreas Ouellette, ep. tit. Carrhenus (Ioseph Eugenius Limoges, arch.-ep. Montis Laurei).
✠ Raphael Bidawid, ep. Amadiensis (Ioseph Gogué, ep. Basrensis Chaldaeorum).
✠ Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus (Ioseph Arturus Papineau, ep. Joliettensis).
✠ Villelmus Aloisius O'Connor, ep. Campifontis in Illinois (Martinus Dewey McNamara, ep. Joliettensis in Illinois).
✠ Ioseph Alves de Sa' Trindade, ep. Montislarensis (Jacson Beringuer Prado, ep. Fori S. Annae).
✠ Ioseph Alves de Sa' Trindade, ep. Montislarensis (Edilbertus Dinkelborg, ep. Oeirensis).
✠ Isidorus Marcus Emanuel, ep. Spirensis (Augustinus Frotz, ep. tit. Coradensis).
✠ Iulianus Barni, ep. tit. Coracesiotanus (Octavius Ioseph Calderón y Padilla, ep. Matagalpensis).
✠ Iacobus Weinbacher, ep. tit. Thalensis (Franciscus Jachym, arch. tit. Maroneus).

✠ Varnerius Boudreaux, ep. tit. Calyndensis (Mauritius Schexnayder, ep. Lafayettensis).
✠ Michael D'Aversa, ep. tit. Macrensis in Mauritania (Ioannes B. Costa, ep. tit. Scilitanus).
✠ Ioannes Hoffmann, ep. Vestphaleniensis (Claudius Colling, ep. Passofundensis).
✠ Ioseph Guadalupe Padilla Lozano, ep. Verae Crucis (Stanislaus Alcaraz Figueroa, ep. Matamorensis).
✠ Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus (Paulus de Tarso Campos, ep. Caminensis).
✠ Nigellus Farren, ep. Derriensis (Ioannes McGinley, ep. tit. Croensis).
✠ Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculensis (Iacobus Albertus Duffy, ep. tit. Silandensis).
✠ Alexander Manchaca Lira, ep. tit. Pinarensis (Ferdinandus Frias Hurtado, ep. tit. Baretensis).
✠ Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria (Pius Albertus Fariña Fariña, ep. tit. Citharizenus).
✠ Augustus Trujillo Arango, ep. Jericoensis (Antonius Ioseph Jaramillo Tobór, ep. tit. Cotrendensis).
✠ Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirarensis (Expeditus Eduardus de Oliveira, ep. Patosensis).
✠ Vido M. Casullo, ep. tit. Uticensis (Renatus Luisi, ep. Neocastrensis).
✠ Antonius Cardoso Cunha, ep. tit. Barenus in Pisidia (Ioseph Do Patrocinio Dias, ep. Beiensis).
✠ Vincentius de Araujo Matos, ep. Cratensis (Aurelianus Matos, ep. Limoeirensis).
✠ Marius Paré, ep. Chicoutimiensis (Georgius Melançon, arch. tit. Esbonitanus).
✠ Arturus Antonius Szymanski Ramirez, ep. tit. Cerasuntinus (Iesus Villareal y Fierro, ep. S. Andreae de Tuxtla).
✠ Henricus Laurentius Cabrera Urdangarin, ep. Mercedanianus (Quirinus Adolfus Schmitz, ep. Otonipolitanus).
✠ Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessenus (Ioseph Srebrnić, arch.-ep. Veglensis).
✠ Thomas Holland, ep. Salfordiensis (Ioannes Henricus King, ep. Portus Magni).
✠ David Meloney, ep. tit. Ruspensis (Urbanus Ioannes Vehr, arch. Denveriensis).
✠ Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis (Antonius Mendonça Monteiro, ep. Bonfimensis).
✠ Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista (Florentius Sisenius Vieira, ep. Amargosensis).
✠ Clarentius Elwell, ep. tit. Conensis (Ioachim Segedi, ep. tit. Gyspariensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Adolfus Hernández Hurtado, ep. Tapacolensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Alfonsus Toriz Cobián, ep. Queretarensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Ioseph Salazar Lopez, ep. Prusiensis).
✠ Theotonius Amal Ganguly, ep. tit. Olivensis (Laurentius Leo Graner, arch. Dacchensis).
✠ Vido Riobé, ep. Aurelianensis (Robertus Picard de la Vacquerie, arch. Amidenus).

✠ Melchior Ioachim da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis (Emmanuel Nunes Coelho, ep. Luceatinus).
✠ Melchior Ioachim da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis (Ioannes Cavati, ep. tit. Eucarpensis).
✠ Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis (Beniamin Barrera y Reyes, ep. S. Annae).
✠ Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis (Linus Rodrigo Ruesca, ep. Oscensis).

Naeveus Hayes, prael. null. Sicuanensis (Iacobus Carroll, ep. tit. Atencensis).
Clementinus a Vlissingen, min. gen. ofmcap. (Mathhaeus Brans, ep. tit. Cornensis).
Aliprandus Catani, prior gen. Camaldulensium (Matthaeus Aloisius Niedhammer, ep. tit. Caloensis).
Leonardus Carrieri, sup. gen. M.SS.CC. (Michael Sudres, sup. gen. C.S.V.).
Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C. (Leo Scharmach, ep. tit. Mostenensis).
Robertus Sennot (Richardus Iacobus card. Cushing, arch. Bostoniensis).
Abelardus Arias (Michael Angelus Builes, ep. S. Rosae de Osos).
Marinus Dionysius (Aegidius Aloisius Lanzo, ep. Salutiarum).
Ioannes B. Sheerin (Ioseph Aloisius Durick, ep. tit. Cerbalitanus).
Petrus Abellan (Zeno Aramburu, ep. Uhuvensis).
Ioannes M. Salgredo (Ioannes Ludovicus Collignon, ep. Caiesensis).
Iacobus Hickey (Stephanus Woznicki, ep. Saginavensis).
Thomas Tobin (Eduardus Howard, arch. Portlandensis in Oregon).
Aloisius Sfeir (Genadius Adem, abb. sup. gen. Ord. Alepp. Maronitarum).
Iulius Magyari (Georgius Kilianus Pflaum, ep. tit. Izirianensis).
P. Hermes Peeters ofm (Prosper Durand, ep. tit. Girensis).
Ioseph Guérin (Ioannes B. Boivin, arch. tit. Viminiacensis).
R. Raphael Pérez Gonzalez OESA (Gerardus Herreo Garrote, ep. Ciamteanus).
Antonius Wouters (Ioannes van Sambeek, ep. tit. Traculensis).
P. Ianuarius Fernandez ORSA (Nicasius Balina y Melero, ep. tit. Cybistiensis).
Lucianus Anné (Anscharius Joliet, ep. tit. Constantiensis in Arabia).
D. Stephanus Pedica OSB (Bernardus Regno, ep. tit. Bagaiensis).

6

Allocutio Summi Pontificis *

Venerabiles Fratres,

Post duos menses, navitate et fraterna opera plenos, Deo gratias agamus pro felici huius Concilii Oecumenici Vaticani secundi celebratione, cuius laboriosae tertiae Sessioni hoc sollemni et sacro coetu finem imponimus. Oh, revera officio devincimur Deo animos nostros beneficii memores et laetantes significandi, eo quod nobis singulari munere suo concessit, ut huic eventui historia digno et provido interessemus, immo ut nos ipsi, humiliter

* *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 1007-1018.

feliciterque primas partes agentes, vim, significationem, plenitudinem eidem tribueremus. Oh, profecto oportet quasi ad nos dicta audiamus haec verba Domini: « Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestrae quia audiunt! ».[1] En, obversatur ante mentis nostrae oculos Sancta Ecclesia Dei, quae a Pastoribus repraesentatur, quibus proprii greges adhaerent; quae quidem Ecclesia divinitus, Nostrae vocis ope, simul est congregata. En Hierarchia catholica, cuius est populum sanctum Dei instituere et regere; ea huc in unam sedem convenit, uno animi sensu conspirans, una precatione, una fide, una caritate, quae est in ore et in pectore; ecce, incomparabilis hic coetus, quem admirari numquam desinimus, nec umquam poterimus oblivisci, utpote qui nitatur ad gloriam Patris et Filii et Spiritus Sancti, et intentus sit praecelso nuntio Revelationis commemorando eiusque verae et intimae significationi perscrutandae; ecce, homines in unum congregati, a studio propriae utilitatis vanarumque rerum ut nemo alius alieni; ut nemo alius eo contendentes, ut testimonium praebeant divinae veritati; homines, infirmi quidem et ab errore non immunes, sed persuasum habentes se posse veritates enuntiare, quae nullo modo queant in controversiam vocari aut finem capere; homines, dicimus, huius aetatis et huius terrae filii, sed supra tempus ac terram elati, ut onera fratrum suorum umeris suis accipiant, utque eos perducant ad spiritualem salutem; homines, praediti se plane devovendi voluntate, inflammati amore, qui amplior est quam ipsi animi in quibus ardet, nisu impulsi qui forsitan temerarius esse videatur, sed qui coniungitur cum fiducia tranquilla, ut in sensum vitae humanae et historiae inquirant iisque tribuant vim, magnitudinem, pulchritudinem, unitatem in Christo; in Christo Domino tantum! Haec admirationem movent, Venerabiles Fratres, qui hic adestis praesentes; haec admirationem movent, homines, qui foris versantes nos contuemini. Poterimusne umquam videre spectaculum maius, religiosius, aptius ad animos permovendos, sollemnius?

Augetur autem laetitia nostra si extremo hoc tempore Concilii Sessionis, cuius finem facturi sumus, obiter in memoriam revocamus argumenta, de quibus est disceptatum ac denique constitutum: pertractata est enim doctrina de Ecclesia atque exposita: ita opus Concilii Oecumenici Vaticani primi est completum, quod pertinet ad doctrinam; exploratum est mysterium Ecclesiae et consilium divinum de primariis eius institutis.

Iterum dicimus: Deo gratias agamus pro felici hoc exitu et merito patiamur pectora nostra gaudio perfundi: in posterum enim facilius intellegemus mentem divinam, quod attinet ad mysticum Corpus Christi, atque ex hac cognitione normas clariores certioresque quoad vitam Ecclesiae poterimus haurire, item maiores vires, quibus indesinenter eius conatus adiuvemus ut homines ad salutem adducantur, et ampliorem spem circa progressum regni Christi in mundo. Itaque, benedicamus Domino!

---

[1] *Mt.* 13, 16.

Longum est disserere de opere patrato: de studio pio et acri, eo pertinente ut illud cum veritate, quae in Sacris Bibliis continetur, et cum germana traditione Ecclesiae plane congrueret; de labore ideo suscepto, ut intima vis et primaria veritas iuris constitutivi Ecclesiae ipsius invenirentur, ut discerneretur inter id quod est immobile et certum, et id quod e principiis naturali et legitima progressione deducitur; de studio denique quaquaversus in sua luce ponendi Ecclesiae mysterium, ita ut congrua ratione illustretur vita Corporis Christi mystici, quoad omnes suas partes, quoad omnia sua munera, quoad omnes fines ipsi assequendos.

Attamen caput maxime arduum atque memorandum peracti huiusmodi spiritualis laboris illud profecto est, quod ad doctrinam de Episcopatu spectat; quare de hoc tantum capite liceat nunc Nobis paucis exponere, quid sentiamus.

Hoc unum fateri volumus: Nobis scilicet admodum placuisse, quod doctrina huiusmodi sat ampla studiorum disceptationumque copia, nec minore conclusionum perspicuitate pertractata sit. Necessarium sane hoc erat, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum primum compleretur. Tempus etiam opportunum advenerat; id ipsum sane postulabant sive magna incrementa quae aetate hac nostra theologica studia susceperunt, sive Catholicae Ecclesiae in terrarum orbe propagatio, sive quaestiones ab Ecclesia solvendae propositae, quae e cotidiano pastoralis navitatis usu oriuntur, sive denique plurimorum Episcoporum vota, qui doctrinae explicationem, quae ad eos pertinet, exspectabant. Congruebat denique ratio ad id faciendum adhibita; ita quidem ut minime dubitemus — ratione habita explicationum quae additae sunt sive ad verba usurpata interpretanda, sive ad vim theologicam doctrinae propositae tribuendam secundum Concilii mentem — minime dubitemus, dicimus, auxiliante Deo, hanc de Ecclesia Constitutionem promulgare.

Huius vero promulgationis potissimum commentarium illud esse videtur, quod per eam doctrina tradita nullo modo immutata est. Quod Christus voluit, id ipsum nosmetipsi volumus. Quod erat, permansit. Quae volventibus saeculis Ecclesia docuit, eadem et nos docemus. Tantummodo, id quod antea solum vitae actione continebatur, nunc aperta etiam doctrina exprimitur; quod usque adhuc considerationi, disputationi, atque ex parte etiam controversiis obnoxium erat, in certam doctrinae formulam nunc redactum est. Fateri sane possumus, ex providentis Dei consilio splendidissimam horam illuxisse nobis: horam dicimus, cuius adventus heri lente procedebat, cuius fulgor hodie renidet, cuius salutifera virtus cras novis doctrinae incrementis, auctioribus viribus, aptioribus institutis Ecclesiae vitam certe locupletabit.

Id quoque animadvertere iuvat, honorem nempe, qui per hanc Constitutionem populo Dei attribuitur. Nihil enim iucundius Nobis accidere potest, quam cernere sollemniter agnitam dignitatem omnium nostrorum Fratrum nostrorumque Filiorum, ex quibus plebs sancta coalescit; quandoquidem ad eius vocationem, ad eius sanctificationem, ad eius regimen, ad eius sempiternam salutem totum spectat sacrae Hierarchiae ministerium, tamquam ad

suum finem. Nec minore Nos afficiunt solacio ea quae per hanc Constitutionem de Nostris in Episcopatu Fratribus statuuntur. Oh quam gaudemus, cum animadvertamus, ipsorum dignitatem sollemniter declarari, munera celebrari, potestatem agnosci! Oh quam impensas grates Deo persolvimus, quod feliciter contigit, ut Nosmetipsi sacram ministerii vestri dignitatem vestrique plenitudinem sacerdotii honore debito exornaremus, itemque mutuae necessitudinis vincula declararemus, quae inter Nos et vos, Venerabiles ac dilecti Fratres, intercedunt.

Id quoque non sine pietatis affectu considerare placuit, quod munus primarium, singulare, universale, quod Christus Dominus Petro contulit et ad ipsius successores, hoc est Romanos Pontifices, transmittitur — cuius quidem partes officii hodie Nos licet immerentes sustinemus — hoc munus, dicimus, in sollemni Documento, a Nobis iam iam promulgato fuse ac saepe agnoscitur eique reverentia tribuitur. Id Nobis non placere non potest; at non propter dignitatem quae exinde in Nos recidat, cum Nos tantum officium reformidemus potius quam cupide teneamus; sed verius propter honorem verbis Christi exhibitum, propter rursus confirmatam concordiam cum sacra traditione et Ecclesiae magisterio, ac denique propter sancitam tutelam sive ipsius Ecclesiae unitatis, sive etiam cohaerentis atque efficacis actionis, quae in Ecclesiae regimine in tuto est omnino ponenda. Summopere autem intererat, has Summi Pontificatus praerogativas tunc aperte ac definite agnosci, cum solvenda erat quaestio de auctoritate episcopali in Ecclesia; ita quidem ut talis auctoritas videretur nullo modo adversari, sed plane congruere potestati Vicarii Christi et Capitis collegii episcopalis, secundum ius Ecclesiae constitutivum.

Per hanc igitur arctam et in ipsa rei natura positam coniunctionem, Episcopatus efficitur quoddam unum inter se cohaerens corpus, habens in Episcopo, Beati Petri Successore, non diversam neque externam potestatem, sed contra suum caput et veluti centrum; quo Nos ipsi impellimur, ut sollicito studio vestra iura una cum Nostris praedicemus, atque de eorum incrementis gaudeamus, eorum vindicemus praestantiam, et iis aeque ac Nostris cumulum perfectionemque afferamus.

Hac igitur ratione episcopali officio suam plenam agnoscentes vim atque efficacitatem, animadvertimus fidei, caritatis, suscepti oneris et mutuae adiutricis operae communionem circa Nos augeri. Dum ergo vestram agnoscimus et extollimus auctoritatem, minime timemus, ne minuatur vel impediatur Nostra; immo Nos validiores fieri sentimus, ob animorum coniunctionem, per quam fratres efficimur; item magis idoneos Nos evadere scimus universae regendae Ecclesiae, cum probe noverimus unumquemque vestrum ad idem consilium assequendum conspirare; confidentiores denique Iesu Christi adiumentis Nos fieri sentimus, cum omnes inter nos arctius in eius nomine sociemur, atque coniungi in posterum cupiamus.

Quosnam vero effectus huiusmodi doctrinae explanatio re et usu consecutura sit, haud facile nunc conspicitur; sed haud difficile provideri potest,

fore ut ea ferax omnino sit spiritualium pervestigationum et canonicorum institutorum. Oecumenicum Concilium proxima quarta Sessione concludetur. Ut autem eius decreta ad effectum deducantur, complures Commissiones *post-conciliares* instituendae erunt, in quibus moderandis plane oportebit, ut Episcopatus suam adiutricem operam praestet. Item eo consilio moti, ut generalis momenti negotia componamus, quae huius nostri temporis veluti propria nota sunt, et continenter exoriuntur, Nos paratiores usque erimus quosdam ex vobis deligendos, Venerabiles Fratres, certis temporibus arcessere atque ad deliberationem adhibere, ne Nobis vestrae praesentiae solacium, vestrae prudentiae ac rerum usus auxilium, vestri consilii munimentum, vestrae auctoritatis suffragium desit; hoc utiliter etiam fiet eo quod Curia Romana in novam formam redigenda, cui rei diligenter studetur, experientia uti poterit Pastorum dioecesium; atque ita officia sua, quae iam efficacitate pollent ob fidele ministerium, ad absolutionem perfectionemque perducet ope Praesulum, e variis regionibus oriundorum et adiumentum sapientiae suae et caritatis afferentium.

Quod ad rem et usum attinet, adauctus studiorum ac deliberationum numerus aliqua fortasse laborabit difficultate, quandoquidem multorum agendi ratio maiora habet impedimenta quam singulorum. Si autem id Ecclesiae indoli simul monarchicae et hierarchicae aptius respondet, idque per adiutricem vestram praestitam operam labores Nostros magis allevat, prudentia et caritate difficultates evincamus, quae ad implicatiorem huiusmodi ecclesiastici regiminis disciplinam suapte natura attinent.

Nobis sperare placet fore ut ex doctrina de Ecclesiae mysterio, quam Concilium Vaticanum secundum illustravit atque enuntiavit, iam nunc bona multa in hominum animos, praesertim catholicorum, proficiscantur, ut videlicet christifideles omnes verum Sponsae Christi vultum planius delineatum et ostensum videant; ut suae matris et magistrae videant pulchritudinem; ut videant simplicitatem et maiestatem venerabilis huius instituti; ut hoc quasi miraculum suspiciant historicae fidei, praeclarae vitae socialis, et latarum legum optimarum, itemque signum quoddam continuos progressus indicans: in quo divina et humana pars conexae copulantur, ut exinde in hominum, in Iesum credentium, societate consilium Incarnationis et Redemptionis luculenter appareat: ut scilicet, de S. Augustini sententia, Christus totus appareat, Salvator noster.

De quo iucundissimo spectaculo imprimis laetitia exsultent, qui unice et constanter christianam perfectionem profitentur, Religiosos viros ac mulieres dicimus, qui Ecclesiae sunt membra optima, generosi defensores, filii carissimi.

Sed de eodem spectaculo gaudeant oportet ii etiam ex Nostris Fratribus et Filiis, qui in territoriis degunt vitam, ubi etiam nunc iusta et digna religionis profitendae libertas, vel omnino recusatur, vel eatenus imminuitur, ut eos in Ecclesia ascribere opus sit, quam vel *a silentio* vel *a lacrimis* appellare debeamus. Item ipsi de magnifica doctrina delectentur, Ecclesiam collustrante, quam ab ipsis toleratae aegritudines ab ipsisque praebita fides splen-

dide testificantur. Qui haec faciunt, gloriam nanciscuntur maximam, cum Christo nempe similem, humanae Redemptionis victima.

In spem praeterea erigimur fore ut eandem Ecclesiae doctrinam aequo benevolentique animo perpendant in Christo fratres, qui etiam nunc a nobis seiuncti sunt. Oh quam velimus, ut ea doctrina, explicationibus completa, in schemate *de Oecumenismo* comprehensis, quod hoc Concilium pariter probavit, eorum animos, quasi amoris fermentum quoddam, excitet ad sua consilia, et ad sua proposita ita recognoscenda, ut ii magis magisque ad communionem nostram admoveantur, atque tandem, Deo donante, in hac nobiscum sint pares. Interea autem nos, ipsa doctrina perculsi, summa cum mentium nostrarum laetitia animadvertimus, Ecclesiam, dum suae figurae lineamenta tradit, suae caritatis fines nequaquam contrahere, sed magis prorogare, neque suae catholicitatis, quam vocant, multiplicem motum reprimere, quae semper progreditur, semperque invitat. Quo loco, ut nobis liceat rogamus, Observatoribus, qui hic Ecclesiarum vel christianarum confessionum, a Nobis disiunctarum, legati sunt, tum reverenter salutem dicere, tum gratam voluntatem testari, quod Congregationibus Conciliaribus interesse voluerunt, tum pro illorum prosperitate vota suscipere.

Denique voluntas Nobis esset, ut sacra Ecclesiae doctrina profanum etiam saeculum, in quo ipsa vivit et a quo saepta continetur, aliquo iucundae suae lucis repercussu illuminaret: ea enim sicut illud signum elevatum in nationibus [2] se praebeat oportet, ut omnes in itinere ad veritatem et ad vitam consequendam tuto dirigat. Sicut enim omnibus patet, huius doctrinae explicatio, dum ad severam sacrae theologiae rationem et viam se fideliter accommodat, quae ipsam probat atque praedicat, ea tamen humanum genus non obliviscitur: humanum genus dicimus, quod vel ad Ecclesiam confluit, vel historica et socialia rerum locorumque adiuncta efficit, in quibus ipsa divino suo munere fungitur. Ecclesia humani generis causa constituta est. Ecclesia nullam aliam terrenam auctoritatem sibi vindicat, quam eam, quae ipsi permittit, ut hominibus inserviat eosque diligat.

Ecclesia sancta, dum suum sentiendi modum atque suam compagem ad perfectionem adducit, non sese ab usu et consuetudine secernit hominum, quibuscum vivit, sed eo potius spectat, ut eos melius intellegat, eorum angustias et legitima optata participet, eorum conamina sustentet, ad assequendam prosperitatem, libertatem et pacem suscepta.

Huiusmodi autem institutum sermonem in extremo Concilio plane continuabimus, cum scilicet schema « De libertate religiosa », quod tantum ob temporis defectum, sub exitum huius Sessionis, pertractari non potuit, itemque aliud schema « De Ecclesia in mundo huius temporis » — quod Concilii operi veluti sertum imponet, quodque in hac Sessione iam breviter perstrictum est — in proxima et ultima Sessione omni ex parte explicata erunt.

---

[2] Cf. *Is.* 5, 26.

Quibus dictis, antequam verbis hisce Nostris finem imponimus, alia proposita res cogitationem Nostram suaviter tangit.

Scilicet, Venerabiles Fratres, facere non possumus quin cogitationem convertamus, animo quidem sincero et grato, ut filios addecet, etiam ad Beatissimam Virginem Mariam, ad Eam scilicet, quam libenter habemus tutricem huius Concilii, testem laborum nostrorum, consiliatricem amabilissimam; eius enim et Sancti Ioseph patrocinio caelesti ab initio coetus Concilii crediti sunt.[3]

Hac eadem ducti mente Almam Deiparam anno praeterito communi excoluimus obsequio, in Liberiana Basilica congregati ad venerandam imaginem, cui hoc gloriosum nomen adiectum est: « Salus Populi Romani ».

Hoc vero anno honor, quem Concilium eidem adhibere cupit, multo magnificentior est ac significantior: etenim hac Constitutione de Ecclesia hodie promulgata, cuius veluti fastigium est totum caput de Beata Maria Virgine agens, iure affirmare nobis licet hanc Sessionem finem capere veluti quodam hymno incomparabili, quo laudes Deiparae Virginis celebrentur.

Primum enim factum est — quod enuntiantes animo penitus commovemur — ut Concilium aliquod Oecumenicum ad unum quasi ac tam amplum corpus redigeret doctrinam catholicam circa locum Beatae Mariae Virgini in mysterio Christi et Ecclesiae tribuendum.

Id plane congruit cum iis, quae huic Concilio sunt proposita, utpote quod ostendere studeat vultum sanctae Ecclesiae, cui Dei Genetrix est arcte iuncta et cuius est, ut quidam egregie dixit, « portio maxima, portio optima, portio praecipua, portio electissima ».[4]

Ecclesia enim ipsa non efficitur tantum ordine suo hierarchico, sacra liturgia, sacramentis, compage institutorum suorum; sed intima eius vis et proprietas, fons praecipuus efficacitatis, qua homines sanctificat, posita sunt in mystica eius coniunctione cum Christo; quam quidem coniunctionem censere non possumus abstractam ab Ea, quae est Mater Verbi Incarnati, et quam Christus ipse sibi intime sociavit ad nostram salutem procurandam.

Itaque Ecclesiam ipsam intuentes, oportet amanti animo contemplemur mirabilia, quae Deus in Sancta Matre sua est operatus. Atque cognitio verae doctrinae catholicae de Beata Maria Virgine semper subsidium erit efficax ad recte intellegendum mysterium Christi et Ecclesiae.

Has arctas rationes considerantes, quibus Maria et Ecclesia inter se coniunguntur, quaeque in hac Constitutione Concilii tam dilucide sunt expositae, eaedem Nobis suadent, ut hoc temporis momentum sollemnissimum et maxime opportunum esse ducamus ad votum implendum, quod in praeteritae Sessionis fine significavimus et permulti Patres itidem susceperunt, instanter rogantes, ut inter hoc Concilium expressis verbis munus maternum annuntiaretur, quod Beata Maria Virgo in christiano populo gerit. Hac de causa

---

[3] Cf. *A.A.S.*, 53 (1961), p. 37 s., 211 ss.; 54 (1962), p. 727.

[4] Rupertus, in *Apoc.* I, VII, c. 12: *PL* 169, 1043.

expedire Nobis videtur, ut in hoc ipso publico coetu rite titulum inducamus, quo Beata Maria Virgo honoretur, qui a variis orbis catholici partibus postulatus est, Nobisque peculiari modo acceptus gratusque; siquidem mirabili quadam brevitate eximium locum exprimit, quem Deiparae in Ecclesia proprium esse hoc Concilium agnovit.

Igitur ad Beatae Virginis gloriam ad nostrumque solacium, Mariam Sanctissimam declaramus Matrem Ecclesiae, hoc est totius populi christiani, tam fidelium quam Pastorum, qui eam Matrem amantissimam appellant; ac statuimus ut suavissimo hoc nomine iam nunc universus christianus populus magis adhuc honorem Deiparae tribuat eique supplicationes adhibeat.

De appellatione agitur, Venerabiles Fratres, christianorum pietati haud insueta; quin immo hoc potissimum Matris nomine christifideles et Ecclesia universa Mariam invocare praeoptant. Hoc revera nomen ad germanam Marianae pietatis rationem pertinet, cum in dignitate ipsa, qua Maria utpote Mater Verbi Dei Incarnati praedita est, firmiter innitatur.

Sicut enim divina Maternitas causa est, cur Maria singulares prorsus cum Christo rationes habeat eademque praesens adsit in humanae salutis opere a Christo Iesu peracto, ita pariter e divina Maternitate praesertim eae profluunt rationes, quae inter Mariam et Ecclesiam intercedunt; quandoquidem Maria Mater Christi est, qui statim ac in ipsius virginali utero humanam naturam assumpsit, sibi ut Capiti adiunxit Corpus suum mysticum, quod est Ecclesia. Maria igitur, utpote Mater Christi, Mater etiam fidelium ac Pastorum omnium, scilicet Ecclesiae, habenda est.

Hinc causa est, cur nos, licet indignos, licet debiles, nihilominus fidenti animo filiorumque amore flagrantes ad Eam oculos attollamus. Quae olim Iesum, supernae gratiae fontem, nobis donavit, ipsa maternam suam opem Ecclesiae non afferre non potest, hoc praesertim tempore, quo Christi Sponsa alacriore studio salutiferum suum munus explere contendit.

Ad hanc autem fiduciam magis usque alendam confirmandamque, Nobis suadent arctissima ea vincula, quae inter hanc nostram caelestem Matrem et humanum genus intercedunt. Etsi amplissimis admirandisque donis a Deo cumulata est, ut digna Mater Incarnati Verbi efficeretur, nihilominus Maria proxima nobis est. Sicut nos, et ipsa est Adae filia, ac propterea etiam nostra soror ob communem humanam naturam; quae immunis quidem fuit ab originaria labe ob futura Christi merita, sed divinitus acceptis donis ipsa suae ipsius perfectae fidei exemplum addidit, ita ut evangelicum promereret praeconium: « Beata, quae credidisti ».

In hac mortali vita perfectam Christi discipuli formam expressit, speculum fuit omnium virtutum, atque plene in suos rettulit mores beatitudines illas, quae a Christo Iesu praedicatae fuerunt. Quo fit, ut Ecclesia universa, dum multiformem suam vitam actuosamque suam navitatem explicat, a Deipara Virgine absolutissimum exemplum sumat, quo perfecte Christum imitari oporteat.

Quare, post Constitutionem de Ecclesia rite promulgatam, cui quidem,

Mariam omnium fidelium et Pastorum seu Ecclesiae Matrem declarando, veluti fastigium imposuimus, fore omnino confidimus, ut christianus populus maiore spe ac ferventiore studio invocet Beatissimam Virginem, eique cultum et honorem debitum exhibeat.

Ad nos quod attinet, quemadmodum Decessoris Nostri Ioannis XXIII exhortationi obtemperantes, primum in hanc Concilii aulam convenimus una « cum Maria, Matre Iesu », ita pariter in sanctissimo suavissimoque nomine Mariae, Ecclesiae Matris, ab hoc templo discedamus.

Ad testandum autem gratum memoremque animum ob maternam opem nobis a Maria benigne praestitam per huius Sessionis decursum, unusquisque vestrum, Venerabiles Fratres, studeat Mariae nomen et honorem apud christianum populum impensius extollere, eiusque exemplum ad imitandum proponat, quoad fidem, quoad obsequium cuilibet caelestis gratiae impulsioni prompte praestandum, quoad vitam denique Christi praeceptis caritatisque afflatu penitus conformandam; ita quidem ut fideles universi, inter se communis Matris nomine coniuncti, sese sentiant magis magisque firmos in fide profitenda atque in Christo Iesu assectando, atque simul ardentiore caritate ferveant erga fratres, promovendo pauperum amorem, iustitiae studium et pacis tutelam. Quemadmodum iam magnus Sanctus Ambrosius egregie admonebat, *sit in singulis Mariae anima ut magnificet Dominum; sit in singulis spiritus Mariae ut exsultet in Deo.*[5]

Praesertim exoptamus ut id praeclara in luce collocetur: scilicet Mariam, humilem Domini ancillam, ad Deum et ad Christum Iesum, unicum Mediatorem Redemptoremque nostrum, totam spectare. Pariterque cupimus, ut perspicue explicetur, qua vera natura polleat, et quorsus intendat cultus Mariae Virgini debitus, in iis potissimum regionibus, ubi plures commorantur seiuncti a nobis fratres, ut, quotquot extra Catholicae Ecclesiae sinum degunt, plane intellegant, pietatem erga Deiparam Virginem non in seipsa consistere, sed subsidium esse censendum, quod suapte natura homines ad Christum perducit, eosque cum Aeterno caelorum Patre, in Sancti Spiritus caritatis vinculo, coniungit.

Dum animum flagranti supplicatione ad Beatam Virginem Mariam intendimus, ut Oecumenico Concilio atque sanctae Ecclesiae bene precetur, et exspectatum deproperet tempus, quo omnes Iesu Christi sectatores inter se iterum devinciantur, oculi Nostri ad universum terrarum orbem, in immensum veluti sese protendentem, convertuntur: terrarum orbem dicimus, in quem considerandum Oecumenica haec Synodus alacres atque amantissimas curas intendit, quem pariter Decessor Noster Pius XII v. m., haud sine caelesti afflatu, Immaculato Mariae Virginis Cordi sollemni ritu dicavit. Huiusmodi sanctissimum religionis obsequium singularem in modum hodie a Nobis commemorari, aequum esse duximus. Hoc igitur moti consilio, per Legationem ad id proprie destinatam proxime mittere decrevimus Auream Rosam

---

[5] S. AMBROS., Exp. in *Lc.* 2, 26: *PL* 15, 1642.

ad Fatimense templum, non modo perquam carum populo nobilis Lusitaniae Nationis — quem semper, et hodie praesertim dilectissimum habemus — sed etiam apud omnes catholicae familiae fideles iam cognitum ac veneratum. Hac igitur ratione etiam Nos caelestis Matris tutelae universum hominum genus protegendum, eiusque difficultates et anxitudines, iusta optata spesque ardentissimas committimus.

O Deipara Virgo Maria, Ecclesiae Mater augustissima, Tibi universam Ecclesiam atque Oecumenicum Concilium commendamus.

Quae « Episcoporum auxilium » suavi appellatione nuncuparis, sacros Pastores in suo tuendo munere custodi iisdemque adsis, una cum sacerdotibus, religiosis sodalibus atque e laicorum ordine fidelibus, quotquot adiutricem operam illis in arduis sustinendis pastoralis officii partibus conferunt.

Quae ab ipso Divino Servatore, Filio Tuo, in Cruce moriente, Mater tradita es amantissima discipulo, quem ille diligebat, christiani populi memento, qui se Tibi committit.

Omnium Tuorum memor sis filiorum; eorum precibus singularem Tuam virtutem auctoritatemque apud Deum adiunge; eorum fidem integram atque constantem serva, spem robora, accende caritatem.

Memento eorum, qui in rerum angustiis, in necessitatibus, in periculis versantur, et eorum in primis, qui vexationes patiuntur atque ob christianam fidem in vinculis detinentur. Ipsis, Virgo Mater, animi fortitudinem impetra atque exspectatum iustae libertatis depropera diem.

Tuos benignissimos oculos ad nostros seiunctos fratres converte, Tibique placeat ut inter nos iterum aliquando coniungamur, quae Christum, inter Deum et homines unitatis pontem atque artificem, genuisti.

O intaminatae neque umquam obumbratae lucis templum, Unigenitum Filium Tuum deprecare, per quem nunc reconciliationem cum Patre accepimus,[6] ut erratis nostris adhibeat misericordiam, discidia omne genus arceat, gaudium amandi fratres nostris mentibus tribuat.

Immaculato Cordi Tuo, o Deipara Virgo, universum genus humanum commendamus; ipsum adduc ad Christum Iesum, unicum verumque Servatorem, agnoscendum; calamitates ab eo depelle, quas peccata secum adducunt ipsique compara pacem, quae in veritate, in iustitia, in libertate atque in amore consistit.

Tandem universae Ecclesiae concede, ut, magnam hanc celebrans Oecumenicam Synodum, valeat misericordiarum Deo sollemnem laudis et gratiarum actionis hymnum concinere, hymnum laetitiae et exsultationis, quia fecit per Te magna qui potens est, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

---

[6] *Rom.* 5, 11.

7

Sessionis conclusio

Secretarius generalis: Patres venerabiles, hoc mane, improviso morbo correptus in hac Basilica, piissime obiit exc.mus D. Paulus Berner, arch.-ep. Gaspesiensis in Canada. Oremus pro eo!

Summus Pontifex: Dicamus omnes: Requiem aeternam dona ei, Domine!
℟. Et lux perpetua luceat ei.
Requiescat in pace!
℟. Amen.

Tunc Summus Pontifex Apostolicam Benedictionem impertitur.

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum!
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Summus Pontifex: Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus!
℟. Amen! [*plausus*].

Secretarius generalis: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

Deinde Summus Pontifex discessit, omnibus plaudentibus, dum Chorus et Patres cantant: *Christus vincit* cum ps. 116, et: *Tu es Petrus* cum ps. 131 *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis eius.*

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM DE INSTITUTIONE SACERDOTALI

ante disceptationem

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 8, lin. 26: post « arte », addatur: « in operibus caritatis ». *Ratio*: mentio necessaria est huius elementi tam essentialis ministerii sacerdotalis.

In eadem pag., lin. 28: *addantur sequentia* quae habebantur in priori schemate, et nunc inveniuntur in pag. 34-35: « Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam. Introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant ». *Ratio*: in aetate nostra talis instructio est omnino necessaria, tum in terris christianis tum in aliis.

Nomine omnium episcoporum Iaponiae.

2

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Formatio futurorum sacerdotum omnino recolenda est, cum ab eorum ministerio Ecclesiae vita et operositas quam maxime pendeat, p. 13.

Seminaria Regionalia regantur iuxta statuta ab episcopis edita, p. 29. In determinandis seminariorum regionalium omnes episcopi quorum interest partem habeant suppresso praescripto can. 1357, p. 39.

Iuvat forsan referre in aliqua notula ad « Instruct. S.C.P.F., 27-IV-34. De regimine seminariorum regionalium », quae est valde bona (experientia teste).

Sicut Tridentinum primas leges de seminariis promulgavit, ita Conc. Vat. II primas normas de post-seminariis tradat, de formatione post seminarium perficienda, pag. 41.

Possunt forsan examina triennalia basim praebere pro huiusmodi formatione.

3

Exc.mus P. D. ALOISIUS M. CARLI

Episcopus Signinus

Pag. 5, lin. 11. Loco « in singulis nationibus » dicerem « in singulis *ecclesiasticis territoriis* », quia etiam in aliis schematibus locutio « natio, nationalis », utpote impropria et periculosa vitata est.

Pag. 7, lin. 27. Auferenda mihi videtur vox « maxime », quia si agitur de alumnis ritus latini, ipsis *solummodo* imponenda videtur obligatio studendi linguae latinae.

Pag. 9, lin. 9. Loco « in singulis nationibus » dicatur « in singulis ecclesiasticis territoriis », ob rationem supra allatam.

4

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

1. Ratione historiae et consuetudinis, praeferendus esset titulus ab omnibus receptus « De seminariis ».

2. Quamvis brevitas sermonis uti lex in Concilio habenda sit, perutile esset quocumque modo hic inserere ea quae pag. 39, circa impromptitudinem superiorum seminariis addictorum, habet. Concilium Tridentinum maximas laudes sibi promeruit praesertim ex erectione seminariorum. Etiam Vaticanum II maximas laudes sibi promereret si, praeter ceteras perutiles reformationes, « instituta » vel « curricula » vel cuiusvis nominis « incepta » condere vellet, ad institutionem et educationem et renovationem provehendam eorum qui institutioni clericorum impendunt.

5

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI

Episcopus Ilcinensis

Ego infrascriptus episcopus Ilcinensis mei officii conscius, quamvis longe a Roma detentus, nondum perfecte sanitate corporis restituta, potui tamen attente perlegere ac meditari schema *de institutione sacerdotali* quod ex toto

corde probo sincero animo gratulans iis qui eius compositioni operae navarunt.

Cum totam paene vitam transegerim in educandis seminarii Pistoriensis alumnis qua praeceptor, qua rector priusquam episcopatus onus reciperem et post episcopatum receptum qua studiorum Commissarius apud Pontificium Seminarium Regionale Senense, candide exponam diuturnam meam experientiam sive in seminario regendo sive in commissarii munere exercendo.

Quod attinet ad seminarii procurationem mihi maximae curae fuit ut inde ab initio omnia spectarent ad vocationem sacerdotalem excolendam, pietas, disciplina, studia ipsa, removendo ea quae absona essent ab hoc sanctissimo fine. Si quis dubiae erat vocationis mittebatur ad publicas scholas examen subeundi causa, non iam ceteri de quibus nullum aderat dubium. Hinc factum est ut perpauci seminarium relinquerent et brevi tempore pium Institutum floresceret bonis vocationibus, et ad sacerdotium pervenirent non iam unus quarto vel quinto quoque anno sed decem vel quindecim singulis annis. Anno millesimo trigesimo nono plures quam viginti ordinati sunt sacerdotes, hodie decus et praesidium dioecesis cum numero tum doctrina et animarum zelo, si duo excipias, non iam, ut reor, propter vocationis defectum, sed quia, statim post sacerdotium adeptum, in solitaria loca missi sunt ab omni remota possibili vigilantia et sine spirituali cuiuslibet directionis praesidio.

Huc redit, ut minus sapiens dico, vetus et semper novum argumentum de necessitate tirocinium instituendi, quo sacerdotes novensiles apte praeparentur ad sacrum ministerium exercendum viris peritissimis auctoribus experientia, doctrina, vitae integritate maxime commendatis, vel potius pro omnibus sacerdotibus vitam communem instaurandi qua multiplices partes ministerii pastoralis pro uniuscuiusque ingenio, viribus, facultatibus dividi rectius spiritualibus necnon materialibus necessitatibus consuli possit, bonorum administratione honestis et peritis laicis commissa.

Quod attinet ad munus commissarii haec potissimum animadverti: rationem studiorum nihil differre ab ea quae in scholis publicis viget, cum iidem sint libri, eaedem disciplinae, maxima cura, ne dicam unicam, examinis admissionis ad lycaeum vel maturitatis, ut aiunt, classicae, omni alia re quamvis magni momenti posthabita. Diplomata autem verum periculum arcessunt vocationibus, cum iuvenes haud raro quadam obsidione parentum premuntur stimulantium ad professiones laicales amplectendas utpote magis lucrosas.

Haud raro ad hos stimulos addantur tentationes quas saeculi corrupti mores praebent iuvenibus iam spiritualiter profano genere studiorum debilitatis.

Ut finem hisce observationibus qualescumque sunt imponam, profecto errarem si vocationum defectus vellem tantum causis supra allatis tribuere. Aliae causae adsunt inter quas praeter mores corruptos quos fovent hedonismus vitae, materialismus practicus, spectacula inhonesta praesertim cinematographica et actionis moralis ac religiosae Ecclesiae extenuatio.

Verum est Ecclesiae aditum in publicas scholas non negari, sed aditus

efficacia minuitur pluribus ex causis, inter quas laicismus praeceptorum, permixtio masculorum et feminarum, athletismus. Quibus malis haud facile remedium afferri potest cum satis temporis iuvenibus non detur ut Ecclesiam frequentare possint.

Postremo mihi liceat parvae dioecesis episcopo non sine anxietate aliqua considerare eius probabilem exstinctionem, non quod attinet ad meam humillimam personam sed ad bonum Ecclesiae. Fecunditas enim sacrarum vocationum qua floruit praeteritis temporibus etiam hodie florescere pergit. Ut non loquar de vocationibus religiosis, vocationes cleri saecularis tales sunt ut nonnulli sacerdotes alibi exerceant sacrum ministerium: unus apud Seminarium Regionale, unus in dioecesi Faesulana, unus apud milites italicos, sub iurisdictione Ordinarii Castrensis, cuius cura frequentat Universitatem Studiorum Lutetiae Parisiorum, duos in dioecesi Liburnensi.

Quae de mea dioecesi exposui dicenda, credo, sunt de aliis parvis dioecesibus, cum parvae dioeceses, si opibus carent, facilius curari possint quam magnae quas nec invisere, ut par est, nec cognoscere possunt, etiamsi nec laboribus nec impensis parcant, Pastores.

Si S. Alfonsus Maria de Ligorio affirmare solebat sibi videri in pectore portare tot montes quot essent paroeciae dioecesis, quid dicant Pastores magnarum dioecesium? Non omnes arbusta iuvant humilesque myricae, sed et ipsa iuvant homines sapientiores.

Et recte quidem. Est humilitas in hominibus et humilitas est in rebus. Utramque dilexit Christus, dilexit humiles corde, dilexit etiam Bethlehem, dilexit Nazareth.

Hisce de causis haud abs re erit putare eum diligere cum magnis etiam parvas dioeceses eis assignando specialem missionem curandi humiliores inter fideles, quos eo magis Deus respicit quo magis despiciunt superbi.

Summum igitur Pontificem qui vivam refert imaginem Divini Pastoris, etiam circumscriptiones dioecesium iure meritoque recensendas statuerit, enixe precor ut haec vota exaudiat quae sunt vota esurientium quos Deus, Virgine concinente Matre, bonis implevit.

6

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Propositiones nobis bonae apparent earumque brevitas vim auget. In specie, approbantur:

N. 1. « In singulis nationibus ... sacerdotalis institutionis ratio ineatur, ab episcoporum coetibus statuenda et certis temporibus recognoscenda ».

N. 5. « Haec seminaria regionalia vel nationalia regantur iuxta statuta ab episcopis, quorum interest, condita ». Iuris can. 1357 § 4 legislatione vigente, episcopis non videbatur seipsos suorum presbyterorum efformandorum officio teneri.

N. 6 et passim. « Omnes institutionis rationes » ... « ad pastoralem finem ordinentur ».

Nn. 7-9. ... Positiva nota propositae « spiritualitatis ».

N. 10. Peropportunae ordinationes illae videntur.

Nn. 12-14. Regulae illae « ad studia recognoscenda » optimae apparent.

Animadversiones quaedam insuper ad haec meliora efficienda sic proponuntur:

N. 7. Multum proderit in memoriam revocare seminario clericum praeparari ad vitam orationi deditam relate ad officium divinum constitutam. Quod quidem iam in fusiore schemate exponebatur (pag. 32, n. 14, in fine). Quod multum in spirituali vita neosacerdotum interest. Proderit insuper Evangelium velut vitae spiritualis fundamentum proponi et (hac vel in seguenti propositione) in zelo missionario commorari.

N. 8. Perplacebat modus quo virtutes illae (paupertas scilicet, castitas atque obedientia) antea, in fusiore schemate proponebantur: quam doctrinam resumere aliquantulum, hac in propositione, bonum sit.

N. 11, linn. 24-26. Ordinationes illae velut generalem regulam convenire mihi videntur, cum praesertim, mutata in Gallia studiorum ratione, definitio data, studiorum dispositionibus variis, non exclusis in technicis disciplinis institutionibus, convenire queat. Non raro tamen, in maioribus seminariis, admittuntur alumni, generosae indolis at prudentes sed acuto ingenio non multum praediti, qui cursus non ita audierint ut in superiorem scholam admitti possint. Nec praetermittendus casus vocationum, ut aiunt, « tardatarum » (qui, studiorum legislatione vigente, multo expeditior efficitur). N. 18 (pag. 33) praevidebatur ab auctoritate competenti, qualibet in regione, quod et quale, singulis alumnis, studiorum rationis complementum imponatur.

Nn. 12-13. Utrum principium in paragrapho I, n. 17 (pag. 32), explicatum in propositione I pag. 5, sufficienter comprehendatur, nobis dicendum videtur.

Multae formulae n. 19 (pag. 33) a nobis desiderantur; quod essentiale est utique servatur, sed textus brevis esse vult et fit obscurus; explanandus paululum videtur.

N. 16, lin. 27. Voce « errantibus » designantur, ut opinor, « christiani separati » et « increduli », non-christiani. Utrumque verbum, infelix videtur; meliores in n. 22 (pag. 34) locutiones; insuper, eodem verbo, conversationem nostram erga categorias illas, definiri non expedit.

N. 17. Hac in propositione, vel in altera, in memoriam revocanda formationis « socialis » necessitas, cuius in fusiore schemate (n. 23, pag. 35) argumentum explanatur.

7

Exc.mus P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

Episcopus Victoriensis in Ins. Vancouver

Valde laudanda sunt aliquae dictiones, videlicet: Prooemium, pag. 5, lin. 2 « optatam Ecclesiae renovationem »; n. 1, pag. 5, linn. 12-13 « ratio ... ab episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda » ...; n. 11, pag. 7, lin. 25 « humanistica *ac scientifica* institutione ... »; n. 12, pag. 7, de « generali introductione in mysterium Christi ... »; n. 14, pag. 8, lin. 9 « Sacra Scriptura veluti anima sit oportet ».

Optandum tandem est ut notentur quae sequuntur: n. 8, pag. 7, linn. 3-4 post locutionem « sed totos servitio Dei et fidelium ministerio mancipari » quod bonum est, oportet etiam aliquid dicere *de infidelibus,* testante *Io.* 10, 16, « alias oves habeo ».

Item n. 8, pag. 7, erratum notandum lin. 5 « obliviscentes ».

N. 7, pag. 6, enucleatius exprimatur necessitas et formationis et vitae *liturgicae,* in verbo Dei fundatae, ad mentem constitutionis *de sacra liturgia.*

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Makarskensis

Ad pag. 7, lin. 8, propono ut addatur: « Desiderat sancta synodus ut ritus s. diaconatus ita recognoscatur, ut in ipso ritu inseratur promissio de paupertate evangelica servanda, sicut iam habentur promissio de castitate in ritu subdiaconatus et promissio de oboedientia in presbyteratu ». Ita melius apparebit momentum illius summae virtutis evangelicae paupertatis, nempe pro sacerdotibus dioecesanis. Tunc illi maiorem conscientiam habebunt se esse obligatos colere paupertatem evangelicam quae exigitur ab ipsis, quia consecrantur suis fidelibus per caritatem pastoralem, quae vero caritas ab ipsis maiorem sane exigit paupertatem evangelicam quam a religiosis votum eorum paupertatis.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH GORI

Episcopus Nepesinus et Sutrinus

Al fascicolo « Schema propositum *de institutione sacerdotali* » a pag. 31, n. 12 dove dice: « Ut alumni vocationem imprimis optione mature deliberata amplectantur » mi piace fare osservare:

I. Lo stabilire un tempo libero dagli studi per studiare bene la propria

vocazione, ritarderebbe le Ordinazioni, quindi più maturo il giovane arriva al sacerdozio.

II. Stabilendo un anno di formazione spirituale, senza pensiero di studi, il giovane libero da preoccupazioni scolastiche, può vagliare meglio la sua vocazione.

III. Sembra opportuno fissare questo anno fra il Liceo inferiore e il Liceo superiore, perché nel giovane in generale vi è in quell'età la seconda crisi.

IV. Per coloro che stanno in seminario senza retta intenzione per arrivare a prendere la licenza liceale, l'anno di formazione può essere opportunissimo per farli decidere a lasciare più presto il seminario.

V. L'anno, oltre che per la formazione ascetica ecc. può servire benissimo per uno studio più accurato della Liturgia, teorica e pratica, del Canto gregoriano (troppo trascurato oggi); per preparare meglio il seminarista ad intendere i Salmi dell'Ufficio Divino e a prepararsi meglio quando arriva al Suddiaconato.

Questo nuovo anno potrebbe e dovrebbe essere una specie del Noviziato che i religiosi premettono alla Professione, mutatis mutandis.

Questo è il mio debole parere.

10

REV.MUS D. P. GERMANUS M. LALANDE

Superior generalis Congr. a S. Cruce

Ad 10. Optime! ... Attamen, haec prolongatio vel interruptio spiritualis tirocinii exceptionaliter admittitur. Ad firmiorem vocationem et meliores apostolatus fructus obtinendos, mihi videretur sequentes suggestiones proponere:

1. Etiamsi candidati immediate post regularem studiorum cursum ordinem sacerdotalem adhuc recipiunt, optarem tirocinium pastorale semper posse institui tantum post duos vel tres annos ministerii activi.

2. Immo, saepe saepius hoc ultimum experimentum deberet institui inter diaconatum et sacerdotium. Si iuvenis candidatus, ut diaconus, probationem sufficientem praebet et vere amat vitam pastoralem, posset postea rogare ordinationem sacerdotalem ac caelibatum, iam huic tantum ordini adnexum.

11

EXC.MUS P. D. ALOISIUS LORSCHEIDER

Episcopus Angelopolitanus

N. 1, pag. 5: optime tribuitur episcopis peculiaris sacerdotalis institutionis ratio statuenda, sed non apparet modo claro utrum « ratio ista peculiaris » complectere possit mutationes profundiores in ipsis structuris seminariorum et nova tentamina in formatione sacerdotali permittat annon. Existimo utile esse aliquid de hac re dicere.

N. 2, pag. 5: forsitan bonum esset hic mentionem facere de methodis scientificis theologico-pastoralibus diversis in locis ultimis his temporibus cum fructu adhibitis in selectione vocationum ad sacerdotium.

N. 3, pag. 5: praeter rectam intentionem et idoneitatem posset etiam hic (et non tantum sub n. 10) mentionem fieri de necessitate ducendi seminaristas ad veram electionem personalem et maturam, qua libere et firmiter eligunt vocationem, ut a Deo vocati, licet opus esset plures annos insumere in formatione.

N. 6, pag. 6: ne obliviscatur verbum *de formatione quoque humana.*

N. 7, pag. 6: post « Ecclesiae mysteriis communicatione » (linn. 24-25) adiungantur numeri ex Const. Lit. *Sacrosanctum Concilium,* quae de formatione liturgica agunt, nam formatio liturgica partem habet in formatione spirituali-ascetica seminaristarum.

Nn. 8 et 9: aliquod verbum de sensu auctoritatis et rectae habitudinis inter superiores et alumnos in seminario posset utile esse.

N. 19, pag. 9: posset mentionem fieri de sic dicto « mese sacerdotale » (exercitia spiritualia, quaestiones pastorales, convivium fraternum) et de « exercitiis spiritualibus magis longis per 20 vel 30 dies protractis », nam in diversis regionibus cum fructu peracta sunt pro iuvenibus sacerdotibus.

Modo valde generali loquendo, desiderarem ut selectio vocationum ad statum religiosum et sacerdotalem profundius consideraretur et in schemate propositionum « De institutione sacerdotali » et in schemate propositionum « De religiosis » nam in nullo horum schematum de hac re fit sermo. Ex praxi tamen scitur saepius difficultates oriri inter episcopum et religiosos ob modum valde ineptum ex parte religiosorum seligendi suas vocationes. Ingressus fit in dioecesim et primus qui invenitur ad seminarium vel conventum mittitur. Termino vulgari sermo fit « della pesca di vocazioni ». Haec « pesca » valde nocet. Oporteret et in hac re formulam invenire quam et religiosi et episcopi possent acceptare.

12

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Etant donné que ce schéma n'entend donner, comme il le dit, que les « primaria principia » (p. 5, ligne 4), je ne peux que louer les principes généraux qui y sont développés. Je voudrais, cependant, attirer l'attention sur certains points:

On pourrait insister: 1) sur le sens de la responsabilité des étudiants: spirituelle, intellectuelle et apostolique; 2) sur la valeur de l'Ecriture sainte dans l'enseignement; 3) sur la joie et le sens de la vocation aimée dans la formation cléricale.

Je voudrais ajouter ce qui suit: 1) Il me semble nécessaire qu'on revoie la Constitution *Deus scientiarum Dominus* de Pie XI pour l'organisation des

études, suivant un plan que je donne ci-dessous; 2) nécessaire me semble aussi la révision de l'enseignement de l'Ecriture sainte, qui doit devenir de plus en plus matière de première importance; 3) étant donné que la Liturgie, selon la Constitution Conciliaire, doit devenir *matière principale,* il est nécessaire de lui octroyer le temps voulu.

Etant donnés les nombreux projets en l'air de réforme de l'enseignement philosophique et théologique dans les Séminaires et les Facultés, je me permettrais de soumettre au jugement du Concile quelques idées qui pourraient contribuer modestement à la réforme attendue.

Croyant ce que l'Eglise croit, et embrassant ce qu'elle embrasse, je n'ai voulu, en envoyant ces quelques remarques au Concile, que suggérer l'une ou l'autre orientation, qui seront, peut-être, agréées du Concile.

Critique préalable: *a*) Bien des questions encombrent la théologie qui n'ont plus de *résonance vitale,* p. e.: la question de auxiliis, l'exposé fragmentaire des idées des adversaires de nos thèses de théologie et de philosophie, etc.

b) Nécessité de dégager, dans l'enseignement, les lignes maîtresses, l'intuition centrale, et ne pas se perdre dans une manière trop analytique d'exposer la théologie.

c) Dégager une problématique: mettre davantage les difficultés d'aujourd'hui à résoudre.

d) Structurer davantage l'exposé des problèmes. A l'intérieur même des problèmes, se dégagera la pensée de l'adversaire et la part de vérité qui s'y trouve.

e) L'enseignement en traités morcelle trop.

f) Perte du sens du tout, et donc, chevauchement des traités les uns sur les autres.

g) Manque de coordination des différentes disciplines actuelles de la théologie: 1) Pourquoi constituer l'apologétique en une discipline à part? Elle a, en effet, affaire au de Christo Legato; à l'Eglise et à la foi surtout; 2) Pourquoi séparer, d'une manière si nette, la philosophie et la théologie? Il y a bien deux ordres distincts de penser. Mais il y a des problèmes qui gagneraient à être vus ensemble dans tous leurs points de vues (le problème de Dieu, p. e., le problème de l'immortalité de l'âme, de la liberté, etc.). Tous les Théologiens du Moyen-Age, et, en particulier, S. Thomas ont toujours orienté la philosophie vers la théologie; 3) La Morale n'est pas suffisamment enracinée dans la philosophie et la théologie. Elle est partagée entre la philosophie et la théologie. P. e. les problèmes de la vie (homicide, suicide), du double effet, du péché, répartis entre les divers plans de la morale, de la philosophie, de la théologie et de la sociologie. Tout en sachant que ce morcellement est pour la commodité de l'enseignement, il ne faudrait pas, me semble-il, perdre de vue les ensembles, et les interférences des problèmes; 4) L'Histoire ecclésiastique empiète tellement sur le plan de l'histoire des dogmes abordés par le théologien; 5) L'étude de l'Ecriture sainte est mal coordonnée avec l'étude des traités de théologie; 6) L'histoire des doctrines

est mal située. On ne parle pas suffisamment des cadres historiques des différentes doctrines; 7) L'on ne fait pas attention, dans l'enseignement, à la tradition orientale.

Principes directeurs pour une meilleure présentation des Sciences religieuses:

1) Une théologie fondamentale devrait dominer l'enseignement tout entier: traité où seraient abordées les questions très générales que l'on retrouve, d'une certaine manière, dans tous les traités, et qui ne sont jamais traitées pour elles-mêmes avec l'ampleur qu'elles méritent: telles sont les questions du surnaturel, de l'incarnation, du sacré, du sacrifice, etc. Ce traité serait le lieu de rencontre des autres traités.

2) Grouper un certain nombre de traités théologiques en grands blocs vraiment coordonnés entre eux. Cela éviterait beaucoup de répétitions.

3) Les bases scripturaires seraient groupées dans l'enseignement: ces larges exposés scripturaires ne seraient faits qu'une seule fois, soit en Ecriture sainte, soit en théologie. Exemple de tels groupements: la grâce chez St Paul, l'eschatologie individuelle et sociale chez St Paul, l'Eglise dans les Synoptiques, la dikaiosunè dans l'Ancien Testament et chez St Paul, etc.

4) Regrouper, pour les exposés historiques ce qui doit être dit dans une seule monographie, p. e. sur Luther, Baius, Jansénius, etc.

5) Les traités du de Christo Legato, de l'Eglise (partie apologétique), de la valeur historique des Evangiles sont à supprimer. Leur matière doit être distribuée dans les traités de la Trinité, de l'Incarnation, d'une part, et dans l'histoire des origines chrétiennes, d'autre part. Ce qui restera de l'apologétique est à étudier, pour ce qui concerne le problème de la Révélation, dans la théologie fondamentale et les traités de la foi, de la connaissance religieuse, de l'Ecriture et de la Tradition.

6) L'Histoire des religions doit être traitée pour elle-même, et non envisagée dans différents traités. Tout ce qui concerne l'antiquité orientale est à réserver à l'étude de l'Ancien Testament. Le paganisme romain et les religions orientales aux premièrs siècles de l'ère chrétienne seraient très bien à leur place, en fond de tableau, de l'étude des origines chrétiennes. Notamment tout ce qui concerne les religions à mystères serait étudié en une seule fois; il faut éviter de disperser ces études dans les traités du baptême, de l'Eucharistie, où, d'ailleurs, elles ont moins d'intérêt, maintenant que l'originalité du Christianisme a mieux été mise en évidence. Quant à l'Islam, au Bouddhisme et à la religion des primitifs, ces questions doivent faire l'objet d'études spéciales. Que la religion des primitifs ne soit plus dispersée dans la théodicée (preuve du consentement universel) et l'apologétique (théisme, sacré), où elle n'est d'ailleurs jamais étudiée sérieusement.

7) Bien qu'exposées dans un enseignement à part, les différentes parties de la morale gagneraient beaucoup à être ensuite redistribuées dans les divers traités de théologie, de philosophie et de sociologie qu'elles touchent. Notamment, il y aurait lieu de faire un ensemble de tout ce qui concerne *le ma-*

riage et la famille. La partie morale de l'étude des sacrements est à rapprocher de la partie dogmatique. Les principes généraux de la morale doivent être rattachés à la philosophie.

Concrétisation. Théologie fondamentale: Fait religieux dans l'Humanité - Le Sacré - Déviation du religieux - Culte et Rites - La religion réponse totale - Immanence et Transcendance - Le surnaturel - Le fait religieux et le monde sensible - Nécessité d'une religion positive - Le Christianisme religion de l'amour - Dieu et les hommes - La Croix, le sacrifice - La religion plénitude de vie - L'Economie chrétienne - Personne et Christianisme - Vie et vérité - Littérature religieuse chrétienne - Les religions non-chrétiennes.

La vérité chrétienne: Foi - Connaissance religieuse - Ecriture, Tradition, Magistère.

Anthropologie: Problèmes philosophiques de base - Justification, prédestination, grâce offerte à tous - Etat primitif - Péché Originel - Grâce et liberté - Mérite - Grâce habitus, conscience de la grâce - Péripéties de la vie de la grâce en nous - La prière - La vie divine du chrétien - Charité, mystique, vision - Vertus et dons, spiritualité - Péché, pénitence - Nature de l'homme dans son ensemble, eschatologie.

La Trinité, le Christ: Monographies scripturaires et historiques générales - La Trinité - Le Verbe Incarné - L'œuvre du Christ Sauveur — La Vierge Marie.

L'Eglise: Monographies scripturaires - Présentation d'ensemble du problème de l'Eglise - Nature et caractères fondamentaux de l'Eglise - Membres de l'Eglise, salut - Structure et activités de l'Eglise - L'Eglise et le temporel - Liturgie et culte chrétien - Sacrements en général - Baptême, Confirmation, extrême-onction - La Sainte Eucharistie - Formes juridiques et sociales de la vie de l'Eglise.

Israël - Les origines chrétiennes: Les Origines chrétiennes - Israël.

13

Exc.mus P. D. IOLANTHUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

1. Hoc schema valde brevius esse deberet.

2. Oportet in optimo lumine collocare quod peculiaris institutio scientifica, moralis, spiritualis et pastoralis eo modo impertienda esse, ut ex una parte personas extra veram et realem societatem fidelium educandi vitetur; et ex altera ut tacita persuasio non ingeneretur personas privilegiatas esse ac proinde a communibus et gravibus praeceptis iustitiae et oboedientiae legibus sive canonicis sive civilibus exemptas.

3. Ad hoc duplex scholium in mentalitate ecclesiasticorum non infre-

quens vitandum, utile esse posset sacerdotibus adiungere laicos magistros, scientia et exemplo vitae praestantes.

4. Insuper necesse est iuvenes tirones sacerdotii persuadere quod ipsi ante omnia personae probae et rectae ad minus sicut ceteri esse debent, ut gratia sacramenti Ordinis in ipsis terram bonam inveniat quae fructum trigesimum, sexagesimum et centesimum affert (*Mt.* 13, 23).

5) In disciplinis tradendis magistri devitare debent omnes disceptationes, historicas et doctrinales, quae iam pro fidelibus absolute nullam utilitatem habent. Oportet e contra ut alumni scienter et practice instituantur in his quae a sacro Ministro, magistro et duce, fideles expectant sub respectu humano, civili et supernaturali.

14

Exc.mus P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Par. V, n. 7; Par. VIII, n. 16. Suggestiones in redactionem Codicis Can.

1. Philosophi alumni antequam ad cursum theologicum transeant, per sex menses vitae intensae asceticae vacent.

2. Candidati ad subdiaconatum antequam ad huc ordinem promoveantur, etiam per sex menses vitae asceticae vacent, ut vocationem suam attente considerare possint.

3. Candidati ad Presbyteratum antequam ad ordinem sacerdotalem promoveantur, vitam spiritualem ducant intensam immediate post cursum theologicum.

15

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Ad n. 2, lin. 20, post « apostolicus zelus » addatur: « non tantummodo singillatim sumptorum, sed in quantum etiam caritate, mente, labore vivunt rationem presbyterii in quo sunt sacerdotes. Nam unus ex praecipuis fontibus vocationum ecclesiasticarum est testimonium vitae et ratio qua exercetur in quadam generatione ministerium pastorale et impressionem quam dat iuvenibus laboris cui se homo totum impendere potest cum spe quadam familiam inveniendi (= presbyterium) et efficacitatem quandam attingendi, quae sit missionaria ».

Ad n. 3, lin. 27, post verba « onera ferendi » addatur: « de familia et haereditate ».

Ad n. 4, lin. 7, in fine, addatur: « Provideatur etiam ut moderatores seminariorum, durante munere, in contactu sint cum pastoribus et experientia pastorali ».

Ad n. 8, pag. 7, lin. 4, inter sacerdotali et oboedientia ponatur: « , zelo, ». *Ratio*: in hac tota paragrapho, nil de zelo quod est pars altera et complementum oboedientiae.

Ad n. 12, pag. 7, lin. 31: post « Christi », ponatur qui per mortem et resurrectionem suam, totam generis humani etc. ...

Ad n. 14, pag. 8, lin. 13 post « vita Ecclesiae », addatur « virtute Paschatis Christi », ut praecisior sit expositio.

Ad n. 15, pag. 8, lin. 21, in fine addatur: « non omissa institutione pastorali de qua postea ». *Ratio*: haec additio maximi momenti pro alumnis illius categoriae.

Ad n. 18, pag. 9, lin. 6, in fine addatur: « Ad hoc multum prodest feriarum tempus, vel, interruptis studiis, experimentum apostolicum integri anni. Multum etiam affert reflexio in communi de spiritu actionis peractae ».

Nota in fine: Nil in institutione spirituali, de vitae communitatis exercitio deque aequilibrio semper quaerendo, duce Spiritu Sancto, inter participationem et solutionem. Nil de initiatione evangelica, speciatim de lectione in communi cum communicatione reciproca de iis quae in lectione singuli, duce Spiritu Sancto, revelantur. Nil de spiritualizatione actionis, mediante reflexione communi post factum de spiritu illius actionis.

Multae aliae quaestiones veniunt in mente de institutione sacerdotali, de quibus fiebat mentio in praecedentibus schematibus, quae exinde ne quidem in discussionem venient et sunt maximi momenti pro hac institutione. Quomodo episcopis erit possibile sententiam suam de iis manifestare? e. g. de probatione ad castitatem, de diaconatu durabili pro alumnis ante Ordinationem sacerdotalem etc.

16

Exc.mus P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Animadversio ad n. 14, pag. 8, lin. 13. Loco « in cultu et vita Ecclesiae » dicatur: « in liturgia et vita Ecclesiae ». *Rationes*: Terminus « cultus » iure a constitutione de S. Liturgia non adhibetur, quia ethymologice complectitur tantum aspectum latreuticum liturgiae, non vero sacramentalem et sanctificantem. Ceterum etiam in sensu venerationis vel adorationis christianae vitatur a Vulgata, a Patribus latinis et etiam post introductionem termini per scholasticos factam usque ad ultima decennia raro adhibetur a documentis Ecclesiae. Cf. articulos *Kult* et *Liturgie* in *Handbuch theologischer Grundbegriffe,* München 1962-1963, vol. I, pp. 865-880; vol. II, pp. 75-97.

17

Exc.mus P. D. ARTURUS VÉLEZ MARTINEZ

Episcopus Tolucensis

Voluntati Pontificum oboediens, frequenter quosdam seminaristas mittit ut seminarium proprium habeat idoneos Moderatores ad efformandos suos sacerdotes. Tamen abhinc quinque annis sacerdotes qui tum Romae, tum in aliis Universitatibus Europae formationem suam acceperunt, redeunt in Patriam habentes ideas circa formationem et virtutem, praecipue quoad oboedientiam, quae a conceptu evangelico de vera virtute separantur. Dicunt oboedientiam, sensu traditionali acceptam, detrimentum inferre in dignitate personae: ideoque, subditus tantum oboedire debet si certus sit de bonitate mandati. Proinde practice sic dictam « autoformationem » propugnat, quam Ioannes XXIII iam damnavit.

Ideoque expostulat: Sacrosanctum Concilium, de hac re aperte loquatur, et enixe a Sacra Congregatione de Universitatibus et Seminariorum studiis postulet ut ab omnibus domibus formationis sacerdotalis et religiosis hic error eradicetur. Haec omnia humiliter proponit decisioni Concilii se subiiciens.

18

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE AEQUATORIALIS

Coetus omnium episcoporum (24) Africae Aequatorialis-Cameroun (scil. Gabon, Congo-Brazzaville, République Centrafricaine, Tchad et Cameroun) in congregatione generali in oppido Yaoundé die 10 iunii 1964 habita, sequentia vota vel iudicia *unanimiter* emiserunt:

Circa schema propositionum *De institutione sacerdotali,* perplacent et maximi momenti omnes huiusmodi propositiones aestimaverunt.

Speciatim appretiaverunt 1^{am}, quia bene necessitatibus missionum correspondet ad mentem Encyclicae *Princeps Pastorum.*

Perplacet etiam propositio 11^{a}, quia rationabilis est uti est.

Propositio 12^{a}, quae omnia ordinat ad lucem mysterii Christi, menti Patrum et necessitatibus animarum plene satisfacit.

Quae dicta sunt in propositione 18^{a} de formatione pastorali sicut iam pro Institutis per Constitutionem *Sedes Sapientiae* provisum est, cuivis sacerdoti bene et recte applicentur: exigentiae pastorales magis ac magis in futurum in augmento erunt.

Tandem propositio *terminalis* scil. 19^{a}, in plenam lucem necessitatem institutionis sacerdotalis post seminarium perficiendae et hoc aptis mediis ponit et sic perplacet.

[*Subscripserunt etiam*] Th. Mbemba, Brazzaville; J. Bernard; J. Coucherousset; P. Dalmais; E. Verhille; P. Etoga; Y. Plumey; L. Chalbon; A. Maanicus; H. Véniat; L. Van Heijgen; A. Baud; V. Sartre.

19

QUIDAM PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Schema propositionum non placet, quia nimis breve et multa elementa maioris momenti omittit. Redeatur ergo ad schema *de alumnis ad sacerdotium instituendis,* pp. 26-37 impressum, quod omnino laude dignum est.

[*Subsignaverunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubeschies, ep. Kasamaensis; Joseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

20

CONFERENTIA EPISCOPORUM GALLIAE OCCIDENTALIS

Apostolicae Galliae Occidentalis regionis episcopi, Andegavi die 9 iulii 1964 congregati, propositiones quas praebet schema *de institutione sacerdotali* inspexerunt.

Libentes compererunt novum schema, in pluribus magni momenti rebus, rationem habuisse observationum suggestionumque quas exhibuerat Commissio episcopalis cleri et seminariorum in sua annotatione de primitivo schemate « De sacrorum alumnis formandis ».

Consentiunt in approbando schemate universo, in quo invenerunt apertum animum quo sacerdotalis institutio accommodabitur cum hodiernis iuniorum clericorum desideriis, tum ministerii in praesenti mundo necessitatibus.

Praecipue approbant sequentia: Ius Conferentiis episcopalibus concessum imponendi leges seminariis earum iurisdictionis (n. 1); formationem efficaciorem plenioremque seminariorum moderatorum et magistrorum, de quibus optant ut inter presbyteros pastoralis muneris peritos eligantur (n. 4); unitatem et cohaerentiam totius sacerdotalis institutionis, ad munus pastorale spectantis (n. 6); inquisitionem spiritualis formationis, quam ducere debet spiritualitas cleri dioecesani propria (n. 8); tempus generalis introductionis in studiorum cursu instituendum, quo omnia ad christianum mysterium spectabunt (n. 12); curam pastoralis institutionis, simul theoreticae et practicae, hodierni mundi necessitatibus accommodatae, ut pastores hodierno mundo praestentur (nn. 16-18); curam educandae libertatis et intentionis ad veras evangelizandi mundi res humanas (n. 9); locum inter aptitudines tributum animorum valetudini et aequabilitati (n. 3); pretium tandem agnitum futurorum sacerdotum maturitatis eiusdemque promovendae viarum (n. 10).

Indicant tamen se moleste ferre quod in titulo II « De vocationibus sa-

cerdotalibus » gravia adhuc desunt, quae iam in annotatione commissionis episcopalis cleri et seminariorum denuntiata erant.

Flagitant igitur: 1) ut vocationis sacerdotalis doctrina clarius exprimatur ac vocationi christianae diversisque Dei in Ecclesia vocationibus comparetur; 2) ut lucide ostendatur pars subiecti agentis: gratiae respondens et Ecclesiae necessitates curans, divinae vocationis signa in sua ipsius vita et per hominum interventus discernere debet; 3) ut expresse memoretur natura proprie ecclesialis vocationis sacerdotalis, praesertim per episcopi vocationem.

Saltem sic mutari possit n. 2 (linn. 23-24): ubi scriptum erat: « ut, qui supernum vocationis donum etiam maturiore aetate acceperunt, magno animo eidem respondere valeant ». *Scribatur*: « ut, qui voluntatem Dei quaerentes et necessitatibus Ecclesiae attendentes, indicia divinae vocationis, etiam maturiore aetate, tum in vitae propriae adiunctis, tum in animae dispositionibus, recognoverint, magno animo respondere valeant et sese praebeant episcopo, tamquam providos cooperatores, ad Ecclesiam aedificandam et hominum salutem procurandam ».

21

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Laeti agnoscimus has propositiones multo meliores esse quam vetus schema *de sacrorum alumnis formandis,* immo etiam quam schema *de alumnis ad sacerdotium instituendis,* ex quo decerptae sunt. Speramus fore ut plurimae ex his propositionibus vere iuvent ad seminariorum fructus renovandos. Nonnulla tamen emendata et complenda sunt. In his animadversionibus notabimus quae speciale laude merentur vel quae corrigenda sunt.

I. *N. 1*: Valde placet principium de diversificanda seminariorum institutione secundum conferentiarum episcopalium statuta.

II. *De vocatione.* Hi duo articuli nihil omnino novi afferunt. *N. 2,* pag. 5, linn. 20-24: Optatur nova redactio huius sententiae, cuius praemissae male correspondent scopo indicato. In hac nova redactione duo ante oculos versentur, scil. vocationes in maturiore aetate, circa finem scholae mediae, omnino normales sunt; apud pueros scholam primariam absolventes sermo fiat potius de vocationis germinis vel initiis quam de vocatione pleno sensu.

N. 3, pag. 5, linn. 25-27: Haec indicia verae vocationis vix discerni poterunt apud pueros, sed solum apud eos qui scholam mediam absolvunt vel postea.

Pag. 5, linn. 28 s.: Omittantur verba « cum Deus ... arceantur », quibus condemnari videntur sacerdotes regionum penuria vocationum laborantium, et quia Concilium tali certitudine de divina providentia praesumere non potest.

III. *De moderatoribus. N. 4*: Selectio moderatorum ac magistrorum apte inculcatur.

Non placet constitui « Instituta » specialia ad moderatores et magistros formandos.

Ad hunc numerum transferatur id quod in obliquo habetur in fine n. 6, scil. quod rector et magistri collegialiter cooperari debent ("team-work"), tamquam in solidum seminaristas efformantes.

N. 5: Placet constitui seminaria interdioecesana, quae pendent ab episcopis ad quos pertinent. Hoc tamen ne sit lex Medorum ac Persarum.

IV. *De fine pastorali. N. 6*: Placet quod omnia studia ad finem pastoralem ordinantur.

Sententia de concordi opera transferatur ad n. 6. Verba « episcopi auctoritati fideliter obsequentes » (pag. 6, lin. 19) deleantur, utpote superflua. Addatur autem hoc (post verbum *ordinentur*): « Ut finis ille pastoralis securius obtineatur, ut institutioni personali melius praevideatur, et ne alumni nationis suae extranei fiant, studia ante sacerdotium in propriae nationis seminariis absolvantur, et alumni ad terras longinquas ne mittantur ».

V. *Institutio spiritualis. N. 7*: Bene indicat fundamenta.

N. 8: Sensus ecclesiasticus bene describitur. Sed 1. Verba « laeta obedientia » (pag. 6, lin. 31) deleantur, quia res satis habetur in verbis « episcopo tamquam fidi cooperatores adhaerentes »; si in particulari sermo est de habitudine ad episcopum ceterosque superiores, praeter obedientiam etiam nominari debet audax libertas (graece parresia), sine qua obedientia facile ad infantilismum ducit.

2. Verba « ac praesertim discendi ... exercitium » deleantur, quia modo arbitrario extollunt particularia quaedam; in specie « silentii amor » redolet monachismum potius quam seminarium, et de facto saepe in adolescente erit signum ineptitudinis ad sacerdotium apostolicum.

N. 9: Placent principia de progrediente autonomia, de contactu cum familia, de virtutibus humanis colendis.

N. 10: Placet possibilitas alicuius tirocinii spiritualis et alicuius probationis pastoralis.

VI. *De studiis praeviis. N. 11*: Placet principium de studiis mediis aequalibus cum coaetaneis. Commendetur autem etiam, alumnis praesertim capacioribus, studium *linguae graecae,* quippe quae ad familiaritatem cum Novo Testamento magnopere conferat. Scribatur ergo (pag. 7, lin. 27): « ac praeterea praesertim latini ritus alumni eam linguae latinae, et inquantum fieri potest etiam graecae, cognitionem acquirant, qua tot etc. ».

VII. *Studia ecclesiastica. N. 12*: Placet haec studia a mysterio Christi inchoari.

N. 13: Placet quod non sola philosophia scholastica, sed etiam moderna praescribitur. Non placet vocabulum *perennis,* quippe quod sensum obscurum habeat. Nec placet oppositio inter hanc philosophiam perennem et modernam. Scribatur potius (pag. 8, lin. 3): « tradantur ut alumni sanae philosophiae, tam veterum quam modernorum, principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim pro viribus acquirant; illa quoque systemata philosophica, quae in propria natione etc. ».

N. 14: Placet quod Scriptura dicitur anima theologiae, et quod commendatur theologia tam positiva quam speculativa.

Non placent autem verba « Angelico Doctore magistro », quia Orientalibus, propria traditione fruentibus, non est imponenda doctrina scholastica; Concilium ne praeferat S. Thomam prae S. Bonaventura, S. Augustino etc. Scribatur potius (pag. 8, lin. 12): « intime penetrent, sanctis in Ecclesia doctoribus praeviis, etc. ».

VIII. *Institutio pastoralis. N. 16*: Desideratur mentio Oecumenismi et contactus cum ceteris religionibus. Scribatur pag. 8, lin. 26: « ... moderandarum arte, in dialogo cum fratribus seiunctis et cum aliarum religionem adeptis, in officio etc. ».

N. 18: Practicum pastorale exercitium intra studia valde placet.

22

EXC.MI PP. CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

A - *Adnotationes generales.* Propositiones *De institutione sacerdotali* partim placent partim profundiore aliqua emendatione adhuc indigere videntur.

I. *Laudanda.* Laude digna habentur imprimis sequentia:

1. Propositiones ad exigentias pastorales Ecclesiae respiciunt et finem pastoralem ipsius institutionis sacerdotalis continuo prae oculis habent.

2. Propositiones diversitatem condicionum in singulis regionibus datarum satis agnoscunt et consequenter singulis conferentiis episcopalibus necessariam libertatem et facultatem accommodandi leges generales ad necessitates regionales tribuunt.

3. Propositiones conceptum et rem institutionis sacerdotalis notabiliter dilatant et complent eo quod institutioni doctrinali addunt impensius tirocinium spirituale et etiam enuntiant opportunitatem studiorum probationis alumnorum causa interrumpendorum.

4. Propositiones bona principia afferunt ad institutionem doctrinalem renovandam, fundando eam in Sacra Scriptura theologiae veluti anima et promovendo eius unitatem intrinsecam.

5. Ordo et dispositio Propositionum generatim bona et aequilibrata est.

II. *Desiderata.* Sed ut *Propositiones* fiant documentum Concilii in desideratam innovationem Ecclesiae quam efficacissime influens, quaedam eorum adhuc emendanda esse censentur; imprimis introduci debent plura aliqua argumenta, quae olim iam optime continebantur in schemate constitutionis *de alumnis ad sacerdotium instruendis* secundum textum a commissione de seminariis mensibus octobri et novembri 1963 recognitum.

Verumtamen curandum est, ut, quovis sic dicto « perfectionismo » seu studio dicendi omnia ad rem pertinentia sollicite evitato, ea tantum argumenta in Propositionibus recipiantur, quae praecise necessitatibus huiusce temporis respondeant, relictis quibuslibet aliis etiam optimis, quae ubique iam sunt agnita et in praxim deducta.

Ante omnia desideratur, ut ratio habeatur argumentorum sequentium (heic secundum ordinem Propositionum congestorum):

I) *Relate ad vocationes sacerdotales fovendas*: 1) Retineatur et expresse enuntietur, sicut in schemate constitutionis olim iam factum est (vide ibi n. 2), clara et genuina sacerdotalis vocationis notio. Quae notio in complexa realitate vocationis accurate distinguit plura elementa, v. gr. electionem divinam et congruas dotes ex una, ex altera vero parte rectam intentionem et liberam petitionem vocati. Qua notione agnita patet non dari vocationem sensu presso, sed potius aptitudinem ad vocationem, donec candidatus non illam acquisierit maturitatem humanam, qua actu plene libero et maturo electioni divinae respondere valeat. (Vetus schema loquens de « germinibus vocationum » huic realitati iam aliquantulum correspondebat). Quare primo, i. e. relate ad pueros, quaerendum est potius de aptitudine ad vocationem dignoscenda, fovenda, etc.

2) Magis extollatur, quid sit condicio primaria, ut oriantur vocationes: scil. ambitus vita plene christiana insignitus, i. e. familia schola communitas paroecialis sane laete religioseque secundum Evangelium vivens.

3) Respiciatur, quod ad tuendam et evolvendam aptitudinem ad vocationem licet saepe saepius, tamen non unice requirantur seminaria (scil. minora); nam illa pro locorum et gentium adiunctis etiam in collegiis vel scholis promoveri potest (sicut dictum erat in vetere schemate, n. 5, inciso 1).

4) Magis inculcatur puerorum institutionem doctrinalem et moralem ita esse ordinandam, ut ii, qui se non vocatos esse noverint, sine difficultate (ut puta: deficiens agnitio publica examinum; timor despectus et opprobriorum; angor conscientiae) ad aliam vitae rationem transire possint et etiam in hac, vi receptae institutionis, vitam active christianam secundum universale sacerdotium ex baptismate et confirmatione emanans vivant.

5) Enuntietur iterum (sicut factum erat in vetere schemate, n. 5, inc. 1) necessitas condendi specialia Instituta pro iis, qui maturiore aetate divinam sequuntur vocationem, quia vocationes sic dictae « tardae » in pluribus regionibus in dies maius momentum obtinent.

II) *Relate ad totius institutionis finem*: 6) Aliquantulum fusius explicetur, quid sit ille « totius institutionis finis pastoralis », i. e. in quem finem specificum tota institutio directa esse debeat. Finis specificus certe non erit alius nisi formatio ad ministeria specifice sacerdotalia in communitate populi Dei, in eius favorem necnon in collaboratione cum illo subeunda.

7) Quare caveatur, ne communicatio seu contactus cum toto populo Dei, i. e. cum fratribus et sororibus vocationem christianam in variis vitae ratio-

nibus exsequentibus, maxime cum viris et mulieribus in actione catholica laborantibus, institutione perdurante interrumpatur, sed servetur et colatur.

III) *Relate ad seminariorum ordinationem*: 8) Provideatur ut tota seminarii ordinatio intrinsece referatur ad obiectum futuri ministerii, i. e. ad cultum divinum, ad fideles adiuvandos, ne, sub specie piae curae sanctitatis et perfectionis suiipsius, egoismus quidam sive individualis sive communitarius et consuetudo sentiendi sese classem a populo Dei distinctam et superiorem irrepat.

9) Monstretur melius, quomodo seminarium debeat esse locus, ubi futura activitas non solum docetur, sed etiam, quantum fieri potest, prudenti graduali introductione practica iam exercetur; quae valent maxime de cultu liturgico in spiritu recentis instaurationis celebrando, sed etiam de quibusdam operibus pastoralibus iam exercendis.

10) Habeatur pro norma, ut vita quotidiana ita ordinanda sit, ut sit iam quaedam inchoatio vitae a sacerdote postea ducendae.

11) Pro relatione inter superiores et alumnos ordinanda proponatur ut paradigma habitudo magistri uberiore scientia et experientia pollentis easque sociis iunioribus fraterne communicantis.

12) Monito, ne erigantur seminaria nimis parva, etiam expresse caveatur, ne sint nimis magna, et foveatur congregatio et collaboratio paucorum semper alumnorum ad modum « conventiculorum » ("team", « équipe », « Gruppe »); nam ita phaenomena « psychologiae massae » efficacius excludi poterunt.

13) Consulatur ut definitiva decisio alumni suscipiendi ordinem sacerdotalem possit esse non solum formaliter, sed etiam realiter libera, i. e. actus elicitus a persona plene matura et adulta.

14) Quare, maxime ubi viget lex caelibatus, curandum est, ut alumnus tempore institutionis decurrente varios vitae humanae campos, secundum quod ad perficiendam humanitatem afferre valeant, experiatur, relationes psychologicas inter sexus vigentes cognoscat, et ipse suam sexualitatem non solum somatice sed etiam psychice evolutam habeat necnon feminae valeat modo simplici et non affectato, culturae respectivae regionis correspondenti, obviam venire.

IV) *Relate ad institutionem spiritualem*: 15) Tota institutio spiritualis adhuc pressius ordinetur in hunc finem: simpliciter vivere secundum Evangelium.

V) *Relate ad studia ecclesiastica recognoscenda*: 16) Sicut necesse est totam institutionem spiritualem condere super fundamento in aliquo tirocinio impensiore ponendo, ita studiis singularum disciplinarum philosophicarum et theologicarum praecedat oportet aliqua introductio in studiorum ordinem et obiectum principale, quod est mysterium Christi seu oeconomia salutis.

17) Statuto principio, quod S. Scriptura universae theologiae sit anima, etiam praecipuae sequelae, quae ex hoc principio fluunt, definite indicentur: iam in initio studiorum explicentur fundamentales enuntiationes Revelationis

Veteris et maxime Novi Testamenti et studium S. Scripturae per totam institutionem sacerdotalem protrahatur. Verumtamen tradenda est non solum exegesis, sed vera quae vocatur theologia biblica, i. e. saltem capita maiora theologiae Synopticorum, theologiae Epistolarum S. Pauli, theologiae corporis Ioannei. Patet in omni institutione biblica non minus ac in ceteris disciplinis theologicis alumnis elucere debere momentum magisterii ecclesiastici tamquam proximae regulae fidei.

18) Caveatur, ne alumni nimia copia materiae pertractandae onerentur.

VI) *Relate ad institutionem stricte pastoralem*: 19) Recipiantur iterum, quae in vetere schemate, n. 22, inc. 3 et 4, de cognoscendis communitatibus acatholicis et religionibus non-christianis habebantur.

20) Recipiatur explicita admonitio, ut alumni regionum extraeuropaearum institui debeant modo culturae eorum congruo neque « europaeizari »; nisi id iam provisum est in schemate *de Missionibus,* ubi talis admonitio cohaerentius poneretur.

Praeterea desideratur: 21) Caput ultimum « De institutione post seminarium perficienda » ad brevissimum epilogum reducatur, cum in « Propositionibus de sacerdotibus » de eadem re fusius agatur.

B - *Adnotationes speciales*. Secundum ea quae supra dicta sunt, emendationes faciendae esse censentur, quae in sequentibus proponuntur modo synthetico, id est praebendo textum emendatum continuum (argumenta de novo introducta indicabuntur Italico charactere, argumenta ex vetere schemate desumpta binis virgulis includentur; cetera, i. e. quae non sunt sic indicata, in ipsis propositionibus iam exstant, saltem quoad sensum):

« Ad Prooemium et partem I (De sacerdotalis institutionis ratione in singulis nationibus ineunda) »:

Ad Prooemium et Prop. 1 (pag. 5, linn. 1-16). Quae in Prop. 1 de « sacerdotalis institutionis ratione » in singulis nationibus vel ritibus ineunda dicuntur, cum ad methodum applicandi ipsa principia generalia, de quibus in prooemio, spectent, apte cum hoc ipso coniungentur. Quo facto et omissis phrasibus quibusdam minoris momenti occasio creatur, ut brevitate textus servata addi possint quaedam verba, quibus relatio institutionis sacerdotalis ad populum Dei (cf. supra desiderata nn. 6-7), ambitus renovationis, qualitas mundi hodierni ad quem adaptatio respiciat, dilucidius indicentur.

Quare prooemium emendatum sic sonet: (Prooemium). Sancta Synodus, probe noscens optatam *Populi Dei qui est* Ecclesia *liturgicam et pastoralem, oecumenicam et missionariam* renovationem *tum ab omnium baptizatorum actione, tum imprimis* a sacerdot*ii hierarchici* ministerio pendere, gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primarias quasdam leges confirmat et novas inducit, quae mutatis temporum rationibus, *i. e. mundo nostro Christi legibus parum formato et societati civili democraticae et pluralisticae, uti aiunt,* aptius respondeant.

Quae leges universales ob ipsam catholici sacerdotii unitatem omni insti-

tutioni sacerdotali cuiusvis ritus necessariae in singulis nationibus vel ritibus, ope peculiaris « sacerdotalis institutionis rationis » ab Episcoporum coetibus statuendae et certis temporibus recognoscendae ad locorum et temporum adiuncta accommodentur.

« Ad partem II (De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis et seligendis) »: (Si pars I, ut commendatum est, contrahatur cum prooemio, haec pars numerabitur I).

Ad titulum uncis inclusum (*inter linn. 16 et 17 paginae 5*): Optatur, ut omittantur verba « et seligendis ».

Ad Prop. 2 (*pag. 5, linn. 17-24*): Omittantur, quae plus minusve iam per se patent; addatur tamen verbum de modo quo communitas christiana promoveat vocationes (scil. vita vive christiana, orationibus, subsidiis materialibus), respiciatur desideratum supradictum n. 1, respiciantur e vetere schemate quae ibi (n. 4, inc. 3) de cura circa regiones sacerdotibus nimis carentes impendenda dicuntur:

(Nova Prop. 1 - Condiciones vocationum fovendarum curandae). Fovendarum vocationum opus ad totam quidem communitatem christianam pertinet, *quae id vita sua plene christiana, sed et* « orationibus » (*Mt.* 9, 38), *subsidiisque materialibus* promoveat; maxime tamen ad familias christianas spectat, *quae dignitatem ministerii sacerdotalis agnoscere discant et* « prompto animo filios a Deo vocatos offerre paratae sint », necnon ad sacerdotes, qui *pueros ad sacerdotium aptos* exemplo suo et *omni alio auxilio* adiuvent.

« Actuosa haec ad vocationes fovendas conspiratio fines singularium dioecesium, nationum atque rituum dilatato corde transcendat oportet, ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios ».

Praeterea hic recipiatur, correspondenter ad praefata desiderata nn. 1 et 13, peculiaris Propositio de vocationis notione, coincidens fere cum n. 2 veteris schematis:

(Nova Prop. 2 - De notione vocationis). « Sed omne opus fovendarum vocationum actioni Divinae Providentiae correspondeat oportet ». *Nam Spiritus Sanctus ipse, qui gratiam dividit prout vult* (*cf. 1 Cor.* 12, 4. 11) *iuvenes* « eligit dotes congruas eis tribuens » *et interna gratia eos vocans et ita* « vocatos, qui tantum munus recta intentione appetentes » *et onera matura deliberatione cognoscentes liberrima decisione se Deo offerunt,* « committit Ecclesiae, quae vocationis signis agnitis comprobatos vocet et Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret ». *Consulatur ut definitiva alumni decisio suscipiendi ordinem sacerdotalem possit esse non solum formaliter sed etiam realiter libera, i. e. actus elicitus a persona plene matura et adulta.*

Ad Prop. 3 (*pag. 5, linn. 25-29*): Quae in Prop. 3 dicuntur, melius transferuntur illuc, ubi de seminariorum (scil. maiorum) ordinatione locutio est (vide infra novam Prop. 7). Hic potius recipienda esse videtur Prop. specialis de seminariis minoribus, quae apte componi poterit ex iis, quae in n. 5 veteris schematis et in Prop. 11 leguntur, accurate prae oculis habitis desideratis

supra sub nn. 3, 4, 13, 14 expositis, quibus vetus schema iam bene correspondebat:

(Nova Prop. 3 - De seminariis minoribus). « Quamvis familiae vere christianae » *et religiosae primum et optimum agrum constituant,* « in quo cum pastorali auxilio sacerdotum vocationes crescant », *pro tuenda contra pericula huius mundi et fovenda puerorum aptitudine saepe necessarium erit erigere* « seminaria minora, collegia vel alias scholas — non omissis specialibus institutis pro iis, qui maturiore demum aetate sequuntur divinam vocationem — in quibus alumni peculiari religiosa conformatione vitam ducant quae secundum sanas psychologiae et paedagogiae normas adolescentium aetati, spiritui et evolutioni plene respondeat, non praetermissa consuetudine cum propria familia ».

Ea humanistica et scientifica institutione *cum periculis publice agnitis* augeantur, qua iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent; « discant praeterea, quae pro futuris studiis ecclesiasticis necessaria sunt », imprimis linguam latinam *et graecam.*

Tota adolescentium aptitudinem ad vocationem ostendentium « institutio congrua rerum humanarum experientia et consuetudine ita componatur, ut iuvenes maturo iudicio et plena libertate vel vocationem sacerdotalem cognoscere ac amplecti vel, si ad vota saecularia transeunt, sine incommodo studia alibi prosequentes » *secundum sacerdotium universale Ecclesiae servire* « valeant ».

« Ad partem IV (Integra institutio fini pastorali cohaerenter aptanda) »: (Haec pars propter ordinem logicum anteponenda esse videtur parti de seminariorum ordinatione agenti).

Ad Prop. 6 (pag. 6, linn. 14-19): Haec Propositio evolvi debet secundum ea, quae supra inter desiderata sub nn. 6 et 7 dicta sunt. In muneribus specifice sacerdotalibus pressius definiendis apte ansa sumetur a triplici munere Christi; pro munere secundo (sacerdotali in sensu strictiore) opportune recurretur ad terminologiam Constitutionis de S. Liturgia. Unde liceat proponere sequentem Propositionem emendatam:

(Nova Pars II: Integra institutio fini pastorali cohaerenter aptanda).

(Nova Prop. 4). « Integra clericorum formatio nullum aliud exemplar prosequatur oportet quam ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum, Magistrum Sacerdotem Pastorem. Quare ad sacerdotalia ministeria obeunda sacrorum alumni », *qui semper memores sint se esse fratres inter fratres in populo Dei,* « formandi sunt » *ad ministerium Verbi*: *ut Verbum Dei revelatum semper melius intelligant, mediantes possideant, lingua et moribus testimonium dent Christi; ad ministerium cultus et sanctificationis*: *ut orantes et sacras liturgicas celebrationes peragentes opus salutis per Sacrificium et Sacramenta exerceant* (cf. *Const. de S. Lit., nn. 6-7*); *ad ministerium Pastoris*: *ut sciant in ministerio Verbi et cultus atque sanctificationis repraesentare membris Christum Caput, qui « non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret*

et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45; cf. *Io.* 13, 12-17) *et ut sciant omnium fieri servi, ut plures lucrifaciant* (cf. *1 Cor.* 9, 19).

Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc finem ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque dent operam omnes moderatores et magistri, episcopi auctoritati fideliter obsequentes.

« Ad partem III (Seminariorum moderatores melius seligendi et efficacius praeparandi) ».

Ad titulum uncis inclusum (*in capite paginae 6*): Cum argumentum praesentis Propositionis 5 et adhuc magis emendationes infra propositae extensionem huius tituli excedant, commendatur, ut retineatur prior inscriptio: « De seminariorum ordinatione ».

Ad Prop. 4 (*pag. 6, linn. 1-7*): Retineatur (sec. nostram novam numerationem erit Prop. 5) prout exstat; cum autem tangat non solum superiores seminariorum, sed quoscumque alumnorum moderatores vel magistros, omisso verbo « seminarium » ita enuntietur:

(Pars III: De seminariorum ordinatione). (Nova Prop. 5 - De moderatorum selectione ac praeparatione). Cum alumnorum institutio ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, *illorum* moderatores et magistri ex optimis viris seligantur atque *profunda theologia* congrua*que* experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta ergo ad hunc finem assequendum vel saltem moderatorum conventus statis temporibus celebrandi promoveantur.

Ad Prop. 5 (*pag. 6, linn. 8-13*): Huius Propositionis prima pars retineatur; altera (inde a verbis: « ut solidae ... ») omitti potest, quia per se patet seu quia quae hic de statutis pro seminariis supradioecesanis condendis dicuntur, videntur iam sufficienter implicata esse in illis, quae in Prooemio efferuntur. Tamen addenda est sententia aliqua secundum ea, quae supra inter desiderata sub n. 12 postulata erant, fere ita:

(Nova Prop. 6 - De seminariorum magnitudine deque communitatum divisione). Ubi singulae dioeceses seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia. *Si autem numerus alumnorum maior evadat quam qui ab uno superiore personali educatione formari possit, dividantur seminaria in plura collegia, retenta institutione scientifica communi, vel subdividantur saltem communitates alumnorum eiusdem seminarii — etiam in parva conventicula (" team ", " équipe ", " Gruppe "), ubi hoc convenire episcopis visum fuerit.*

Praeterea huc cadit argumentum Propositionis 3 de alumnorum probatione, quod, aliquibus additionibus secundum desiderata supra exposita (vide ibi nn. 13-14) auctum, ita enuntiare liceat:

(Nova Prop. 7 - De alumnorum selectione et probatione). Vigilanti cura *et iam ab initio formationis sacerdotalis* inquiratur de candidatorum recta intentione ac idoneitate, de congrua valetudine physica et psychica, *de matu-*

ritate personali et de capacitate sacerdotalia onera ferendi; in selectione vigeat necessaria severitas, etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria, *quia optimum medium ad augendum numerum ordinandorum est lucidum et convincens exemplum ordinatorum.*

Adolescentes pro formatione sacerdotali nondum satis evoluti ab ingressu seminarii arceantur interim alibi educandi; atque ad diversos gradus S. Ordinum ne nimis iuvenes et immaturi ascendant, deliberent episcoporum coetus de augenda aetate canonica pro cuiusque coetus regione.

Insuper hic resumenda esse videntur, quae relate ad tirocinium spirituale instaurandum, ad rerum humanarum experientiam colendam, ad contactum cum aliis fovendum, ad virtutes naturales curandas, ad initiationem praxis pastoralis, ad formationem personalem et socialem in votis habentur (vide supra desiderata nn. 7-10, 13-14), quaeque partim in Propositionibus 9, 10 et 16 vel in nn. 10, 11, 12 (incis. 5) et 16 veteris schematis bene iam habentur. Quare commendatur, ut statim in hac parte ponantur Propositiones sequentes:

(Nova Prop. 8 - De tirocinio spirituali instaurando, rerum humanarum experienia excolenda, contactu cum laicis fovendo, virtutibus naturalibus curandis). « Ut formatio spiritualis » *solide fundetur* « ac roboretur » et ut candidati vocationem sacerdotalem optione matura et deliberata amplectentur, episcoporum erit « semel vel pluries » *longiorem* instaurare periodum impensioris tirocinii spiritualis. Haec *strictior* separatio a mundo *pro vitae spiritualis initiatione* necessaria *alternetur* cum prudenti rerum humanarum experientia, congrua cum familia consuetudine, communicatione et *opere communi cum laicis, ut mundum, in quem mittendi sunt, convenienter cognoscant et ut* omnibus omnia fieri discant. Virtutes *et vires humanas* sedulo curent, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, « modestia cum caritate coniuncta », assidua iustitiae cura, *cum neglectis his naturalibus dotibus earumque valore parvipenso vix credibiles Christi testes effici queant.*

(Nova Prop. 9 - De studiorum interruptione). Propterea, et ut sacerdotii candidatorum *congruae maturitati et* probationi — *praesertim ratione caelibatus, ubi lex viget* — satius consulatur, perpendant episcopi, an opportunum sit statuere quandam studiorum interruptionem, *coniungendam forsan cum initiatione praxis pastoralis vel etiam diaconatu.*

(Nova Prop. 10 - De recta disciplina deque alumnorum formatione personali et sociali). In tota autem periodo educationis sacerdotalis firma principia rectae disciplinae, « quae est fundamentum et incitamentum externum ipsius formationis personalis et socialis », iuxta alumnorum aetatem ita applicentur, ut gradatim sibimetipsis moderari, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere, oboedire, et cum aliis *confratribus et laicis* sociam praestare operam addiscant.

« Ad partem V (De institutione spirituali impensius excolenda) »: (sec. nostram novam numerationem haec pars erit IV).

Ad Propositiones 7-10 (*pag. 6, lin. 20 - pag. 7, lin. 23*): Quae his Proposi-

tionibus continentur, partim alibi ponenda (vide supra novas Propositiones 8 et 10) partim nimis verbosa esse videntur. Quare ita retractentur, ut finis institutionis spiritualis magis concinne describatur, primatus eiusdem extollatur (quia ne optima quidem formatio intellectualis et indolis virum sacerdotalem facit sine formatione religiosa), desideratum supra sub n. 15 enuntiatum expleatur necnon caveatur, ne tota institutio spiritualis ad sola exercitia pia et affectum religiosum excolendum reducatur (neglecta cura omnis profundioris spiritualitatis capacis resistendi mundi periculis). Quae omnia ex elementis quibusdam, quae inveniuntur in Propositionibus 7, 8 et 10, necnon in nn. 12 (inc. 2), 13, 14, 15 veteris schematis, conferte componi possunt in unica Propositione:

(Nova Prop. 11): *Finis institutionis spiritualis sit, ut alumni veri* « orationis viri fiant », qui non honoribus civilibus vel ecclesiasticis se destinari, sed totos servitio Dei et fidelium ministerio se mancipari sciant. Mysterio Ecclesiae ita imbuantur, ut sacerdotio aucti proprio episcopo, tamquam fidi cooperatores laeta oboedientia adhaerentes, testimonium exhibeant illius unitatis, qua homines ad Christum attrahuntur. *Christum quaerant* in Verbo revelato et « in Liturgia, praesertim Eucharistia », *in Ecclesiae Superiore, qui eos mittit, et in membris Christi, praesertim pauperibus, peccatoribus, incredulis* (*Mt.* 25, 40), *ad quos mittuntur; ut a Spiritu Sancto formentur veri amici Christi* (*Io.* 15, 15), *qui sentire in Ecclesia assuescant.*

Formatio spiritualis deficientem aptitudinem intellectus et indolis personalis supplere quidem nequit, tamen « primatum in omni formatione teneat et eius centrum sit ». *Cavendum est, ne formatio spiritualis in solis exercitiis pietatis consistat et solum affectum religiosum excolat.* Sed discant alumni « ex fide in spe et caritate vivere » *et secundum formam Evangelii et spiritum* « Evangelicorum Consiliorum »; *per accommodata experimenta studiis sive durantibus sive interruptis instituenda in pastorali contentione cum mundo se probent capaces, ut in mundo vivant sicut veri Christi discipuli.*

Vita in seminario quotidiana ita sit ordinata, ut sit iam quaedam initiatio vitae a sacerdote postea ducendae.

« Ad partem VI (de studiis praeviis apte ordinandis) »:

Ad Prop. 11 (*pag. 7, linn. 24-29*): Haec pars seu haec propositio omitti potest, argumento eius iam in nova Prop. 3 anticipato.

« Ad partem VII (de studiis ecclesiasticis recognoscendis) »: (secundum nostram novam numerationem: pars V).

Ad Prop. 12 (*pag. 7, lin. 30 - pag. 8, lin. 2*): Haec Propositio complenda esse videtur; resumi debent praesertim ea, quae supra inter desiderata sub nn. 16-18 efferuntur. Iuvabunt etiam aliquae enuntiationes, quae in vetere schemate in nn. 20 et 25 continebantur, imprimis de necessitate verae et profundae formationis — propter quam etiam methodus institutionis tradendae recognitione indigere censetur — et de vitanda nimia copia disciplinarum et lectionum.

(Nova Prop. 12 - De quibusdam principiis fundamentalibus in studiorum

ratione instauranda observandis). *In institutione doctrinali finis formationis sacerdotalis continuo prae oculis habeatur semperque attendatur ad cohaerentiam et continuitatem gressuum formationis. Quare singulae philosophicae et theologicae disciplinae* apte componantur et concordi ratione conspirent ad id, ut alumnorum mentibus magis magisque aperiatur mysterium Christi, quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et in ministerio sacerdotali imprimis operatur.

In initio institutionis doctrinalis providendus est cursus introductorius per aliquod tempus protrahendus et cum tirocinio spirituali apte coordinandus. In quo cursu initiatio in ipsum mysterium Christi *et oeconomiae salutis ita* praebeatur, *ut alumnorum animi captiventur et ad laetum promptumque vocationis obsequium excitentur; principales S. Scripturae materiae brevi in conspectu tradantur; studiorum ecclesiasticorum sensus, finis pastoralis, et ordo late aperiatur.*

Cum vero institutio doctrinalis alumnorum « non in meram notionum communicationem, sed potius in veram et profundam eorumdem formationem » *tendere debeat, methodi didacticae recognoscantur. Nam nec communicatio notionum nec multo minus formatio solis praelectionibus absolvitur; itaque quaerendum est, quidnam melius* « propriis alumnorum conatibus » *et studio privato, quidnam colloquiis et exercitationibus, quid demum praelectionibus sit committendum.*

« Institutio doctrinalis, quamvis omni cum diligentia peragenda sit » *et solido semper fundamento scientifico innitatur oporteat, tamen* « a nimia disciplinarum et lectionum multiplicatione sedulo abstineat, omissis quaestionibus tum illis, quae vix ullum momentum retinent, tum eis, quae ad » *specializata scientifica* « studia remittenda sunt » (*nisi agatur de iis alumnis, qui in specializata studia incumbere debeant*).

Ad Prop. 13 (*pag. 8, linn. 3-8*): Huic Propositioni, assumendae uti iacet, opportune anteponatur verbum de relatione cursus philosophici ad theologicum; quod fieri potest ope textus veteris schematis, n. 20:

(Nova Prop. 13 - De studiis philosophicis apte recognoscendis) « In cursu philosophico, qui est theologico propaedeuticus ideoque cum eodem arcte et harmonice coordinandus », philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni perennis philosophiae principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim acquirant; alia quoque systemata philosophica, praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentiores scientiarum progressus cognoscant, ut suae aetatis mentem melius percipiant eiusque quaestionibus apte respondere valeant.

Ad Prop. 14 (*pag. 8, linn. 9-16*): Haec Propositio remaneat sicut est; compleatur tamen ita, ut magis explicite monstretur, quo sensu et modo S. Scriptura universae theologiae veluti anima sit oporteat (cf. supra inter desiderata, n. 17). Unde proponitur sequens textus:

(Nova Prop. 14 - De studiis theologicis instaurandis). Sacra Scriptura, *cum sit fons excellens omnis cognitionis theologicae necnon materia praeci-*

pua ecclesiasticae praedicationis, universae theologiae veluti anima sit oportet; *unde saltem omnes illae eius partes, quae continent principalia capita revelationis Veteris Testamenti et praedicationis apostolicae, imprimis vero Evangelium Domini, praelectionibus pertractandae sunt. Tradatur non solum textuum sacrorum exegesis seu interpretatio, sed etiam vera, quae dicitur, theologia biblica,* ita ut « singuli tractatus dogmatici » *et etiam aliae principaliores disciplinae theologicae, uti sunt moralis, spiritualis, liturgica, canonistica, pastoralis et socialis faciliter in illis fundari et ex illis sub ductu magisterii ecclesiastici evolvi possint.*

Ex hoc S. Scripturae studio *in cursu introductorio inchoato atque per totam institutionis sacerdotalis periodum continuando* necnon ex pertractatione SS. Patrum totiusque traditionis — spectata etiam eius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — mysteria salutis alumni conspiciant, intime *et scientifice* penetrent, *praesertim* Angelico Doctore magistro; eademque in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere edoceantur, propriae vitae spiritualis reddant alimentum, atque in sacerdotalis ministerii exercitio ad mutabiles rerum condiciones applicare et modo coaevis hominibus aptato communicare discant.

Ad Prop. 15 (pag. 8, linn. 17-21): Ut unitas formationis pro omnibus alumnis melius servetur, textus sic mutetur:

(Nova Prop. 15 - De studiis specializatis). Ii vero, qui episcopi iudicio in *ulteriora vel specializata* studia incumbere debent, *ea in suis propriis institutis ad haec aptis vel* in ecclesiasticis Facultatibus vel etiam in Universitatibus absolvant, ubi secundum rationem studiorum apte recognitam, methodo scientifica, crebris imprimis exercitationibus sub professorum personali ductu accurate formentur, *seu dum fundamentalia studia absolvunt, seu his studiis iam absolutis.*

« Ad partem VIII (De institutione stricte pastorali promovenda) »: (secundum nostram novam numerationem: Pars VI).

Ad Prop. 16 (pag. 8, linn. 22-27): Hic locus aptus esse videtur, ubi verbum de communitatibus acatholicis et religionibus non-christianis (cf. supra desideratum n. 19) inseratur:

(Nova Prop. 16 - Praecipua quaedam monita de institutione pastorali). Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus clericorum institutionem informare debet, postulat etiam ut alumni diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in praedicatione et catechesi, in administratione sacramentorum *et omni* cultu liturgico, in animarum moderandarum arte, *in operibus caritatis,* in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus *et socialibus* muneribus.

« Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam. Introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulga-

tas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant ».

Ad Prop. 17 (pag. 8, linn. 28-34): Propositio placet, sed secundum desiderata (vide supra nn. 7 et 20) aliquantulum fusius de familiaritate cum laicis, praesertim in culturis extraeuropaeis (nisi hoc tractetur in schemate de Missionibus), agendum esse videtur. Quare Propositio fere ita compleatur, adhibito etiam textu aliquo veteris schematis (vide ibi n. 23 d):

(Nova Prop. 17 - De institutione ad apostolatum et cooperationem cum laicis). Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive psychologicae, sive sociologicae, sive paedagogicae afferre valent, iuxta rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item *discant laicos audire cumque iis in apostolatu cooperare et* ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur; atque « cum efficacioribus formationis laicorum methodis necnon cum potioribus ipsorum associationibus atque apostolicis inceptis reddantur familiares ». Eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitatibus respicere assuescant.

Necessitas servandi familiaritatem cum laicis eorumque cultura maxime urget, ubi exstant veteres et evolutae culturae, nec ibi alumni a mente et traditione propriae nationis abalienentur.

Ad Prop. 18 (pag. 9, linn. 1-6): Commendatur, ut in hac Propositione introducantur brevis phrasis de promovenda propria responsabilitate. - In fine, qui erit simul finis totius expositionis, addi poterit secundum desideratum n. 11 verbum de habitudine inter alumnos et superiores.

(Nova Prop. 18 - De initiatione praxis pastoralis). Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant *et propria responsabilitate et impulsu agere valeant,* iam inde a studiorum tempore iidem praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti episcoporum iudicio, methodice et sub peritorum magistrorum ductu fieri debent.

Habitudo vero vigens inter magistros et alumnos libera sit a quovis sensu dominationis arrogantis vel blandae subiectionis infantilis et tota ad imaginem magistri uberiore scientia et experientia pollentis easque sociis iunioribus secum conviventibus communicantis efformetur, quod valeat praesertim in introducendo alumnos in praxim pastoralem, sed etiam in tota institutione sacerdotali.

« Ad partem IX (De institutione post seminarium perficienda): »

Ad Prop. 19 (pag. 9, linn. 7-13): Propter rationes supra (vide desideratum n. 21) indicatas haec pars ad brevem epilogum redigi poterit:

(*Epilogus*). *Sacrorum alumnorum institutio sacerdotali ordinatione non terminatur. Opus est ut novelli sacerdotes a fratribus maioribus in sacrum suum ministerium diligenter introducantur. Episcoporum vero est continuae eorum ulteriori formationi consulere.*

[*Subscripserunt*] D. card. Ioseph Frings, arch. Colonien.; D. card. Iulius Döpfner, arch. Mon. et Fris.; Alfred Bengsch, ep. Berolinensis; Adolf Bolte, ep. Fuldensis; Guillaume P. B. Cobben, ep. Helsinkiensis; Isidor Markus Emanuel, ep. Spirensis; Rudolf Graber, ep. Ratisbonensis; Ioseph Hasler, ep. S. Galli; Lorenz Jäger, arch. Paderbornensis; Heinrich Maria Janssen, ep. Hildeseiensis; Wilhelm Kempf, ep. Limburgensis; Ioseph Köstner, ep. Gurcensis; Simon Konrad Landersdorfer, ep. Passaviensis; Stefan Laszlo, ep. Sideropolitanus; Karl Joseph Leiprecht, ep. Rottenburgensis; Leo Lommel, ep. Luxemburgensis; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis; Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis; Paulus Rusch, ep. tit., adm. ap. Oenipontanus; Hermann Schäufele, arch. Friburgensis; Josef Schneider, arch. Bambergensis; Josef Schoiswohl, ep. Grecensis-Seccoviensis; Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis; Otto Spülbeck, ep. Misniensis; Josef Stangl, ep. Herbipolensis; Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vind.; Matthias Wehr, ep. Trevirensis; Hermann Volk, ep. Moguntinus; Helmut Herman Wittler, ep. Osnabrugensis; Franz Zak, ep. S. Hippolyti; Ioachim Ammann, ep. tit. Münsterschwarzach; Iulius Angerhausen, ep. aux., Essen; Hugo Aufderbeck, ep. aux., Erfurt; Ioseph Aufderbeck, ep. aux., Aachen; Berthold Bühl, ep. tit., Landshut; Wilhelm Cleven, ep. aux., Köln; Ioseph Ferche, ep. aux., Köln; Augustin Frotz, ep. aux., Köln; Edgar Anton Häring, ep. tit., Ingolstadt; Ioseph Hiltl, ep. aux., Regensburg; Franz Jachym, arch.-coad., Wien; Walther Kampe, ep. aux., Limburg; Alfons Kempf, ep. aux., Würzburg; Johann Lenhardt, ep. aux., Bamberg; Heinrich Pachowiak, ep. aux., Hildesheim; Leo Pietsch, ep. aux., Graz; Otto Raible, ep. tit., Limburg; Josef Maria Reuss, ep. aux., Mainz; Friedrich Rintelen, ep. aux., Magdeburg; Gerhard Schaffran, ep. tit., vic. cap., Görlitz; Eduard Schick, ep. aux., Fulda; Bernhard Schräder, ep. aux., Schwerin-Lankow; Wilhelm Sedlmeier, ep. aux., Rottenburg; Heinrich Tenhumberg, ep. aux., Münster; Bruno Wechner, ep. aux., Feldkirch; Josef Zimmermann, ep. aux., Augsburg; Platon Kornyliak, exarcha apost.; P. Basilius Niederberger, abbas-praeses; P. Benedikt Reetz, archiabbas; P. Maurus Riha, abbas-praeses; P. Raimund Tschudy, abbas nullius; P. Karl Braunsdorfer, abbas-praeses; P. Suso Brechter, archiabbas; P. Heinrich Groner, abbas nullius; J. Ioannes Hoeck, abbas-praeses; P. Gebhard Koberger, abbas generalis.

APPENDIX

II

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SCHOLIS CATHOLICIS * [7]

PROOEMIUM

1. Nostra aetate homines comperimus maxime laborantes ut veritas et scientia de rebus creatis in pleniorem omnium gentium fruitionem veniant; nationalibus atque internationalibus inceptis, ignorantiam simul et famem ac pauperiem vincere conantur, atque litterarum et artium cultum extollere; magis in dies rerum naturam perscrutantur et penetrant, vitam pluris faciunt eamque melius firmant et tuentur, atque socialem ordinem aptius ordinare student.

Sancta Christi Ecclesia in hac universali virium coniunctione suas habet partes; ipsa enim, munere a Conditore suo accepto pro omnibus temporibus omnibusque gentibus: « Euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19), « Praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15), Christi doctrinam ac vitam hominibus iugiter transmittit in quibuscumque vivunt temporum ac rerum adiunctis.

2. Inter praecipua vero subsidia ad bonum singulorum et societatis efficiendum est educatio, qua pueri ad absolutam personae humanae formationem assequendam iuvantur. Ecclesiae igitur, cuius est nuntium salutis communicare, maximae curae est

---

* *In initio fasciculi legitur*:

« Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis »

[7] christiana educatio, qua homines et christianos formet, mundi cives et heredes futuri saeculi. Etenim Ecclesia, quae hominis sanctificationem et mundi consecrationem expetit, in educationis opere nullum virtutum ac virium humanarum aspectum praeterit nec praeterire potest, sed humanam atque christianam perfectionem intendens, quae sunt hominis non negligit, at summam complectitur naturae et gratiae, temporalium atque aeternorum.

3. Saeculorum decursu subsequentes hominum generationes tot scholarum genera excogitarunt ad parentes in naturali educandi officio iuvandos, et communitates humanae tot educationis instituta erexerunt ad iuvenes instituendos et muneribus in socie-
[8] tate exercendis praeparandos. Ecclesia quoque hominum educationem assidue excolens, scholas condidit diversorum temporum adiunctis accommodatas, cuiusvis generis et gradus, ab infimis pro pueris a litterarum exordiis erudiendis, ad supremas studiorum Universitates, quarum liberalissima fuit fautrix atque patrona, maximum earum momentum agnoscens pro societate christiana ac pro universa hominum consortione, cum media veluti in vita collocentur.

4. Nostrae vero aetatis signum et honor est amplissima scholarum varietas, quae admirationem excitat atque humanitatem nobilitat. Cum homines singuli tum hominum consociationes, cum societates civiles tum ecclesiastica instituta novas in dies ubique scholas aperiunt, atque alii aliis hominibus cuiuscumque gentis vel nationis liberale ad iuventutem formandam praestant auxilium, magistros suppeditantes ac didactica subsidia. Inde magno afficiuntur gaudio quotquot hominum felicitatis solliciti sunt, cum contemplari liceat crescentem scholarum multitudinem pro parvulis, pro pueris atque puellis, instructionis primariae et mediae, technicae et specialis, quae ampliores in dies partes populorum attingit, necnon ingentiorem numerum iuvenum qui ad studia in Universitatibus accedunt.

5. Quapropter Sancta Mater Ecclesia, quae catholicas scholas habet sanctum ministerium in Dei honorem hominumque servitium, educationis causam ad singularum personarum et familiarum omniumque populorum bonum promovere exoptat, ac suam de educanda atque instituenda iuventute doctrinam diuturnamque experientiam suis filiis et universo generi humano offert, ut hac ratione, media inter hominum generationes stans, cum hominibus bonae voluntatis ad cooperandum semper parata, per viam veritatis et amoris suum finem attingat.

I – DE EDUCATIONE [8]

6. Quaevis recta educatio totum hominem complecti debet ac perfecta et absoluta sit oportet. Omnes homines, utpote personae, subiecta iurium et obligationum, cuiusvis sint stirpis, condicionis et aetatis, imprimis vero pueri, primarium ac nativum ius habent ad illam educationem integralem, physicam nempe, intel-
lectualem, technicam, socialem, moralem et religiosam, sine qua [9]
fines sibi proprios consequi nequeunt. Quod ius ab Ecclesia constanter vindicatum, magis in dies etiam in universalibus humanorum iurium declarationibus aperte agnoscitur.

7. [*Quibus munus educationis incumbat*]. *a*) Munus educationis impertiendae, prae ceteris omnibus ex iure naturali *Familiae* competit, quae verum germanumque educationis sacrarium efficit. Parentes enim, vi muneris ipsis proprii, prolem educandi et gravissima obligatione tenentur et inviolabili iure fruuntur, quae eas tantum patiuntur limitationes, quas ipsa lex naturalis vel divina positiva postulant. Quod si parentes, quamvis ob causam, prolis educandae munus aliis delegaverint, gravi tamen obligatione semper tenentur universum opus educationis vigilanti cura probandi necnon assiduo iuvandi concursu.

b) Neque sola Familia, ex lege naturali, educandi officio tenetur, sed ceteris quoque humanis consociationibus imprimisque ipsi *Rei Publicae* officia et iura, ex natura et amplitudine proprii finis temporalis definienda, hac in re competunt: proprium ac nativum circa ea quae hunc finem consequendum specifice respiciunt; subsidiarium vero vel etiam aliquando cumulativum, quoad cetera, cum Civitas, cuius est bono communi providere, civium iura et officia defendere, adiuvare et, si opus fuerit, supplere debeat.

c) Singulari deinde ratione hoc officium et ius ad *Ecclesiam* spectat; quod ad religiosam et moralem educationem attinet, ex positiva institutione divina, cum ipsi infallibile et universale magisterium atque spiritualis maternitatis munus concredita sint a Deo; quoad ceteros vero humanae vitae aspectus, etiam ad ordinem naturalem pertinentes, quatenus iuvant ad proprium finem assequendum.

d) Cum autem haec triplicis ordinis munera ad idem subiectum referantur, Familia, Ecclesia et Civitas, in educatione impertienda cooperentur oportet, particularibus quoque, si casus ferat, initis conventionibus.

[10] II – DE SCHOLIS CATHOLICIS IN GENERE

A) Fundamentalia de scholis principia

8. [*Finis scholae proprius*]. Inter praecipua educationis subsidia agnoscitur schola, quippe quae ipsa natura sua, efficax instrumentum sit cum veritatis communicandae tum educationis impertiendae.

Ipsius proinde finis est veritatem constanter perquirere, fideliter communicare, humanumque progressum indesinenter promovere, simul vero virtutes humanas excolere, ita ut probi efformentur homines, qui, proprii officii conscientia ducti, domesticam vitam ac socialem actionem in bonum temporale et aeternum valide dirigere haud nesciant.

9. [*Libertas scholae*]. Cum veritas commune patrimonium sit et iura conscientiae numquam violari liceat, libertas scholae non secus ac ceterae humanae libertates ad inalienabilia hominis iura pertinet, dummodo in alumnorum vel boni communis detrimentum ne vertat. Haec scholae libertas, quam Ecclesia, Familiae, societates privatae itemque singuli homines iure meritoque propugnant, respicit tam erectionem scholarum quam rectam earum electionem, ea qua par est libertate faciendam.

Propterea publicae auctoritatis officium est res ita disponere ut ad ipsius boni communis emolumentum, parentes et cives in eligenda schola hac vera gaudeant libertate. Quare dum laudibus cumulatur Res Publica quae scholas multiplicat earumque progressum omni ope procurat, validum parentibus praestans auxilium ac bonum commune efficaciter promovens, scholae monopolium reprobatur, quippe quod ex errata circa iurium originem et naturam opinione procedat, legitimae conscientiae libertati obstet, ideoque in recentioribus quoque internationalibus conventionibus merito reicitur.

10. [*Scholarum sustentatio*]. Cum scholae quae non ex ipsa pendet Re Publica commune etiam provehant bonum, publici aerarii officium est eas quoque sustentandi; ipsa enim iustitia distributiva postulat, ut tributa pro scholarum sustentatione ab omnibus soluta ad cunctorum scholas sustentandas, et quidem absque ulla personarum acceptione vel distinctione, aequa ratione erogentur, prout in nonnullis regionibus iam laudabiliter fit.

B) Peculiares de scholis catholicis normae [11]

11. [*Scholae catholicae dotes*]. Ea dumtaxat schola vere catholica est censenda, in qua tota instructio ac doctrina eiusque ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri ad quamlibet disciplinam quod pertinet, ceteraque omnia, in quibus alumnus versatur, christiano spiritu sint imbuta, atque imprimis religiosa impertiatur instructio sub Ecclesiae ductu. Quae notae igitur in omni schola catholica inveniantur oportet: sive in scholis ab ipsa auctoritate ecclesiastica actu iuridico probatis vel erectis ita ut scholae iuris publici ecclesiastici sint et stricto sensu scholae Ecclesiae vocentur, sive in scholis ab ipsis fidelibus eorumque associationibus conditis et directis.

12. [*Scholae catholicae perfectio quaerenda*]. Cum schola tantum momentum paedagogicum, sociale, morale ac religiosum habeat, summopere curandum erit, ut scholae catholicae eas condiciones adimpleant, quae ad educandi munus rite obeundum omnino requiruntur. Ipsae videlicet magistrorum peritia ac numero, alumnorum ordine ac disciplina, instituendi ac docendi methodis, paedagogicisque ac didacticis subsidiis ita emineant, ut in publica ac privatorum opinione optima fama ubique gaudeant; praesertim vero sensu ac spiritu christiano praecellant.

13. [*Scholae catholicae fovendae*]. Sancta Oecumenica Synodus summopere commendat, ut, pro rerum ac locorum adiunctis, scholae catholicae ubique impense foveantur. Quae specialis commendatio spectat ad omnes scholas inferiores et medias, superiores et universitarias, ac pariter, in hodiernis praesertim societatis condicionibus, ad scholas quae professionales vel technicae nuncupantur, aliasque institutiones sive pro erudiendis adultis sive pro iis qui ob defectum naturae speciali cura indigent.

14. [*Magistrorum formatio, iura et officia*]. Officium est auctoritatis ecclesiasticae quae rei scholasticae praeest diligenter providere accuratae magistrorum formationi religiosae, scientificae et paedagogicae, etiam titulis academicis comprobandae. Eidem auctoritati ecclesiasticae competit prospicere ut magistri sui status iuribus, imprimis quoad iustam suam mercedem et rectam veritatis profitendae libertatem, gaudeant. Meminerint vero magistri munus a parentibus et ab Ecclesia sibi esse commissum.
Quare propriam formationem in dies perficere conentur ut assump- [12]
tum opus perfectius exercere valeant, atque spiritu apostolico imbuti et sincero erga discipulos amore, sensum Christi et Eccle-

[12] siae cum iis communicare studeant eorumque socialem ac civicam formationem sedulo promoveant.

15. [*Parentum officium*]. Parentes gravi obligatione morali tenentur liberos suos ad scholas catholicas, ubi fieri potest, mittendi, secus vero liberorum formationem moralem et religiosam opportune complendi. Curandum quoque est ut parentum consilia vel associationes constituantur quibus collaborationi familias inter et scholas faveatur.

16. [*Conscientia fidelium et publica opinio efformandae*]. Oportet praeterea tota communitas christiana in variis regionibus momentum educationis christianae ac finem scholae catholicae discat et agnoscat eaque ut rem gravissimi momenti tractet atque scholae libertatem et instructionem religiosam ac moralem cordi habeat atque verbis et factis procuret.

17. [*Scholarum catholicarum coordinatio et cooperatio*]. Cum illa cohaerentiae necessitas quae in rebus nationalibus et internationalibus altius in dies exprimitur, etiam in re scholastica sese manifestet, scholarum catholicarum coordinatio dioecesana et regionalis, nationalis et internationalis, omni ope curanda est ab episcopis et a coetibus episcopalibus, sub Apostolicae Sedis ductu, ad scholarum aptationem et renovationem magnopere fovendam, specifica tamen indole atque iuribus servatis scholarum tum episcopalium et religiosorum tum laicorum consociationum.

Quare clerus dioecesanus, familiae religiosae, parentes et magistri in educationis opere mutuum sibi adiutorium efficaciter praebeant; omnesque insuper una cum fidelibus, qui operibus apostolatus sese devovent, unanimiter procedant. Impense quoque foveatur cooperatio Auctoritatibus civilibus praestanda, atque cum illis organizationibus nationalibus et internationalibus, quae iura hominis, praecipue vero pueri, defendere sincero animo conantur, amica habeatur necessitudo, ut ita non solum iniustae dispositiones vel usurpationes efficacius praecaveantur, sed ipsa etiam christianae instructionis et educationis causa maius in dies capiat emolumentum.

[13] III – DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

18. [*De momento superiorum studiorum in Ecclesia*]. Inter omnes scholas catholicas Ecclesia particulari cura prosequitur Universitates studiorum, in quibus non solum sacras disciplinas,

quae ad fidei illustrationem directe pertinet, sed etiam profanas, [13] quae ad mundi hominisque cognitionem tendunt, impense colere nititur ad pleniorem veritatis inquisitionem, hominis perfectionem ac societatis progressum. Sane quidem, cum veritas veritati non opponatur, proprium est Universitatum catholicarum ea quae Deus sive per Verbum revelationis sive per opera creationis manifestavit, omnibus viribus investigare discipulisque summa cura tradere, ita ut in Ecclesia et in mundo homines vere docti, ad propria officia optime praeparati et strenui fidei testes efficiantur.

19. [*De Studiorum Universitatum et Facultatum erectione*]. Ideo Sedes Apostolica Universitates et Facultates catholicas erigit et approbat, quibus publica, stabilis et universalis praesentia mentis christianae fiat in variis disciplinis; atque promoveatur illa rerum universarum recta interpretatio, quae christianae revelationis tantum lumine plene haberi potest.

Quam ob rem haec Sancta Synodus exoptat ut in omnibus orbis terrarum partibus Universitates vel Facultates catholicae habeantur, quae grave munus sibi commissum exsequi valeant sub illius Dicasterii moderamine, cui Studiorum Universitatum cura commissa est et quod virorum vere peritorum ex variis nationibus variisque disciplinis eligendorum auxilio adiuvabitur.

Dum enixe gratiae aguntur singulis hominibus, consociationibus et Auctoritatibus civilibus quae subsidiis scientificis, auxiliis moralibus et pecuniariis Universitates catholicas iam adiuvant, haec Sancta Synodus mandat ut omnes christifideles de Universitatum in Ecclesia necessitate plenius doceantur et catholicarum virium consociatio ad uberiora paranda pro studiis academicis subsidia quam maxime foveatur.

20. [*De Universitatibus et Facultatibus Studiorum ecclesiasticorum*]. Imprimis Ecclesia promovet Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum, quippe quorum obiectum sint disciplinae sacrae necnon cum sacris connexae et quae praecipue a clericis celebrantur, qui destinantur ad magisterium in Seminariis et in Universitatibus exercendum, ad ipsas sacras disciplinas [14] propria opera promovendas, ad peculiaria ecclesiastica munera obeunda.

Peculiaria pro his Universitatibus et Facultatibus habeantur statuta ab Apostolica Sede approbata, quibus tota ratio studiorum accurate determinetur; imprimis distinguantur cursus fundamentales a cursibus specializationis in quibus singulae disciplinarum partes per congruum tempus altius pervestigentur; exercitationes

[14] inculcentur quibus alumni in opus scientificum sub ductu professorum gradatim inducantur.

Cum scientiarum progressus congruentem potissimum requirat methodum, eadem Sancta Synodus enixe hortatur ut omnes magistri cum in tradendis tum in investigandis disciplinis, propriae methodi quam accuratissime rationem habeant.

Apprime Theologiae et philosophiae quaestiones praesertim speculativae pertractentur ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia; iusta quoque consideratio habeatur eorum quae verus scientiae progressus invexit, quibusque disciplinae ecclesiasticae iuxta propriam naturam apte et tuto promoveri possunt et debent.

21. [*De Universitatibus et Facultatibus Studiorum saecularium*]. Universitates et Facultates catholicae studiorum saecularium maxima quoque excolantur cura, proprium cuiusque obiectum scientifica ratione investigantes. Praeter accuratam in variis disciplinis institutionem, alumnorum formatio quoque religiosa necnon moralis ac socialis diligenter foveatur et illorum problematum investigatio promoveatur, de quibus et profanae et sacrae suo modo agunt scientiae, ita ut fidei cum ratione consensio eluceat. Ideo in omni Universitate catholica studium sacrae Theologiae adsit sive ut Facultas sive ut peculiare institutum, quod totius Universitatis veluti centrum sit.

22. [*De Institutis investigationis scientificae*]. Cum scientiae per investigationes particulares altioris scientifici valoris praecipue proficiant, in Universitatibus et Facultatibus catholicis instituta maxime foveantur, quae primarie investigationi scientificae promovendae inserviant. Hisce institutis praesto sint viri vere periti, opportuna subsidia, aptae cooperationis rationes, ita ut non solum altior veritatis cognitio obtineatur, sed etiam fructus
[15] uberes in utilitatem cum ipsius operae scientificae tum apostolatus percipiantur.

23. [*De Universitatum et Facultatum catholicarum frequentatione*]. Curent praeterea Ordinarii loci ut, quos ex clericis scientiis colendis aptiores cognoverint, eos studiorum ecclesiasticorum praesertim Universitatibus et Facultatibus formandos committant.

Pariter sedulo moneant fideles ut catholicas Universitates et Facultates, ubi exstant, frequentent. Earum aditus alumnis congruis dotibus praeditis facile pateat, iis imprimis qui maioris sunt spei etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico ac fraterno

[15] recipiantur qui aliis ex nationibus adveniunt, ita ut litteris scientiisque alte instituti ac simul religione moribusque convenienter formati, in patriam reversi, propriis rite fungantur muneribus ad maius cum Ecclesiae tum Societatis civilis bonum.

24. [*De Facultatum et Universitatum collaboratione*]. In quavis Facultate diversae disciplinae, in omni autem Universitate variae Facultates mutuam sibi, prout obiectum sinit, praestent operam. Immo ipsae Universitates mutua inter sese operae coniunctione conspirent, conventus internationales coniunctim promovendo, scientificas investigationes inter sese distribuendo, inventa ad invicem communicando ac magistros ad tempus inter se permutando et cetera quae ad maiorem collaborationem conferunt provehendo.

25. [*De Universitatibus catholicis supplendis ubi erigi nequeunt*]. In urbibus universitariis, praecipue ubi catholicae Universitates non exstant, animarum Pastores congruum procurent auxilium iis qui civiles Universitates frequentant, ac Centra universitaria instituant, quae spirituale auxilium praestent atque, hospitiis pro studentibus institutis, morale praesidium offerant, et disciplinarum studium promoveant harmonica fidei et scientiae consensione, theologico quoque magisterio, ubi opportune fieri potest, in ipsa civili Universitate instituto.

26. [*De scientifica actione extra Universitates catholicas*]. Summopere quoque Sancta Synodus commendat ut docti catholici etiam extra Universitates catholicas veritatem perscrutandam in bonum commune sedulo promoveant, cum investigatione scientifica et docendi munere in civilibus Universitatibus, tum constanti [16] scientifico commercio cum viris scientia egregiis. Curandum quoque est ut iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive civilium Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores sunt, peculiari cura excolantur et ad magisteria in Universitatibus suscipienda promoveantur, quo latius et penitius veritatis fructus praebere atque plurimos ad lucem quoque Evangelii accipiendam perducere valeant.

[17]

APPENDIX I *

INSTRUCTIONIS

DE SCHOLIS CATHOLICIS

Auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II conficiendae prima lineamenta adumbrata a Commissione de Seminariis, de Studiis et de Educatione catholica

INTRODUCTIO

Brevis conspectus historicus, ex quo apparet constans Ecclesiae sollicitudo de educatione christiana, praesertim iuventutis, ac de scholarum cuiusvis generis et gradus institutione.

Doctrina recentissimorum Pontificum, praesertim Pii XI, in litteris Encyclicis *Divini illius Magistri*, et Pii XII denuo confirmatur.

I – DE EDUCATIONE CHRISTIANA

1. Describuntur natura, momentum ac necessitas hodierna educationis christianae;

2. Memorantur praecipui errores circa educationem hodie serpentes;

3. Indicantur graviora educationis impedimenta;

4. Exponuntur, brevi saltem synthesi, praecipua instrumenta, quibus Ecclesia utitur in educatione impertienda:

[18] *a*) supernaturalia:

— actiones liturgicae: sacramenta et integer cultus divinus publicus

---

* De quaestionibus, quae in hisce Appendicibus proponuntur, nulla fiet disceptatio in Congregationibus Generalibus, sed unusquisque Pater Conciliaris libere poterit animadversiones suas *scripto* facere easque tradere Secretario Generali Concilii.

Appendices autem, iussu ipsius Sacrosancti Concilii, remittentur una cum omnibus animadversionibus a Patribus prolatis ad Commissionem de reformando Codice I. C. vel ad alias Commissiones quae Directoria pastoralia redigenda curabunt.

— actiones paraliturgicae [18]
— praedicatio verbi Dei et catechesis
— exercitia pietatis
— opera apostolatus;

b) naturalia:

— scholae
— Consociationes iuventutis educandae ceteraeque associationes culturales, gymnasticae, ludicrae etc.
— prelum, cinema, radiophonium, televisorium, etc.

II – De scholis catholicis

1. *Momentum hodiernum et finis scholae catholicae*:

a) Ostenduntur momentum, utilitas ac necessitas scholae catholicae;

b) Unde deducitur necessitas habendi systema completum scholarum catholicarum:

— sive quoad gradus scholarum
— sive quoad earundem genus;

c) Recensentur:

— praecipui errores circa scholam
— praecipuae accusationes contra scholam catholicam: sive ex parte adversariorum, sive ex parte catholicorum
— praecipui defectus scholarum catholicarum;

d) Significatur finis scholae catholicae proprius:

— positive: optima instructio, educatio christiana, consolidatio et propagatio fidei;
— negative: praeservatio fidei.

2. *Renovatio scholae catholicae*:

a) Ministerium scholarum verum apostolatum efficit;

b) Hic apostolatus requirit veram et specificam vocationem;

c) Elementa scholae catholicae:

— materialia:

Aedificia

Organizatio scholastica:

– libri
– subsidia paedagogica [19]
– subsidia didactica
– ordo et disciplina
– methodi;

[19] — formalia:
spiritus christianus
optima instructio religiosa et moralis
ductus ac vigilantia Ecclesiae
approbatio vel erectio et directio ab auctoritate ecclesiastica peracta, si agitur de scholis iuris publici ecclesiastici.

III – Actio pro renovatione et progressu scholae catholicae

1. *Fines assequendi*:
— informatio conscientiae fidelium
— informatio opinionis publicae
— actio efficax ad tuenda iura et implenda officia
— iustae leges ferendae
— legitima libertas scholae
— aequa subsidia oeconomica
— universalis accessus ad scholam catholicam
— optima instructio et educatio.

2. *Praecipui factores seu agentes*:
a) actio Ecclesiae erga scholam;
b) actio familiae erga scholam;
c) actio fidelium erga scholam;
d) actio consociationum catholicarum erga scholam;
e) actio Civitatis erga scholam.

3. *Potiora instrumenta adhibenda*:
— Concordata et conventiones
— Prelum, radiophonium, televisio aliaque communicationis socialis instrumenta
— Conventus regionales, nationales vel internationales educatorum, parentum vel alumnorum scholarum superiorum
— Consociationes parentum, vel scholarium catholicorum
— Consociationes nationales et internationales collegiorum catholicorum
[20] — Magistrorum ac professorum consociationes
— Consociationes Alumnorum et ex-Alumnorum
— Actio catholica
— Internationales catholicae consociationes
— Cooperatio cum aliis Consociationibus Internatio-

nalibus, quae rectam educationem et iura pueri sincero animo propugnant [20]

— Actio legumlatorum popularium catholicorum
— Consociationes etiam civiles, si casus ferat
— Iura civilia in comitiis administrativis et politicis exercenda.

IV – Organizatio et cooperatio

Illustrantur varii organizationis gradus et normae ad mutuam validamque cooperationem praestandam.

Alligatum ad Instructionem

Classificatio scholarum et terminologia.

a) Classificationes quae fieri possunt ratione habita:
— instructionis
— adspectus religiosi
— alumnorum
— magistrorum
— status iuridici, etc.

b) Adumbratio nonnullorum systematum apud varias nationes hodie vigentium.

c) Definiuntur sensus terminorum, quae in documentis ecclesiasticis adhibentur, eorumque coordinatio cum terminis apud varias nationes usurpatis.

APPENDIX II [21]

Instructionis

DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

Auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II conficiendae prima lineamenta adumbrata a Commissione de Seminariis, de Studiis et de Educatione catholica

I

1. In omnibus orbis terrarum partibus Universitates et Facultates Catholicae sive Studiorum ecclesiasticorum sive saecularium habeantur.

2. Doceantur christifideles de Universitatum in Ecclesia necessitate.

[21] — Catholicarum virium aptae condantur vel foveantur consociationes quae subsidia ad superiora studia sustentanda parent.

— Apostolicae Sedis Dicasterium cui Studiorum Universitatum cura commissa est, virorum vere peritorum consilio adiuvetur, qui ex variis mundi partibus diversisque disciplinis eligendi sunt.

3. Novae Universitates et Facultates catholicae erigantur ubi temporum ac rerum rationes hoc expostulant, dummodo magistri, bibliothecae, aedificia, subsidia praesto sint ea perfectione et mensura, quae in tam gravi negotio nostris potissimum temporibus requiruntur.

Qualitas potius quam numerus Universitatum catholicarum curari debet, cum melius sit paucas florentes habere quam multas languentes.

[22]

II

De Universitatibus et Facultatibus Studiorum Ecclesiasticorum

4. Universitates et Facultates Studiorum Ecclesiasticorum imprimis clericos, a quibus praecipue celebrantur, apte praeparent ad magisterium in Seminariis et in ipsis Universitatibus exercendum, ad scientias sacras et cum sacris connexas altius investigandas et excolendas atque ad peculiaria in Ecclesia munera obeunda.

Curent insuper Episcopi ut ad huiusmodi superiora studia ecclesiastica peragenda invitentur et adiuventur etiam laici qui altiores professiones, imprimis magisteria quaelibet, formatione religiosa perfectiore imbuti, exerceant.

5. In Universitatibus Ecclesiasticis duplex instituatur biennium studiorum ad gradus academicos in *Philosophia* assequendos; alterum Philosophiae scholasticae, alterum specializationis.

Biennium Philosophiae scholasticae ab omnibus clericis peragendum, sic in Facultatibus ecclesiasticis perficiatur ut alumni non solum ad studia theologica sed etiam ad altiora studia philosophica excolenda apte instruantur. Auditores igitur accuratissime in fundamenta syntheseos Doctoris Angelici inducantur quae ad philosophiam spectant; ita ut ad hanc plene cohaerenterque propria ratione recensendam atque ut progressus scientificus postulat ulterius evolvendam apti evadant. Hoc studiorum curriculo rite absoluto gradus Baccalaureatus conferatur.

Alterum biennium, ad Licentiam docendi conferendam, studiis specializationis impendatur peculiari ratione habita philosophiae et scientiae recentioris aetatis; in quo biennio ordinando Universitates congrua fruantur libertate sub suprema Sanctae Sedis auctoritate. [22]

6. Praeterea, Universitates et Facultates, quae magistrorum subsidiorumque copiam congruam habent, altiora studia ad Lauream in Philosophia conferendam instituant per congruum temporis spatium usque ad dissertationis scriptae defensionem protrahenda. Haec magisteria eo quoque respicere debent, ut ope investigationis et reflexionis stricte philosophicae altior synthesis culturae modernae ab erroribus expurgatae sub luce veritatis christianae promoveatur.

7. In Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis duplex sit studiorum *S. Theologiae* ordo ad gradus academicos assequendos; alter in quo integrum corpus doctrinae theologicae tradatur, alter in quo eiusdem pars seu sectio peculiaris sic excolatur ut sacrorum Alumni assidue et apte parentur ad magisterium exercendum et disciplinas sacras provehendas. [23]

8. Prius studiorum curriculum, ad Baccalaureatum, per annos quatuor protrahendum sic in Facultatibus ecclesiasticis instituatur ut non solum ea comprehendat quae ad normam decreti « De studiorum ratione in Seminariis » ad munus sacerdotale sancte obeundum praeparant, sed etiam auditores ad altiora studia specializationis in disciplinis sacris prosequenda idoneos reddat.

Ad hunc finem assequendum S. Theologia ad scientificam exacta methodum, tam positivam quam speculativam, accuratissime tradatur, ita ut integra huius disciplinae synthesis ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis in omnibus suis partibus organice perspecta habeatur.

9. Sacrorum Alumni Baccalaureatu in S. Theologia insigniti ad altiores gradus academicos acquirendos alteri studiorum ordini per tres saltem annos incumbant.

Duobus primis annis ad Licentiam in S. Theologia contendentes ita studio particularis sectionis se dedant, ut non solum doctrinam traditam omnino perspectam habeant et in hac scientiae parte vere periti reddantur, verum etiam ope exercitationum ad praecipuos eius fontes cognoscendos compositi, scientificam investigandi methodum ipsi propriam plene addiscant, atque ad magisteria in Seminariis Maioribus et quaedam ministeria praecipua rite obeunda solide praeparentur.

[23] Studia ad Lauream per congruum tempus protrahenda in Universitatibus et iis Facultatibus quae magistrorum congruentem copiam habent, instituantur; quae studia ita ordinentur, ut candidati ad propriam disciplinam efficaciter provehendam vere apti fiant et ad docendum in Universitatibus rite excolantur.

10. Rationes studiorum in utroque curriculo observandae a singulis Universitatibus et Facultatibus, Sancta Sede ducente et approbante, conficiantur ad peculiares locorum condiciones accommodatae, imprimis ad territoria Ecclesiarum Orientalium atque Ecclesiarum recenter fundatarum quod attinet.

[24] 11. Praeter studia philosophica et studia theologica de re dogmatica, morali, spirituali, alia habeantur specializationis studia quae sive in particularibus Facultatis Philosophicae et Theologicae sectionibus sive in propriis Facultatibus vel Institutis promoveantur.

In ipsis singularem locum obtinent Divinorum Librorum studia quae secundum iterata Sanctae Sedis monita et huius Sanctae Synodi decreta peculiari cura prosequenda sunt.

Praeterea hae praecipue disciplinae excolantur: patrologia, historia theologiae, scientiae historiae religiosae, scientiae de re liturgica, de re pastorali; ius canonicum et civile, scientiae de rebus orientalibus christianis, scientiae missiologicae, scientiae confessionum acatholicarum et religionum achristianarum; archaeologia christiana, musica sacra, ars sacra; scientiae sociales, paedagogicae, scientiae ethnologicae et anthropologicae, litterae humaniores christianae, scientiae de instrumentis communicationis socialis et aliae id genus.

12. Professorum in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis varii habeantur ordines. Ut quis in professorum collegium legitime cooptetur, requiritur non solum ut vera peritia certis documentis comprobata praefulgeat, verum etiam ut unicuique ordini congruam exhibuerit maturitatem scientificam. Numerus autem professorum talis sit oportet ut singularum scientiarum disciplinis atque auditorum numero sive pro lectionibus sive pro exercitationibus fructuose instituendis plane respondeat.

13. Omnes magistri tum in tradendis tum in investigandis disciplinis, propriae methodi rationem quam accuratissime habeant.

14. Apprime theologiae et philosophiae quaestiones praesertim speculativae petractentur ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia; iusta quoque consideratio habeatur me-

thodorum quas certus scientiae progressus invexit, quibusque [24] disciplinae ecclesiasticae iuxta propriam naturam apte et tuto promoveri possunt et debent.

15. Auditores in laborem scientificum proprium sub ductu professorum gradatim inducantur. In priore curriculo principia methodologica propriae disciplinae addiscant, eaque aptis exerci- [25] tationibus applicare incipiant.

In curriculo specializationis autem in quo disciplinae magis monographice proponuntur ad aliorum commentationes recte expendendas et praeprimis ad selecta scientiae argumenta indaganda et ex parte ad proprias investigationes ac conclusiones scriptis proponendas solide instituantur. Qui singulorum labor scientificus in curriculo ad lauream priorem locum obtinere debet.

16. Seminaria Maiora dioecesana et religiosorum particulari institutionis perfectione praecellentia, Universitatibus et Facultatibus affiliari vel aggregari possunt, ita ut sub earum vigilantia et ductu melioris ingenii iuvenes eam consequantur institutionem scientificam quae priori Facultatis philosophicae et theologicae curriculo respondeat, et in fine curriculi debitis examinibus superatis gradu Baccalaureatus ornari queant.

III

De Universitatibus et Facultatibus Studiorum Saecularium

17. Facultates catholicae studiorum saecularium erigantur proprium cuiusque obiectum scientifica ratione investigantes, revelationis christianae lumine id considerantes.

18. In omni Universitate Catholica studium sacrae theologiae, sive ut facultas sive ut peculiare institutum, sive ut schola religionis habeatur; quod quidem totius Universitatis veluti anima sit.

19. Promoveatur alumnorum Universitatis Catholicae integra religiosa ac moralis ac socialis institutio necnon et illorum problematum investigatio de quibus et profanae et sacrae scientiae suo modo agunt, ita ut fidei cum ratione consensio eluceat et ipsae profanae scientiae veritatis revelatae luce perfundantur.

20. Catholicae Universitates professoribus polleant scientia ac christiano iudicio eximiis et quam validissime adiuventur necessariis et opportunis subsidiis; quapropter bibliothecis, investi-

[25] gationis institutis ceterisque scientificis instrumentis apte sint instructae.

[26] 21. Ordinarii loci sedulo moneant fideles ut catholicas Universitates et Facultates, ubi extant, frequentent.

22. Universitatum Catholicarum aditus alumnis congruis dotibus praeditis facile pateat; iis autem qui sunt tenuioris fortunae generoso auxilio obveniatur.

23. Spiritu catholico ac fraterno recipiantur qui aliis ex nationibus adveniunt, ita ut litteris scientiisque alte instituti ac simul religione moribusque convenienter formati, in patriam reversi, propriis rite fungantur muneribus ad maius tum Ecclesiae tum Societatis civilis bonum.

IV

Quaedam Monita pro omnibus Universitatibus et Facultatibus

24. In quavis Facultate variae disciplinae, prout fieri possit, invicem sese adiuvent.

25. In omni Universitate variae Facultates mutuam sibi praestent operam.

26. Universitates omnes mutua inter sese operae coniunctione conspirent, conventus internationales promovendo, scientificas investigationes specializatas inter sese distribuendo, inventa invicem communicando et cetera quae ad maiorem collaborationem conferunt provehendo.

27. In Universitatibus et Facultatibus Catholicis instituta erigantur, quae primarie investigationi scientificae promovendae inserviant. Hisce Institutis praesto sint viri vere periti in unum congregati, opportuna subsidia, aptae cooperationis rationes.

28. In Urbibus universitariis, imprimis ubi catholicae Universitates desunt, animarum Pastores Centra Universitaria instituant, quae spirituale auxilium praestent atque, hospitiis pro studentibus institutis, morale praesidium offerant, et disciplinarum studia promoveant harmonica fidei et scientiae consensione;
[27] Theologicum quoque magisterium ubi opportune fieri possit, in ipsa civili Universitate instituantur.

29. Docti catholici etiam extra Catholicas Universitates veritatem qua possunt amplitudine perscrutandam in bonum commune sedulo promoveant; docendi munus in civilibus Universi-

tatibus suscipiant et constanti scientifico commercio cum praeclaris scientiae viris communicent. [27]

30. Iuvenes praeclarioris ingenii sive Catholicarum sive civilium Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores sunt, peculiari cura excolantur et auxiliis opportunis adiuventur ad magisteria in Universitatibus suscipienda.

31. Coetus Episcoporum curam habeat de Universitatibus catholicis, quae in eorum regionibus sunt.

APPENDIX III [29]

DE SCHOLIS CATHOLICIS

Normae quae ad Codicem Iuris Canonici spectare videntur, iuxta proposita Commissionis de Seminariis, de Studiis et de Educatione catholica

1. Desiderantur pauca de subiecto educationis in forma principii generalis de iure et obligatione educationis.

2. Ius educationis omnibus modis et etiam instrumentis modernis provehendae, vindicetur non solum parentibus et iis qui eorum locum tenent (can. 1372 § 2) sed, in eodem canone, etiam Ecclesiae pro gravissimo eius officio.

3. Urgeatur expresse cooperatio (in opere educationis) Familiae, Ecclesiae, Rei publicae.

4. Can. 1375, de iure Ecclesiae quoad scholas, redigatur forma magis universali et completa: cuiusvis gradus et generis... condendi et regendi (per se vel per alios) scholas proprias.

5. Edicatur aliquo modo quae sint notae propriae scholae vere catholicae et indicentur requisita ut aliqua schola sit schola Ecclesiae.

6. Expresse vindicetur libertas naturalis liberae electionis scholae, repudiato quovis scholarum monopolio.

7. Inculcetur expresse perfectio scholae catholicae curanda ante omnia quoad institutionem religiosam; deinde quoad omnes respectus (magistrorum numerum, peritiam, exemplarem vitam, quoad studiorum rationes, quoad disciplinam, quoad paedagogica et didactica subsidia etc.).

8. Expresse exigatur praeparatio magistrorum et obligatio [30] acquirendi gradus academicos vel titulos congruos, prout hoc

[30] pro variis scholarum speciebus in diversis regionibus praescribitur; quod exigatur imprimis pro magistris religionis.

9. Condatur canon de munere Secretarii generalis pro re scholari, pro singulis dioecesibus, vel si casus ferat, pro regionibus.

10. Canon de organizatione operis educationis et institutionis in omni gradu et genere scholarum condatur.

11. Item canon de mutua cooperatione et operae consociatione inter scholas catholicas cuiusvis gradus et de instrumentis cooperationis cum aliis non catholicis condatur.

12. In locum Ordinariorum coetus territoriales episcoporum substituantur, ubi propter uniformitatem necessariam expedit, ut locorum Ordinarii communi consilio procedant (e. gr. circa rationes studiorum, circa sustentationem etc.).

13. Omittatur canon 1378, de privilegiis doctorum, quia, in hac forma, obsoletus esse videtur.

14. Condatur canon quo quaevis mercaturae species a scholis catholicis arceatur.

15. Magis organica et logica fiat enumeratio et ordinatio canonum de scholis in Codice I. C. (cann. 1372-1383).

Quoad Universitates

Plurimi canones ex novo condendi sunt, quia in Codice I. C. pauca tantum de Universitatibus dicuntur.

1. Edicantur expresse quaedam condiciones essentiales quae ad novam Universitatem condendam requirantur.

2. Statuatur principium de distinctione inter curriculum academicum institutionis et specializationis una cum methodi congruae indicatione.

[31] 3. Necessitas aut Facultatis, aut Instituti Religionis, aut saltem Cathedrae theologiae in unaquaque Universitate Catholica urgeatur.

4. Constitutio Institutorum investigationis scientificae in Universitatibus urgeatur.

5. De affiliatione et aggregatione canon condatur.

A – ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SCHOLIS CATHOLICIS

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 11, n. 11, lin. 10, post verba « sive in scholis », inseratur: « a Religiosis vel ... ». *Ratio*: magna pars scholarum catholicarum dirigitur a Societatibus Religiosis.

Ad totum n. 11. Videtur respicere scholas catholicas quae a iuventute catholica frequentantur. In regionibus, ubi maior pars discipulorum et studentium non sunt catholici, ut in Iaponia, religiosa instructio sub ductu Ecclesiae pro his obligatoria esse non potest, etsi maxime curandum sit ut omnibus occasio optima praebeatur ad talem instructionem recipiendam. Et de facto scholae catholicae valde iuvant propagationem fidei.

Quare in fine n. 11 haec addantur: « In executione concreta vero ratio habenda est peculiarium condicionum et exigentiarum in diversis regionibus et nationibus existentium; et si scholae catholicae etiam a non-catholicis frequentantur, horum libertas religiosa semper tuenda est ».

Ad Appendicem I. In pag. 19, linn. 20-25: inter praecipuos factores nominandae sunt etiam Societates Religiosae, quae tot scholas dirigunt.

Ad Appendicem II. In pag. 23, lin. 21: pro Licentia in Theologia acquirenda sufficiant 5 anni; spatium 6 annorum videtur esse nimis onerosum pro hoc gradu; timendum ne nonnisi paucissimi ad Licentiam perveniant.

In pag. 27, lin. 12, n. 31: cura coetus episcoporum intelligitur pro Universitatibus ab ipsa hierarchia erectis vel sustentatis; sed si agitur de Universitatibus a Religiosis fundatis et sustentatis, quales existunt v. g. in Iaponia, India, America, etc., non intelligitur quid ista cura significet.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS FRANCISCUS CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

In Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis educatio in publicis scholis elementariis, secundariis et supremis multum differt ab educatione dierum pristinarum huius reipublicae. In primis annis variae sectae religiosae, non status civilis, educationem praebebant. Quia maior pars civium erat protestantica, primae scholae sub tutela protestantica erant.

Postea, pecuniae ab aerariis civitatum et status expendi incipiebant. Hoc modo evolvit systema scholarum publicarum quae in institutione et educatione a sectis

religiosis separatum erat. Iterum, quia maior pars civium protestantica erat, principia sectarum protestanticarum in his scholis publicis praevalebant.

Secunda parte saeculi XIX multi catholici ad Status Foederatos Americae Septemtrionalis migraverunt. Circumstantiis protestanticis scholarum publicarum obviantibus, instituerunt systema scholarum paroecialium. Ultimis annis, praesertim, scholae catholicae floruerunt, et hodie sunt plus quam quinquagies centena milia discipulorum in scholis catholicis elementariis, secundariis et supremis. Hae scholae omnino pendent a largitate christifidelium. Nullum subsidium recipitur a statu civili. Ratio studiorum scholarum catholicarum non solum aequalis est scholis publicis in rebus saecularibus sed etiam includit historiam civilizationis a parte Ecclesiae et instructionem catecheticam et religiosam.

Annis praetereuntibus, tamen, positio privilegiata protestantium diminuta est, et nunc scholae publicae magis neutrales sunt quia a positiva religione praescindunt. Praetermittentes Dei existentiam, magistri solent creationem attribuere evolutioni materialisticae sed non Deo. Praeterea, praecepta decalogi non includuntur in institutione morali iuvenum scholarum publicarum. Mutatio haec gradatim fuit sed hodie prope completa est. Inde sequitur quod in scholis publicis Americae Septemtrionalis lex naturalis locum valde necessarium habet. Videtur esse unicum fundamentum argumentandi contra philosophiam atheisticam communismi.

Multum placuit legere primam declarationem encyclicae *Pacem in Terris* in qua praestantia legis naturalis et boni communis exprimitur. In nostris scholis paroecialibus instructio catechetica includit principia legis naturalis, sed non tractantur ut tales. Si magis tractentur ut tales, multum conferant ad « bonum commune » dialogi inter fratres protestantes et nosmetipsos. Lex naturalis constituat vinculum commune et sine tali vinculo nullum fundamentum religiosum existit.

3

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

Placet iuxta modum. Saepe schema optabilia enunciat ab omnibus probata, etsi non semper in re traduci possint (cf., v. g., n. 20, pagg. 13-14).

In particulari, de professoribus seminariorum supervacaneum videtur suadere methodum esse adhibendam, cum fortasse praestet commendare ut ipsis conditiones aptae fiant pro muneribus suis implendis (bibliotheca, emolumenta etc.).

Appendices (pagg. 17-18) novum statuunt ordinem disciplinas ecclesiasticas docendi, quem tamen iubere, antequam experientia comprobetur, periculis non caret. Usque adhuc talis ordo, vetante Sacra Congregatione Studiorum, a praxi abfuit neque nunc eius possunt utilitates praevideri. Praestat ergo ut selecta quaedam instituta eaque sola novum sequi ordinem sinantur.

Praeterea, nonnulla quae minus placent in eodem studiorum ratione deteguntur.

Annorum cursus pro lectionibus audiendis nimium protrahi videtur cum, post licentiam lycealem, ad lauream theologicam adipiscendam, annos insumat quatuor pro philosophia, septem pro theologia. Diuturnitas talis, quam alia studiorum genera non patiuntur, studentium vires exhaurit cum maxime arduum sit usque ad vigesimum nonum aetatis annum inter alumnorum acies conversari. Iterationem eiusdem disciplinae in duobus studiorum curriculis, quorum unum alterum superius

immediate subsequatur, laicales quaedam universitates expertae sunt, at non satis prospere.

Disciplinarum enunciatio (n. 11, pag. 24) tendentiam prodit, in dies validiorem, ad maximam seu « encyclopedicam » culturae latitudinem quae tamen principium impetit « non multa sed multum ». Iam antea fortasse ecclesiastica institutio hac de causa detrimentum passa est. Philosophiam et theologiam penitius excolere alumni non possunt si indesinenter ab aliis disciplinis distrahantur, quae, etsi alliciant, minus tamen prosint eorum institutioni ineundo sacerdotio idoneae.

Adde denique omnium recensitarum disciplinarum doctos revere magistros a seminariorum superioribus nequaquam reperiri posse.

Ratio in n. 16, pag. 25, linn. 9-15, declarata, apparenter tantummodo difficultates solvit. Experientia testatur Facultates nullis instrumentis vel mediis praeditas esse pro vigilandis aut iuvandis seminariis seu institutis quae sibi cooptaverint.

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

De hoc schemate bene exarato ac completo nihil dico nisi quod in n. 19, *de Studiorum Universitatum et Facultatum erectione,* antequam res committatur ad moderamen dicasterii romani, a conferentiis episcopalibus necessario pertractetur.

Prima Appendix mihi videtur omnino inutilis quia de his rebus sufficienter determinatur in ipso schemate.

In 2 Appendice, in n. 5, pag. 22, lin. 23 alterum biennium ad Licentiam Philosophiae scolasticae acquirendam redundat immoderate post iam biennium adimpletum pro Baccalaureato. Unum annum sufficeret post primum biennium pro Licentia.

Appendix tertia mihi quoque videtur superflua, rationibus habitis quoad primam, saltem in sua prima parte. Textus in schemate conciliario producti sufficiunt ad canones. In codice vitetur in nimis pecularia, exinde nimis cogenda, descendere pro hac materia quae affert quamdam varietatem secundum diversas regiones.

Et hoc, in secunda parte Appendicis, etiam servetur relate ad Universitates.

5

EM.MUS P. D. IOSEPH RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

The schemata does not indicate any serious re-thinking of the philosophy of Catholic education, nor its current problems. Some greater attention must be paid to present aims and problems of Catholic schools and indications of realistic solutions offered. At the same time, it will be necessary to indicate that the diversity of the Church's condition in each area of the world does not permit of uniform solutions or programs.

6

EXC.MUS P. D. CAROLUS BALDINI
Episcopus Clusinus et Pientinus

In art. 3, pag. 8, lin. 1: Ecclesia « antesignana semper fuit in scholis condendis, cuiusvis generis et gradus ... (ecc. usque ad lin. 8, post quam in fine adiungatur): « Et sic iuri originario docendi homines ex divino mandato accepto, novum addidit titulum ex historia depromptum ». *Ratio* est: Ius ex divino mandato est utique nativum in Ecclesia, sed ab his non agnoscitur, qui naturam Ecclesiae minime agnoscunt; dum e contra ius ex historia exurgens, praesertim cum historia doceat Ecclesiam in condendis scholis primatum vindicare, facilius ab omnibus admittitur.

In art. 6, pag. 9, lin. 3: post verba « ius ab Ecclesia constanter vindicatum », adiungatur « titulo nativo, vel et historico ». *Ratio* est eadem ac supra diximus.

Cetera placent uti sunt.

7

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pag. 11, n. 11, lin. 5, optime dicitur: « ... atque imprimis religiosa impertiatur instructio sub Ecclesiae ductu ».

Aliquando scholae catholicae, inconscie forsan, maiorem importantiam dant scientiis profanis, exercitiis physicis (sport), quam instructioni religiosae.

Pag. 12, n. 15, lin. 17: Haec obligatio « formationem moralem opportune complendi » debet intelligi speciali modo de formatione religiosa catholica, et aliqua poena ecclesiastica urgenda videtur.

Pag. 14, n. 20, lin. 16: Optime commendatur ut theologiae et philosophiae quaestiones pertractentur sequendo Angelicum Doctorem.

Pag. 14, n. 21: Saepe auditur quod formatio religiosa in universitatibus catholicis, non est proportionata formationi scientificae studiorum saecularium. Dum, in his, studens ad maturitatem pervenit, in illa infans manet.

Pag. 11, n. 13: Aliquando oblivioni mandatur finis scholae catholicae proprius. Opportunum videtur inserere, hoc in numero, id quod dicitur hac de re in appendice I, pag. 18, linn. 25-28: positive: optima instructio, educatio christiana, *consolidatio et propagatio fidei;* negative: praeservatio fidei.

Insistendum est ut universitatum docendi ratio sit conformis sensui Ecclesiae.

8

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere: 1. Hoc schema quaedam continet quae assensum sollicitant, sed generaliter loquendo non multum novi affert. Praeterea omnino dicuntur stylo valde vago. Ut videtur, etiam de aliis magni momenti rebus debuisset tractare, v. g. de spiritu vero educationis christianae, de hodiernis philosophiis educationis, de renovatione theologiae coaetaneae, etc.

2. Titulus prae se fert aliquam ambiguitatem et legi deberet potius *de educatione* catholica. Nam non schola, ut talis, catholica dicenda est, sed educatio quae in ea affertur. Titulus adhibitus videtur repetere conceptus antiquos et derelictos, neque rationem habet de evolutione in hac materia.

a) Scholae catholicae sic definitae verbis iuris canonici et iuxta exigentias encyclicae *Divini Illius Magistri* vix existere videntur. Nonne etiam catholica potest vocari schola cui desunt unae alteraeve dotes (v. g. programma et horarium) cum omnia elementa concomitantia sint authentice catholica, praecipue propter ipsos magistros (cf. pag. 11, n. 11, linn. 1-6). Nonne facta est evolutio conceptuum nostrorum in his rebus? Nonne conati sumus totis viribus ad retinendum quod de facto potius tamquam illusio aspiciendum est?

b) Nonne normale est Rem Publicam hodie magis magisque assumere incoepta in his rebus? Schola catholica secundum definitionem strictam schematis est de facto schola libera in plerisque casibus. Quod significat scholam esse erectam sine concursu Civitatis. Id onus duplex imponit in forma vectigalis et contributionis voluntariae. Exinde oritur impossibilitas practica dandi magistris nostris gradus requisitos et progressus reales efficiendi ceteris rebus magni momenti. Nonne praeferendum esset aperte inire collaborationem cum Civitate quae, secundum finem suum proprium boni communis temporalis, magis magisque sibi reservat res educationis, et conari totum hoc opus imbuere spiritu vere christiano. Sive volumus sive non, ordinationes materiales et administrarii scholarum magis magisque evadunt in ditionem Rei Publicae. Ita fert evolutio hodierna normalis, neque retrogredire potest.

c) Si volumus servare quocumque pretio has ordinationes catholicas dictas non possumus conatus nostros coniungere cum ceteris christianis ad opus commune perficiendum, iuxta commendationes schematis *De Oecumenismo* et iuxta ordinationes encyclicae *Pacem in Terris*. Problema peculiariter acutum exsurgit in educatione secundaria et universitaria, de qua dubitandum videtur utrum hic competitio cum Civitate ultro extendi possit.

3. Consociationes verborum felices ut « Res Publica » aut « Civitas » substituuntur verbo « Status » saepe adhibito in legislatione canonica atque documentis Pontificalibus. Rogatur ut deinde in usu generali maneant.

4. Viget propensio valde generalis ad parvi faciendas, saltem in praxi, partes et auctoritatem parentum in rebus educationis. Optandum igitur esset ut schema extollat partes parentum, et ut in recognitione Iuris Canonici provideatur efformatio coetuum ac societatum parentum et magistrorum. Insistendum videtur ut ubique tales societates constituantur ut appareant in vero suo lumine relationes inter educatores et parentes, utque hi assumant plene legitima sua iura et officia in educatione liberorum.

5. Ecclesia semper ostenditur in hoc schemate ut realitas externa quoad nos et ipsa facile assimilatur cum Congregatione de Seminariis et Universitatibus. Ecclesiae competit munus invigilandi super nos, quod utique est verum; sed convenit saepius temporare prolationem huius veritatis, dicendo nos homines esse Ecclesiam et unumquemque fidelem debere operam dare ut cognoscat et possideat Spiritum sapientiae Christi.

In specie: *Prooemium*. Pagg. 7-8, nn. 1-5. Haec introductio optima est sed longior et solemnior quam par est. Minus prolixa, melior evaderet.

Pag. 7, n. 2, lin. 24. Melius forte esset substituere verbum « naturalem »

verbo « humanam »; vox « humanam » ponit quasi extra contextum totum problema adhuc controversum humanismi christiani.

Pag. 8, n. 6. Haec adlinea complenda esset tractatione de finibus educationis et de partibus ipsius Christi in efformatione integra hominis.

Pag. 9, n. 6, lin. 2. Locutio « ius ab Ecclesia constanter vindicatum », quod videtur suggerere Ecclesiam esse semper in statu belli contra aliquem. Conveniret firmiter notare, aut curam Ecclesiae, aut quaestum magnum Christi communicandi plenitudinem Spiritus, aut voluntatem Dei ut omnes homines participes fiant scientiae et perfectionum eius. Ita, ad imaginem suam creati ut quasi propriam providentiam conficientes usu intelligentiae et voluntatis suae, Ei similes fieri modo perfectiore possunt.

Pag. 9, n. 7, linn. 25-26. Conveniret invertere ordinem verborum « infallibile et universale magisterium » et « spiritualis maternitatis ». *Ratio*: Maternitas spiritualis est maioris momenti et magis fundamentalis quam magisterium infallibile.

Pag. 9, n. 7, lin. 31. Reinstaurare ordinem enumerationis praecedentem: Familia, Civitas, Ecclesia.

Pag. 10, n. 9, linn. 15-18. Hic locus magis placeret si modo loquendi minus bellicoso uteretur.

Pag. 10, n. 9, linn. 24-29. Conveniret substituere verbum « educationis » verbo « scholae »; nam quod hic reprobatur est conditio in qua tota educatio in ditione (monopole) Civitatis reponitur. Ex alia parte, oporteret emendare totam paragraphum ita ut minus negativa evaderet.

Pag. 10, n. 10, lin. 31. Conveniret scribere: « ipsa enim recognitio iuris conscientiae personae et iustitia distributiva postulant ut ... ». Si enim allocantur pecunia publica unica scholis non catholicis, hic defectus iustitiae distributivae imponit onus et poenam exercitio iuris conscientiae.

Pag. 11, n. 11. Dubium enuntiare licet de hac assertione, nam sunt scholae ubi existunt ordinationes generales indicatae, et tamen mens catholica vix adest, et versa vice. Nonne est magister vere catholicus qui primo constituit substantiam educationis catholicae? Deinde, num realitatem attendit qui persistit in definiendo ut unice acceptabilis schola quae in plurisque casibus prorsus non existit neque potest institui. Affirmatio exigentiarum hic latius patet quam par est, neque sufficienter flexibilis videtur, si ad conditiones locorum et gradus discipulorum advertantur. Admittendum esset quosdam libros scientiae (v. g. de mathematica, chimica, zoologia, astronomia, etc. ...) qua tales imbui spiritu christiano non requiri. Scientiae experimentales non sunt ex natura catholicae, aut christianae, aut mahometanae, etc. ...

Pag. 11, n. 14. Schema magis placeret si indicaret magni esse momenti studia philosophiae catholicae educationis ab omnibus magistris catholicis tam religiosis quam laicis suscepta, ratione habita relationum inter ordinem naturalem et supernaturalem, quatenus respectum habent ad problema Scholarum concrete sumptum. Efficientia magistrorum catholicorum in omnibus disciplinis saepe constringitur propter ignorantiam huius philosophiae authenticae educationis catholicae.

Pag. 11, nn. 13-15. Hae paragraphi neglegunt rerum realitatem. Plusquam ordinationes quasi perfectae, id quod magis interest est ipsa penetratio christiana in multitudines pluralistas et cooperatio cum omnibus personis bonae voluntatis ad fines qui correspondeant principiis christianis.

Pag. 12, n. 14, lin. 4. Conveniret addere verbum « suae » post verbum « Ec-

clesiae », nam Ecclesia est Corpus Christi. cuius est Caput, quia sic exprimeretur haec unio verbo possessivo « suae ».

Pag. 13, n. 18, lin. 19. Si hic « Verbum » significat Christum, conveniret substituere vocem « suum » verbo « revelationis ». Si autem « Verbum » significat « Loquela Dei », logicum esset ordinem verborum sic invertere: « sive per opera creationis sive per Verbum revelationis ».

Pag. 13, n. 19, linn. 24 s. In locis ubi pluralismus non permittit erectionem facultatum stricte catholicarum quin claudantur ipso facto fontes ceterorum operum, Sancta Synodus commendat erectionem collegiorum catholicorum prope Universitates publicas etiam in collaboratione aut societate cum aliis christianis qui parati sunt ad suscipiendam conquisitionem integram veritatis.

Pag. 14, n. 20, linn. 15-20. Nihil dicitur de re maximi momenti videlicet ut discipuli cognoscere possint doctrinas coaetaneas et notiones habeant problematum ex philosophia hodierna ortorum. An opportunum est Ecclesiam declarare in documento tam solemni Concilii se exclusive alligari formae conceptionis et modo loquendi mediaevali iamiam absoluto, rogans ut discipuli, non specificando utrum sint Occidentales an Orientales, informentur intra limites philosophiae perennis « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia »? Cur Ecclesia velit se adnectere systemati cuidam? Ceteroquin, esset mentis magis oecumenicae eam remanere apertam cuidam pluralismo theologico, philosophico et culturali. Thomismus ut forma conceptualis absque dubio praestans in se ipsa, sed non est unica. Ipse divus Thomas optime extruxit et iuxta rationem elucidavit notiones philosophicas et theologicas in synthesibus splendidis; sed admittendum etiam est existere multos alios modos scientiam humanam in systemate redigendi et Mysteria salutis tractandi.

Pag. 14, n. 21, lin. 27. Conveniret substituere verbo « profanae » qui peiorativum sensum prae se fert verba « experimentales aut positivae ».

Pag. 15, n. 23, linn. 8-9. Verbo « moneant » substituatur verbum « invitent ». Id notandum deceret quod si Universitates catholicae auctoritate pollent, si sua eminenti scientia actionem exercent, magnum nomen acquirent et ad se discipulos attrahent. Hoc solo modo, prout positivo et efficaci, discipuli catholici eas frequentare consuescent. Fortasse esset opportunum hic peculiariter notare auctoritatem praestantem et partes apostolicas quas possunt et debent agere catholici, etiam in Universitatibus quae non sunt nostrae fidei.

Pag. 15, n. 24. Nonne posset hic indicari collaboratio possibilis magistrorum eminentium, etiam si non sint catholici.

Appendices. In genere: 1. Titulus appendicis I (cf. animadvertendum ut supra).

2. Hae instructiones instare magis deberent circa animum qui debet imbuere educationem catholicam potiusquam circa singula ad ordinationem externam spectantia, et quae ceteroquin variationes complures admittunt in variis regionibus.

3. Optaretur ut, in his Directoriis, magis insisteretur circa necessitatem educationis adultorum.

4. Ad assequendam maiorem efficientiam in dioecesibus, providendum esset eas instituendi regulas acceptandas tum in scholis privatis tum in eis qui pendent a variis religiosis institutis, ut secura fiat coordinatio necessaria, neque inaequalitas intellectualis efficientiae noceat bono communi. Loquendo de spiritu quo animanda est educatio catholica, fortasse addendum esset quiddam de natura verae christia-

nae disciplinae et de formatione ad oboedientiam iuxta principia salutaris psychologiae et moralitatis hodiernis rebus apertae.

In specie: Pag. 22, n. 5, lin. 18. Eadem adnotatio atque sub pag. 14, n. 20, linn. 15-20.

Pag. 22, n. 5, linn. 12-13. Cur modificatur verbum « philosophiae » qualificativo « scholasticae »? Hic terminus hodie sensum peiorativum et ambiguum praebere solet. Et cur alterum « biennium » designare verbo « specializationis »? Hae categoriae videntur nimis clausae et fallaces.

Pag. 22, n. 5, linn. 13-21. Quando incipit hoc « biennium Philosophiae »? Postquam, in nostra natione, discipulus acquisivit gradum B. A., ad quem obtinendum debent philosophiam studere iam per duos annos? Si ita res se habet quattuor anni post gradum B. A. essent necessarii ad solam Licentiam in Philosophia. Haeccine est voluntas Patrum Concilii? Evidenter, materia non deest ad hos quattuor annos occupandos, sed num esset practicum in circumstantiis vitae realis, en quaestio?

Pag. 22, nn. 7-8, linn. 1-7. Praestans est propositio reservare studia ad obtinendam licentiam in Theologia ad tempus sequens quattuor annos theologiae, et ergo post gradum B. Th. ita ut arceatur « intellectualismus » in praeparatione ad sacerdotium. Praestat etiam exigere duos annos ad Licentiam et duos alios ad Doctoratum in Theologia, ut faveatur labor probatus.

Pag. 23, n. 10. Hic desideratur paragraphus in quo instaretur in iura et officia conferenciarum episcoporum in ordine ad coordinationem et ad incoepta in bonum commune tendentia, et gradus excellentiae constituendos necnon et efficientiae, etc. in rebus ad educationem pertinentibus. In rebus localibus, effectio incoeptorum et finium supradictorum ex auctoritate dioecesana competenti penderet.

Pag. 23, n. 10, lin. 37. Sententia terminanda videtur cum verbo « commodatae ». *Ratio*: Verbum « imprimis » videtur insinuare discipulos orientales magis egere quam occidentales sequendi « rationes studiorum in utroque curriculo observandas a singulis Universitatibus et Facultatibus ». Haec vox « imprimis » videtur adaequare Ecclesias Orientales pollentes traditione a temporibus antiquis vigenti cum Ecclesiis catholicis recenter formatis in agro pagano.

Pag. 25, n. 16, lin. 11. Verbo « possunt » substituere deberet verbum « debent ». Quilibet seminarista ut posset ad presbyteratum accedere deberet baccalaureatum in Theologia obtinere. Ad elucidandum Nuntium evangelicum competenter cum omnibus ramificationibus quae in hoc munere attingendae sunt, congruum esse videtur ut Sacerdos polleat scientia necessaria ad titulum assequendum, saltem in eadem mensura atque laici technici, professores, professionales, etc. Hic gradus non supplet competentiae, sed agnoscendum est in nostra societate, et peculiariter in certis nationibus, hos gradus academicos permagni fieri. Tamen hic baccalaureatus in Theologia non debet pendere ex sola facilitate discipuli ad speculandum, ita ut possit consequi gradum suum tantum periculis subeundis in thesibus speculativis. Theologia positiva (Scriptura, Patristica, Liturgia, etc.) partem studiorum maiorem teneat.

Pag. 27, n. 31. Conveniret extensius tractare de auctoritate, iuribus et officiis tum episcopi loci tum conferenciarum episcoporum in eis quae pertinent ad incoepta, coordinationem et efficientiam conatuum quoad educationem in gradu superiore et peculiariter universitario, v. g. quando agitur de erectione et sustentatione Universitatum et Collegiorum catholicorum.

9

Exc.mus P. D. EDUARDUS THOMAS BOZA MASVIDAL
Episcopus tit. Vindensis, aux. S. Christophori de Habana

Schema constitutionis *de scholis catholicis* mihi valde placet, sed meo humili iudicio, in supradicto schemate de sequentibus punctis mentionem facere debetur:

1. Scholae catholicae fovere debent sensum verae fraternitatis inter alumnos diversae conditionis socialis, propterea in quantum possibile sit, auferantur eae distinctiones et separationes quae alumnos pauperiores in statu inferioritatis collocent.

2. Pensiones seu taxae ab alumnis solvendae in scholis catholicis debent esse modicae, ita ut ad eas scholas accedere possint non tantum iuvenes divites sed etiam modestae conditionis. Si maior est numerus filiorum taxae minui debent, quia sic iuvantur familiae numerosiores ut educationi christianae filiorum providere possint, et aufertur incitamentum ad illicitam restrictionem natalitatis.

3. In instructione religiosa et catechetica puerorum ac iuvenum et in eorum formatione spirituali, maxime attendatur ad aspectum positivum doctrinae evangelicae, ita ut christianismus non eis appareat sicut quidam complexus negationum et prohibitionum, sed percipiant sublime mysterium vitae divinae in nobis, quae omnes nostras activitates elevat et transformat.

4. In omnibus scholis instruantur pueri et iuvenes in Doctrina Sociali Catholica, eorum aetati et capacitati accommodata.

10

Exc.mus P. D. PHILIPPUS CONDURU PACHECO
Episcopus tit. Decorianensis

In schematis *De scholis catholicis* suggero: pagg. 29 et 30. Magistrorum christianae vitae exemplar exigatur etiam cum scientia et peritia in docendo.

11

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

1. Desideratur ut schema sectionem specialem habeat de scholis primariis et scholis mediis ad instar sectionis de universitatibus catholicis. Enimvero scholae catholicae primariae et mediae sunt medium evangelizationis totius populi catholici et non tantum illius *élite* qui universitates frequentant.

2. Desideratur ut schema loquatur de domo (domestica) catholica tamquam fons primarius educationis catholicae.

3. Definitio scholae catholicae in II, 11 data forsitan est nimis arcta utpote excludens illas scholas quae de facto, quamvis non stricte de iure ecclesiastico, vere catholicae sunt.

[*Adhaesit etiam*] Patritius Collier, ep. Ossoriensis.

Par. 15, pag. 12, lin. 9: Ut clarius indicetur parentes teneri directivis Ecclesiae quoad educationem liberorum suorum, etiam ubi deficiunt scholae catholicae, velim ut ante verbum « opportune » inserantur verba « ad mentem Ecclesiae ».

12

Exc.mus P. D. IOSEPH M. CUENCO
Archiepiscopus Jarensis

I. *Ad totum schema.* Attentis peculiaribus adiunctis tam diversarum nationum quoad earum gradum evolutionis, traditiones, mores etc. optandum est ut Concilium atque Commissio pro Iure Canonico reformando instituta coarctentur unice ad principia generalia stabilienda, relictis pro conferentiis episcoporum sive nationis sive regionis respectivae, determinatione et applicatione eorum, prout supradicta adiuncta postulent.

II. *Ad n. 19 sub titulo « De Universitatibus catholicis ».* Proponitur ut hoc titulo a Sede Apostolica donentur absque alio addito, omnes illae universitates quae, iam ut tales approbatae a gubernio civili, directioni et administrationi Ordinum religiosorum et aliorum catholicorum coetuum subsunt, praevia recommendatione Ordinarii loci apud Sanctam Sedem, dummodo « Peculiares de scholis catholicis normae (n. 11, b) » adamussim impleantur.

III. *Ad Appendicem primam, n. 4, b.* Postulatur quaedam maior amplitudo prae normis usque adhuc a Sancta Sede emanatis, v. g., quoad participationem adulescentularum in competitionibus athleticis.

Idem dicendum videtur circa choreas, sive peculiares regionum sive horum temporum, quae, eo quod quamdam vitae iuvenum studentium partem hodie constituant, melius videtur ut sub scholarum auctoritatis supervisione instituantur, quam eas celebrare in aliis locis, aliquando non boni certo nominis, absque ulla vigilantia, cum animarum discrimine.

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS CUNIAL
Episcopus Lucerinus

I. *De educatione, n. 7, linn. 23 ss.*: ad interpretationes erroneas vitandas, praesertim ex parte status sic dicti « totalitarii et ethici », opportunum videtur ulterius determinare: quando status assumit suppletive officium educationis in sua actione educativa tenetur: *a*) ad respectum habendum voluntatis familiae, speciatim relate ad conceptionem vitae cum omnibus consequentiis moralibus et religiosis; *b*) ad respectum habendum saltem relate ad exigentias iuris naturalis.

II. *De scholis catholicis in genere, n. 8*: opportunum erit dicere hic quod impossibile erit haberi sic dictam scholam neutram, quae de facto influxum non exerceat in determinatam visionem vitae (multi parentes adsunt qui rem non con-

siderant, opinantes scholam trasmittere simpliciter aliquam « culturam » vel praeparationem professionalem).

Idem, n. 14: bonum erit appellare ad conscientiam laicorum catholicorum — aptitudinem et possibilitatem habentium — ut assumant officium et honorem instituendi in omnibus scholis; erit vocatio, et servitium, hodie, ab Ecclesia in maxima aestimatione. Eo vel magis quando ad officium instituendi praeferantur, etiam cum aliquo sacrificio, scholae catholicae, ita ut ipsae non deficiant personis qualificatis.

Idem, n. 15: scholae catholicae, titulo speciali, curare debent strictam collaborationem cum familiis alumnorum.

Appendix I, n. 1; 2: inter « fines assequendi» : fraternitas christiana, sc. educatio non « classista », quae tendat ad collaborationem inter alumnos diversorum coetuum humanorum et inter opifices et rurales; inter « factores praecipui »: continuata et efficax collaboratio cum familiis alumnorum.

14

Exc.mus P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Cajamarcensis

N. 5. Debe agregarse un párrafo para inculcar a los católicos la necesidad de su presencia en las escuelas laicas, tanto en la dirección como en la docencia, e igualmente su colaboración en los trabajos científicos, pues por exceso de apoyo a las « escuelas católicas » se abandona el campo a los laicistas y marxistas.

N. 7 *c*). El derecho de la Iglesia a la educación trae consigo el deber de atender a la formación espiritual de los alumnos de las escuelas civiles, que en el Perú, per ejemplo, asciende a más del 90% de la población escolar y el 95% son bautizados.

La excesiva concentración de los docentes católicos en sus propias escuelas impide la atención religiosa a las escuelas civiles, lo que es un grave daño pastoral pues el Obispo es responsable de todas las almas que se le han confiado.

No debe formarse un « ghetto » católico con exclusión de otros católicos. Además, en las actuales circunstancias es muy difícil competir con el Estado pues este tiene recursos económicos inmensos que la Iglesia no posee, y lamentablemente de hecho en muchos países las escuelas católicas en su gran mayoría solo atienden, por esas dificultades económicas, a las clases poderosas y el pueble se educa en las escuelas civiles.

Debe añadirse un párrafo sobre la obligación de la Iglesia de atender a la formación religiosa de los alumnos de las escuelas civiles.

N. 15. Soy contrario a imponer a los padres la « grave obligación moral » de enviar a sus hijos a las escuelas católicas, pues éstas son muy pocas en relación con la población escolar, y surgirían entonces serios problemas de conciencia y un odioso problema de selección del alumnado.

N. 19. Por el prestigio de la Iglesia considero que deben agregarse a este número los párrafos del n. 3 del *Appendix II,* pars I (p. 21).

N. 25. Suprimir el inciso « praecipue ubi catholicae Universitates non exstant », pues las Universidades católicas, por rivalidades e incomprensiones de hecho no

atraen a los estudiantes de las universidades civiles (idem en *Appendix II,* n. 28: « imprimis ubi catholicae Universitates desunt »).

N. 26. Poner « ubique » en lugar de « etiam extra Universitates catholicas », pues los doctos católicos deben llevar el pensamiento cristiano a todo lugar para dar testimonio de la verdad. Un docto católico debe enseñar en cualquier universidad, y tal vez sea más importante su testimonio en la universidad civil. La actual redacción de este artículo parece que considera en segundo lugar la enseñanza en las universidades civiles (lo mismo en *Appendix II,* n. 29).

Appendix II, n. 1. No se puede imponer la erección de Universidades católicas; preferible es la fórmula del párrafo II del n. 19 del esquema.

En cuanto a los Apendices expreso: 1. La materia es muy amplia y complicada, de manera que no hay tiempo suficiente para presentar las « animadversiones » y se requiere un plazo más largo después del Concilio.

2. Las condiciónes de las escuelas católicas son tan diferentes en todas las naciones, y aún en las diversas zonas o regiones de un mismo país, que los principios deben ser muy generales.

3. Para que la Instrucción sea promulgada « auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II » debe ser consultada y revisada por el Episcopado universal. Luego la actual Comisión Conciliar redactaría el texto final.

15

Exc.mus P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis

Relate ad invitationem de die 16 decembris 1963,* in adnexo transmitto aliquas adnotationes ad schema, cum conferentia episcoporum Iugoslaviae ob defectum temporis non habuit locum.

I. Argumenta in hac materia depromenda sunt imprimis *ex iure naturae,* cum unice haec etiam a Statu non christiano fortasse admittantur.

II. Ecclesia laudabiliter et iure merito curam habet de scholis erigendis et de institutione iuventutis, praesertim in terris missionum, ubi populi nondum habent sufficientem socialem evolutionem. Et legitime sibi hoc ius vindicat. Non tamen videtur hoc ius esse inalienabile. Ideo non videtur nimis urgendum principium de iure Ecclesiae ad scholas, praesertim apud populos excultos, ubi potestas publica hoc munus suscipere potest et vult. Hoc valet praecipue, si agitur de scholis superioribus. Rationes autem sunt haec:

1. Missio propria Ecclesiae non est docere scientias profanas, sed veritates religiosas: praedicare evangelium.

2. Spectato hodierno progressu scientiarum erectio scholarum, praesertim

* Litteris diei 16 decembris 1963 commissio conciliaris de studiis et educatione catholica petierat:
1. Utrum in exponenda doctrina de scholis catholicis, praeter argumenta ex divina revelatione, opportunum videatur afferre etiam rationes *ex iure naturali* depromptas.
2. Quaenam sint praecipuae necessitates scholarum catholicarum in propria regione, etiam quoad relationes ad Statum vel Auctoritatem Civilem in genere.

superiorum, connexa est cum ingentibus sumptibus et requirit pariter ingentes vires humanas, quae apostolatui proprie dicto subtrahi debent; fructus vero exigui minime respondent laboribus et viribus impensis.

3. In societate hodierna pluralistica practice difficillime evadet condendi scholas religiosas.

4. Insistendum est potius in cooperatione inter Ecclesiam et Statum. In scholis tradatur conveniens eruditio et educatio civilis et severe prohibeatur quaelibet laesio sensus religiosi discipulorum. Educatio religiosa et catechetica institutio procuretur ab Ecclesia in scholis statalibus, ubi adest cooperatio inter Ecclesiam et Statum, vel in ecclesiis et domibus ecclesiasticis, v. g. parochialibus vel etiam in hospitiis pro studentibus (cf. schema, pag. 26, n. 28).

Experientia docet quod talis educatio maiores fructus fert, quam educatio religiosa in scholis, ubi catechesis quasi deprimitur ad gradum disciplinae profanae. Si educatio religiosa connectitur cum scholis, praesertim superioribus, iuventutem non attrahit, sed potius repellit, cum se quasi vi imponi videatur.

5. Haec omnia valent pro conditionibus apud nationes excultas. In regionibus vero missionum, apud gentes non cultas res aliter se habent. Ibi Ecclesia simul cum educatione religiosa promovere potest et debet communem eruditionem et civitatem humanam.

6. Quam ob causam quaestio de scholis catholicis remittatur potius ad conferentias nationales episcoporum.

16

EXC.MUS P. D. CLARENTIUS ELWELL

Episcopus tit. Conensis, aux. Clevelandensis

It is very pleasing that the Second Vatican Council should recognize the pastoral importance of Catholic schools and devote an entire schema to the topic of education.

The schema on Catholic schools appeals to me as being well planned and accommodated in many ways to present necessities. I would like however to make some general comments and also some specific recommendations.

General points. 1. Because many people today, even Catholics, speak and act as if education were synonymous and coterminus with instruction, which views only or at least especially the acquisition of knowledge and skill and the intellectual virtues, it would seem good to clearly distinguish instruction, which is concerned primarily with the intellectual virtues, from education which includes instruction but adds to it the proper formation of the will and the formation of good moral habits by means of the moral virtues (ST. THOMAS, *De Magistro*).

If such principles are to be presumed as already known to Catholics then at least a reference should be made to *Divini Illius Magistri* with the explicit mention of the fact that it is the basic papal document on the principles of Christian education. Many, de facto, even priests and some bishops do not know this encyclical as the basic statement of educational principles.

2. In a day in which civil governments frequently consider themselves to be the primary and even the sole source of authority in education, it would seem

good to assert for the Church not only a supernatural right to educate, but also the right of any society in the natural order (as is indicated on page 9, line 16) to form its members in accordance with its purpose. This could help non-Christian countries grant the Church its basic rights as regards schools.

3. In view of the extraordinary benefits which have accrued to the Catholic Church in the U.S.A. because the Plenary Councils of Baltimore of the nineteenth century have urged and even prescribed that every parish should have its own parish elementary school, would it not be good for the Council to consider whether it can formulate a directive applicable to the entire world which would urge the necessity of parishes and dioceses supplying integral Catholic education for all children where it is now lacking.

Ordinarily, the only place where a Catholic child will receive systematic instruction in all the essentials of his religion together with parallel habit formation in the habits and virtues and practices of a Christian life is in a Catholic *elementary* school. Also it is only in Catholic school that the teacher has the freedom and the opportunity to apply to every subject matter field of secular instruction the corrective and directive influence of the principles of sound philosophy and correct moral and dogmatic theology, e. g., in literature, in history, in science, etc. A Christian child can hardly be formed to the mind of the Church without such systematic and basic religious instruction.

4. In those states in which the Catholic school does not receive from the state the assistance to which it is entitled in distributive justice, and in which it therefore becomes necessary for Catholics to support their Catholic schools from their own resources, it is necessary to call to the attention of the faithful that this burden should not be borne only by the parents who have children in school but by all Catholics.

In this regard it might be well for the Council to indicate that the post-conciliar revision of the Code of Canon Law must not only impose this obligation but also so change the law that poor schools in poor parishes can be aided by the Ordinary from the income of richer parishes so that a common standard of education can be maintained for all children, the poor included; if you will, a sort of « justitia distributiva catholica ».

5. Because education on the high school level (schola *media*) is becoming so common, it is necessary to review the provisions of Canon Law as regards the exemption of religious in those things which have a bearing on the authority and obligation of the Ordinary to provide adequate secondary education for all his youth. The legislation should be such as to enable a bishop, who deems it necessary, to set up a system of secondary education which meets the spiritual, vocational and other needs of his young people in the entire diocese; the slow as well as the bright, the poor as well as the rich, those bound for college and university as well as those who are not (cf. page 12, line 19-37).

Specific points. Page 7, line 17 (cf. page 8, line 32): The word *absolutam* (*absoluta*) is vague. Would *"plena"* be better?

Page 8, line 35 to page 9, line 1. Would it be better to rearrange the sentence thus: "educationem integralem, physicam nempe et spiritualem, intellectualem et moralem, individualem et socialem, domesticam civilemque, estheticam etiam et ad statum vitae praeparandam et prae omnibus religiosam".

Page 9, line 6. After the words: "Munus educationis impertiendae" add "in ordine naturali", "ut innuatur Ecclesiam habere ius supernaturale".

Strong insistence on the rights of the family seems to be leading some Catholics to believe that the rights even of the Church to educate are delegated to the Church by the parents.

This point should be cleared. Do Catholic parents, because they are baptized members of the Church (or should one say: because, united with the clergy and religious they *are* the Church), do they have a right in the supernatural order also, to direct the religious and moral education of their children as well as, from the natural law, the right to direct the secular education of their offspring? Does such a right belong to Christian parents as a result of baptism?

Page 9, line 16. The words "ceteris quoque humanis consociationibus imprimisque" should be omitted at this point. The rights of the state are of a higher order than the rights of other natural societies (the family also of course excepted) and so the rights of the state should be handled first and indeed separately as is indeed done in the rest of the paragraph. Then another paragraph should be added to vindicate the rights of other natural societies, e. g., labor unions, cultural associations, etc., if this is considered important.

Page 9, No. 7 C. Perhaps this would be a good place to insert what I have suggested above (General Points, No. 2) namely the Church has a right in the supernatural order to promote and supervise education and that in those states in which she is denied the exercise of this right, she should insist that at least she should not be placed in a position inferior to even natural societies lesser than the state, who are conceded the natural right to form their members according to their proper ends.

In a day in which the Church's right in the supernatural order is ignored or denied, it might be well to claim a right even in the natural order also, such as belongs to all societies in the state.

II. *De scholis catholicis in genere*. Page 10, n. 8, line 1. After " praecipua " add "instructionis et".

Page 10, line 2. After " efficax instrumentum sit " add " tum intellectum perficiendi cum virtutibus intellectualibus tum voluntatem cum virtutibus moralibus".

Page 10, line 7. Omit "humanas" after "virtutes" and replace it with "omnes".

Page 10, line 24. Post: "scholae monopolium" addatur "etiam morale".

Page 10, line 33. " tributa pro scholarum sustentatione *ab omnibus soluta* ". Here it should be insinuated that taxes for schools come not only from individual families and tax payers, but also and largely from corporations and businesses. This will help rebut the argument of non-Catholics that they should not be asked to pay taxes for our religious instruction and education.

Page 10, paragraph 10, line 35. After this paragraph another could be added indicating that Catholics have an obligation in conscience to support Catholic schools for all Catholic children if the state neglects or refuses. This should be done with diocesan equalization between parishes so that all, and not only the rich, will enjoy an adequate Catholic education.

Such help is asked for indigent students in universities (cf. schema page 15, lines 10-11), so it should also be asked for pupils in elementary and intermediate schools.

Page 10, A. *"Fundamentalia... Principia"*. Among the "fundamentalia de Scholis Principia", there should be a word about the necessity of the Catholic school and its value, e. g., page 17, line 8 (cf. Appendix I). In the present circumstances it is only in the truly Catholic school that it is possible to impart to our children a complete, adequate and systematic knowledge of and habituation in their holy religion and its practices as well as to show the relation of religion to all other subjects and all of life.

Most parents are unable to do this. Religious instruction once or twice a week is completely inadeguate to prepare the child of today to cope with the enormous amount of secular knowledge he acquires in school, or to secure the guidance he needs in an often highly secularized world. It is therefore the wish of the Holy Ecumenical Synod that Catholic schools be established where they do not exist or that they be brought into keeping with the principles and norms here established as well as those found in the Encyclical *Divini Illius Magistri*. This encyclical should be *explicitly* referred to by the Council as the Enchiridion for Education.

Section 13 could then be altered in keeping with the above.

Page 11, line 5. It is not enough to say of teachers, books, etc., that they shall be "christiano spiritu imbuta". This should be strengthened with words such as these added to the above phrase: "they should also be directed by correct philosophical, pedagogical and theological principles". The reasons: *a*) Frequently a school, Christian in spirit, is vitiated by erroneous principles which guide its curriculum or teachers; *b*) Some Catholics think certain subjects can and should be taught in public schools which are neutral or secularist.

Page 11, line 23. After "foveantur" add "et promoveantur" or even stronger words. Trent prescribed seminaries to the great benefit of the Church. Vatican II should do the same for Catholic schools which are our best hope for the future.

Page 11, paragraph 13. A paragraph could be added permitting Ordinaries to form a diocesan equalization fund with the help of parishes so as to help poorer parishes or students to establish a Catholic school, and to make it possible to finance a minimum standard of education for all children in the entire diocese. In countries where this is necessary, this might be done nationally by the Conference of Bishops who would suggest or decide how such a minimum standard might be financed and how the equalization formula should be worded.

Page 11, paragraph 14. The first sentence should be changed; or after the first sentence something should be added to guarantee that the subject matter preparation and the pedagogical preparation of the teachers insures that they will know sound philosophy and theology as applied to the subjects they teach and the methods they use. Frequently, pious teachers are philosophically illiterate and theologically naive. The bishop should have the power to require the same minimum preparation of all teachers, lay and religious, exempt or not.

This also applies to the professors in the universities and professional schools which train our teachers. They are often non-Catholic, and if Catholic, ignorant of correct philosophy and sound theology, having been trained in non-Catholic universities themselves. By this means, Catholic education is often seriously infected (cf. page 14, paragraph 21).

Page 15, line 2. Add: In their investigations, these research workers are to be granted full liberty, in keeping however with the responsibility on their part

of accepting the guidance of sound philosophy and revealed religion. Catholic schools should not a priori restrict earnest research workers from pursuing their investigations with full scientific liberty.

Page 17, Appendix I. Page 17, line 7. " Natura educationis describetur secundam quatuor causas: finalem, materialem, efficientem (supernaturalem et naturalem, instrumentalem quoque i. e. magister) et formalem (supernaturalem, gratia, per sacramenta et liturgia, etc., et naturalem i. e. virtutes intellectuales et morales)". The Encyclical *Divini Illius Magistri* does not explicitly mention the formal cause of Christian education.

Page 18 (II, b), or page 19 (III, 2, a-d). Add a section on Financing the Catholic schools: *a*) State support in distributive justice; *b*) Parish support of parochial school (where state fails); *c*) Parish and diocesan support of high schools, special schools, higher education; *d*) Diocesan equalization of support so that all schools even in poor areas can pay adequate salaries, provide proper equipment and meet minimum standards.

Appendix III. N. 8. *The Preparation of Teachers for Catholic Schools.* There is such great diversity among the religious communities, especially of women in determining the length, nature and content of the postulancy, novitiate and juniorate years that it is impossible for any college or university to arrange a schedule of classes which will maintain the sequence and selection of courses which is required by the state, accrediting associations and common sense.

The Commission will therefore do Catholic education a great favor if it requires all religious communities in a given nation to follow the same schedule for postulancy and novitiate as regards length, time of beginning and ending, secular and religious subjects which can be taken in these years, etc.

Or the Commission can give the National or Regional Conference of Bishops the authority in cooperation with the Religious Superiors to work out a satisfactory and praiseworthy arrangement, and solve this problem. Without such an arrangement many communities will continue to be very weak in the calibre of teachers they supply. This will harm Catholic education and its good name.

N. 7. It would be beneficial if a single schedule of religious exercises could be worked out for all young religious who are attending college or university so that small numbers from various communities could join together for religious exercises (Mass, devotions, office, etc.). This would greatly help in getting them educated properly. Many communities could cooperate in having a common house of studies at a Catholic or other university. Canonical permission to do this would probably be necessary.

N. 16 (cf. N. 12). In places where a satisfactory Catholic school does not exist, Canon Law should require that at least an elementary school be founded, preferably by the parish or with parish assistance, supplemented by diocesan funds. Where this is impossible systematic and complete religious instruction and training should be prescribed.

This latter point leads to the necessity of having a provision in Canon Law by which the Ordinary can require all parishes to supply funds to assist poor schools and to erect schools where it is otherwise impossible to finance them, that is, a diocesan equalization fund, authorized by Canon Law. Public school systems in all nations have long exercised such charity toward the poor. It is long overdue for the Church to authorize similar action, e. g., every parish might

contribute 5 per cent of its income to support the Diocesan Education Equalization Fund.

Another point in the financing of Catholic education. Canon Law should have an explicit canon requiring all Catholics, whether they have children in school or not, to contribute to the proper support of Catholic education on all levels and according to ability. This of course would apply only in those countries in which the state did not finance Catholic schools.

N. 9. The Secretarius Generalis for diocesan education (or vicarius episcopalis as elsewhere named) should be given *jurisdictio ordinaria* for the schools of the diocese. A Diocesan Superintendent of Schools can no more lead and administer a diocesan system of education without ordinary jurisdiction than a pastor can run a parish without it.

To compete with state systems of education, a diocesan system of Catholic schools is required. It should have professionally trained leaders who have adequate authority.

Post N. 16 add N. 17. A complete review of the matter of the exemption of religious as regards secondary education (scholae intermediae) is required. This (secondary education), is becoming universal in some countries and widespread in many others. It pertains to basic education in the more advanced nations. The Bishop of the diocese, therefore, needs and should be given unhampered power to set up a diocesan system of education which will meet the spiritual and other needs of his subjects. Many kinds and types of secondary schools are needed for this; complete control of the qualifications of teachers is also required. (Perhaps exempt religious should supply proof that their teachers meet state and diocesan requirements as regards preparation.) All lay teachers even in exempt schools should be certified by the diocesan school office.

17

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis et episcopus Squillacensis

1. Schema constitutionis *de scholis catholicis* mihi videtur quam diligentissime paratum, et in genere aptum ad discussionem in Concilio ex qua perfici sine dubio poterit.

Nonnulla tamen, etiam ante discussionem conciliarem, notanda veniunt quae mihi opportuna videntur ad praedictum finem consequendum.

2. De prooemio (nn. 1-5). Forsan magis clare et praecise indicari deberent:

1) munus Ecclesiae educandi et instruendi omnes gentes ipsi demandatum esse ab ipso Domino, et esse universale (= omnes gentes) et perenne (= per totum tempus). Hoc autem iure et officio Ecclesiae nullo pacto obstaculum poni iuribus familiae, et Status; sed ipsa iura familiae et societatis civilis corroborari veritate et gratia quae inest ipsi missioni Christi;

2) consideratio fieri deberet etiam eorum principiorum universalium quae ab O.N.U. et speciatim ab U.N.E.S.C.O. prolata sunt: ita ut, si quaedam sint quae doctrinae Ecclesiae non cohaereant, caute et positivo modo (non polemico) edicantur in hoc prooemio a Concilio;

3) ex agnitione quam Ecclesia habet iurium Statuum, deberet ab ipsis Statibus — etiam non catholicis et non christianis — agnosci *ius divinum* Ecclesiae sive in educatione christiana suorum filiorum, sive in iure universaliore proprias condendi scholas etc.

His declarationibus praemissis, haec Constitutio de scholis catholicis melius insereretur in tempus praesens mundi hodierni, et aptius omnes intelligerent qua ratione in Constitutione agatur de educatione, de scholis catholicis in genere, de universitatibus catholicis.

3. I - *De educatione.* In nn. 6 et 7: de educatione agitur, iuxta principia a Pio XI inculcata in *Divini illius Magistri.* Bene quidem; sed altius inculcandum ius Ecclesiae (in n. 7, *c*) post errores razzismi, nazismi, fascismi, communismi, qui post illas Litteras diffusi fuerunt et in tantas ruinas populos adduxerunt.

4. II - *De scholis catholicis in genere.* A - *Fundamentalia de scholis principia.* In hac parte, quae nn. 8-10 complectitur, magis insistendum in reprobatione *monopolii scholae* ex parte Status, sive quoad illam quam gestionem (administrativam) scholarum vocant, sive quoad ipsa principia informativa educationis et instructionis (v. g. de Statu ethico, etc. qui errores duram habent pellem et difficile moriuntur ...).

B - *Peculiares de scholis catholicis normae* (nn. 11-17). Aliquid animadvertere vellem circa n. 14, i. e. de accurata magistrorum formatione religiosa, scientifica et *paedagogica,* praecipue de hac, quae in ratione exercitii magisterii primum obtinet locum, et debet omnibus adiumentis hodiernis uti, quae ex psychologia etc. proveniunt.

Optime dicitur in schemate: n. 14, pag. 11, lin. 34, *de iusta mercede*: ne appareat in scholis catholicis *ex caritate* dari magistris, quae ipsis *ex iustitia* competunt, ad sui suaeque familiae honestam et dignam sustentationem. Non ubique hoc evenit, sed ubi evenit, datur et ratio obiectiva (et subiectiva) iniustitiae, et aestimatio ipsarum scholarum minuitur, cum statim argui potest ad minorem capacitatem docentium etc.

5. III - *De universitatibus catholicis.* Etiam quae habentur in hac tertia parte a n. 18 ad 25 bona et opportuna sunt sive ad officium catholicorum circa universitates confirmandum, sive in genere ad superiora studia ecclesiastica animos omnium alliciendos.

Attamen votum promere liceat: ut in singulis Nationibus universitas seu saltem *una Facultas theologica* erigatur omnibus et praecipue laicis patens, qua *et* studia superiora Ecclesiae attingantur, *et* relationes cum scientiis modernis et cultura modernorum praesertim philosophica — in lucem ponantur, *et* optimi laici praeparentur ad munia sibi propria in organizationibus nationalibus et internationalibus, praesertim Actionis catholicae et missionariae, profundius doctrina catholica intellecta et adquisita.

In laicis enim cultis hodierni temporis maximum viget desiderium profundius attingendi rem catholicam, sed ipsis non cibum solidum plerumque praebemus, seu doctrinam non in sua vastitate sive analytice sive synthetice damus. Cursus speciales qui alicubi fiunt sunt peropportuni, sed non sufficientes, saltem iis qui altiora attingere valent et possunt. Nec praetereundum est multos esse qui sodales sunt Institutorum Saecularium, quibus frequentare etiam Facultatem Theologicam in Universitatibus Pontificiis ecclesiasticis prodest quidem, sed multoties deest

contactus studiorum cum exigentiis vitae et culturae modernae. His et aliis peropportune statueretur Facultas theologica, alicui Pontificiae Universitati affiliata, sed in se autonoma, ad finem peculiarem, de quo supra.

Appendix II. Cum agatur de primis lineamentis, adumbratis a Commissione de Seminariis, de Studiis et de Educatione catholica, liceat statim quaedam tantum adnotare circa huiusmodi lineamenta.

Animadversio praecipua est haec: in c. II, nn. 5-6, pag. 22, fit sermo de Facultate Philosophica; in nn. 7-10, pag. 23 de Facultate Theologica. Deinde in n. 11, statim transitus fit ad studia specializationis.

Rogo, ut post n. 10, inserantur alii numeri in quibus pertractetur speciali modo de Facultate Iuris Canonici et etiam Iuris civilis (de qua unicum exemplar est in Pontificia Universitate Lateranensi).

Studia iuris et utriusque iuris sunt summopere excolenda, sive ex exigentia materiae in se, sive ex criterio et aequilibrio quod ingerunt in mentibus studentium, sive ex necessitate quae alte persentitur habendi bonos canonistas qui munera multiplicia, cum vera peritia, explere possint in curiis et praecipue in tribunalibus ecclesiasticis. Ab omnibus fere episcopis agnoscitur carentia in hac parte, uti notatum pluries est in Commissione de disciplina Sacramentorum, cum de causis matrimonialibus agitur. Non desunt leges, bonae et experientia et praxi Ecclesiae comprobatae: desunt e contra numerice et circa peritiam iudices. Necesse est ut parentur huiusmodi servi iustitiae Ecclesiae Dei: et ideo de Facultatibus iuridicis explicite, et cum honore agendum est etiam in hac Instructione Conciliari quam Concilium suo tempore promulgabit.

18

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Praeter has animadversiones schema placet.

1. Quibus gubernatio scholarum pertinet curam habeant ut magistros secum laborantes in apostolos efficiant et alumnos in viam caritatis practice introducant ita ut in futuro numerus apostolorum laicorum crescat.

2. Quaeritur utrum normae quaedam suggeri debent ad scholas in territoriis missionum regendas ad acatholicos plus magisve destinatas.

3. In schemate non est provisum pro liberis catholicis quibus vel desint scholae catholicae vel forse propter penuriam aliasve rationes ad illas ipsas scholas aditus non pateat. Res est maximi momenti. In eius levamen tum ex parte pastorum ecclesiae tum ex parte congregationum religiosarum scholas conducentium, conatus strenue fieri debent. Episcopi loci sit non solum munus sed et potestas rem in finem perducendi.

19

Exc.mus P. D. SALOMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

Nullum discrimen fit inter diversos typos scholarum catholicarum prout a religiosis, a laicis vel a Clero dioecesano reguntur, quarum diversa est administrandi ratio, atque instructio.

Maximi, omnino, sunt faciendae scholae sic dictae elementares seu primariae, gratuitae, in regionibus popularibus, atque ruralibus, magis atque magis multiplicandae, analphabetismo ubique grassante. Hinc, iuxta mentem Pii XII sanctae memoriae, commendandum videtur Institutis religiosis, huic operi incumbendo a Fundatoribus erectis, ut ad pristinas traditiones redeant, non, tamen, neglectis hodierni temporis conditionibus adaptationibus.

Aliquid de principiis et methodo, in educatione impertienda, a Concilio videtur esse attingendum, maxime relative ad sic dictam Scholam Novam, quae principium libertatis nimis contra auctoritatem acceptat; sive etiam relative ad democratisationem iuventutis, et ad intensiorem spiritum christianum, in eis promovendam.

Ad n. 8 in pag. 10. Selectio nimia, a paragrapho proposita, non bene convenire videtur nationibus iunioribus, ubi, ex una parte desunt sufficienter Instituta Superiora Gubernii, quod, hac de causa, Facultates et Universitates particulares fovet et protegit; ex alia parte, magnus omnino datur iuvenum utriusque sexus ad studia superiora concursus, quibus si ingressus ad facultates catholicas difficile redditur, ad Instituta profana, vel perniciosa vel saltem indifferentia adeunda, constringuntur. E contra, si facilius ad nostras facultates admittantur, eorum meliori formationi consulere licebit, per ordinatam rationem doctrinae et moralis catholicae, sedulo per totum cursum superiorem scientifice tradendae, et, sic, ad futuros dirigentes Nationis, Ecclesia praesidet, parandos.

Ad n. 10. Insistendum magis videtur in actione coniuncta episcoporum in exigendo a Guberniis auxilia pro scholis catholicis, pari omnino iure ac gubernativis; in urgenda lege de scholis catholicis frequentandis; ad stabilitatem oeconomicam Universitatum promovendam, cum nullo modo sufficiant pensiones alumnorum, neque, auxilia gubernii et particularium, quae non facile dantur.

20

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI

Episcopus Fukuokaensis

Hoc schema optimas partes continet, etsi quaedam partes videntur esse minus utiles. Heu! sicut fere omnia schemata, silet de rebus maximi momenti, et praesertim de statu vigente in terris missionum. V. g. 1. Nil dicitur de munere apostolico scholarum in terris missionum. Etenim, scholae sunt optimum medium propagandi ideas christianas apud infideles. Corda praeparant ad conversionem.

2. Non satis scribitur de cautionibus adhibendis in frequentatione scholarum vel universitatum acatholicorum, ut constanter fit et fieri debet in terris missionum propter raritatem scholarum catholicarum.

3. Labor arduus et ardens professorum catholicorum, praesertim laicorum, nullomodo laudatur.

4. Progressus scientificus et « spiritus investigationis » (esprit de recherche) non incitatur.

21

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Pag. 11, n. 13. Maximi momenti est ut Religiosi et Religiosae qui in scholis doceant saltem habeant gradus aequales academicos ac magistri laici. Secus magistri laici videntur inaeque tractari et ubi Status Civilis influxum habeat in scholis non immerito recusat approbare designationem religiosi officio magistri si religiosus gradum academicam praescriptum non habet.

Ideoque volo submittere ut aliquid introducatur de responsabilitate Superiorum Religiosorum ordinandi ut subiecti se parent ad gradus academicos. Hoc fieri potest post verbum « comprobandae » in lin. 32, pag. 11.

22

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Hoc Schema, multis respectis, est generaliter meriti. Non solum iura in educatione parentum agnoscenda sunt, sed etiam cogitatio ad concedendam laicis, praesertim parentibus, vocem in administratione scholarum catholicarum applicanda est.

Nonnulla consideratio « co-instructional » systemati educationis, per quod discipuli secundum sexum divisi sunt, sed in quo quibusdam partibus aedificiorum communiter uti possunt, facienda est.

Oportet ut consociatio cum re publica in educatione agatur, et etiam "shared time" systema studeatur.

Ecclesia non solum scholas catholicas statuere debet, sed etiam educationem in scholis saecularibus adducere vel intra easdem « fermentum » fieri debet.

23

EXC.MUS P. D. IOSEPH HÖFFNER
Episcopus Monasteriensis

A. *Laudanda in schemate.* I. Schema — quoad doctrinam et disciplinam — visionem integralem totius quaestionis de scholis sub aspectu catholico praebet. Tale documentum conciliare pro tota ecclesia variis ex causis necessarium est:

1. In tempore industriali educatio et schola apud omnes populos tantum momentum adeptae sunt uti numquam antea. Hic latet amplus campus apostolatus.

2. Necessarie requiritur clarum et univocum documentum conciliare de scholis, cum etiam catholici ideas haud claras — quoad doctrinam et praxim — habeant, ita ut saepe incerte et valde remisse agant.

3. In societate ideologice « pluralistica » multae tendentiae et systemata influxum in scholas exercere conantur, ita ut scholae catholicae grave damnum minari possit. Ea de causa doctrina catholica clare proclamanda est.

II. Data magna diversitate conditionum in variis populis schema tantum principia generaliora statuit, ulteriores determinationes reliquens episcopis et conferentiis episcoporum.

III. Schema clare proclamat principia catholica, sed sine tono polemico. Sine omni asperitate iura singulorum hominum, familiae, ecclesiae et Status in campo educationis et formationis declarantur, non autem exclusive tamquam ius vindicatur.

IV. In capite De Universitatibus Catholicis expresse tractatur de cooperatione professorum catholicorum etiam in universitatibus non catholicis: pag. 15, linn. 35 ss: « ut docti catholici etiam extra Universitates catholicas veritatem perscrutandam ... promoveant, cum investigatione scientifica et docendi munere in civilibus Universitatibus, tum constanti scientifico commercio cum viris scientia egregiis ». In schemate universitates sic dividuntur:

Universitas:

Catholica:

Studiorum ecclesiasticorum tantum;
Studiorum saecularium tantum;
Studiorum ecclesiasticorum et saecularium (Universitas catholica complete sumpta).

Civilis:

Statalis (etiam cum facultate theologica, ut v. g. in Germania);
Non statalis, ut v. g. in Statibus Unitis.

V. Aperte postulatur, ut scholae et Universitates catholicae non tantum catholicae sint sed etiam in campo scientifico tamquam exempla praecellant: « Qualitas potius quam numerus Universitatum catholicarum curari debet, cum melius sit paucas florentes habere quam multas languentes » (pag. 21. linn. 18-20).

VI. Instanter inculcatur cura pro futuris professoribus in Universitatibus:

1. in facultatibus theologicis: « Curent praeterea Ordinarii loci ut, quos ex clericis scientiis colendis aptiores cognoverint, eos studiorum ecclesiasticorum praesertim Universitatibus et Facultatibus formandos committant » (pag. 15, linn. 4-7);

2. in Universitatibus catholicis et non catholicis: « Curandum quoque est ut iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive civilium Universitatum ... ad magisteria in Universitatibus suscipienda promoveantur » (pag. 16, lnn 2 ss.).

VII. Laudabiliter affiliatio seminariorum maiorum studiis scientificis insignitorum facultati theologicae universitatis proponitur: « Seminaria maiora dioecesana et religiosorum particulari institutionis perfectione praecellentia, universitatibus et facultatibus affiliari vel aggregari possunt ... » (pag. 25, linn. 9 ss.).

B. *Emendanda et addenda*:

I. Ad prooemium. Textus prooemii ansam praebere posset opinioni scholam catholicam indebite extolli et alias formas educationis religiosae et praedicationis praetermitti. Ad hanc obiectionem praecavendam, in pag. 7, lin. 26, ex priori schemate sententia inseri posset: « Quod munus (scilicet conducendi homines in mensuram plenitudinis Christi) Ecclesia inde ab ipsis suae vitae exordiis praeprimis Divini Verbi praedicatione seu catechesi semper adimplere studuit. Quibus decursu

temporum, maternae sollicitudinis amore ac intuitu ducta, alia in christiano populo efformando adiunxit subsidia, inter quae potissimas partes agebant et agent catholicae scholae ».

In pag. 7, lin. 17, loco « absolutam » dicatur « perfectam », quia absolutum aequivoce sonat.

II. Ad caput « De educatione ». In pag. 8, lin. 32, loco « absoluta » dicatur « integralis ».

In pag. 9, lin. 31, loco « Familia, Ecclesia et Civitas » dicatur: « Familia, Civitas et Ecclesia », quia est eadem enumeratio ac supra.

In pag. 9, post lin. 33, mentio fiat institutorum pro erudiendis adultis christianis. Quare inserendum est: « praeter scholas catholicas cuiusvis generis opera vel instituta catholica pro erudiendis adultis christianis fovenda sunt ».

III. Ad caput « De scholis in genere ». In pag. 10, lin. 9, loco « temporale et aeternum » dicatur « naturale et supernaturale », quia naturalia quaedam sunt aeterna et supernaturalia quaedam sunt temporalia.

In pag. 11, lin. 11, addatur: « sive in scholis catholicis ab auctoritate civili pro catholicis erectis ». Quia etiam haec forma scholae catholicae attendi debet.

In pag. 12, lin. 6, deleatur « gravi ». In pag. 13, lin. 7, loco « ubi » dicatur « si ». « Ubi » localiter tantum intelligi potest.

Cum in multis regionibus haud pauci liberi catholici scholas non catholicas frequentent, in pag. 12, lin. 9, inserendum est: « graviter postulandum est ut catholicis liberis scholas non catholicas frequentantibus religiosa instructio in ipsis scholis impertiatur. Curandum quoque est ... ».

In pag. 12, lin. 38, post n. 17, inseratur novus numerus de scholis catholicis ab auctoritate civili conditis et sustentatis, ut v. g. in Germania et Austria, quae maximae utilitati sunt institutioni religiosae puerorum necnon aestimationi publicae ecclesiae. Quare addendum est: « inter scholas catholicas iure meritoque censentur et commendantur eae quoque scholae, quae quibusdam in regionibus ab auctoritate civili pro discipulis catholicis eriguntur, dummodo universa instructio spiritu catholico sit imbuta. Principia hucusque recensita, imprimis de institutione religiosa et morali puerorum sub ductu et vigilantia Ecclesiae impertienda necnon de formatione magistrorum ab omnibus, ad quos pertinet, religiose serventur, salva sustentatione huiusmodi scholarum, quae ad curam civilis auctoritatis pertinet ».

IV. Ad caput « De universitatibus catholicis ». In capite de universitatibus catholicis de methodo scientifica dicitur: « Theologiae et philosophiae quaestiones praesertim speculativae pertractentur ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam, principia » (pag. 14, linn. 15 ss.). Haec eadem methodus in schemate « De sacrorum alumnis formandis » praescribitur (pag. 13, lin. 15, et pag. 14, lin. 9). Quaerendum est, nonne in schemate quod pro tota Ecclesia valet ratio etiam habenda sit magnorum Patrum graecorum. Potestne theologia istorum Patrum sub « ratio, doctrina et principia » S. Thomae subsumi?

In pag. 14, post lin. 20, inserenda est mentio facultatum theologicarum in universitatibus civilibus: « Facultates theologicae catholicae, in aliquibus universitatibus civilibus cum consensu auctoritatis ecclesiasticae erectae, quae multum conferunt, ut non solum alumni scientifice religioseque formentur atque sacra doctrina evolvatur, sed etiam ut inter scientias saeculares vox catholica audiatur

et Ecclesia catholica in amplissimo campo mundi moderni praesens sit, sollicitudini et favori episcoporum enixe commendantur ».

Ad Appendicem II. Tempus in schemate pro studiis praescriptum nimis longum est. Pro studiis ad lauream in Sacra Theologia post studia fundamentalia in philosophia et theologia per 6 annos protracta requiritur studium particulare trium annorum. Tunc denique incipi potest cum studiis ad lauream per congruum tempus protrahendis, quae iterum varios annos requirunt.

Laudabiliter in schemate erectio moderna et institutio exemplaris universitatum catholicarum postulatur. Tamen modus concretus ad expensas levandas, quae pro universitate moderna immensae sunt, non indicatur.

24

Rev.mus P. D. PAULUS IOSEPH HOFFER

Superior generalis Societatis Mariae

Dotes scholae catholicae bene explicatae sunt in schemate (pag. 11, n. 11): « Ea dumtaxat schola vere catholica est censenda, in qua tota instructio ac doctrina eiusque ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri ad quamlibet disciplinam quod pertinet, ceteraque omnia in quibus alumnus versatur, christiano spiritu sint imbuta, atque imprimis religiosa instructio sub Ecclesiae ductu ».

Attamen, aspectus quidam essentialis genuinae scholae catholicae transcuratus est: schola catholica in ipso ambiente scholastico tirocinium apostolatus esse debet. Apostolatus obligatio emanat a baptismate. Si apostolatus habitudo per ipsam infantiam et iuventutem idonea directione et exercitatione non acquiritur, probabile est numquam nascituram esse post scholae exitum. Quamobrem praeoccupatio apostolica in ipsa schola suscitanda et fovenda est, primo sub aspectu informationis, secundo sub aspectu actionis.

1. Sub aspectu informationis. Alumni de Ecclesia et mundi statu quoad religionis situationis magis ac magis certiores fieri debent. Ecclesiae necessitates cognoscere debent omnes: statistica christianorum in variis regionibus terrae, defectus sacerdotum in multis regionibus, laicorum auxilii urgentia, etc.

2. Sub aspectu actionis. Faciendo melius addiscitur quam audiendo. In ipsa schola et extra scholam actus apostolicos alumni perficere debent. Si in ipsa schola et familia non assuescuntur faciendi opera apostolatus, numquam postea hoc addiscent et facient. Talis apostolatus exercitatio per operas catholicae actionis uti dicunt absolvitur. Haec operae non tantum vitae interioris stimuli esse debent, sed etiam apostolatus scholae. In omnibus scholis haec operae maxime fovendae sunt.

Obnixe petitur in ipso numero schematis accurata instructio religiosa. Attamen mihi videtur quod aliquae normae dandae sunt quoad sequentia:

a) Instructio religiosa, quia difficillima est, melioribus professoribus scholae committenda est.

b) Complicatio et abstractio, frequentissimae in textibus de religione, omnino evitandae sunt. Limitetur instructio ad essentialia. Explicatio magis biblica quam scholastica esse debet. Expositio moralis tractatus magis evangelica quam naturalis esse debet.

c) Religionis instructio melioris horae diei gaudere debet.

d) Obnixe petenda est accurata formatio catechistorum. Non sufficit etiam in S. Theologia doctoratus. Plus valet methodus et paedagogicae capacitas quam scientia.

25

EXC.MUS P. D. ANDREAS JACQ
Episcopus tit. Cerasenus

Pag. 8, n. 6, linn. 31-35 et pag. 9, n. 6, linn. 1-4. N. 6 dividendus est in duas partes:

1) de natura educationis: recta educatio debet complecti totum hominem ... (explicatio);

2) de iure iuvenum ad educationem: omnes homines, utpote personae ... (iustificatio).

Pag. 11 (De scholis catholicis). *Nota*: Cum schola catholica praecipuum forsan locum obtineat inter media quae ad propagationem fidei spectant, desiderantur in hac constitutione quaedam principia quae eas promoveant ad Regnum Dei dilatandum inter acatholicos quibus datur educatio moralis et socialis, et in quantum fieri potest etiam religiosa. Principia quoque quibus abusibus praecaveatur, ne quandoque scholae nomine potiusquam re catholicae aperiantur.

N. 11, lin. 10: addatur: ... « sive tandem in scholis quae instituuntur praesertim ad Fidem propagandam inter acatholicos ».

N. 13, lin. 27, addatur: ... « Sive pro pueris vel adultis acatholicis vel iam catechumenis ».

Pag. 14, n. 21, lin. 29 (De Universitatibus). Ante: « in omni Universitate catholica » addendum est: « Curandum ut omnis Universitas vel Facultas catholica habeat oratorium in quo studentes a fonte Sanctissimae Eucharistiae haurire gratiam et sapientiam venire possint. Curandum ut adsint etiam moderatores pietatis docti, qui curam animarum iuvenum habeant. Praeterea, in omni Universitate ... » (ut in lin. 29 ...).

Pag. 15, n. 23. Opus est loqui de studentibus acatholicis qui frequentant Universitates catholicas. Pauci sunt forsan in regionibus catholicis, sed numerosissimi in territoriis missionalibus.

Pag. 15, n. 25. Haec forma apostolatus aliquoties efficacior videtur quam creatio Universitatum catholicarum, praesertim in missionalibus territoriis, ubi professores catholici sunt pauci et subsidia modica.

Pag. 17. Appendix I. In diversis capitibus hic adumbratis, sperare licet ut ratio habeatur scholarum catholicarum in vastis regionibus Africae, Asiae etc. ..., in quibus longe maior pars alumnorum adhuc sunt acatholici, inter quos per solidam educationem fides est propaganda.

26

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis S.I.

Hoc schema, quo nitide et firmiter affirmantur principia tanta claritate et firmitate ut nescio an hucusque iam factum sit, in genere multum placet.

Unum tamen in schemate invenitur quod crediderim nedum profuturum, nociturum progressui scholarum catholicarum: nempe, ubi de Universitatibus agitur, apparet tendentia ad maiorem usque « centralisationem ». Iamvero crediderim longe maiorem progressum Universitatum esse exspectandum e contra a « decentralisatione », seu a reditu ad autonomiam Universitatum, qualis olim vigebat, et a qua Universitates maximi nominis ad nostros usque dies vim et famam obtinuerunt. Nostra enim aetate Oxford et Cambridge a nulla potestate centrali, nec Ecclesiae nec Status pendent et diriguntur; Universitas Lovaniensis de facto magna autonomia fruitur, invigilantibus utique episcopis regionis. Et exempla plura adduci possunt. Auctoritativi Status moderni nobis videntur quandoque exempla unitatis et vigoris; dum re vera, partium suarum « suppletivarum » seu « subsidiariarum » obliti, bene multas « initiativas » foecundas comprimunt. Historia Ecclesiae tota quanta est in historia « initiativae » privatae, ab Auctoritate probatae et paterne, non auctoritative, directae.

Aliqua particularia. N. 4 et ss. (pag. 22 et ss.). Minime persuasus sum mutationem quae inducitur in studia academica, profuturam esse Ecclesiae. Etenim, dum nunc quadriennium ad Licentiam connotat studia multo profundiora quam solent esse in seminariis, quadriennium ad Baccalaureatum de facto mox descendet ad gradum studiorum in seminariis usitatum. Episcopi autem pauciores iuvenes mittent ad studia biennii ad Licentiam, quam nunc mittere solebant ad quadriennium Licentiae. Hinc, pauciores erunt in Ecclesia sacerdotes profundius in theologia exculti. « Le mieux est parfois l'ennemi du bien », recte dicunt Galli.

Potius proposuerim ut servetur hodiernum quadriennium ad Licentiam; ut haud facile concedatur seminariis et domibus studiorum apud religiosos, nisi re vera excellant, aggregationem vel affiliationem (quibus gradatim reditur ad statum ante Constitutionem *Deus scientiarum Dominus*); ut requisita ad Lauream fiant graviora (Laurea ne obtineatur *uno* anno studiorum post Licentiam!); ut ne tanta facilitate admittantur ad docendum in seminariis Licentiati sed saepius exigatur Laurea. Licentiatus exigatur v. g. ad docendam religionem in scholis saecularibus altioris gradus (Facultatibus, Universitatibus), in seminariis regionum ubi minus alta est cultura et similia.

N. 11, pag. 11, lin. 8: deleverim verba « actu iuridico ». Etenim non paucae optimae scholae catholicae natae sunt ante saeculum et amplius, in regionibus quae tunc temporis erant adhuc in stadio primitivo vix inchoatae missionis; et ulterius in regionibus missionum tales nascuntur, paulatim crescendo. Saepe tales scholae non erectae sunt nec approbatae « actu iuridico », sed duce et promovente episcopo, actu orali tantum. Ne inquietentur! Sufficiat proinde dicere « ipsa auctoritate ecclesiastica probatis vel erectis ». Et certe ne inquietentur scholae quae longa iam praescriptione sibi iura acquisierunt.

N. 14, pag. 11, lin. 32: dicatur « etiam titulis academicis *si videbitur* comprobandae ». Ne se alliget Concilium isti superstitioni modernae de « titulis aca-

demicis ». Quotquot tales titulos consecuti sunt, norunt quam parum re vera significent. Et quae sit « disproportio » inter titulos academicos quos Status passim requirunt, et officium docendi in specie in scholis secundariis. Et omnes novimus magistros, ceteris longe praeclariores in re sua, qui titulis academicis non gaudent.

N. 19, pag. 13, lin. 14: non paucae nunc existunt Universitates catholicae, praesertim de disciplinis profanis, quae ab episcopis iam ante longum tempus sunt approbatae, non autem a S. Sede. Illae ne inquietentur, nec eis denegetur, contra omnem rerum veritatem, immo evidentiam, nomen « catholicarum ».

N. 19, pag. 13, linn. 21-24: secundum id quod initio de hoc schemate dicebam, velim ut hae lineae supprimantur. Maior concedatur Universitatibus autonomia, nedum cogantur ad sese magis subiciendum auctoritati centrali, quae eorum progressum magis remorabitur quam promovebit.

N. 21, pag. 14, linn. 29-31: rationabile non est exigere ut in omni Universitate catholica, etiam disciplinarum profanarum, adsit « Facultas » vel saltem « Institutum » theologicum. Maiore moderatione dicatur uti n. 18, pag. 25, linn. 20-21 recte dicitur: « aut Facultas, aut Institutum, *aut schola religionis* ». Quod hic in textu requiritur, mere abstractum est nec respondet rerum veritati concretae.

Pag. 24, n. 11, linn. 15-16: bene multa studia ad Facultates philosophicas et theologicas pertinere dicuntur; et non immerito. Nimium tamen videtur « litteras humaniores », utut christianas, ad eas trahere.

N. 12, pag. 24, lin. 19: convenitne ut Concilium oecumenicum Ecclesiae ad res adeo secundarias descendat quales sunt « varii ordines professorum »? Quam rem irreverenter sed non sine seria consideratione vocarem quoque « modernam superstitionem ».

27

Rev.mus P. D. SIGHARDUS KLEINER

Abbas generalis S. Ord. Cist.

Ad Appendicem II. N. 5. Biennium post baccalaureatum in philosophia ad consecutionem licentiae docendi praescriptum iustificari quidem potest mole materiae ibi tractandae aliquo modo, attamen timendum est, ne ita numerus ecclesiasticorum studio philosophiae scholasticae se dantium adhuc minor evadat. Philosophi inter ecclesiasticos satis rari sunt, unde, si nimia postulantur, adhuc pauciores erunt.

Praesertim ecclesiasticis licentia in s. theologia ornatis ordo actualis conservari deberet, et unico nempe anno licentiam in philosophia obtinere possint.

Nn. 7-9. Duplex ordo studiorum propositus, fundamentalis nempe et specializationis, praesertim ob numerum annorum praescriptorum, facultatibus theologicis, sed et ipso clero non parvas difficultates causaret.

Nam ex una parte in novo ordine necessario augeri deberet numerus professorum, dum ex altera parte numerus discipulorum tam in cursu fundamentali quam in illo specializationis diminueretur.

Res quoad augendum numerum professorum per se patet: lectiones et disciplinae tradendae multiplicantur, unde et professores. Eodem tempore cursum fundamentalem in facultatibus minor numerus frequentabit, nam ad gradus academicos pauciores quam nunc aspirabunt et cursum fundamentalem in seminariis vel institutis minoribus etiam rite peragere poterunt, immo ex huiusmodi institutis cursu fundamentali absoluto certe ad cursum specializationis — ad summum praemisso quodam examine — transire poterunt (cf. etiam n. 16).

Hoc modo in fine non solum numerus ecclesiasticorum gradibus in s. theologia insignitorum erit multo minor (de cuius effectu adhuc infra), verum etiam cultura theologica ipsa clericorum diminuetur, nam plurimi eorum qui hodie facultates theologicas frequentant, in futuro — quoad gradus eodem effectu! — theologiae in parvis institutis operam dare poterunt.

Ita multo minor evaderet iterum numerus ecclesiasticorum laurea insignitorum, quod factum reputationi Ecclesiae noceret, cum hodie fere omnes professores etiam scholarum mediarum iam laurea decorentur, qui laurea insigniti sacerdotes non-laureatos uti indoctos facile despicerent.

Difficultates speciales crearentur ita pro facultatibus theologicis universitatum statalium (praesertim in Germania et Austria), ubi adhuc hodie differt ordo studiorum facultatum theologicarum ab illo in Constitutione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus* praescripto et ubi ecclesiastici et laici in sex (immo saepissime in quinque!) annis insimul biennium philosophiae scholasticae et lauream in s. theologia obtinere possunt. (Patet quod filii harum nationum paucissimi novo ordine introducto in futuro Romam peterent, tanta discrepantia in exigentiis quoad lauream in s. theologia acquirendam perspecta).

Idea propositioni subiacens est bona valde et laudanda, nempe ex una parte desiderium augendi ecclesiasticos munus docendi suscepturos maiori scientia quam hoc in ordine actuali studiorum fit et, ex altera parte, visio necessitatis distinguendi in methodo docendi inter cursus fundamentales et cursus speciales. Sed idem effectus — vel fere idem — obtineri poterit alio modo, nempe si firmis manentibus praescriptis actualibus circa gradus (post annum secundum baccalaureatus, post annum quartum licentiatus et anno quinto laurea, si quis tam brevi tempore huius capax est), *introducatur novus gradus,* qui vocari posset magisterii, qui gradus studia post lauream obtentam adhuc specialia requireret, in similitudinem gradus magisterii in Universitate Catholica Lovaniensi iamdudum introducta.

Quapropter proponimus, ut post secundum (vel si melius placet: tertium) annum studii theologici conferatur gradus baccalaureatus in s. theologia, post annum quartum — examine de « universa » theologia praemisso — licentia docendi, in fine anni quinti possit iam acquiri gradus doctoris et post duos alios annos, dissertatione maioris momenti et molis conscripta et defensa, gradus magistri. Qui gradus exigi posset a futuris professoribus facultatum theologicarum.

28

Exc.mus P. D. MICHAEL KLEPACZ

Episcopus Lodzensis

1. *Educatio integra.* Prooemium schematis diei 7 martii an. 1963, pag. 3, de iure ad educationem integram loquitur et tum aspectus eius indicat. Aspectus ergo educationis sunt, physicus, intellectualis, technicus, moralis et religiosus. Punctum 11 eiusdem schematis addit adhuc educationem professionalem, specialem et iterum technicam educationem memorat. Punctum 21, pag. 12 educationem socialem addit et iterum religiosam et moralem citat.

Sed educationi sub respectu naturali et supernaturali procul dubio plures sunt aspectus, nimirum: physicus, intellectualis, professionalis, sexualis, socialis, nationalis, politicus, internationalis, humanus in genere, estheticus et polytechnicus.

In schemate non sunt enumerati aspectus sexualis, nationalis, politicus, internationalis, humanus in genere ac estheticus.

Homo utpote unicum totum consideratus cum fundamento in re immortalem animam manifestat. Inde ius educationis integrae aspectum religiosum et moralem postulat iuxta principium illud « non est moralitas nisi a Deo ».

2. *Centralis idea educationis.* Centralis educationis integrae idea fides in Deum est. In tali educatione homo innititur Deo et gratiae eius et non iure naturae tantum. Ideo aspectus religiosa et moralis educatio nulla re suppleri valent.

Unusquisque educationis aspectu proprium characterem et valorem habet. Unicuique autonomia est. Plenum vero valorem unusquisque recipit, cum religione et religiosa moralitate innititur. Exinde exoritur necessitas, ut educatio valoribus religionis et moralitas perficiatur, oportet enim hominem ita educari, ut aliquem valorem in vita repraesentet, et ut aliquid in vita sua perficiat. Hic autem finis assequendus ab unoquoque in vita sua medium constituit, ut homo educetur « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13).

3. *Integra educationis placita.* Educationis ambitus et profunditas placitis temporis respondere debent et continuo eius progressui inservire.

4. *A quo sustentandae sunt scholae.* Omnibus scholis, fundatis tam a minoribus statu moralibus personis (v. g. a particularibus familiis), quam ab illo maioribus organisationibus (v. g. ab Ecclesia Christi) ab illo statu sunt tribuenda subsidia, cui scholae discipuli pertinent. Cum enim cives omnes tributa etiam pro educatione solvunt, non est eis denegandum ius exigendi, ut status illos in sustinendis expensis educationis adiuvet.

5. *Instructio educationi inservit.* Has observationes exponens affirmo instructionem medium esse tantum ad educationem assequendam, quae rursus ad veritatem tendit.

* * *

De scholis Catholicis et de Studiis Academicis.

1. Ut quilibet homo in societate humana vivens, characterem suum evolvat atque ut scientiam vitae suae necessariam adipiscatur, ius nativum habet, ut educetur; et iis, quibus aliorum cura est, gravissima inest obligatio eos educandi.

2. Ius et officium pueros et iuvenes educandi primario ad parentes educandorum spectat et ad eos, qui parentum tenent locum. E mandato Christi et Ecclesiae ius ac officium est curandi, ut liberi educationem recipiant, primario in rebus religionis, secundario autem aliis in rebus cum christiana religione connexis.

3. Quum omnes catholici in determinata familia et in determinato statu orti ad Ecclesiam Christi pertinent, et quum familiae, et statui et Ecclesiae ius sit pueros educandi, maxime est promovenda cooperatio in materia educationis inter familiam, statum et Ecclesiam.

4. Ecclesiae ius est scholas proprias cuiusvis gradus et generis condendi et per se vel per alios regendi.

5. Ut schola aliqua vere catholica dici possit, insigniatur oportet sua obiectivitate, veri nominis tolerantia erga alios homines eorumque systemata. Profunditas investigationum scientificarum in ea eluceat, ita, ut secundum celebre adagium « non multa in illa doceantur, sed multum ». Schola catholica debet unire veritates

ordinis experimentalis cum veritatibus dogmaticis et moralibus; tendere debet ad educandos homines sapientes et honestos.

Ut aliquod institutum schola Ecclesiae esset, praeterea debet ad aliquam ecclesiasticam personam moralem pertinere, vel saltem ab illa dirigi.

6. Quum parentibus primarium ius sit liberorum educationem curandi, non est eis neganda libertas scholam, quam maluerint, eligendi. Eadem de causa quodlibet scholare monopolium — speciatim ex parte status — repudiandum est.

7. Perfectio scholae catholicae omnimode pro viribus curanda est. Institutio religiosa in ea tradatur et studiosis praxis religiosa facilior reddatur. Magistri sunt in ea in numero sufficienti, ne nimio labore onerentur; exemplari magistri emineant oportet vita. Rationes studiorum in talibus scholis saltem exaequent easdem rationes in scholis publicis; disciplina in scholis catholicis sancte et religiose servetur; didactica et paedagogica subsidia pro viribus suppeditentur.

8. Praeparatio magistrorum in catholica scholis docentium certe non debet esse minor illa, quae praescribitur pro talibus scholis in regionibus. Studia academica vel alii tituli pro variis scholarum generibus praescripti etiam a magistris in scholis catholicis exigantur. Eadem valent praecipue pro magistro religionis.

9. Ad uniformitatem in re scholari obtinendam condi oportet munus secretarii generalis pro rebus scholaribus pro singulis dioecesibus, vel potius pro tota natione.

10. Quoniam omnes scholae eundem principalem finem prosequantur, qui est sapientis et honesti hominis educatio, scholae catholicae inter se et etiam cum scholis non catholicis cooperentur oportet.

11. Propter necessariam in agendo uniformitatem, opportunum videretur, ut coetus seu conferentiae episcopales nomine omnium in natione Ordinariorum communi consilio elaborent ea, quae sunt necessaria, ut studiorum rationes, discipulorum sustentationem etc.

12. Can. 1378 de privilegiis doctorum fortasse in illam Codicis partem, quae de privilegiis clericorum agit, transferatur.

13. In scholis catholicis omnino prohibenda est quaevis mercaturae species. scholis huius generis aliena et indigna.

14. Omnis materia in canonibus 1372-1383 quoad scholas collecta, in futuro Codice magis organice et logice conformetur oportet.

Quoad universitates.

1. Ut universitas catholica condi valeat, necessaria sunt opportuna aedificia, cum opportuna bibliotheca et cum scientificis laboratoriis. Curandum est, ut pecunia habeatur pro sustinenda universitate. Necessarii sunt bene praeparati magistri. Studiosi universitatis scholam secundariam antea absolvere debent.

2. Singulae facultates universitatum suum ordinarium curriculum studiorum habeant; cuius finis est, ut facultatis absolventes professionem, quam didicerunt, exercere valeant, ut e. g. iuristae, homines litterarum etc. Praeterea in unaquaque facultate detur cursus specialisationis, ubi studiosi, duce professore, addiscant scientificas methodus, diversas pro diversis disciplinis.

3. Unaquaeque universitas catholica habeat oportet theologicam facultatem, vel adnexum Institutum religionis, vel saltem theologiae cathedram.

4. Ut viri docti et studiosi cognoscant illuminatas luce fidei doctrinas et veritates, creanda sunt in catholicis Universitatis specialia Instituta investigationis scientificae.

29

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS GERARDUS CONSTANS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Expedire mihi videtur, S. Concilium Oecumenicum fiduciam ac respectum proclamare ardui illius laboris eorum, qui veritatem in quavis provincia explorant ac scientiarum progressum promoveant, eos benigne incitando, ut hanc veritatis inquisitionem considerent ut sanctum munus sacramque erga Ecclesiam et humanum genus responsabilitatem.

Non mihi videtur esse Concilii Oecumenici inquisitionem theologicam quasi unice coniungere ac ligare cum doctrina unius theologi, quam maximus et illustris ille sit. Si in textu huius schematis aliquid de doctrina Aquinatis sit dicendum, mihi sufficere videtur stipulare « opus theologicum esse peragendum praelucente exemplo Angelici Doctoris ».

30

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Proposita schematis constitutionis *de scholis catholicis* res omnes nostra aetate ad scholas bene gerendas pertinentes prorsus praeclare tractant et omnino approbanda sunt. Paucissimae, ergo, sunt animadversiones faciendae.

In specie. 1. Pag. 10: *De scholis catholicis in genere* (Fundamentalia de scholis principia): De duplici scholae fine ultimo veritatem necnon virtutes humanas spectante, satis dicitur; itidem de scholarum libertate et sustentatione.

2. Pagg. 11-12: Peculiares de scholis catholicis normae: Descriptio scholae vere catholicae dotum apta et sufficiens est.

Opportunae sunt admonitiones de communitatis christianae cognitione atque aestimatione momenti educationis christianae et finis ac libertatis scholae catholicae; de scholarum catholicarum coordinatione et cooperatione dioecesana, regionali, nationali et internationali.

3. Pag. 13: *De universitatibus catholicis*: Nostrae atque futurae aetati admonitiones datae aptae et prudentes sunt. Universitas catholica momentum ampliorem in dies attingit propter numerum ingentiorem iuvenum qui ad eius cursus accedunt et numerum crescentem ipsorum cursuum.

31

EXC.MUS P. D. LORAS THOMAS LANE
Episcopus Rockfordiensis

N. 12, pag. 11. Addendum istud paragraphum: « Ad promovendam formationem moralem alumnorum et ad praeservandam unitatem directionis spiritualis, enixe commendatur ut Director spiritualis constituatur in scholis mediis et superioribus ».

32

EXC.MUS P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

Ad app. II. Ut aptius materia ordinetur opportunum videtur ut ex sectione I et IV una efficiatur in qua communia componantur tam universitatibus vel facultatibus studiorum ecclesiasticorum, quam saecularium, quae prima sectio constitueret.

Quaedam quae ut propria in sectionibus II et III inveniuntur tum universitatum studiorum ecclesiasticorum, tum saecularium, ut generalia in hac sectione I melius ordinarentur, ut quae in nn. 6, 9, 13, 15, 22 et 23 continentur. Ex nn. 6 et 9 quae peculiaria sunt facultatibus theologiae et philosophiae suo loco considerare possint. Ast exigentiae minimae ad lauream conferendam universis facultatibus communia videntur, e. g. copia magistrorum subsidiorumque: quaedam specialia studia: initiatio in laboribus scientificis investigationis: immo et iudicium de thesi doctorali, ut de fructibus huius initiationis.

Ad n. 12 quaedam addenda proponuntur, ita ut hoc modo initium compleatur: « Professorum in universitatibus et facultatibus varii habeantur ordines. In statutis uniuscuiusque universitatis vel facultatis stabiliantur quae pro unoquoque gradu requirantur, et ordinario modo ad gradus superiores, professoris nempe ordinarii vel stabilis, ne quis assumatur, quin antea ad tempus docuerit ut extraordinarius vel temporarius ».

Ut complementum n. 6 haec etiam proponuntur: « Semper iudicium exquiratur magistrorum aliarum universitatum vel facultatum, civilium etiam, antequam quis in numero professorum cooptetur ».

« Ad thesim doctoralem iudicandam semper vocetur professor aliarum universitatum civilium ».

Ex novo haec etiam proponuntur: « *a*) Cum universitas vel facultas cuidam instituto religioso concreditur, hoc nullo modo secum fert, ut magistri tantummodo seligantur ex sodalibus instituti. Immo et oportet ut ex aliis familiis religiosis, ex clero saeculari et ex doctis laicis magistri nominentur ».

b) Ut universitas erigatur, vel ex novo, vel etiam ex facultatibus iam existentibus, quaedam exigantur ex generali lege. Inter ea, sequentia: « 1) Ut in quibusdam, ad minus, facultatibus laurea doctoralis conferri possit. 2) Ut complexus facultatum vel scholarum in quibus disciplinae et praxis technicae traduntur, aliis facultatibus compleantur, in quibus scientiae ad culturam humaniorum attinentes debite colantur ».

Ad n. 5 sectionis II, pag. 22. Ordinatio studiorum in facultate philosophiae plus aequo adhaeret hodiernae praxi, quae revera non fructibus commendatur. Biennium servat ad bachalaureatum « ab omnibus clericis peragendum », quod revera frequenter in seminario nec superat, nec superare quidem valet, quod in studiorum ordine saeculari vocatur schola media. Si in universitatibus ita biennium ordinari debet ut alumni « ad altiora studia philosophica excolenda apte instruantur » nec hoc quidem peculiare universitatis videtur, sed potius propaedeuticum.

Praeterea hoc biennium altero completur, ita ut in primo, philosophia scholastica colatur, alterum quod ut specializationis notatur, dicetur philosophiae et

scientiae recentioris aetatis, quod primo intuitu interpretari posset, quasi si mens Concilii esset philosophiam scholasticam tantum coli debere quantum prodest « ad altiora studia philosophica postea excolenda: et quidem haec altiora studia nihil aliud esse quam recentiora systemata philosophica. Hoc revera mentem non esse schematis certe constat, cum aliis in locis commendet magisterium Doctoris Angelici, ad cuius rationem, doctrinam et principia quaestiones philosophicae pertractare iubet.

Certe et ordinatio studiorum clariori modo explicari oportet, immo et aliam ordinationem instituere, in qua cursus philosophici maturiori praeparatione aggrediantur et species vitetur minoris studii in Ecclesia erga scientias philosophicas.

Meliori modo ordinarentur studia in facultate philosophica, si ad exemplum facultatis theologicae, — et sublata specie minoritatis — triennium instituatur, post studia ecclesiastica peracta, in quo et fundamenta syntheseos Doctoris Angelici, et progressus scientifici, et tentamina recentioris vel posthabitae aetatis vel aetatum ad veritatem adsequendam sincere recolantur, et ea denique pervestigentur, et edoceantur quae in aliis facultatibus philosophicis de more et pervestigantur et edocentur.

In primo anno rite peracto bachalaureatus conferri potest, annis secundo et tertio licentia. Ad lauream peculiaria studia peragi debent, in quibus ad investigationem propriam et personalem alumni educantur, et denique thesis ad lauream ita conficiatur ut in dispositionibus generalibus stabilitur.

33

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID

Archiepiscopus Dublinensis

Ausim dicere schema nullibi pericula urgere quae hodierno tempore in universitatibus saecularibus iuvenibus latere.

Facilius a parentibus et magistris concluditur iuvenes, in scholis secundariis etiam proprie catholicis formatos, eo ipso ita maturuisse ut agnosticismo resistere possint qui latissime serpens haec occupat instituta.

Exitus vero infelicissimus praesertim quoad fidem: exinde vita, si vere catholica dicenda sit, usque ad finem omni ex parte liberalismo infecta.

Parentes quidem catholici ob rationes ex emolumento sociali deductas filios in universitates saeculares incuriose mittunt. Ex culpa culpam gignit, nam et ipsi filii filios suos tandem talibus institutis sunt commissuri.

34

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ

Archiepiscopus Angelorum

1. Laudo iterum atque iterum optimum laborem, synthesim praeclaram, in qua diversa antiqua schemata in compendium redacta sunt. Unde plura quae dicere possem in laudem, brevitatis gratia omitto.

2. Dolendum mihi videtur quaestionem in schemate non tractari *de co-edu-*

catione, siquidem multis in nationibus magni momenti est, et valde agitatur. Utique fateor diversas opiniones esse, immo et praxim diversam esse in nationibus variis. Sed mihi videtur Concilium non posse hanc quaestionem ignorare. Unde mea humilis sententia esset: Quando de scholis « vere catholicis » (pag. 11, n. 11) agitur, occasio optima praebetur ad verbum faciendum hoc modo: ad normam Pontificiorum Documentorum, principia generalia de co-educatione inter catholicos stabilire, ac dein, attentis hodiernis mundi adiunctis sat diversis, Conferentiis Episcopalibus facultatem relinquere ut normas circa materiam edant.

3. In pag. 7, linn. 28 et 29: ex usu verbi « tot » mihi videtur in bona latinitate sensum remanere incompletum. Melius esset dicere « plura », vel anteponere « Ideo saeculorum decursu ... » (lin. 27).

4. In pag. 9, n. 7: Siquidem ordo est « Familia, Civitas, Ecclesia », idem servandus ordo esset in linea 31: « Familia, Civitas et Ecclesia ».

5. In pag. 10, lin. 15 dicitur iam: « Haec scholae *libertas* ... » unde mihi supervacaneum videtur repeti in lin. 18: « ea qua par est *libertate* faciendam ». Melius auferre verba haec ultima. Sensus remanet idem.

6. In pag. 11, post n. 11, lin. 11: Iam dixi mihi necessarium videri aliquid de co-educatione a Concilio dici, sensu exposito.

7. In pag. 14, linn. 2 et 4: Nimis proxime repetitur verbum « peculiaria ». Posset dici secundo loco « specialia ».

8. In pag. 14, linn. 11-14: Mihi clara non apparet idea seu mens. Si agitur de uniuscuiusque disciplinae seu scientiae methodo, clarius esset dicere in linn. 13 et in 14: « propriae *uniuscuiusque disciplinae methodi* ... ».

9. In pag. 18, lin. 14: Melius esset ponere primo loco *finem,* hoc modo: « *Finis* scholae catholicae eiusdemque momentum hodiernum ». Et ideo in linn. 14 ss. ponere sub littera *a*) ea quae in linn. 25 ss. sub littera *d*) nunc inveniuntur in schemate. Primo sermo faciendus de fine, dein de aliis.

10. In pag. 18, lin. 26: Mihi necessarium omnino videtur ordinem verborum mutari debere, hoc modo: « Positive: educatio integraliter christiana, optima instructio, consolidatio et propagatio fidei ». Et ea reponere sub littera *a*), in lin. 14, ut superius dixi.

11. In pag. 19, post lin. 10, necessarium pariter videtur agi « De magistrorum optima praeparatione », sive « Pro renovatione scholae catholicae » (de qua est sermo in paragrapho) sive ex natura ipsa rei.

12. Post lin. 5 utilissimum esset addere clausulam: « Confoederatio seu consociatio catholicarum scholarum eiusdem Dioeceseos seu Nationis ».

13. In pag. 21 et ss.: Candide fateor me non satis intelligere sensum seu mentem Instructionum quae desiderantur vel proponuntur. Etenim plures invenio repetitiones, earum rerum nempe quae iam in schemate dictae sunt. Mihi videtur Patribus Concilii omnino necesse esse clarissime explicare omnia: finem, methodum, mentem, etc.

14. In pag. 23, nn. 8 et 9: Salva reverentia dico nimis videri « quattuor annos » requiri pro baccalaureato in s. theologia, et « saltem » alios tres pro licentia. Praeterea confusio oriri posset ex lin. 21 textu, quia immediate antea sermo fit de tribus annis saltem, pro licentia, et dein dicitur « Duobus primis annis ad licentiam in s. theologia contendentes ... » et nihil de tertio anno. Humillime dico: Possetne sufficere quinque integri anni, tres primi pro baccalaureatu, duo alii pro licentia? Dein alii anni pro laurea? Parcite mihi, rogo.

15. In pag. 24, lin. 27: Claritatis gratia melius esset dicere « propriae *uniuscuiusque scientiae* methodi ... ».

16. In pag. 27, linn. 12 et 13, mihi videtur valde necessarium normas tradere circa auctoritatem in catholicis universitatibus relate ad sacram hierarchiam: Quousque se protendit libertas seu independentia universitatum catholicarum, non directe ab eadem sacra hierarchia fundatarum, sed a religiosis vel a laicis catholicis?

35

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

1. Praeter generale principium de scholis catholicis fovendis, mihi videtur necessitatem etiam urgere investigandi quo modo scholae saeculares ameliorari possint vel per alumnos catholicos, vel per magistros vel per libros.

2. Laicismus educationis, nostris diebus, ad omnes nationes diffunditur; quo modo agendum ad iura familiae et Ecclesiae melius tuenda? Remedium salutare videtur Associatio Familiarum et Laicorum hominum quibus concredatur cura educationis catholicae.

3. Opinor appendices omnes quae in hoc schemate continentur consideranda et approbanda sint a speciali commissione, omissa singulari disceptatione in Concilio.

36

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 10, n. 8, lin. 8. « ... simul vero virtutes humanas excolere »... Additio proponitur: « ... simul vero virtutes humanas, *naturales et supernaturales*, excolere ... ».

Pag. 10, n. 9, lin. 14. Addendum videtur: ... dummodo in *Dei honorem*, alumnorum ...

Pag. 11, n. 11, lin. 11. Forte addendum membrum: « sive a Statu catholico erectis ».

In Instructionibus « de scholis catholicis » et « de universitatibus catholicis » magni videtur momenti ut clare determinetur et enixe commendetur Patris spiritualis munus.

37

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. *Considérations générales*. Je loue ce Schema « de scholis catholicis » dans son ensemble, à cause de sa forte insistance sur la formation intellectuelle et spirituelle des Professeurs et des Etudiants, à tous les degrés de l'éveil de la pensée, et surtout au suprême degré de la formation universitaire. Je noterai particulièrement certains points:

a) La création d'une Faculté ou d'un Institut de théologie dans toute Université catholique (p. 14, lignes 28-29; p. 27, lignes 1-2).

b) Adoption, en plus de la méthode thomiste du Docteur Angélique, de tout ce que la science et son progrès auront apporté dans les domaines de la théologie et de la philosophie (p. 14, lignes 17-20; p. 24, lignes 29-34).

c) Constitution de Conseils ou Associations des familles pour créer un lien entre l'Ecole et les enfants ou étudiants (p. 12, lignes 9-11).

d) Création des Unions nationales ou internationales des Ecoles catholiques pour défendre les droits de l'enfant et de l'enseignement libre (p. 12, lignes 18-26). Ces Unions travailleront avec toutes autres Unions qui ont pour but de défendre les droits de l'homme et surtout de l'enfant (p. 12, lignes 27-37).

e) Constitution d'Associations d'hommes catholiques pour subvenir aux Etudes supérieures (p. 21, lignes 6-8).

f) Constitution d'un Conseil de « periti » internationaux pour aider la S. Congrégation des Etudes dans sa tâche (p. 21, lignes 9-12).

g) Création de Maisons d'Etudiants là où il n'y a pas de Faculté de théologie, pour offrir à ces Etudiants l'aide morale nécessaire (p. 15, lignes 25-33; p. 26, lignes 24-28).

h) Offrande d'une aide aux Etudiants catholiques pauvres mais doués, pour faire leurs études supérieures (p. 15, lignes 8-15; p. 26, lignes 4-5, 6-10).

i) L'on ne peut que louer le désir que manifeste le Schema de la spécialisation dans différentes matières d'études. L'Eglise a toujours été l'éducatrice des peuples. Surtout en ce siècle de néopaganisme et de science, elle se doit d'être encore en proue dans tous les domaines du savoir (p. 24, lignes 6-17; p. 22, lignes 13-26; p. 23, lignes 19-33).

2. *Considérations particulières*. *a*) Le Schema, parlant de la réforme du « Ratio Studiorum », laisse loyalement aux Eglises Orientales le soin de l'adapter à leurs circonstances particulières et à leurs problèmes (p. 23, lignes 34-38).

b) Par ailleurs, tout en reconnaissant que le progrès de la pensée, dans tous les domaines, se fait sentir dans les Pays d'Orient, à un moindre degré, cependant, qu'en Occident, il me semble que la pénurie de prêtres ne permettra pas à notre Eglise maronite d'accepter le système du double biennium de philosophie et des 6 années de Théologie, dont le Schema parle (p. 22 et 23), sauf pour le petit nombre de spécialistes que la Hiérarchie pourra choisir, à cause de leurs qualités pour un meilleur rendement dans un monde retombé en grande partie dans le paganisme, et où le progrès des sciences se fera sentir petit à petit dans nos Pays d'Orient.

C'est pourquoi, il me semblerait utile et nécessaire de maintenir, comme couronnement des quatre années traditionnelles de Théologie, le grade de licencié. L'on serait libre de prolonger la période de la spécialisation. En d'autres termes, le système actuel a du bon, à condition que la spécialisation soit plus approfondie et sérieuse.

Quant à l'enseignement de la Philosophie, il y aurait, peut-être, à revoir les programmes de la Philosophie scolastique avec un certain nombre de problèmes qu'elle soulève et qui ne répondent plus, pour nos contemporains, à des problèmes réels. Auquel cas, le double biennium, prévu par le Schema, n'aurait plus sa raison d'être, et tout l'enseignement de la philosophie pourrait se contracter dans les trois années traditionnelles.

c) Les Eglises Orientales devraient, me semble-t-il, être dotées d'une Université aux horizons larges, et dont l'orientation dût, d'une manière précise, l'Œcuménisme. Les problèmes des Pays d'Orient se ressemblent, sans se recouvrir complètement, il est vrai. Mais l'existence d'une Université où la spécialisation est concrètement finalisée sur des perspectives orientales, pourrait rendre de signalés services à l'Eglise et lui fournir ce qu'ailleurs elle ne peut obtenir au même point: nul n'est meilleur juge de l'Orient que ses propres enfants.

Je viens de parler particulièrement de la Faculté de Théologie de cette Université désirée. L'on ferait bien de créer différentes Facultés qui s'occuperaient, dans le sens de l'évolution des Pays d'Orient, des problèmes qui les caractériseraient sur les différents plans, religieux, interconfessionnel, social, politique, international, juridique, etc. La culture générale est excellente. Mais elle doit, pour être efficace, se doubler d'une culture et d'une spécialisation particulières.

38

EXC.MUS P. D. PAULUS NGUYEN VAN BINH

Archiepiscopus Saigonensis

N. 5, page 22. Exiger quatre années d'étude pour obtenir le titre de *licencié* en philosophie paraît excessif. Dans les universités laïques, avec un programme beaucoup plus vaste que celui des Facultés ecclésiastiques, ce titre peut être acquis en deux ou trois ans.

Nn. 7-9, page 23. Six années pour obtenir le titre de *licencié* en théologie paraît aussi exagéré. D'autant plus qu'il faut encore compter ensuite quelques années pour obtenir le titre de Docteur en théologie.

D'une façon générale ce n'est pas en augmentant le nombre des années d'études que l'on fait progresser l'enseignement, mais en améliorant la valeur des programmes et le sérieux des examens.

39

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Schema mihi placet. Tantum animadverto, sicut pro schemate constitutionis « De sacrorum alumnis formandis », quod deest quaevis Magisterii Pontificii et aliarum fontium revocatio, si excipiatur revocatio quae habetur in introductione Appendicis I.

40

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Scholae catholicae his in Insulis Philippinis normis et regulis sic dictae "Bureau of Private Education" gubernii civilis nimis subiiciuntur. Propterea plena instructio puerorum religiosa impeditur. Periculumque religionem considerandi tamquam materiam minoris momenti praebetur pueris. Quid itaque faciendum est?

41

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER
Episcopus Northantoniensis

Appendices rather useless (e. g. page 30, n. 14).

42

EXC.MUS P. P. PETRUS RAIMONDI
Episcopus Crotonensis

Prooemium schematis *de scholis catholicis* videtur nimis longum et generale: de nn. 1-2-3 potest fieri *unus*.

Pag. 7, linn. 11-12: verba Domini: « Euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19); « Praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15), non respiciunt scholas catholicas sed missionem specificam Ecclesiae, nempe educationem moralem-religiosam, spiritualem ad vitam aeternam acquirendam.

43

EXC.MUS P. D. MAURITIUS RASPINI
Episcopus Oppidensis

Schema propositum in genere placet. Attamen animadversiones, quae sequuntur prae oculis habendas putamus. Ad pag. 11, lin. 14 (Magistrorum formatio, iura et officia), post verba « etiam titulis academicis comprobandae », adiungatur: « ad quos adipiscendos (si magistri sacerdotio funguntur) auctorizatio seu facultas necesse est interveniat Ordinarii loci ».

Ad pag. 22, n. 5, lin. 21, post verba « ... gradus Baccalaureatus conferatur », adiungatur: « nisi Ordinarius loci aliud senserit, ratione habita prudentiae subiecti necnon animi ipsius spiritusque sacerdotalis excellentiae ».

44

EXC.MUS P. D. LEONARDUS IOSEPH RAYMOND
Episcopus Allahabadensis

Ad pag. 11: Scholae catholicae dotes: « Ea dumtaxat schola vere catholica est censenda, etc. ... ». Definitio haec est nimis idealistica et nimis coarctata:

Idealistica, quia in magna parte mundi hodierni, ubi Ecclesia exercet suam missionem salvificam, hae conditiones non possunt haberi; quia pueri, in talibus scholis educati, non essent praeparati ad vitam publicam in hodiernis circumstantiis degendam, ad panem quotidianum procurandum, ad quemdam statum socialem adipiscendum; quia patresfamiliae renuerent talem educationem pro filiis, quae eos non redderet aptos ad victum quaerendum.

Coarctata: qui excluderet omnes scholas fere, quae in terris missionibus ab Ecclesia sunt fundatae, primarie pro liberis catholicis. Istae scholae sunt vere catholicae, infusae spiritu vere catholico, quarum finis est educare filios catholicos in principiis catholicis.

1. In terris missionum omnino impossibile est fundare scholas pro catholicis alumnis exclusive, quia catholici sunt rari nantes in gurgite vasto. In India Septemtrionali adnumerantur catholici 0,03% totius populationis. Proinde sunt nimis pauperes ad solvendum pensum scholare; obligatio incumberet episcopis invenire argentum pro aedificiis, pro salariis magistrorum, pro omnibus expensis scholae.

2. Tales scholae catholicae, sicut in definitione supra describitur, numquam a civili auctoritate, quae generatim est pagana, erunt recognitae; ideoque pueri ex tali schola, non admitterentur ad examina publica, non reciperent gradus academicos, non essent eligibiles ad occupationes publicas, non possent statum socialem adaequatum attingere.

3. Patresfamiliae in missionibus, etiamsi sint catholici ferventes, certe respuerent talem educationem, quae non redderet suos filios aptos ad victum quaerendum.

4. In terris missionum, ubi et dioeceses et catholici sunt pauperes, scholae egent adiutorio gubernii; iamvero omnes scholae, a gubernio Indiano recognitae, recipiunt quoddam adiutorium a gubernio Indiano, quod certe non daretur ad scholas supradictas.

Istis rationibus inducti, episcopi in missionibus scholas fundaverunt primarie ad educationem catholicam providendam pueris catholicis. Siquidem non possint sustentare tales scholas sine adiutorio financiali gubernii, debent se accommodare ad conditiones a gubernio statutas: Ratio studiorum est a gubernio constituta, libri sunt determinati a Statu, admissio acatholicorum est obligatoria (si sint sedes vacantes). Attamen oportet meminisse tales scholas esse imbutas vero spiritu catholico, nam omnia subiecta studii tractantur modo catholico; pueri catholici recipiunt instructionem in religione sua quotidie; pueri acatholici recipiunt Instructionem in re morali. Inde iure meritoque hae scholae hucusque sunt vocatae catholicae; nomen non debet mutari in praesenti.

Emendetur igitur definitio sic: schola catholica est schola ab Ecclesia fundata primarie ad liberos catholicos educandos.

45

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema di questa *Costituzione* è quanto di più preciso e organico — nella sua brevità — si poteva desiderare.

Più si approfondisce e si allarga l'indagine e la conquista della scienza, e più la Chiesa si sente chiamata a partecipare a questa opera grandiosa di incivilimento, fedele al mandato ricevuto da Gesù Cristo, necessario in tutti tempi: « humanam atque christianam perfectionem intendens, quae sunt hominis non negligit, ad summam complectitur naturae et gratiae, temporalium atque aeternorum » (Prooemio, 2, linn. 24-26).

Pur sapendo che le *Note* a questi *Schemi* sono provvisorie, non ho saputo spiegarmi perché a questo non sono state apposte: le avrei avute utili.

Al cap. I, n. 6, come non fermarsi davanti alla solenne affermazione del diritto *primario e nativo* dell'uomo, alla *educazione integrale*; e al diritto della Chiesa, a cooperarvi? È storica, addirittura, l'affermazione, con la quale si chiude il n. 7: « Quod ius — è detto — ab Ecclesia constanter vindicatum, magis in dies in universalibus humanorum iurium declarationibus aperte agnoscitur »!

Altra solenne riaffermazione di principio, e di constatazione storica: Libertà della scuola « dummodo in alumnorum vel boni communis detrimentum ne vertat »; riprovazione di quello che si dice « scholae monopolium », che procede da errati principi di diritto, e perciò « in recensioribus quoque internationalibus conventionibus merito reicitur » (Cap. II, n. 9, passim).

Anche al n. 10 dello stesso cap. II, è ribadito chiaro, nel suo fondamento morale e giuridico, il dovere dello Stato ad aiutare le scuole cattoliche: la giustizia distributiva esige che i tributi pagati da tutti, vengano erogati anche alle *Scuole dei cattolici,* che pagano i tributi a sostegno delle scuole: « prout — si conchiude — in nonnullis regionibus iam laudabiliter fit ».

Tutte buone o opportune, le *Norme* per perfezionare e favorire le scuole cattoliche: la preparazione, anche accademica, dei maestri; l'arredamento didattico e tecnico, secondo le esigenze odierne; il trattamento economico degli insegnanti, dimostrano l'impegno indicato dalla Chiesa, per le crescenti dimensioni delle realizzazioni scolastiche (V. II, B, nn. 11-14).

Bisogna, al riguardo di tanto tema, di tale argomento, formare e tener desta e informata la pubblica opinione (n. 16).

Ma, *vis unita fortior*: e, perciò, non solo per questo problema della scuola, debbono unirsi il clero diocesano, le famiglie religiose, i parenti, i maestri per prestarsi aiuto, e portarlo, cooperando con le autorità civili; ma occorre cooperare con le organizzazioni nazionali ed internazionali, che difendono i diritti umani, e specie della fanciullezza (n. 17).

Nel cap. III, aperto ai vasti orizzonti del settore universitario, plaudo a tutto il vasto panoramma organizzativo, in parte realtà, in parte progetto. Segnalo con compiacimento, al n. 21: « in omni Universitate catholica studium sacrae Theologiae adsit sive ut facultas sive ut peculiare institutum, quod totius Universitatis centrum sit ».

Chiude questa *Magna Charta* sulle scuole cattoliche, l'autorevole invito del Concilio Ecumenico Vaticano II ai dotti cattolici, di contribuire, anche fuori delle Università cattoliche, alla ricerca della verità e alla investigazione scientifica; invito che si allarga alla esortazione di aiutare i giovani di preclaro ingegno, così delle nostre, come delle Università civili, a prepararsi ai magisteri superiori universitari (n. 26).

46

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

In pag. 22, ad App. II - II, n. 5, lin. 17. Idem: pag. 23, lin. 16; pag. 24, lin. 30.

Denuo atque denuo S. Thomas Aquinas ut magister Ecclesiae quasi unicus proclamatur. Non placet ullo modo. Unus est Magister noster, Christus, unum est Magisterium Ecclesiae: Romanus Pontifex, collegium episcoporum in universa, singuli episcopi in suis dioecesibus. Omnes alii habent titulum tantum Doctoris

et sanctum Magisterium iuvant suis admirabilibus et clarissimis lucibus, quibus Spiritus Sanctus eos dotavit.

S. Thomam tamquam Doctorem, et quidem fere unicum, nostris aetatibus proponere satis periculosum est. Inimici Ecclesiae hoc irrident. Catholici, qui non sunt theologi, interrogant, num alius non exsistat, qui doctrinam christianam lucide explanare sciverit vel sciat, nisi solus Aquinas. Sine ullo dubio D. Thomam magni, maximi aestimamus, libentissime sequimur, profundas eius inquisitiones investigamus. Sed non est ille Magister, non est unicus magister (qui Christus tantum est), sed est unus ex multis, qui Ecclesiam suis elucubrationibus illustrarunt.

Iudico nomen S. Thomae Aquinatis esse exstinguendum a schemate.

Idem dicendum de philosophia scholastica. Est nostra, et eam sequimur. Sed ante scholasticam fuit patristica, tam christiana et tam catholica ac altera. Quare ergo ad solam scholasticam studia in Ecclesia restringere?

Philosophia (et theologia) catholica non est scholastica, sed ecclesiastica. Est philosophia perennis, quae adminicula intellectus undequaque sumit, sive de Graecis, sive de Indis, sive de Sinis et Persis et aliis, etiam de modernis, dummodo veritatibus revelatis non sint opposita.

Censeo terminum « scholasticum » substituendum esse simpliciore et certiore, scilicet: philosophia christiana, seu philosophia perennis. Ita etiam: theologia Ecclesiae, seu scientia de veritatibus revelatis in Ecclesia, vel aliter, vel melius, si habetur.

47

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Remarque generale. On ne peut accepter dans un texte émanant d'un Concile œcuménique, et donc de portée universelle quant au temps et quant aux lieux, cet appel sans cesse répété à l'adoption, dans l'enseignement catholique, de la doctrine, de la méthode et des principes de Saint Thomas. Si le dogme, comme donné révélé, ne peut changer, son expression humaine, par contre, est contingente. Elle est le fruit du génie culturel propre à chaque peuple, un résultat de sa tournure d'esprit, de ses traditions, des circonstances où s'est déroulé son histoire. En droit et en fait, plusieurs courants de pensée théologique ont existé, existent et existeront dans l'Eglise, sans préjudice de l'unité foncière du dogme. Lier le dogme à une culture humaine, nécessairement solidaire d'une civilisation particulière d'un peuple, est illégitime en droit, impossible, parce que anti-naturelle, en fait. En outre, c'est l'appauvrir, le réduire, alors que c'est le message de Dieu à l'homme, tout homme. Que le Thomisme, héritier lui-même de la pensée philosophique d'Aristote, ait bien mérité de l'Eglise, que l'expression théologique actuelle lui doive de fait beaucoup, soit, et il est juste de le reconnaître; mais on ne peut l'imposer, le lier au dogme, surtout dans un document conciliaire.

48

EXC.MUS P. D. IOSEPH ASAJIRO SATOWAKI
Episcopus Kagoshimaensis

Scholae in hac missione erectae ab auctoritate ecclesiastica vel congregationibus religiosis iuxta principia catholica, non prae se ferunt omnes dotes scholae catholicae in schemate enumeratas: optatur igitur aliquam mentionem facere de huiusmodi scholis, si nullibi agitur.

49

EXC.MUS P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA
Episcopus Conimbricensis

Etiam mihi valde placuit nova forma huius constitutionis. Liceat mihi tamen haec adnotare:

1. In pag. 9, lin. 19: Statui tribuitur ius et officium educationis — ius naturale in iis quae ipsi sunt propria ad finem suum prosequendum — ius subsidiarium et etiam cumulativum in iis, quae ad bonum commune civium respiciant.

Cum haec materia plena sit difficultatibus, mea humili sententia, expediret ut explicatio magis concreta daretur, significando ea quae statu iure naturae et iure subsidiario pertinent.

2. In pag. 9, lin. 23: Haec linea tantummodo respicit ad Ecclesiam ut subiectum iurium et munerum quoad educationem. Sed mihi videtur Concilium prospicere debere ad ceteras confessiones religiosas, nam Encyclica *Pacem in Terris* recognoscit libertatem religiosam ut rem iuris naturalis. Hoc praesertim in quibusdam nationibus, in quibus Ecclesia non est satis divulgata.

Nonne oblivisci possunt ceteras communitates pro Deo pugnantes?

Itaque nonne expediret quaedam formula minus exclusiva pro Ecclesia?

3. In pag. 9, lin. 31: In expositione (quibus munus educationis incumbat), hunc ordinem sequitur: *a*) Familia; *b*) Respublica; *c*) Ecclesia. In alia paragrapho ille ordo ita transmutatur: *a*) Familia; *b*) Ecclesia; *c*) Civitas.

Cum agatur de documento saepe consulendo, valde expediret ut idem ordo servaretur. Forsitan hic ordo praeferendus: Familia, Respublica, Ecclesia.

4. In pag. 22, lin. 1: Totus hic n. 4 respicit ad laborem praeparatorium qui incumbit Universitatibus et facultatibus Ecclesiae.

Supponitur igitur existentia talium Institutionum, quae hodie tam necessariae sunt actioni apostolicae.

Sed dantur nonnullae nationes, in quibus ne quidem facultas theologica adest.

Hic mihi videtur necessarium inculcare episcopis harum nationum ut quamprimum creent universitatem aut saltem facultatem theologicam.

5. In pag. 25, n. 17, lin. 16: In quibusdam nationibus pro facultatibus studiorum « Saecularium » opportunius esset creatio facultatis theologicae apud universitatem civilem, facultas quae varios cursus peculiares comprehenderet a philosophia usque ad ius canonicum.

Sunt parvae nationes quae pati nequeunt hanc multiplicationem quarumdam facultatum.

Ingenearia, chimica, etc, tantummodo ob crassam ignorantiam religiosam aut fanatismum, quem scientia positiva brevi vincet, item modo diverso doceri possunt sive a catholicis sive ab acatholicis.

Res est igitur potius culturae generalis quam obiecti scientiae.

Huic omnino responderet facultas theologica apud universitatem civilem. Ita oriretur contactus humanus maximi momenti, magnae expensae vitarentur et non surgerent illa odia orta de invidiis et competitionibus.

6. In pag. 25, n. 19, lin. 23: Totus hic numerus versatur circa formationem integralem alumnorum sub aspectu religioso, morali et sociali; sed oblivisci non potest hoc pro alumnis universitariis magis consequendum in activitatibus circum-scholaribus ab ipsis creatis et motis quam in praelectionibus a professoribus universitatis in ipsorum cathedra factis.

Quae cum ita sint, hic mihi videtur fieri deberet commemoratio talium activitatum circum-scholarium, in quibus saepe alumni responsabilitates assumunt, et vera initiationem in problematica Ecclesiae faciunt.

In pag. 29: Cum in hoc Appendice agatur de normis generalibus, in quibus inspirari debet Ius Canonicum, mihi videtur deesse alineae circa instructionem puerorum. Ideoque conveniens videtur ut addatur n. 3 paragraphum, sequentibus vel aliis similibus verbis conscriptum: Cum instructio infantium sit radicaliter quoddam exercitium maternitatis spiritualis, ideoque intra limites missionis Sanctae Matris Ecclesiae, hic instetur ut surgant in Ecclesia congregationes feminiles cum praeparatione paedagogice specializata, ita ut sit possibilis creatio scholarum in omnibus paroeciis pro infantibus, qui tres usque ad sex annos habeant.

In pag. 30, n. 9, lin. 5: Necessarius est secretarius dioecesanus pro instructione et educatione, qui tamen titulum possideat, qui ipsi facilitatem praebeat ad munus suum exercendum. Hic titulus canonicus statui recognoscendus esset ut ita ordinare possit instructionem et educationem in omnibus scholis sive statalibus sive privatis. Dispensari non potest secretarius nationalis ad coordinationem generalem instructionis religiosae et actualizationem methodorum dummodo tamen tempus sufficiens habeat ut munus suum magno cum fructu exercere possit.

50

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

II. B. n. 11, pag. 11: Si hae dotes requiruntur ut scholae catholicae dici possint, in pluribus partibus Indiae, et alibi, tales scholae non habentur nec haberi possunt, quia: *a*) scholae Ecclesiae indigent taxis (« fees ») a multis scholaribus non-catholicis contribuendis ut educationem etiam catholicis providere possint. Ipsi catholici sunt pauciores et pauperiores; *b*) libri a gubernio praescribuntur; *c*) scholae recognitionem a gubernio non obtinere possunt si obvie religionem christianam promovent; *d*) in multis locis magistri catholici numero sufficienti adhuc non habentur.

III. Pag. 13 ss. *De universitatibus catholicis.* Graves rationes monent ne universitates catholicae fundentur, nisi exceptionaliter tantum:

1. Quo magis numerus catholicorum, studentium et professorum, in univer-

sitatibus civilibus diminuitur, eo magis istae influxui catholico subtrahentur et spirabunt spiritum non-catholicum vel etiam anti-catholicum, cum magno damno societati et ipsae Ecclesiae. Per separationem spiritus antagonisticus fovetur... Catholici econtra maiorem partem habeant et influxum efficaciorem conferant in ipsis universitatibus civilibus ad spiritum vere scientificum et ab impugnationibus religiosis alienum fovendum... Maior etiam spes haberi poterit ut magisterium theologicum vel et philosophicum thomisticum in ipsis universitatibus civilibus instituantur.

2. Nisi gubernium provideat media, universitates catholicae fere semper laborabunt deficientia mediorum immensium, quae his diebus requiruntur ut possint esse optimae notae. Ne quidem in Statibus Foederatis Americae universitates catholicae cum aliis contendere possunt, ita ut dici potuit eas omnes sine exceptione pertinere ad decem ex centum partes quae sunt infimae notae... Sic studentes catholici, nisi attendant universitates civiles, privantur spe obtinendi optimam educationem saecularem...

Persaepe pecuniae expensae maiore cum fructu pro mediis communicationis socialis, pro evangelizatione paganorum, pro scholis mediis vel hospitiis etc. expendi (...) media quae sufficient pro universitatibus et aliis necessariis.

3. Psychologice, per scholas in omnibus gradibus ab aliis separatas, alienatio catholicos inter et non-catholicos aggravatur et perpetuatur, cum gravi damno apostolatus et spei influxum exercendi in mundum.

4. Universitates catholicae, quae notis sub n. 11 enumeratis praeditae sunt, non attrahent nisi paucissimos studentes non-catholicos. Sic pueri et puellae catholici in ghetto quodam catholico educabuntur nec problemata et difficultates modernorum modo pleno cognoscere possunt. Sic nec apto modo praeparantur ad resistendum difficultates vitae hodiernae, nec apostolatum colere possunt ad exteros.

Melius mihi videtur ut, optimis mediis adhibitis ad evitanda pericula (sicut iis quae nn. 25 et 26 enumerantur), catholici generatim frequentent universitates civiles. Periculum damni quod incurritur compensatur cum maiore excellentia, necessitate concertandi cum aliis, opportunitatibus apostolatus, intimiore unione civica inter catholicos et non-catholicos, spiritu fiduciore et audaciore quo solo pericula vere superari possunt.

Contemptus et inimicitia quibus Ecclesia a non-catholicis habetur, nonne pro magna parte ex eo orta sunt quod Ecclesia, timore damni ex libertate oriundi ducta, sese nimis separabat a studiis et inquisitionibus scientificis aliorum?

Timor damni, quo afficitur Ecclesia, cuius timoris signa notissima sunt « inquisitio » et « proscriptio librorum », effectum perniciosum habuit deterrendi catholicos a peragendis studiis saecularibus altioribus. Male evenit ut haec studia saecularia sese evolverint extra et contra Ecclesiam, cum iactura fere omnium hominum peritorum et sic dictae « intelligentiae » et consequentur etiam multarum millionum aliorum fidelium.

51

EXC.MUS P. D. GEORGIUS STROBA

Episcopus tit. Aradiensis, aux. Gnesnensis

Pag. 8, n. 6, v. 31: Latior expositio principiorum educationis christianae valde opportuna videtur, attentis periculis nostri aevi.

Pag. 12, n. 14, v. 5: Addenda videntur sequentia verba: Curent magistri, ut iuventus catholica principiis recte intellectae s. d. tolerantiae maturescat. Instruantur pueri catholici circa perniciosos effectus s. d. naturalismi ethici; foveant sobriae pietatis spiritum, evitentque omnem speciem formalismi religiosi.

Pag. 12, n. 15: Post verba: « opportune complendi » magis accentuetur, expressis verbis, ipsa obligatio parentum complendi formationem moralem et religiosam liberorum. Indicentur etiam quidam modi procedendi hac in re.

[*Subscripsit etiam*] Lech Kaczmarek, ep. tit. Alienus.

52

EXC.MUS P. D. DINUS TOMASSINI

Episcopus Isclanus

Addatur si placet: 1. Pag. 13, n. 20: « Imprimis Ecclesia promovet universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum, quippe proprium obiectum sint disciplinae sacrae necnon cum sacris connexae quacumque ex parte (uti scientiae paedagogicae et didacticae ad rite docendum) et quae praecipue a clericis celebrantur ... ».

2. Pag. 24, n. 11, post lin. 17: « Excolantur etiam paedagogicae et didacticae disciplinae. quibus auditores, ad docendum in seminariis et aliis scholis destinati vel destinandi, vere idonei ad hoc munus rite obeundum reddantur: non enim sufficit scientia, sed bona requiritur ars trahendi et ducendi alumnos ad acquirendam, perpendendam et vivendam peramanter veritatem, necnon ad donandam efficaciter et pastoraliter acquisitam veritatem hominibus omnibus ».

53

REV.MUS P. D. VINCENTIUS TOMEK

Praepositus generalis Scholarum Piarum

1. In Appendice I sub n. II, 2, a (pag. 18) iustissime dicitur « Ministerium scholarum verum apostolatum efficit ». Est tamen res insolita, quod dum haec assertio tanti momenti in ipsa Instructione invenitur, in ipso textu schematis ipsa — fors ob oblivionem — deest.

Institutorum docentium maxime interest, ut clare declaretur eruditionem iuventutis christianae et in ipsa etiam ministerium scholarum verum apostolatum esse. Assertio huiusmodi aptius inseri posset immediate post n. 3 schematis fere

ita: Quam operositatem verum apostolatum esse S. Mater Ecclesia semper et ubique apertis verbis docere non desivit.

2. In Appendice III sub n. 5 pro reformando Codice iuris can. (pag. 29) haec datur norma: « indicentur requisita ut aliqua schola sit schola Ecclesiae ».

Institutorum religiosorum docentium maxime interest, ut scholae eorum ad normam propriarum constitutionum erectae in ipso textu schematis (in n. 11) uti stricto sensu scholae Ecclesiae expresse recognoscantur.

3. In schemate, ni fallimur, deberet esse quaedam efficacior exhortatio pro omnibus illis, qui in difficile pensum educationis iuventutis christianae (« Quos dii odere, paedagogos fecere ») in scholis incumbunt, sive de sacerdotibus, sive de religiosis, sive vero de magistris laicis agatur. Hoc in anterioribus editionibus schematis iure meritoque adfuit. Quod in secunda parte n. 17 dicitur (« Quare clerus, etc. ») insufficiens esse videtur. Inter animadversiones ad schema *De statibus perfectionis acquirendae* (ad 8-9) proposuimus quidem, ut praeter fratres docentes mentio fieret etiam sacerdotum et religiosarum docentium, ast benemeritorum magistrorum laicorum ibidem recordari nequivimus, quia schema de statibus perfectionis adquirendae agit.

54

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

Ignorare non possumus statum etiam suas scholas habere, et ius possidere instructionem civium sapienter dirigendi. Quapropter mihi videtur necessarium praesens schema in evidentiam ponere nostram sinceram voluntatem in omni aequitate cum statu cooperari ad maius bonum commune. Libertatem Ecclesiae in materiis istis revendicare possumus, sed etiam in nostris temporibus, ubi pluralismus inevitabilis est, nostram bonam voluntatem ad omne utile affirmare.

55

EXC.MUS P. D. MATTHIAS WEHR

Episcopus Trevirensis

I. *Generalia.* Schema propositum non placet. Nimis enim sapit centralismum et integralismum in re scholastica et educativa. Non satis rationem habet scholarum publicarum pro catholicis ab auctoritate civili erectarum, atque scholas catholicas non semper accurate distinguit a scholis ecclesiasticis. Timendum igitur est, ne schema rei ecclesiasticae detrimento potius quam utilitati sit.

Praeterea schema nimis fuse argumenta praebet et res tractat quae non ad constitutionem conciliarem sed ad decretum exsecutionis pertinent, quod edendum spectat ad singulas conferentias episcopales pro uniuscuiusque nationis vel regionis exigentiis.

II. *Specialia.* Nn. 1-5: Deletis nn. 3-4, paucis verbis enuntientur mandatum et fines muneris Ecclesiae educativae.

N. 2 (7, 17): Loco « absolutam » dicatur: « perfectam ». *Ratio*: absolutum aequivoce sonat.

N. 2 (7, 20-21): Incisum « qua - saeculi » deleatur. *Ratio*: persona humana una est, non constans ex homine et christiano.

N. 6 (8, 32): Verba « et absolutae » deleantur. *Ratio*: absolutum est difficile intellectu.

N. 6. (9, 2-3): Verba « Quod - agnoscitur » deleantur. *Ratio*: Ecclesiam dedecet laus suiipsius.

N. 8 (10, 9): Loco « temporale et aeternum » dicatur « naturale et supernaturale ». *Ratio*: naturalia quaedam sunt aeterna et supernaturalia quaedam sunt temporalia.

N. 11 (11, 3-4): Verba « ad quamlibet disciplinam quod pertinet » deleantur. *Ratio*: exaggeratio vitetur (cf. libros mathematicos).

N. 14, (11, 29-35): Verba ita immutentur ut ponantur haec: « Officium est auctoritatis ecclesiasticae, quae rei scholari praeest, *in scholis catholicis* magistrorum formationis religiosae maxima cum diligentia habendae curam adhibere necnon providere scientificae quoque ac paedagogicae formationi magistrorum, etiam titulis academicis comprobandae. Eidem auctoritati ecclesiasticae competit prospicere, ut magistri scholarum Ecclesiae sui status iuribus, imprimis quoad iustam suam mercedem et rectam veritatis profitendae libertatem gaudeant ». *Ratio*: scholae catholicae ab auctoritate civili pro catholicis erectae, quae sub regimine auctoritatis civilis manent, itemque scholae ab associationibus fidelium erectae provisioni Ecclesiae quoad formationem scientificam et paedagogicam magistrorum non subsunt neque prospectioni. Ecclesiae quoad iura magistrorum circa mercedem et libertatem profitendae veritatis, nisi agitur de iure communi omnium hominum.

N. 15 (12, 6): Deleatur « gravi ». *Ratio*: obligatio gravis statui non potest, nisi scholae aliae religioni catholicae infensae sunt.

N. 15 (12, 7): Loco « ubi » dicatur: « si ». *Ratio*: « ubi » localiter tantum intellegi posset.

N. 17 (12, 18-37): Deleatur. *Ratio*: quae per se patent, dicenda non sunt.

N. 17 a (12, 38): Post n. 17 inseratur novus numerus de scholis catholicis ab auctoritate civili conditis et sustentatis: « Inter scholas catholicas iure merito censentur et commendantur eae scholae, quae quibusdam in regionibus ab auctoritate civili pro discipulis catholicis eriguntur, dummodo universa instructio spiritu catholico sit imbuta. Principia hucusque recensita, imprimis de institutione religiosa et morali puerorum sub ductu et vigilantia Ecclesiae impertienda necnon de formatione magistrorum ab omnibus, ad quos pertinent, religiose serventur, salvis iuribus et obligationibus quoad sustentationem et regimen huiusmodi scholarum, quae civili auctoritati legitime conveniunt ». *Ratio*: desideratur expressa mentio earum scholarum catholicarum, quae in nonnullis nationibus, e. g. in Austria et Germania, a potestate civili conduntur et sustentantur quaeque maximae utilitati sunt institutioni religiosae puerorum necnon aestimationi publicae Ecclesiae.

N. 19 (13, 19): Post « ut » addantur verba: « ubi fieri expedit ». *Ratio*: in regionibus, ubi Universitates non catholicae exstant, in quibus facultates theologicae catholicae et magisteria quaedam philosophiae et historiae, laicis catholicis reservata ab auctoritate civili cum consensu S. Sedis erecta sunt et ab eadem auctoritate civili sustentantur, erectio Universitatis catholicae non in omni casu expedit.

N. 20 (14, 15): « Apprime » deleatur. *Ratio*: studia ecclesiastica, de quibus in n. 20 agitur, omnes disciplinas theologicas et philosophicas amplecti debent.

N. 20 (14, 16): Ante « ad Angelici Doctoris » inseratur « imprimis ». *Ratio*:

timendum est, ne secus progressus scientiarum impediri dicatur aut S. Thomae ratio, principia, doctrina extenuentur (cf. Animadv. ad n. 21, 13-14, schematis de sacrorum alumnis formandis).

N. 20 (14, 20): Post n. 20 addatur: « Facultates theologicae catholicae, in aliquibus universitatibus civilibus cum consensu auctoritatis ecclesiasticae erectae, quae multum conferunt, ut non solum alumni scientifice religioseque formentur atque sacra doctrina evolvatur, sed etiam ut inter scientias saeculares vox catholica audiatur et Ecclesia catholica in amplissimo campo mundi moderni praesens sit, sollicitudini et favori episcoporum enixe commendantur ». *Ratio*: tales Facultates et magisteria praeteriri dedecet, praesertim cum in ipsis magistri eruditissimi et optime meriti floruerint, e. g. in Germania Moehler, Hefele, Denzinger, Hergenroether, Hettinger, Bardenhewer, Grabmann, Baeumker, Hertling, Hilling, Mausbach, Tillmann, Poschmann, in Austria Schrader et clarissimi doctores Facultatis theologicae Oenipontanae.

Appendices. Non placet ut Instructiones edantur auctoritate Concilii, quae a Concilio qua tali approbatae non fuerint. Licet enim singulis episcopis, iuxta notam in calce pag. 17 allatam, facultas praebeatur faciendi scriptas animadversiones, non vero, iuxta eandem notam, Patribus in Concilio coadunatis facultas erit discutiendi decernendique res in Appendicibus contentas. Quae autem conciliariter statuta non fuerint, nomine Concilii, sive auctoritate, sive iussu eius, edi nequeunt (cf. cc. 101 §1 n. 1 et 105 n. 2, *C.I.C.*).

Praeterea in Appendicibus nonnullae res exstant, quae principia altiora continent. Istae, non obstante optata abbreviatione schematis, Concilio subiciendae ab eoque approbandae erunt. Novas enim leges, si Concilium, re mature perpensa, statuere censuerit, ipsius erit condere non autem alicuius Instructionis. Instructiones, si Patribus conciliaribus edendae visum fuerit, ordinationes mere exsecutorias et applicativas praebeant, atque in hisce quoque ratio habeatur oportebit peculiarium rerum et condicionum in singulis nationibus et regionibus vigentium.

Appendix I. Ad hanc vix aliquid dici potest, quippe quae solummodo titulos exhibeat. In specie vero animadvertendum videtur, si quid de erroribus dicatur in re educativa hodie serpentibus, istos errores accurate nominandos et definiendos esse.

Appendix II. I, n. 1 (21, 1): Post « terrarum partibus » inseratur « ubi secundum iudicium conferentiae episcoporum nationalis vel regionalis opportunum visum fuerit, » ... *Ratio*: cf. animadv. ad n. 19 (13, 19) schematis.

II, n. 5 (22, 10-26) et n. 7 (23, 1-6): Ad propositum instituendi *duplicem ordinem* studiorum philosophiae et theologiae haec animadvertantur.

1) Omnes auditores in primo biennio philosophiae et in primo quadriennio theologiae admittantur pro captu ad illas exercitationes et investigationes, quae secundum Instructionem reservata sunt alteri ordini studiorum philosophiae et theologiae. *Ratio*: *a*) Sic paulo post incepta studia eligi possunt, qui ad gradus licentiatus promoveantur. *b*) Talis modus ab Universitatibus multis sat est probatus. *c*) Similia ab auctoritate quoque civili ad examina subeunda, quin gradus licentiatus aut laurea obtineatur, praescripta sunt.

2) Terminus a quo initiatio in studium philosophiae computetur, accurate assignetur, ratione habita eorum quae ad n. 6 (17,16) schematis de sacrorum alumnis formandis animadvertuntur, scil. ut ad studium philosophiae et theologiae qui

admittuntur, talem gradum et statum eruditionis scientificae habeant, ut sub hoc respectu etiam Universitates adire possint.

3) Ad gradum licentiatus theologiae, si modus sub 1) descriptus servatur, triennium theologicum post quadriennium theologicum necessarium non videtur. *Ratio*: experientia docet, auditores ingenio praeclarissimo ditatos breviori temporis spatio conficere posse tum exercitationem scriptam, qua usus methodi scientificae probatur, tum examina de universa theologia, inclusis exegesi, historia ecclesiastica, arte pastorali.

II, n. 14 (24, 29): « Apprime » deleatur. *Ratio*: cf. *supra* ad n. 20 (14, 15). Lin. 30: Ante verba « ad Angelici Doctoris » inseratur « imprimis ». *Ratio*: cf. *supra* ad n. 20 (14, 16) schematis.

IV (26, 11): Titulus clare indicet monita edenda pro Universitatibus et Facultatibus *catholicis*.

56

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

I. *In genere*. 1. Hoc schema ea proponitur ratione ut negligere videatur scholarum catholicarum aspectum missionarium. Schema exclusive respicere videtur scholas pro pueris catholicis in finibus catholicis. Tractetur sane in schemate de missionibus quaestio de missionum scholis; oportet tamen in hoc quoque schemate aspectum missionarium includi, ne conceptus, finis methodusque scholarum catholicarum sic anguste ac statice definiantur ut scholae catholicae in missionibus et in diaspora, utpote quae etiam ad discipulos non catholicos condantur et condendae sint, tamquam exceptiones a norma videantur et sub quadam tantum specie scholas evadant catholicas. Consideratio haec magni habenda est praesertim cum ipsae regiones christianae naturam in dies missionariam accipiant.

2. Nescio cur in Ss. Oecumenico Concilio, praeter schema de scholis, amplior desit disputatio de educatione humana et christiana in genere, maxime autem de educatione familiari. Puto, nisi haec disputatio agatur, quoddam dubium oriri num in quaestione tanti momenti quantum educatio procul dubio habet, valorum vera proportio sufficienter servetur vel prorsus intelligatur.

Praesens schema de educatione in genere agit brevissime tantum, theoretice et quasi ad modum introductionis ad quaestiones de scholis tractandas. Nemo dubitat de summo momento scholarum catholicarum, sed cavendum est ne, cum fuse agatur de scholis et passim de educatione in genere et de educatione familiari, fideles aliique inducantur ad opinandum Ecclesiam educativo scholarum operi maius tribuere momentum quam parentum et familiae.

Quoad educationem in genere, periculum huius temporis proprium in eo esse videtur quod per crescentem « socializationem » omnia homines magis magisque expectare coeperunt a societate (a Re Publica, ab Ecclesia, a variis associationibus ...), quamobrem, iudicium personale amittentes et responsabilitatis personalis sensum, impulsibus carent (qui anglice dicuntur "initiatives"); vel in eo quod cum quadam familiae dissolutione, cum diminutione paternae auctoritatis et sensus responsabilitatis quoad filiorum educationem, familia magis magisque impotentem evasit in vera educatione humana impertienda et christiana. Quare quaerendum est

an praesens schema oporteat amplificari in quoddam schema « de educatione et de scholis catholicis », in quo apertius huius temporis nominentur pericula, viae mediaque practica proponantur ad augendum renovandumque sensum responsabilitatis educativae parentum et familiae, atque ad parentes reddendos magis idoneos ad educationis opus quod praesens postulat rerum condicio. E. g.: per curam animarum, per scholas earumque influxum in familias, per ephemerides similiaque, per formationem iuvenum in scholis, associationibus ... ad familiae vitam et obligationes educativas ...

II. *In specie*. 1. Inexplicabile est quam parvi habeatur unum ex fundamentis fidei propagationis. Nemo ignorat complura milia iuvenum, futurorum rectorum suarum nationum, quotannis regionibus paganis egredi Asiae et Africae ut inscribantur in universitates Europae et Americae. Plurimi, si quam habebant religiosam fidem, eam perdunt ob indifferentismum religiosum imperans in universitatibus mundi qui liber dicitur vel ob apertum atheismum quod universitates profitentur mundi qui liber non est amplius. Ubicumque tales sunt iuvenes, eorum religiosa sors non tantum sed etiam nationum quarum rectores erunt, committitur episcopis, sacerdotibus et catholicis laicis, a quibus maior sollertia speratur in iuvandis illis iuvenibus quam ab inimicis fidei profertur. Puto officium maximi momenti esse illos iuvenes ad Universitates catholicas trahere oeconomicis auxiliis idoneis (e. g. auxilia quae italice dicuntur « borse di studio, pensionati, donazione di libri » ...) et eos sequi, etsi ad Universitates laicas inscribantur, institutionibus idoneis, domibus hospitalibus, associationibus mixtis in quibus fraternitatem sentiant, exempla videant et communia incoepta habeant cum iuvenibus catholicis.

Res tanti momenti nimis adumbratur in nota 23 appendicis secundae, ubi praeterea exhortatio potius quam gravis obligatio habetur.

2. Optime Rei Publicae definiuntur officia et iura atque scholae reprobatur monopolium, sed fortasse mentio facienda est cuiusdam iuris Rei Publicae invigilandi, intra limites quae lex postulat naturalis, ut etiam scholae privatae adimpleant quae Res Publica, secundum adiuncta temporum et locorum, ad educationem adaequatam civium rite postulare potest.

3. Magna floret varietas in nationibus diversis quoad systemata scholarum, quoad cooperationem cum Ecclesia ... (e. g. Italia, Hispania, Germania, Britannia, U.S.A. et aliis). Libertas sufficiens servanda est ut auctoritates ecclesiasticae (coetus episcoporum) ea discernere possint quae pro tali natione in talibus rerum adiunctis ad educationis bonum aptiora iudicantur.

4. Cum non tantum in missionibus, sed etiam in scholis conditis in regionibus mixtis vel sparse catholicis, discipuli non-catholici admittantur vel saltem exspectentur, nonne clausula addenda est quae discipulorum non-catholicorum tueatur libertatem conscientiae quoad participationem in instructione religiosa?

5. Dum in priori parte n. 7 (a, b, c) ordo habetur « familia, Res Publica, Ecclesia », in altera parte (d, et deinde in toto) ordo reversus est. Non videtur cur prior ordo mutandus sit.

6. Quo in numero Rei Publicae affirmatur officium etiam scholas privatas sustentandi (n. 10), puto addendum esse: « et quidem eo modo ut libertas scholae in lege naturali fundata plene intacta maneat ».

7. Multa quae de Universitatibus dicuntur forte ad aliquam instructionem potius pertinent quam ad schema generale Concilii. Praesertim in quaestionibus de

Universitatibus varietates secundum nationes tales sunt ut quaedam amplitudo servanda videatur, exceptis fortasse facultatibus Philosophiae et Theologiae.

8. Ad n. 31 dicitur: « Cura de Universitatibus committitur coetui episcoporum ». Nihil amplius dicitur de ambitu huius curae nec de relatione huius curae ad curam Ordinum ..., Universitates administrantium ... Etiam hae diversitates secundum nationes maximae sunt: in multis casibus Universitates quidem privatae re vera sunt quasi « semi-publicae ». Hinc cavendum est ne per multiplicationem auctoritatum administratio nimis complicata difficilisque sit. Aliquod simile dici potest de aliis scholarum generibus.

* * *

Praeter animadversiones quas tradidi anno praeterito, haec sequentia animadvertere velim. Schema nihil dicit de scholis in terris Missionum ubi scholae catholicae duplicem habent finem, nempe propagationem fidei inter alumnos non christianos et curam pastoralem puerorum christianorum. Nemini latet scholas catholicas esse optima media ad propagandam fidem et ad educandos pueros christianos. Insuper in schemate non satis tractatur de cautionibus quae semper adhibendae sunt in frequentandis scholis acatholicis praesertim in terris missionum.

57

Exc.mus P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER

Episcopus Facatativensis

Si es evidente que las escuelas privadas « commune etiam provehant bonum », no lo es que « publici aerarii officium sit eas quoque sustentandi », pues hay muchas cosas que también contribuyen al bien común, por ejemplo, la labor sacerdotal, y, sin embargo no exigimos que el erario público la pague. Pero, aun si fuera tan clara la obligación del fisco en el caso de las escuelas, convendría urgirla? Si los contribuyentes son ateos, comunistas, etc., tendrían también derecho a que se sostuviera con la contribución ciudadana las escuelas privadas que ellos quisieran « absque ulla personarum acceptione vel distinctione, aequa ratione »?

58

Exc.mus P. D. PETRUS ZUCCARINO

Episcopus Bobiensis

Summo est noster affectus animus gaudio quotiescumque contemplari libitum est crescentem scholarum multitudinem pro parvulis, pueris atque puellis, instructionis primariae et mediae quae ampliores in dies partes populorum attingit, necnon ingentiorem numerum iuvenum qui ad studia in Universitatibus accedunt.

Quibus munus educationis incumbit, illis late cogitandum est, seu familia, seu res publica, seu Ecclesia, ut in educatione cooperentur impertienda et homines vere e scholis exeant non sicut mulus et equus quibus non est intellectus. Illud inquirere mihi videtur et magnam operam dare ut Ecclesia primum scholas adeundas

paret easque sustentet, perfectionem quaerat et magistrorum formationem iura et officia exaget. Quin autem si scientia atque doctrina in religione sint praedita, omnia facilius consequentur qui e scholis technicis et universitatibus procedentes, vitam sint adituri, illud tantum verum esse sanctum quod sibi docuerint magistri.

59

CONFERENTIA EPISCOPORUM APULIAE

1. *Observationes generales. a*) Opportunum videtur, cum in schemate de naturalibus familiae iuribus agitur, de Ecclesiae membris potius quam de eiusdem iuridicis institutis sermonem habere. Ratio duplex est, scilicet quod ipsi sunt Rei Publicae cives qui pleno iure sua munera vindicare possunt et insuper vi baptismatis, perapte ipsam Matrem Ecclesiam repraesentant eiusque iura propugnant.

b) Ubi Ecclesia, suis scholis, satisfacere impar est necessitatibus notabilis partis alumnorum alicuius nationis, opportunum censetur ut ipsa curam praesertim impendat in electos alumnos, qui cras, verbi gratia, magistratui, scientificae investigationi, animi cultui, necnon rebus politicis, oeconomicis, etc. christiano spiritu incumbant.

2. *In prooemium*: 5, 25: ... promovere *vehementer* exoptat, ac suam ... suis filiis et universo generi humano *libenti animo impendit, etc.* ...

3. *Speciatim in schema*: 7, 12: ... aliis delegaverint, *ipsis tamen integrum officium educationis prolis incumbere sciant* et eos gravi obligatione semper *teneri* universum opus educationis etc. ...

7, 21: ... civium *et Familiae* iura etc. ...

[*Adhaeserunt*] Henricus Nicodemo, arch. Barensis; Caietanus Pollio, arch. Hidruntinus; Reginaldus Iosephus Addazi, arch. Tranensis; Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus; Gulielmus Motolese, arch. Tarentinus; Gregorius Falconieri, ep. Conversanensis; Achilles Salvucci, ep. Melphictensis; Iosephus Ruotolo, ep. Uxentinus; Aurelius Marena, ep. Rubensis; Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus; Albericus Semeraro, ep. Uritanensis; Franciscus Minerva, ep. Lyciensis; Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus; Antonius Rosarius Mennonna, ep. Neritonensis; Franciscus Brustia, ep. Andriensis; Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis; Iosephus Vairo, ep. Gravinensis; Antonius D'Erchia, ep. prael. Altamurensis.

60

CONFERENTIA EPISCOPORUM UMBRIAE

Nimis effusum videtur. Maior concinnitas desideratur.

Pag. 9 *b*): Dicatur quidem reipublicae pertinere « proprium ac nativum officium educandi », sed pressius adumbrentur limites; et declaretur statum civilem, etsi consulere educationi teneatur, non posse omnia iura in hac re sibi vindicare (« monopolio scolastico »).

Pag. 10, n. 9: Schola tunc tantum sartam tectam libertatem suam comperit cum constitutionem autocentricam consequatur, cum nempe fiat corpus medium familiam inter et statum, salvis utriusque necnon et alumnorum iuribus.

Pag. 10, n. 10: Argumentatio infirmari potest hac consideratione, quod status contributiones dumtaxat in scholas suas exigit et colligit, et graviores exigere cogeretur si etiam scholis non suis consulere vellet. Tutius ergo et magis exceptionibus impervium videtur argumentum si mordicus hoc principium asseratur: Status *officium* habet efficaciter muniendi et in actum deducendi ius certum civium ad libere seligendam eam scholam quae sibi cuique placeat et igitur *officium* habet aequales condiciones faciendi tum iis qui scholas status tum iis qui scholas liberas seligunt.

Pag. 12, n. 15: « Parentes *gravi* obligatione tenentur etc. »; tunc tantum, diceremus, cum verum et grave periculum adest perversionis filiorum.

Pag. 13, n. 19: Videtur etiam Coetus Episcoporum nationis, non sola S. Sedes, posse universitatem erigere; episcopi nempe erigunt, Sedes apostolica approbat.

Videtur affirmative respondendum esse quaestioni: utrum in exponenda doctrina catholica de scholis catholicis, praeter argumenta ex divina revelatione, opportunum sit afferre etiam rationes ex iure naturali depromptas.*

Praemittimus: *a*) Eae sunt scholae catholicae in quibus infantibus, pueris et iuvenibus institutio traditur quae visionem catholicam redoleat de universitate rerum, de vita, de homine, de historia, de disciplinarum complexu praesertimque de paedagogia.

b) Iis in scholis docentes tam religiosi quam laici esse possunt, ipsaeque non necessario ab auctoritate ecclesiastica directe dependere debent. Rationes:

1. Est commune firmumque principium doctrinam revelatam iuri naturali minime contradicere ipsumque minime elidere, quinimmo eius conclusiones collustrare. Supernaturale enim implicat, comprehendit et perficit quod est in homine naturale.

2. Homo potest quidem revelationem respuere et, ut ita dicamus, « naturaliter » dumtaxat vivere; non potest e contra solum « supernaturaliter » vivere.

3. Propensio religiosa eiusque expressio ipsa hominis natura, independenter quoque a revelatione, postulatur. Unde veri nominis institutio a sensu religioso minime praescindere potest. Schola igitur catholica et de iure et de facto certa et genuina etiam quod attinet ad hominis naturam atque historiam censeri debet. Insuper schola catholica ius suum vindicat non tantum ex missione quam Ecclesia a suo divino fundatore recepit sed et ex natura ipsa, quatenus homo quisque ius habet ad institutionem integre humanam, quae scilicet elementa quoque et motiva religionis includat.

4. Peropportunum videtur ad rationes iuris naturalis confugere ea praecipue de causa quod hodie tum modus cogitandi tum legislatio laicismum et agnosticismum redolent et a conceptu revelationis abhorrent.

5. Quae ad scholas catholicas pertinent in rebus mixtis recensentur. Secus ac in seminariis ceterisque scholis vocationibus religiosis provehendis, in scholis catholicis tum ratio studiorum tum docentes tum ipsi tituli ad docendum vigilantiae status ipsiusque legibus subiiciuntur. Inde necessitas scholas catholicas iis fulciendi argumentis quae acatholicorum et laicistarum consensum facile adipiscantur.

6. Argumenta quae supra exposuimus magis magisque cogentia fiunt cum scholae status laicismo cuidam hostili et mordaci inspirentur et a docentibus et

---

* Cf. nota pag. 984.

alumnis non catholicis frequentari soleant. Nascitur enim in casu obligatio parentibus catholicis ad scholas catholicas recurrendi. His in adiunctis opus sunt argumenta valida quae scholam catholicam suo iure niti demonstrent aciemque hostilem scholarum publicarum demostrent quae eam ut inimicam invisamque respiciunt.

61

CONFERENTIA EPISCOPORUM TUSCIAE

Quoad propositam quaestionem * de opportunitate, in exponenda doctrina de scholis catholicis, afferendi rationes ex iure naturali depromptas, omnia responsa affirmant has rationes afferendas esse, ad perfectionem argumentorum et ad eorum efficaciam coram civili auctoritate.

Quoad alteram quaestionem de praecipuis scholarum catholicarum necessitatibus in nostra regione, omnia responsa affirmant scholas catholicas in Italia gravi paupertate laborare. Ideo, ut scholae catholicae vivere possint, opus est ut fideles suorum iurium et officiorum conscii sint, et ut status suam ipsam constitutionem recte applicando, decernat veram plenamque paritatem scholarum catholicarum cum suis scholis etiam quoad subsidia et media temporalia.

His praemissis, en paucae animadversiones de hoc schemate.

1. *Prooemium.* Nimis prolixum est; reduci potest, et debet, ad breviorem formam, recolendo tamen, per summa capita, activitatem et merita Ecclesiae Catholicae in fovenda scholarum institutione.

2. *De educatione* (cap. I). Hoc argumentum in schemate iuridice tantum exploratur, sed altera quaestionis facies, idest doctrinalis-paedagogica, non est praetermittenda.

Desideratur tractari de educatione sexuali, de coeducatione, de recentioribus methodis paedagogicis quae magis ab Ecclesiae doctrinis dissident, cum periculo non levi adulescentium, recolendo quae sapientissime docet Pius XI f. m. in litteris encyclicis *Divini illius Magistri.*

3. *De scholis catholicis in genere* (cap. II). Principia quae continentur sub nn. 8-9-10, summopere declaranda et extollenda sunt, praesertim principium de scholae libertate, de quo ad n. 9; sed quod legitur a n. 11 usque ad n. 17 inclusive, immoderate redundat. Quare, confirmato et roborato principio de conscientia scholastica in christianis efformanda (n. 16), cetera omnia ad breviorem et agiliorem modulum obducere oportet.

Minus conveniens videtur mentionem facere in conciliari constitutione de tributis a statu scholis catholicis erogandis (n. 10).

Cum sub n. 17 de coordinatione tantum agatur, magis declaranda videtur scholarum catholicarum dependentia a loci Ordinario.

4. *De universitatibus catholicis* (cap. III). Dubitare licet utrum omnia argumenta huius capitis deceat an non in conciliarem constitutionem includere. Sedulus emendator potest, quin detrimentum afferat, non pauca argumenta expungere, alia vero compendiose effingere.

---

* Cf. nota pag. 984.

62

CONFERENTIA EPISCOPORUM PAEDEMONTANA

Ad art. 2 (pag. 7). Optandum est ut in meliorem evidentiam ducatur humanae personae dignitas, quae quasi centrum, subiectum et finis ordinis socialis habetur (cf. Pio XII) non sine praefinitis notis de eiusdem praecipuis iuribus, quo melius postea eluceat ipsa « humana et christiana persona » cum omnibus suis iuribus et privilegiis.

Ad art. 4 (pag. 8). Hic articulus nimio fervore peccare videtur pro universali incremento atque progressione scholarum cuiuscumque generis toto orbe terrarum, cum multae scholae, proh dolor, utinam non essent!

Hac de causa, dum tenuandae sunt nimii gaudii ac fervoris locutiones, est tamen aliqua nota inserenda, qua materna Ecclesiae cura ostendatur ut omnes et singulae scholae revera sint altrices omnis *integrae* disciplinae atque humanitatis, christianae religionis valida institutione minime omissa.

Ita aptus ad art. 5 (eadem pag.) iter praepararetur, ubi Ecclesia revera libenter praebet suam peritiam in traditione omnis vere humani cultus ac disciplinae, sed tamen videtur se quasi aequare ad ceteras huius saeculi societates atque institutiones.

Forsitan ex duobus articulis, 4 nempe et 5, unus concinne effici potest.

Ad art. 7 (pag. 9). Hic articulus brevior ac strictior videtur quam qui iura, facultates, fines necessitudines trium societatum luculenter enucleare possit, quibus interest iuvenes honeste erudiri atque educare: quae sunt: Familia, Res Publica, Ecclesia.

Brevior praesertim et nimis synthetica videtur expositio iurium civilis potestatis, quae intra fines boni temporalis continentur, ut sufficienter definiantur termini intra quos publicarum civitatum iura « propria et nativa » (lin. 18) dicantur, vel complementarium officium et adiutorii munus adimpleant.

In eodem art. 7 (pag. 9, lin. 9 *a*) opportune addi potest verbis « et inviolabili iure fruuntur » nova praesens locutio seu « et inalienabili » ita ut plene et enucleate dicatur: « et inviolabili et inalienabili iure » quo certius menti Pii Pp. XI inhaeret (cf. *Divini Illius Magistri,* n. 10 *a*).

Ad art. 15 (pag. 12, linn. 7-8). Iniunctio nimis firma ac generalis, qua parentes « gravi obligatione morali tenentur » scholas catholicas praeoptare, paulo durior videtur praesertim in regionibus ubi, uti apud nos, iuvenibus fidei morumque iactura in scholis publicis haud ita manifesta putatur, nec proxima nec insanabilis. Quare melius ita articulus legatur: « Parentes gravi obligatione morali tenentur liberos suos ad scholas catholicas mittendi, ubi fieri potest atque praesertim ubi non satis tuto cautum sit de integra iuvenum circa fidem et mores institutione; secus vero ... ».

63

CONFERENTIA EPISCOPORUM SARDINIAE

1. Per affermare i diritti della Chiesa in materia scolastica conviene, oltre agli argomenti dedotti dalla Rivelazione, portare anche quelli ricavati dal diritto naturale (Carta, Basoli).

2. Sia messo nel massimo risalto il diritto della Chiesa a istituire scuole (Tedde, Basoli) e la libertà dei genitori nello scegliere la scuola più adatta (Tedde).

3. Riguardo alla situazione particolare dell'Italia si osservi: *a*) poiché la stragrande maggioranza degli italiani frequentano la scuola statale è necessario che i vescovi la seguono da vicino, indirizzando verso di essa professori cattolici, sopratutto per le cattedre di storia e filosofia (Melis, Cogoni, Basoli).

b) Si renda più facile l'accesso all'università cattolica, moltiplicando se è necessario, le cattedre (Melis).

c) La progettata riforma dei corsi teologici con quattro anni per il baccellierato, altri due per la licenza e uno o più anni per il dottorato: 1. va bene per coloro che si consacreranno all'insegnamento, nelle facoltà teologiche; 2. purché però sia conservata anche per gli altri la possibilità di prendere la laurea in un tempo più ridotto (cinque anni), non a titolo di insegnamento, ma a titolo accademico, come per le altre università statali (Melis, Spenedda, Botto).

64

EXC.MI EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS

I. *Generatim advertenda.* In synthetica sua forma hoc schema nobis valde placet quia Ecclesiae doctrina et quoad educationem et quoad institutionem clare exposita, quae semper et praesertim hisce temporibus homines requirunt optime praebentur, v. g.: *a*) idem sonat Ecclesiae doctrina ac iuristarum atque internationalis societatis de civium libertatibus; *b*) est Ecclesiae curae catholicas scholas ordinare, perpensis diversarum nationum legibus.

Attamen optamus ut strictius explicentur rationes propter quas suas scholas vult Ecclesia, quia hae rationes multis fidelibus ac clericis in dies non apparent.

II. *Peculiariter.* 1. Clarius affirmari possent catholicarum scholarum obligationes erga diversarum nationum positivas leges ad planificationem quamdam instruendam, qua viribus quibuslibet ad bonum commune melius uteretur.

2. In appendice III § 9, pag. 30. Optatur vocabulum « regionem » significare totum territorium sub regimine eodem versatum, ut secretarium generale in capite habeatur quod diversorum dioecesium secretaria nectat et corroboret.

3. Equidem de universitatibus et facultatibus pontificales praerogativae iure affirmantur; attamen, cum illis facultatibus superiores scholae saepe saepius adiungantur, quibus compleatur profanorum cursus studiorum, valde optatur ut concordes fiant rectores et secretarii generales quibus catholicarum scholarum munera in genere incumbant.

4. Magistri catholicarum facultatum plures et saepe magis periti essent si nonnulli a diversis religiosis familiis offerentur.

5. Optatur etiam ut in philosophiae theologiaeque facultatibus, scholis theologicis aliis ac thomisticis locus detur.

6. Fauste catholicis universitatibus maiora seminaria aliquo modo unirentur.

7. In prooemio § 7, lin. 12 legitur: « Quod si parentes ... prolis educandae munus aliis delegaverint ... ». Atqui parentum auctoritas in educatione agenda nequit delegari, saltem iuridice. Itaque in loco « delegaverint » « commiserint » forsan admitti posset, sicut dicitur § 14, lin. 35, pag. 11 « meminerint vero magistri munus a parentibus et ab Ecclesia sibi esse commissum ».

8. Optatur ut can. 1374 ita mutetur ut fusius explicitis parentum obligationibus, recursus ad loci ordinarium vitetur.

65
CONFERENTIA EPISCOPORUM LUSITANA

I. Prooemium. Contrahendum videtur, ita ut ad brevem densioremque synthesim principiorum, et ex revelatione et ex iure naturali depromptorum, simpliciter redigatur. Exinde notio et norma theologica quaestionis determinandae clarius pressiusque hauriretur. Haec autem dicantur modo explicito in n. 5.

II. Cap. I. Nimis descriptivum. Accuratius ius Ecclesiae prae statu, vel saltem coram ipso, definiendum est. Verbo « singulari » (n. 7, *c*) non bene introducitur assertio iuris substantialis at primarii, sicut est illud quod defendi debet, tanquam consequens institutionem familiae christianae eique consequentem christianam educationem. Verbum « deinde » (*ibid.*, lin. 23) tenorem cuiusdam accidentis adiunctionis vel suppletionis habet. Cum hodie ius Ecclesiae ad integralem educationem et ad scientias mere humanas atque technicas docendas valde impugnetur, cumque etiam inter catholicos praeiudicia liberalia necnon materialismi politici saepe irrepant, vindicatio talis iuris modo claro, praeciso locum ambiguitatis praecludente, omnino requiri putaverimus. Notetur quod, etiam in natione de se catholica, sicut est Lusitania, saepe habetur ius docendi Ecclesiae mere extendi ad res religiosas atque morales.

In n. 7 (*quibus munus educationis incumbat*) hic ordo servetur: Familia, Ecclesia, Status.

III. Cap. II. In genere placet. Sed forma redactionis speciem praebet potius cuiusdam Encyclicae quam Constitutionis Conciliaris. Ratio est nimia particularizatio et forma descriptiva. Tamen, dum Prooemium et caput I reficienda videntur, caput II non eget nisi ut forma magisterialis (non tam enumerativa sicut nunc a n. 11 ad 17) et decretoria pressius constituatur.

Ad singula quaedam. N. 9 valde probatur. Res agitur clare, definite, complexive. Vindicatio libertatis, et iuris et facti, requiritur et fit. Aliquid tamen hoc postea, pro evolutione et applicatione postulat, quod bene etiam innueretur. Ecclesia vindicat libertatem et autonomiam. Sed aliquando ex usu regiminis ecclesiastici hucusque nimis « centralis » et « totalis » factis doctrina contradicitur, ita ut ex una parte vindicetur autonomia et implicite damnetur nimia statalis absorptio et regularizatio, ex altera vero parte, ecclesiasticum regimen in huiusmodi quaestionibus excessive ad uniformes applicationes descendat.

N. 10 haud parvi momenti pro Lusitania. Idem merito de nn. 13, 15, 16 dicendum. In hoc ultimo, sano « realismo » instat schema: « In variis regionibus ». Fit namque ut aliquando plures nationes eadem problemata vel similia praebeant; atque persaepius adhuc ut etiam in parvis regionibus, sicut e. g. in Lusitania, conditio religiosa et socialis, valde quoad fidem, vitam, et praxim differat. Quod sane intra ipsas regiones apta instrumenta, instituta vel doctrinas exigat.

N. 11 valde placet.

N. 17: Cum indoli ecclesiasticae organizationis confoederatio plurium unitatum socialium (ad prototypum dioeceseos, provinciae, etc.) magis congruat, quam constitutio unitatum magni ambitus (cuius specimen et regimen fere typum « statalem » sequi videretur), schema « De scholis catholicis » feliciter postulat, ut coordinatio et cooperatio in re educativa et scholari ab ambitu dioecesano exordiatur, exinde regionaliter (v. g. ad provinciam, vel eius sectionem) ascendat, atque ita porro successive ascendendo ad confoederationes nationales et internationales. Hoc si ita fit, consociationes catholicae pro educatione defendenda atque promovenda haud facile in omnibus simul nucleis oppressionem vel suppressionem pati possunt, nec in eorum regimen tam ample obstructio fieri potest, cum oppugnatores multo plura disponere deberent, quam si in uno tantum centro acturi essent. Hoc consonat sapienti traditioni ecclesiastici moderationis operumque promotionis.

IV. Cap. III. Praxim iam apto usu comprobatam in pluribus exhibet, ideoque probatur. Bene insinuat, immo praescribit, curam culturae superioris gradu universitario, pro ecclesiasticis viris, laicis, et iuxta diversas adiunctorum personarumque condicionem. Momentum huius capitis non tam ab aspectu technico quam sub aspectu pastorali considerandum est. Ibi reponitur secretum efficaciae apostolatus culturalis catholici hucusque valde deficientis. Principia atque norma promotionis studiorum in universitatibus et facultatibus doctrinam perspicuam efferunt.

Ad singula quaedam. N. 19 magnum momentum habet pro Lusitania (etiam in linn. 28-30): « Sancta Synodus mandat ut *omnes christifideles* de universitatibus in Ecclesia necessitate plenius doceantur et catholicarum virium consociatio ad uberiora paranda pro studiis academicis subsidia quam maxime foveatur ».

N. 20 abbreviandus, in iis quae nimie iam dispositive determinantur (n. 7 ad 10, v. g.).

N. 25 peculiaris applicationis in Lusitania. N. 26, insigni transcendentia praeditus est.

V. Postulatum fit, ut decretum conficiatur de instituendis in omnibus dioecesibus (vel confoederatione saltem dioecesium) seminariis pro scientifica laicorum catholicorum promotione curanda, sicut pro clericis fecit Sancta Tridentina Synodus.

66

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDICA

Totum hoc schema videtur unilaterale. Praesertim per respectum ad universitates catholicas parvam fiduciam hoc schema praebere videtur erga professores, praesertim relate ad christianitatem eorum. Non satis ut filios addictissimos et peritos in sua provincia, sed mere ut subditos Ecclesiae in hoc schema illos alloquitur. Deest amplitudo spiritualis christiana, libera grandis et aperta. Quam ob rem melius esset quod Ecclesia ut alma mater fiduciam suam proclamet in profes-

sores suos, gaudens de arduo labore eorum qui veritatem in quavis provincia realitatis explorant, eos incitando ut inquisitionem veritatis considerent ut sanctum munus, sacramque responsabilitatem erga Ecclesiam et humanitatem. Cetera videntur superflua.

In eodem sensu non videtur esse Concilii inquisitionem theologicam quasi unice coniungere ad doctrinam unius theologi, quam maximus sit. Si in textu conciliari quidpiam dicendum sit de alma doctrina Aquinatis, sufficit quod dicatur « opus theologicum esse peragendum praelucente exemplo Angelici Doctoris ». Nunc vero dicendo « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia » Concilium nihil efficacius affirmat, cum ex una parte quaedam in doctrina S. Thomae sint iam obsoleta, et ex altera parte Concilium non dicat (nec Concilii est dicere) quaenam sit praecise doctrina S. Thomae, dum theologi et historici inter se disputent de genuina eius doctrina in nonnullis quaestionibus. Quid in hoc casu faciendum esset, si reapse Ecclesia urgeret dictum « secundum rationem, doctrinam et principia S. Doctoris »? Qui Ecclesiae religiose obedire velint, in talibus quaestionibus de die in diem in conflictu conscientiae viverent. Quod non est intentio Ecclesiae. Ex quo sequitur talem obligationem Ecclesiae esse pro maxima parte sine contentu et otiosam.

[*Adhaeserunt*] Bern. card. Alfrink, arch. Ultraiectensis; J. W. M. Baeten, arch. tit. Stauropolis; M. A. Jansen, ep. Roterodamensis; P. A. Nierman, ep. Groningensis; W. M. Bekkers, ep. Buscoducensis; P. J. A. Moors, ep. Ruremondensis; Dr. J. A. E. Dodewaard, ep. Harlemensis; G. H. de Vet, ep. Bredanensis; Th. G. A. Hendriksen, ep. tit. Eumeniensis, aux. Ultraiectensis; J. W. M. Bluyssen, ep. tit. de Aetos, aux. Buscoducensis.

67

CONFERENTIA EPISCOPORUM ANGLIAE ET CAMBRIAE

Affirmationes schematis *de scholis catholicis* episcopi in genere benigne accipiunt. Specifice quidem ea quae dicuntur art. 8, 9 et 10 de fine, libertate et sustentatione scholae ipsis multum placent. Notare etiam emphasim super necessitate cooperationis in art. 17 eis gratum est.

Ex alia parte dubitat conferentia num textus Sectionis II *de scholis catholicis in genere* satis evolvatur quod schemati eam dignitatem tribuat quam ut documentum conciliare habere oporteat.

Ad partem schematis *de Universitatibus catholicis* tractantem quod attinet, conferentia serias exceptiones proponere vult. Hoc documentum profertur ut applicationem habens universalem, sed opinione nostrae conferentiae non satis curat illam situationem in multis regionibus existentem quae erectionem universitatum catholicarum minime optabilem efficit. Episcopi sedulius considerandam esse credunt illam opinionem secundum quam maximi momenti est iuvenes catholicos — et quidem summopere illos mentis ingenio praestantiores — vivere in cultura mixta capaces esse. Opinione laicorum catholicorum gravium experientia universitaria praeditorum et generaliter ipsorum episcoporum hoc efficacius obtineri potest organizatione vitae et activitatis catholicae iam intra ambitum universitatis acatholicae quam segregatione alumnorum catholicorum in universitatibus catholicis.

Insuper ille apostolatus universitarius, cuius labore in Anglia et Cambria nu-

merus conversorum magnus in sinum ducitur verae Ecclesiae, non est possibilis nisi in ipsis universitatibus acatholicis.

Urgetur quod schema uti nunc habetur in praesenti dialogi oecumenici statu acatholicis scandalum et illis catholicis indefessis qui laborem in universitatibus acatholicis fructuosissimum impendunt frustratio foret.

68

CONFERENTIA EPISCOPORUM IUGOSLAVIAE

I. *Aliquae emendationes in textu proponuntur.* N. 2, pag. 7, lin. 17: « qua pueri ad *absolutam* perfectionem personae humanae ... ». Cum vox « absoluta » varias significationes exhibeat, hoc loco alia locutio substituenda, ne falsis interpretationibus locum praebeat.

N. 3, pag. 7, linn. 27-30: constructio grammatica « *tot* scholarum genera ... *tot* educationis instituta ... » non nimis felix videtur. Nam vel in fine phrasis signum exclamativum expectaretur vel continuatio phrasis. Loco « tot » ponatur « multa » vel « varia ».

N. 4, pag. 8: fere totus numerus videtur inutilis rhetorica quae facile e schemate exulare potest.

N. 8, pag. 10, lin. 5: tam emphatice de omni schola in genere enuntiare « finis est veritatem constanter perquirere » non videtur veritati respondere. Talem finem certo certius habent universitates et instituta scientifica. Sed qualis veritas *perquiritur* in scholis elementaribus et, magna ex parte, in scholis mediis? In eiusmodi scholis utique veritas traditur, sed non perquiritur.

N. 13, pag. 11: in hoc numero tot species scholarum enumerantur, sed omitti non deberent « scholae pro catechistis formandis », sive viris sive mulieribus, religiosis et laicis, quae maximi momenti sunt in terris missionum, in regionibus ubi exercitium cultus a potestate civili impeditur vel quae sufficienti numero sacerdotum carent.

N. 14, pag. 11, linn. 29 s.: num revera auctoritas ecclesiastica curare debet formationem omnium magistrorum, praesertim laicorum, qui in scholis catholicis docturi sunt?

II. *Responsa ad duo quaesita proposita.** 1. Omnino opportunum videtur rationes afferre etiam e iure naturali depromptas, cum hae unice a Statu non christiano forsan admittantur.

2. Scholae catholicae apud nos in Jugoslavia nullae exsistunt, praeter scholas « pro sacerdotibus praeparandis », i. e. seminaria et duae facultates theologicae. Pro omnibus pueris usque ad 15 aetatis annum obligatoria est instructio in scholis publicis quae principiis marxismi reguntur. Etiam in seminarium minus pueri tandem post 15 annum completum recipi possunt. Instructio religiosa tantum in ecclesiis, sacristiis et locis ad hoc destinatis impertiri potest.

III. In fine refero *opinionem unius episcopi* de qua tamen dici non potest esse opinionem episcopatus nostri, sed prorsus peculiarem opinionem auctoris:

---

* Cf. nota pag. 984.

« Ecclesia laudabiliter et iure merito curam habet de scholis erigendis et de institutione iuventutis, praesertim in terris missionum, ubi populi nondum habent sufficientem socialem evolutionem. Et legitime sibi hoc ius vindicat. Non tamen videtur hoc ius esse *inalienabile*. Ideo non videtur nimis urgendum principium de iure Ecclesiae ad scholas, praesertim apud populos excultos, ubi potestas publica hoc munus suscipere potest et vult. Hoc valet praecipue, si agitur de scholis superioribus. Rationes autem sunt haec:

1. Missio propria Ecclesiae non est docere scientias profanas, sed veritates religiosas: praedicare evangelium.

2. Spectato hodierno progressu scientiarum erectio scholarum, praesertim *superiorum,* connexa est cum ingentibus sumptibus et requirit pariter ingentes vires humanas, quae apostolatui proprie dicto subtrahi debent; fructus vero exigui minime respondent laboribus et viribus impensis.

3. In societate hodierna pluralistica practice difficillime evadet condendi scholas religiosas.

4. Insistendum est potius in cooperatione inter Ecclesiam et Statum. In scholis tradatur conveniens eruditio et educatio civilis et severe prohibeatur quaelibet laesio sensus religiosi discipulorum. Educatio religiosa et catechistica institutio procuretur ab Ecclesia in scholis statalibus, ubi adest cooperatio inter Ecclesiam et Statum, vel in ecclesiis et domibus ecclesiasticis, v. g. parochialibus vel etiam in hospitiis pro studentibus (cf. schema, pag. 26, n. 28). *Experientia docet* quod talis educatio maiores fructus fert, quam educatio religiosa in scholis, ubi catechesis quasi deprimitur ad gradum disciplinae profanae. Si educatio religiosa connectitur cum scholis, praesertim superioribus, iuventutem non attrahit, sed potius repellit, cum se quasi vi imponi videatur.

5. Haec omnia valent pro conditionibus apud nationes excultas. In regionibus vero missionum, apud gentes non cultas res aliter se habent. Ibi Ecclesia simul cum educatione religiosa promovere potest et debet communem eruditionem et civitatem humanam.

6. Quam ob causam quaestio de scholis catholicis remittatur potius ad conferentias nationales episcoporum ».

69

QUIDAM EPISCOPI EX STATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPT.

I. *Ad quaestiones generales.* 1. De rationibus ex lege naturali deductis praeter argumenta in revelatione divina fundata:

a) I should answer this point in the affirmative, taking into consideration, however, the various points illustrated by A. van Bentrum, in his article in *The Eastern Churches Quarterly,* pages 152 and following.

b) A striking fact in the history of modern nations shows that when the Church has had taken from her—or permitted herself to be deprived of the natural right to conduct her own schools—the faith of the entire nation has suffered. And when the faith of men was weakened, so was the effectiveness of the Church.

History has also proven that the Catholic school should attempt, much as is done in the U.S.A., to educate all Catholic children, regardless of their social or economic condition.

History has rather conclusively shown that in places where Catholic schools have not reached all Catholic children the unfortunate impression was created that the Church and the clergy were on the side of the rich and the powerful, and, therefore, supposedly opposed to the poor and the underprivileged.

c) Arguments from the natural law should be given, inasmuch as the schemata influence the total community as well as Catholics in the community.

2. De necessitatibus principalibus scholarum catholicarum in specifica regione:

a) I particularly like paragraph 4 and paragraph 10 of the Schema, but would suggest that note be taken of several of the points made by the authors of *The Commonweal* for 31 January 1964.

b) That the history of the religious schools in the U.S.A. has been a fortunate one stems from this independent operation. It is more than a contributing factor in enabling the schools to strengthen the faith of Catholics; it is it's very raison d'être.

Nevertheless, while independence is essential, this does not mean that the Church must reject all financial aid. Arrangements whereby the State provides in full or in part for construction costs and/or operation costs of Catholic schools would not seem to demand the destroying of the independence required for our Catholic schools to fulfill their purposes.

c) Concilium Vaticanum II omnino abstineat ab omnibus negotiis de scholis catholicis cum Statu seu auctoritatibus civilibus tractandis, quoniam quaestiones vel difficultates huiusmodi, si quae sint, commissionibus episcoporum specialibus a conferentiis episcoporum nationalibus delegatis, omnibus adiunctis particularibus perpensis, expeditius enodari possunt.

II. *Ad articulos schematis. Prooemium* (art. 1-5): *a*) Prooemio dempto, incipiat schema cum sectione praesenti « De educatione » quae recipi potest pro prooemio. *b*) End the Prooemium in the middle of line 21, page 7. The rest of it is verbiage.

Art. 6. a) Ea quae dicuntur « De educatione » articulis 6 et 7, p. 8 et 9, mihi placent tum quoad materiam, tum quoad modum dicendi. *b*) In sections 6 and 12, the "emotional" or "psychological" end of education deserves mention.

Art. 7. It should be made clear that the officia et iura of other human consociations, particularly the Res Publica, are subordinate to those of the family.

Art. 8. a) Why not a positive « sciant » instead of the double negative? *b*) Immediate post art. 7 tractetur de libertate scholam seligendi et sustentatione scholarum uti in articulis 9 et 10. *Ratio*: Disserere de fine scholae mihi videtur esse superfluum. Materia in articulis 9 et 10 videtur sufficere de scholis catholicis in genere.

Art. 10. The obligation of the entire Christian community to provide the means for effective religious education is to be stressed.

Art. 12. In sections 6 and 12, the "emotional" or "psychological" end of education deserves mention.

Art. 13. Quae specialis ... What makes this commendation special?

Art. 14. Formatio magistrorum is also regulated by civil law. The need of meeting the required civil conditions should be incorporated in this paragraph.

Art. 17. The coordination of all schools as here proposed could be the source of constant annoyance and difficulty and perhaps even of enmity between the Catholic and non-Catholic schools. A world-wide control and regulation is un-

realistic. We have done quite well without it and there seems nothing to be gained with it. The variety of school systems throughout the world militates against one and the same mold for all.

Art. 18. In calce articuli 19, p. 13, vel alicubi in schemate mihi videtur Concilium Oecumenicum tractare debere de « libertate academica », saltem principia enucleando generalia, ut omnibus appareat quanti faciant Universitates et Facultates catholicae ipsam veritatis indagationem. Haec enim quaestio maxime discutitur inter homines hodiernos et imago Ecclesiae coram populis tum catholicis tum acatholicis detrimentum non raro passa est.

Art. 19. Sic emendetur articulis 19, p. 13, linn. 22 et 23, « sub illius dicasterii moderamine cui curam talium sive generaliter sive in casibus particularibus Summus Pontifex velit committere ». *Ratio*: ut plenissima notetur libertas Summi Pontificis quoad eius curiam et praesertim quando agitur de Ecclesiis Orientalibus et de causis maioribus. Eadem emendatio, mutatis mutandis, applicetur in articulo 2 Appendicis II, p. 21, linn. 9 et 10.

Art. 21. What relation and what effect will a course of theology in every university tend to have on our seminaries? Is this an encouragement to follow the Catholic University plan?

Art. 23. Page 15, lines 9 sqq.: Who will provide the funds? At what point are those who come from other nations to receive preference over the home folks who also need « congruae dotes »?

Art. 24. This is normal functioning. Is this paragraph necessary?

Appendix II. Sic emendetur in articulo 11, Appendicis II, p. 24, lin. 7: « Sanctae Sedis monita praesertim ea quae inveniuntur in Litteris Enc. Pii PP. XII, *Divino Afflante Spiritu,* 30 sept. 1943, etc. ». *Ratio*: Ut hic, ubi de SS. Scripturis agitur, explicita fiat mentio documenti pro nostris temporibus tam comprehensiva, profunda et auctoritativa.

III. *Animadversiones generales*: 1. The jurisdiction of the Ordinary over all schools of exempt religious in his Diocese should be clearly stated.

2. Concerning Catholic schools, the policy of remembering the pastoral purpose of the Council should be strictly adhered to. Therefore, directives as to subjects tought and the administration of the schools should be most general since conditions are so different in different regions e. g. China, Africa, New York and Ireland. The primary duties and responsibilities of parents should be clarified.

70

CONFERENTIA EPISCOPORUM MEXICANA

La Comisión Episcopal de Educación y Cultura juzga que el actual esquema « De Scholis Catholicis » es difuso y vago; no se insiste en ciertos puntos concretos que serían urgentes, tratándose del problema de la educación católica.

Convendría que se cambiara la forma de manera que quedara más reducida y se insistiera con más claridad sobre la importancia de la educación católica y de la escuela, los principios en que debe inspirare esa educación, los derechos y deberes de los padres de familia al respecto, etc.

Por lo tanto, se propone lo que sigue: 1. Que cuando en el número 6, al tra-

tarse del sujeto de la educación, se reproduzcan las palabras de la Encíclica *Divini Illius Magistri* de Pío XI: « El sujeto de la educación es el hombre todo entero, espíritu unido al cuerpo en comunidad de naturaleza, con todas sus facultades naturales y sobrenaturales, cual nos lo hacen conocer la razón y la revelación; por lo tanto, el hombre caído de su estado originario, pero redimido por Cristo y reintegrado en la condición sobrenatural de hijo adoptivo de Dios ».

2. Que en el número 7, cuando se habla de la familia como la primera encargada de la educación, se declare que tiene prioridad de derecho sobre la sociedad civil. Igualmente, que al terminar la letra c de ese mismo número se exprese la obligación que el Estado tiene no sólo de no poner obstáculo al derecho de la Iglesia, sino de ayudar en el ejercicio de este derecho.

Se podría añadir un párrafo en que se repruebe de nuevo el laicismo en la educación, y se advierta que el Estado en sus escuelas tiene obligación de facilitar que los alumnos reciban instrucción religiosa, de acuerdo con la voluntad de los padres.

3. Que cuando en el número 11 se habla de las escuelas católicas se diga que compete al Ordinario el derecho de juzgar si en determinada escuela existen las condiciones necesarias para que se llame y sea « católica ».

Igualmente, que se declare en qué grado los padres y la Iglesia encomiendan a los maestros la tarea de la educación, de que se habla en el 14, lineas 35 y 36.

Que también se declare la obligación que los padres de familia tienen de procurar por todos los medios cívicos una legislación que garantice la libertad de enseñanza, agregándose esto en el n. 15.

71

CONFERENTIA EPISCOPORUM GUATEMALAE

Circa schema *de scholis catholicis* in specie quaeritur *:

1. Utrum in exponenda doctrina de scholis catholicis, praeter argumenta ex divina revelatione, opportunum videatur afferre etiam rationes *ex iure naturali* depromptas. R. *Affirmative.*

2. Quaenam sint praecipuae necessitates scholarum catholicarum in propria regione, etiam quoad relationes ad statum vel auctoritatem civilem in genere. R. Conferentia episcopalis in Guatemala censet praecipuam inter alias necessitatem esse ut *libertas docendi* sit plena, sit firmiter in dies apud gentem nostram, pondere auctoritatis nationis confirmata.

72

CONFERENTIA EPISCOPORUM COLUMBIAE

N. 10. Este número habla « de scholarum sustentatione ». El principio que se expone en este número parece perjudicial para la Iglesia en muchas naciones, observa el señor Obispo de santa Rosa de Osos. En él se indica llanamente que la justicia distributiva exige del erario público se destinen auxilios « ad cunctorum scholas sustentandas et quidem absque ulla personarum acceptione vel distinctione,

* Cf. nota pag. 984.

aequa ratione erogentur, prout in nonnullis regionibus iam laudabiliter fit ». Ahora bien, ello implica que el Estado debe ayudar económicamente a todas las escuelas, aún las de los protestantes, con lo cual en Colombia, como en otros países de la América Latina, salimos perdiendo. El Concordato favorece las escuelas de la Iglesia. Por éso, añade el Prelado, « fortasse ergo melius esset in illo principio de sustentatione scholarum solummodo loqui de sustentatione scholarum non statalium, catholicarum ».

N. 11. Al referirse a las escuelas, debería señalarse concretamente cuál es la autoridad del Obispo en los colegios de la Iglesia para que el Obispo pueda cumplir a conciencia con el deber de maestro de la verdad (arz. de Medellin). Y añadimos nosotros: qué autoridad o ingerencia debe tener también el Obispo en los colegios de la Iglesia regidos por los religiosos?

N. 13. Al referirse el esquema a las escuelas católicas, debería añadirse alguna norma sobre la educación en favor de los pobres, pues los colegios de los religiosos, en general, no prestan este servicio, advierte el señor Obispo de Sonsón.

N. 13. El Esquema debería considerar « la erección por parte de la Iglesia de escuelas normales, observa el señor Obispo de Tunja, para que estos centros, en donde se forman los maestros de la niñez y de la juventud, estuvieran organizados en un todo de acuerdo con el espíritu de la Iglesia y del Derecho Canónico ».

N. 17. Referente al n. 17 « de scholarum catholicarum coordinatione et cooperatione », el señor Obispo de santa Rosa indica lo siguiente: « la autoridad civil inspecciona frecuentemente todas las escuelas », así también la Iglesia debe inspeccionar todas las escuelas « eo fine ut in his scholis semper et perfecte serventur omnes illae conditiones quae scholas ut vere catholicas constituunt. Talis inspectio esset munus organisationis centralis dioecesanae de qua agitur in schemate n. 17 ».

En la tercera parte del Esquema, que habla de las Universidades, el señor Arzobispo de Cartegena indica que debería señalarse « alumnorum iura et officia » y plantea la cuestión en estos puntos, alguno de éllos aplicable a las escuelas medias:

« 1. Haec Sancta Synodus aliquid dicere debet de alumnorum officiis, nam plurimi sunt, praesertim in Universitatibus, qui putant sibiipsis docendi munus commissum esse et docere malunt magis quam discere et regere potius quam obedire ».

2. Possuntne Scholarum Mediarum alumni, qui nondum iure civium plene gaudent, quia cathedraticus quidam non illis placet vel Rector nimis durus videtur vel ob aliquam causam, cessationem laboris (Huelga nuncupatam) decernere, studia interrumpere, disciplinam omnino deturbare et ordinem evertere?

3. Certi sumus in actione educativa alumnos non posse pari conditione ac magistros se haberi nec prudentia nec scientia ad cathedraticos eligendos nec ad rationem studiorum efformandam praeditos esse.

4. Nonne patet parum beneficii praesentia alumnorum in consilio rectore Universitatum afferre? ».

73

CONFERENTIA EPISCOPORUM VENETIOLANA

N. 11. Definitio « scholae vere catholicae » nimis arcta videtur. Cum in plurimis Civitatibus « ratio studiorum » ab Statu imponatur, admissa hac definitione, « scholas vere catholicas » in paucissimis tantum mundi regionibus haberi sequetur. Proinde, hanc definitionem recognoscere et depurare iuvabit.

N. 12. Cum hic sermo sit de scholae catholicae perfectione quaerenda, paragraphus addatur ad mentem normae 14 Appendicis III (pag. 30) huius schematis, « qua quaevis mercaturae species a scholis catholicis arceatur ». Praeterea, enixe commendetur ut earum aditus facile pauperibus pateat.

N. 25. Incisum « praecipue ubi Catholicae Universitates non exstant » expungatur, cum auxilio de quo hic sermo est, pariter indigeant omnes civilium Universitatum alumni, etiam in urbibus ubi Catholicae Universitates adsunt.

74

CONFERENTIA EPISCOPORUM BRASILIAE

Schematis generalis existimatio. Schema in genere placet: satis actuale considerat problemata hodierna. Incipit ex visione pluralistica societatis et insistit in consecratione mundi veluti in opere palmari christianorum.

Summarium. Universa familia humana magnam operam dat ad debellandam ignorantiam, famem, miseriam et ad promovendum hominem secundum omnes suas mensuras.

In hoc communi conatu Ecclesia propriam missionem habet. Peculiari modo pertinet ad Ecclesiam educatio integralis hominis. Ecclesia semper, magna protectrix artis erudiendi et educationis fuit.

Nota propria aetatis nostrae est magna varietas scholarum omnium graduum.

In hoc campo Ecclesia offert humanitati suam doctrinam et experientiam.

I. *De Educatione. Summarium.* Omnes homines ius inalienabile integrae educationis habent. Munus educationis, vi iuris naturalis, primum competit familiae, deinde ceteris communitatibus humanis, praecipue Statui: iure proprio et nativo, quoad finem suum temporalem; iure subsidiario et cumulativo, quoad ceteras partes. Ex iure divino, Ecclesiae competit educatio religiosa et naturalis; quoad ceteros aspectus vitae humanae, in quantum serviunt fini proprio Ecclesiae. Mutua ordinatio harum trium entitatum esse debet.

Observationes. 8, 33-34: Oportet explicare: « cuiusvis sint stirpis, sexus, aetatis, condicionis ethnicae, socialis vel oeconomicae ».

9, 24: corrigatur: « spectat quoad supernaturalem educationem » ex positiva etc. *Ratio*: solummodo quoad hoc pertinet ad Ecclesiam « officium et ius ». Hoc non est dicendum simpliciter quoad educationem moralem et humanam.

9, 27-29: corrigatur: « Quoad ceteros vero humanae vitae aspectus, ad ordinem naturalem pertinentes, Ecclesiae ius et subsidiarium officium educandi competit quatenus iidem iuvant ad proprium finem assequendum ». *Ratio*: quoad ceteros aspectus educationis humanae Ecclesia ius educandi habet, quatenus iuvat ad proprium finem assequendum, sed non proprium et primarium munus suum est.

II. *De scholis catholicis in genere.*

A) *Fundamentalia de scholis principia. Summarium.* Finis proprius scholae est constans indagatio veritatis, traditio fidelis eiusdem, promotio progressus humani, cultus virtutum humanarum; huius intentio est formatio virorum rectorum et capacium, aptorum ad agendum efficienter in vita familiari et sociali secundum bonum temporale et aeternum.

Cum desiderium veritatis aspiratio communis sit humanae naturae, docendi

libertas constituitur ius inalienabile hominis. Statui igitur competit hanc libertatem realem fieri. Laudandi sunt hi Status qui politicam educationalem efficientem promovent, sed monopolium statale educationis non est approbandum.

Observationes. 10, 1-12: Legatur: « cum perquisitio veritatis aspiratio communis sit, inter essentialia humanae dignitatis iura enumeratur, quae numquam violari liceat » etc. *Ratio*: magis consentaneum cum pag. 10, 5.

B) *Peculiares de scholis catholicis normae.* Schola catholica non potest appellari nisi ea in qua omnia scilicet instructio, programma, magistri, libri, etc. impregnantur spiritu christiano, et in qua religio sub orientatione Ecclesiae docetur. Hoc dicendum est et de scholis ab ipsa Ecclesia fundatis, et de scholis fundatis et directis ab ipsis fidelibus et societatibus. Momentum scholae cum sit magnum in genere, schola catholica etiam plene « actualizata » et praeparata esse debet. Concilium commendat, modo insistenti, fundationem scholarum catholicarum omnium graduum, praecipue scholarum professionalium et technicarum et institutiones ad educandos adultos et pueros dictos « exceptionales ».

Auctoritas ecclesiastica magnum momentum ponat in adaequata formatione magistrorum qui habeant titulos academicos.

Ecclesia considerat iura socialia suorum magistrorum, praecipue iustam remunerationem et libertatem scientificam. Quatenus possibile est, patres suos filios in scholas catholicas mittant. Foveatur intentius ordinatio mutua dioecesana, regionalis, nationalis et internationalis scholarum catholicarum, cooperans cum auctoritatibus civilibus et institutionibus nationalibus et internationalibus.

III. *De universitatibus catholicis. Summarium.* Specialis momenti sunt universitates catholicae quibus competit investigare et transmittere omnia quae Deus revelavit sive per revelationem sive per opus creationis ad formandos homines revera aptos et intrepidos fidei testes. Quapropter Concilium optat ut ubique sint universitates et facultates catholicae quae suam missionem exerceant sub orientatione competentis dicasterii qui a viris provenientibus ex diversis nationibus et peritis in variis disciplinis.

Ecclesia promovet praecipue universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum, quae scientias sacras colere debent et destinantur, in primis, clericis qui magisterium in seminariis exercebuntur, inquisitionem scientificam instituent et functiones ecclesiasticas peculiares habebunt.

In universitatibus et facultatibus disciplinae profanae, cogitetur non solum de solida formatione scientifica, sed etiam de formatione religiosa, morali et sociali. Omnes igitur universitates catholicae habeant facultatem theologicam quae centrum universitatis sit.

Universitates et facultates catholicae foveant quam maxime institutiones destinatas ad investigationes scientificas.

Accessus ad universitates et facultates catholicas pateat faciliter discipulis praeditioribus, etiam pauperibus et provenientibus ex aliis nationibus.

Insistitur adhuc in cooperatione facultatum et universitatum.

Ubi non sunt universitates catholicae, Pastores provideant ut creentur gremia universitaria destinata ad protectionem spiritualem et ad defensionem fidei et vitae moralis eorum qui frequentant universitates civiles.

Concilium optat ut scientistae catholici actionem suam ad alias universitates etiam amplificent.

Observationes. 13, 35: decet amplius insistere in eo quod universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum etiam laicis pateant.

14, 29: accrescatur quod facultatibus ne concedatur titulus catholicae universitatis nisi habeant facultatem vel institutum theologicum pertinentem realiter ad corpus facultatum et accessibilem etiam laicis. *Ratio*: sine theologica consideratione non est possibilis generalis consideratio rerum quam intendit universitas.

15, 4: « curent praeterea Ordinarii loci » accrescatur: « et Superiores religiosi » ut quos « ex clericis vel laicis » scientiis etc.

15, 9-11: « tenuioris fortunae », accrescatur: « necnon omnibus hominibus bonae voluntatis, etsi non catholicis ».

16, 2: inseratur in « egregiis » universitatibus catholicis maximae curae sit ut missionem suam culturalem extendant quoque ad omnes classes populi.

Appendix I: Schema instructionis de scholis catholicis. II: Schema instructionis de universitatibus catholicis, tractans etiam particulatim de variis curriculis existentibus ad formationem magistrorum et technicorum. III: Normae revisionis Codicis circa hanc materiam.

Corollarium: ABESC votum fecit ut visitator apostolicus permanens universitatum et facultatum instituatur.

* * *

Ad Adnotationes ab episcopis brasiliensibus propositas in clariorem lucem ponendas, infrascripti haec addenda curavimus:

Desiderio Summi Pontificis obsequentes, qui in allocutione clausurae secundae Sessionis Vaticani II expostulabat schemata breviora et magis pastoralia, duo nobis, in huius schematis reformulatione proponenda ut essentialia videntur: rectam ideam educativae missionis Ecclesiae statuere et normas pastorales, ad hanc missionem in praxim deducendam, firmare.

Cum autem Ecclesia, proh dolor, nostris diebus vitam suam degat insertam in mundo qui nondum christianus est, nedum in regionibus paganismo subiectis, imo etiam in illis quae aliquam christianismi speciem ferunt, revera non intelligitur Concilium hominibus praebere constitutionem quae, si non exclusive saltem principaliter, de *scholis catholicis* vindicandis atque de earum efficaciori promotione agat.

Quod e contra, certo certius, opportunum nobis videtur et desideratur actionem esset pastoralem, quam hucusque Ecclesia de humana christianaque populorum educatione egit, ita sine timore ad trutinam vocare et examini subiicere ut aptior reddatur. Quis enim non videt, verbi gratia, inconvenientiam et improprietatem tam multorum sacerdotum vires exauriendi in munere illas disciplinas docendi, quod non pauci et vere periti laici catholici praestare possint? Ex quo tamen non sequitur, evidens est, in praedicta revisione excludendam esse inter alias, quaestionem de ipsa subsistentia scholarum catholicarum.

Ut uno verbo mentem nostram pandamus, hoc volumus quod schema, ab ipso titulo, agat « de christiana educatione » vel « de Ecclesiae educativa missione » et non tantum « de scholis catholicis ».

In reformulatione autem schematis, praeter alia, haec puncta fundamentalia attendenda sunt:

1) Ecclesiae actio educativa prae oculis habeat reales conditiones huius mundi multiformis (« pluralista ») in quo vivimus: innocua enim ipsa erit, immo et

nociva, si finem sibi practice proponeret traditionalis modi agendi conservationem ac praeservationem, siquidem hodiernae conditiones familiares socialesque, etiam ubi adhuc christiano nomine ornantur, christianae vere non sunt.

2) Cum principia dogmatica recte statuenda sint de Familiae, Ecclesiae ac Status circa educationem iuribus et officiis, oportet tamen explicite Statui recognoscere, propter commune bonum ius sibi competere illius distributionis mediorum publicorum planificandi, ita ut recte aliarum societatum iura et necessitates progressus ipsius nationis attendantur.

3) Inter fines humanae christianaeque educationis, ille emineat sensus personalisticae formationis ad iuvenes adultos aptos reddendos, ut ipsi propriam socialem missionem assumant, qualem mutationes socio-oeconomicae uniuscuiusque nationis exigunt.

4) Normae statuantur ad scholas catholicas renovandas, eo intuitu ut ipsae missioni Ecclesiae, in praesentibus rerum adiunctis, adaequatius respondeant.

5) Iterum ac iterum instanter debita laicorum apostolorum ac religiosorum ad missionem educatricem exercendam opera in scholis statalibus commendetur, qua, per eorum agnitam competentiam, professionalem dedicationem et amorem fraternitatis, idoneos testes evangelici nuntii fiant.

6) In evangelizando pauperibus Ecclesia etiam missionem suam compleri agnoscatur per fervidum adiuvamen quod praestandum est illis quibuslibet conaminibus et incoeptis sic dictae educationis basicae (educação de base) quae coetuum, qui quasi ut marginales a sociali consortio relinquuntur, humanam promotionem intendit eos participes reddendo bonorum totius culturae.

7) Enixe commendetur actionis pastoralis organice ordinatae constitutio pro eis qui studio, a primis litteris usque ad gradus universitarios assequendos, incumbunt; quae specialis actio, iuxta particularia adiuncta, universalis actionis pastoralis communitariae dioecesanae vel paroecialis pars sit.

[*Subsignaverunt*] Helder Camara, arch. tit. Salditanus, aux. Fluminis Ianuarii; Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius, aux. Fluminis Ianuarii.

75

QUIDAM PP. CONCILIARES AFRICAE ORIENTALIS

1. Inter omnia 12 schemata a Patribus conciliaribus inter sessiones examinanda, nullum nobis exstare videtur quod sit maioris *momenti practici* pro Ecclesiis nobis hisce in partibus commissis.

2. Desideraremus propterea Fratribus nostris in episcopatu in Concilio congregatis animadversiones quasdam proponere quae revera, praeter doctrinam traditionalem ab Ecclesia in hac materia communiter receptam, quaedam *principia practica* contineant quae *a*) a Hierarchia semper et ubique doceri et, si opus sit, inconcusse defendi debeant, *b*) a fidelibus nostris clare intelligantur et ab ipsis in praxim deduci possint, *c*) a fratribus nostris separatis, quatenus cum ipsis hac in materia cooperandum erit, acceptari possint, *d*) et denique quae intelligi et acceptari pariter possint ab auctoritatibus civilibus praesertim novellarum Nationum (ut est casus fere totius Africae), quibuscum hac in materia sub certis condicionibus cooperare volumus immo debemus.

3. Proh dolor ad talem expositionem tempus nobis a Summo Pontifice pro hoc schemate determinatum non sufficit.

Putamus insuper necessarium esse ut de hac materia alios Africae sub-saharianae Patres conciliares aliosque peritos viros consulamus animadversionesque nostras collegialiter competenti Commissioni Conciliari exhibeamus.

4. Quod, Deo favente, Romae faciemus occasione proximae sessionis Concilii Oecumenici, interea omnes Africae sub-saharianae Patres aliosque quibus interest rogando ut in hoc propositum consentiant et ita, quantum humana fragilitas id esse sinat, animadversiones ad hoc schema usquequaque perfectas elaboremus.

5. *Rogamus propterea ut hoc schema non in secunda sed tantum in tertia sessione huius Concilii disceptationi Patrum in aula proponatur.*

6. In fine addimus iam nunc quasdam observationes particulares:

a) Titulus schematis non placet quia problema quod subiacet latius patet quam conceptus « scholarum catholicarum » et quia ex altera parte munus Ecclesiae a Christo Iesu eidem concreditum non semper neque ubique « scholas catholicas » exigere videatur.

b) Ad Prooemium, n. 1, lin. 10. Minus placet citatio illius « Euntes docete omnes gentes » quia inde ab exordio confusionem aliquam parere potest inter *specificam* missionem Ecclesiae a suo Fundatore concreditam (annuntiandi scil. Evangelium, sanctificandi et regendi) et inter ea quae iure Ecclesiae competunt ut missionem illam specificam adimpleat.

c) Ibidem n. 2, linn. 21-24: « Ecclesia, quae hominis sanctificationem et mundi consecrationem expetit, in *educationis* opere nullum virtutum ac virium humanarum aspectum praeterit nec praeterire *potest* ... » videtur nimis categorice dictum, nisi inseratur qualificatio educationis *christianae* et quidem *pro suis subditis.*

d) Ibidem n. 5, initio: « Sancta Mater Ecclesia ... catholicas scholas habet sanctum ministerium », dummodo hoc ministerium distinguatur (non separetur) a munere *specifico* sibi a Christo concredito (cf. *supra,* 6 *b*).

e) Pag. 10, n. 8: Hic desideratur aliqua definitio quae nos in cooperatione cum Gubernio (etiam cum Gubernio laicista) adiuvare possit et ab eodem acceptari: proponimus hanc emendationem in lin. 9: « bonum temporale et spirituale sive personae sive societatis ».

f) Optamus ut iura et officia parentum qui fundamentalem pro educatione puerorum responsabilitatem habent, pressius exponantur, forse iam in Introductione ponenda.

g) Schema claras ac distinctas definitiones proponat: 1) de educatione in genere, 2) de educatione specifice christiana, 3) de schola in genere, 4) de schola christiana, 5) de schola fundata et administrata ab Ecclesia sustentata tamen a Gubernio et quae in ipsa eius existentia a Gubernii legibus dependet.

[*Subsignaverunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman van Elswijk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casi; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis; Vincent McCauley, ep. de Fort Portal; John Ogez, ep. de Mbarara.

76

QUIDAM PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Notae generales. 1. Intentio vel orientatio huius schematis fundamentalis procedere videtur ex conditionibus iam praeteritis vel saltem iam sese mutantibus rerum socialium, culturalium, oeconomicarum et politicarum.

2. Humana societas hodierna communi et organisato conatu eo tendit ut amplissimo adiutorio (imprimis in rebus quae ad educationem pertinent) omnibus necessitatibus et indigentiis sive individualibus sive etiam collectivis provideat. Societas enim humana sibi conscia fit, sibi munus incumbere, non individuis tantum, sed et familiae totique etiam communitati magis magisque inserviendi. Haec evolutio evidens est imprimis in nationibus « emergentibus », Africae et Asiae.

3. Hunc conatum condendi systema educationis universalis Ecclesia ignorare non potest, eique sese incorporare et proprium methodum procedendi, imprimis in quaestione de scholis erigendis et conducendis, adaptare debet, quamvis ius erigendi scholas proprias Ecclesiae omnino vindicandum sit. Ideo munus principale Ecclesiae hoc in statu evolutionis est, in hoc systemate educationis universali omnibus mediis et viribus sese praesentem reddere et principia christianae educationis vindicandi. Hac immo incorporatione Ecclesia munus suum annuntiandi Evangelium et « mundum consecrandi » melius forte, universalius et efficacius adimplere potest.

4. Ideo ille conceptus scholae qui n. 11 evolvitur, quamvis idealis, conditionibus praesentibus non correspondet, imprimis in regionibus « emergentibus ». Si enim activitas catholica motui huic evolutionis descripto suo tempore absens esset, periculum immineret omnes scholas catholicas omnemque influxum christianum ammittendi.

5. Datis his conditionibus maxime via n. 25 schematis (de Universitatibus, collegiis, suppl. etc.) designata speciale momentum habebit, scil. ut aptis mediis vitae christianae studentium recte attendatur, et catholici magistri provideantur.

6. Quia vero conditiones secundum regiones differunt, conferentiis episcopalibus sive nationalibus sive regionalibus conferatur potestas principia statuendi de erigendis vel non erigendis scholis catholicis et delineandi generalem methodum procedendi.

7. Secundum principia haec assignata, schema reformandum esse videtur, maxime inspectis conditionibus regionum « emergentium » Africae, Asiae, etc.

8. Titulus schematis emendetur, scil.: *De educatione catholica in scholis praestanda.*

[*Subsignaverunt*] A. Kozlowiecki, arch. de Lusaka; F. Mazzieri, ep. de Ndola; M. Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. de Mzuzu; J. Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. tit. Adramitti; R. Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

* * *

Quoad n. 11, in quo de scholae catholicae dotibus agitur, quaeritur num non opportunum sit aliquam distinctionem instituere circam definitionem scholae catholicae, necnon circam ambitum eiusdem definitionis relate ad peculiares circumstantias quae in nonnullis regionibus hac nostra aetate vigent.

A. *Novorum Guberniorum aspirationes.*

1. *In quo istae aspirationes consistunt.* Notandum enim videtur quod, in nonnullis terrae regionibus praesertim vero in multis emergentibus Africae Nationibus — problema de munere educationis in genere, et de scholis in particulari, specialem formam assumit, qui ab obiecto in n. 11 huius schematis descripto aliquo modo differt. Videlicet:

a) In suo desiderio universalis educationis propagandae, omnia fere nova Gubernia Africae necessarium sentiunt ut munus iuventutis educandae in Gubernii potestate reponatur.

b) Hic conceptus cum theoria « Africani Socialismi », aliquo modo, connectitur, quae, ut omnes norunt, prominentem locum tenet in mentibus eorum qui ad nova africana Gubernia aedificanda et consolidanda laborant. Nova enim Gubernia existimant quod, ad progressum oeconomicum in novis Nationibus attingendum, necessarium est ut cives omnes easdem methodos uniformiter sequantur. Pro hac quippe ratione, eis necessarium videtur ut omnes scholae « Nationales », ut aiunt, se habeant, ita ut iuvenes utriusque sexus, in quacumque schola studuerint, eadem erga Statum et bonum commune totius Nationis principia acquirant.

c) Nec desunt rationes aliquae ex historia depromptae, quae ansam praebent ad nova Gubernia talem conceptum circa scholas et educationem efformanda. Siquidem, huc usque, Missiones — sive catholicae sive non-catholicae — non raro quasi-monopolium in africana iuventute educanda gesserunt. Nunc autem educati, plures sunt africani qui tempus advenisse sentiunt quo munus educandae iuventutis in eorum manibus reponatur, eo magis quod solum Gubernium pecuniam ad universalem educationem providendam invenire possit.

Insuper, nulli dubium est quod saepe conflictus influentiae necnon et proselytismi, scholas inter catholicas et non-catholicas, evaserunt, ideoque nonnulla nova Gubernia se sola sentiunt potestatem habere hos conflictus praecludere, qui principio universalis educationis adversari videntur.

2. *Quid sit de his aspirationibus in concreto sentiendum?* De valore supradictarum rationum certe disputari potest. Sed hic agitur de concretis circumstantiis in quibus Ordinarii catholici collocantur. Concreta quaestio est quid, hoc ipso tempore, opportunum sit facere ad bonum Ecclesiae praeservandum.

In hoc dilemmate versati, Ordinarii, qui Ecclesiae sollicitudinem in eis Nationibus gerunt, existimant se in detrimentum boni communis totius Ecclesiae localis forsan acturos esse, si forte novorum Guberniorum in hac materia nimis pertinaciter opponerent. Maius enim damnum forsitan consequi posset si, propter istam oppositionem, Ecclesia ab omnibus educationalibus negotiis permanenter excluderetur.

B. *Situatio, ut in nonnullis regionibus, praesertim missionalibus, iam reapse exstit.*

I. *Situatio de facto.* 1. Experientia constat scholas, quae ab Ecclesia missionali

conducuntur, in pluribus saltem regionibus, nec esse, nec unquam fuisse, scholas catholicas in proprio sensu, de quo in n. 11 schematis *de scholis catholicis* agitur.

2. Quamvis enim saepe, ordinarie loquendo, « catholicae » vocantur, in realitate, tamen, nihil aliud sunt quam scholae « Nationales », ut ita dicam, quae a Gubernio missionibus conducendae et iuxta Gubernii leges administrandae traduntur.

a) Ipsa lege, illae scholae iuvenes etiam paganos, vel non-catholicos, admittere compelluntur.

b) Quamvis instructio religiosa in curriculo locum obtineat, specialis tamen clausula in ipsa Lege inseritur qua alumni, particularem religiosam institutionem, ex motivis ex sua conscientia depromptis, recusare permittuntur, etiam in scholis a catholicis missionibus conductis.

c) Magistrorum stipendia, in toto, ex Gubernii aerario proveniunt.

d) Quamvis stipulationes existant quibus consultatio Gubernium inter et ipsas missionis auctoritates praemittantur, nihilominus distributio a Gubernii commissione pendet.

e) Scholae a missionibus aperiri non possunt nisi praevia permissione a Gubernii tum provinciali cum centrali Consilio.

f) Pecuniae ad scholas aedificandas necnon ad libros emendos et aliqua huiusmodi, a Gubernio, partim saltem, proveniunt.

3. Etiam *scholae privatae,* v. g. seminaria, a Gubernio registrari debent, quamvis nullae prorsus pecuniae ab illo proveniant.

II. *De ea situatione quid, in praxi, sentiendum sit? a*) Clare evadit Ecclesiam missionalem, sine Gubernarii assistentia financiali, nullam spem habere ut suas scholas retinere, prorsusque extendere, ullo possit.

b) Datis illis aspirationibus, de quibus supra, ex parte multorum novorum Guberniorum, vanum certe evaderet si missiones vigentem cum Gubernio conventionem abrogare tentaverint.

c) Insuper, verum est dicere quod habitudo iam supra exposita Gubernii ad missiones in re educationali, dum forsan aliqua melior formula concipi possit, attamen usque adhuc firmam viam cooperationi inter Statum et Ecclesiam aperuerit.

Ideo, in praesenti situatione politicali, periculosum foret istud systema reiicere et acerbas disputationes cum Gubernio in hac materia instaurare.

Quamdiu enim puncta maioris momenti servantur, cooperatio cum novis Guberniis retinenda videtur. Haec puncta sunt: *a*) libertas scholas privatas aperiendi, ut, v. g., seminaria; *b*) libertas religiosam instructionem in scholis tradendi; *c*) libertas pro ministris catholicis — sive sacerdotibus sive etiam catechistis — ad omnes scholas adeundi ad catholicam religionem exponendam.

Tales cautiones immo etiam faverent si, retentis saltem collegiis ad magistros efformandos, Ecclesia, per magistros catholicos a se formatos, in omnibus scholis nationalibus activam praesentiam habere posset.

77

CONFERENTIA EPISCOPORUM NIGERIAE

This schema, which deals with a matter so closely connected with the Church's mission to teach all nations, is one from which much light and guidance will be expected. Unfortunately it appears to fall far short of expectations. In general

it seems ill-adapted to the real needs of the Church of today, much of it is impractical, and it so stresses higher education as almost to create the impression that primary and even secondary education are of relatively slight importance. These points will become clear if we consider the schema in detail.

P. 1. *Prooemium*: The first paragraph deals principally with modern man's striving after knowledge of the *natural order* and is not logically connected with the paragraph which follows it and which speaks of preaching the Gospel.

Pp. 8-9; par. 6: The elements which made up the description here given of « educatio integralis » do not appear to be mentioned in any logical order. Also, no reference is made to education of the feelings or emotions.

P. 9; lin. 16: The expression « ceteris quoque humanis consociationibus » is too wide. Not every human association has specific duties in regard to education.

P. 10, linn. 27-28: Il would be well to say in a note which recent international conventions are referred to and to give some pertinent details.

Pp. 11-12: These pages are unrealistic. Only in a limited number of countries do we find the schola catholica as it is defined here. More usually catholic children attend schools which are more or less under State control and more or less supported by State funds. Hence those engaged in Catholic education need most of all to be given clear directives about Church-State co-operation in education, the forms this co-operation may take, the dangers inherent in it etc. It is clear also from these pages that the schema is too exclusively concerned with the « schola catholica »—that is, with a type of institution—and not sufficiently with Catholic Education, which can be imparted even outside the « schola catholica ». In Nigeria, for example, almost all our Catholic Primary Education—including religious instruction—is given in schools which are not scholae catholicae in the sense defined in the schema.

Finally, from these pages onwards very little attention is paid in the schema to primary or secondary education. While granting the special importance of higher education, we may not forget that it is not the education of the majority. In the Church as a whole only a small minority reach even secondary education. Thus proportionately too much space is given to higher education and those concerned with primary and secondary education—that is, those who educate the great majority of the faithful—are left without guidance in their important task.

Pag. 13, lin. 19: For financial and other reasons this wish cannot be realized. It is, therefore, pointless to express it, except with qualifications.

Pp. 13-14: Would it not be better to transfer this section (on ecclesiastical studies) to the schema « De sacrorum alumnis formandis »?

Pp. 14-16, par. 21-26: Much of the matter in these paragraphs is very obvious and does not need special mention. For example, what is said in par. 25 is a commonplace at the present day.

Appendix I: Only the first short section deals with Christian Education. The rest of the Appendix—by far its greater part—is devoted to the « schola catholica » which, as has been said above, is a type of institution found only in certain areas.

Appendix II: Par. 1 of this appendix is too categorical in stating that Catholic Universities must be founded everywhere. In many places the most that can be achieved will be to have catholic colleges or chaplaincies within State Universities.

Besides, is it not important that State Universities should not be allowed to become in effect State-subsidized institutions for propagating non-Catholic teaching? This they will become if all our efforts are concentrated on founding and maintaining strictly Catholic Universities.

P. 23, par. 9: This paragraph is in line with a recent tendency to make theological courses—both for the priesthood and for degrees—too long and too loaded with subjects. By the time they have finished their studies, candidates for the priesthood are likely to have lost much of their apostolic spirit due to the length of their course and the amount of cramming it entailed.

Pp. 26-27, par. 24, 25, 26: The matter treated of here is very obvious and does not merit special mention.

Appendix III: par. 10 and 11: These paragraphs are not quite clear in the sense that it is hard to see how either of them could be dealt with in a single canon.

78

CONFERENTIA EPISCOPORUM IN KENYA

1. Respondetur *: certissime: Cf. schema *de scholis catholicis,* pag. 9, par. 7, a et b.

2. Ante omnia nobis necessarium est ut scholae nostrae proprium characterem servent, non obstante desiderio in dies crescente et saepe legitimo (cf. notam infra) potestatis civilis earum administrationem et etiam proprietatem sibi vindicandi. Re diu perpensa et deliberata censemus scholas catholicas ut in schemate *de scholis catholicis* definitas (p. 11, n. 1) in adiunctis hodiernis re vera servari posse dummodo cautiones sufficientes Ecclesiae concedantur, v. g. ut fit in Caledonia.

Nota: Nemo bonae voluntatis et futura prospiciens negabit auctoritati civili in conditionibus exceptionalibus hodiernis iura pari ratione maiora et exceptionalia ad populi necessitatibus subveniendum (cf. Litt. Enc. *Summi Pontificatus* Pii XII).

1) Ad n. 11, lin. 5: substituatur « atque *insuper* ... » loco « atque *imprimis* ... ».

2) Ad n. 19, linn. 22-24: emendatio proponitur ut sequitur: « sub moderamine commissionis ad hoc constitutae, cui cura Universitatum studiorum a conferentia episcoporum illius territorii commissa est et curae ».

3) Ad n. 20, pag. 14, linn. 16-17: sententia mutetur sequenti modo: pertractentur ad rationem doctrinae inviolabilis Ecclesiae, Patrum et praesertim Angelici Doctoris ».

4) Ad n. 25, lin. 27: loco « animarum pastores » substituatur « conferentia episcoporum ».

79

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDIAE

N. 11. Totus articulus sic emendetur: « Ea dumtaxat schola vere et perfecte catholica censenda est, in qua tota instructio ac doctrina eiusque ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri ad quamlibet disciplinam quod pertinet,

* Cf. nota pag. 984.

ceteraque omnia, in quibus alumnus versatur, christiano spiritu sint imbuta, atque imprimis religiosa impertiatur instructio sub Ecclesiae ductu. Quae notae in omni schola catholica desiderantur. Ubi vero propter conditiones particulares (in missionibus) hae notae non possunt perfecte verificari, requiritur saltem ut schola catholica sit ab Ecclesia fundata, vero spiritu catholico imbuta, ut subiecta studiorum tractentur modo catholico, et omnes alumni catholici recipiant instructionem catholicam ».

In missionibus enim, v. g. in India, si educatio profutura sit pueris catholicis in vita sua, necesse omnino est ut scholae nostrae a Statu civili sint recognitae et approbatae. Ad hanc autem approbationem concedendam, Respublica postulat ut conditionibus ab ipsa latis satisfiat circa curriculum studiorum, libros manuales, horarium diurnum, qualificationes (seu gradus) professionales magistrorum etc. Accedit quod saepe in nostris scholis, quae sunt sat numerosae, magistri non-christiani adhibendi sunt ubi non sit sufficiens copia magistrorum catholicorum. His tamen incommodis non obstantibus, nostrae scholae christiano spiritu sunt imbutae, subiecta studiorum visu catholico tractantur, pueris catholicis religiosa impertitur instructio, et ita scholae in missionibus nunquam cessant esse vere catholicae. Quodsi autem, ut vere catholica censeretur, omnis omnino schola, etiam in missionibus, deberet omnibus et singulis ornari dotibus in schemate descriptis, tunc nulla schola ab auctoritate ecclesiastica in terris missionum fundata vel fundanda posset dici catholica — quod evidenter non est verum. Hinc necessitas emendationis supra propositae.

*Ad quaesita in specie.** 1. Ut completa et integra habeatur doctrina de scholis catholicis, opportunum videtur afferre etiam rationes ex iure naturali depromptas.

2. Necessitates scholarum catholicarum in India: *a*) Sicut in ceteris terris missionum, ita et in India, ad occurrendum inopiae magistrorum laicorum catholicorum, plures sacerdotes in scholis versantur. Et ideo, deminuto numero eorum qui alioquin possent in vinea Domini laborare, opus apostolicum evangelizationis, quod est primarium in missionibus, detrimentum patitur. Huic rei levamen afferre poterunt « Congregationes Fratrum docentium », qui istis sacerdotibus in scholas succederent.

b) Crescente in dies Industria in India, magis magisque formantur novae catholicorum communitates in regionibus industrialibus, ubi perpaucae tantummodo sunt scholae catholicae. Nodosum existit problema eo quod ex una parte hi operarii catholici, plerumque tenuia salaria percipientes, scholas sustentare non valent; et ex alia parte, dioecesis, saepesaepius angustiis aerariis detentus, ad novas condendas scholas opes sufficientes non habet.

c) Crescere videtur periculum monopolii scholarum. Hic et illic in India fiunt ex parte auctoritatis civilis tentamina subtilia ad capessendas scholas: iam in uno Statu, totam educationem primariam, et in alio partem educationis secundariae sibi arripuerunt. Si non processum sit ulterius et universalius, ratio est quod copiam argentariam non habent. Sed propensio ad monopolium et nationalizationem scholarum adhuc exstat.

---

* Cf. nota pag. 984.

80

CONFERENTIA EPISCOPORUM IAPONIAE

1.* Omnino opportunum videtur ut in exponenda doctrina de scholis catholicis, praeter argumenta ex divina revelatione, afferantur etiam rationes ex iure naturali depromptae. Nam in natione non-christiana, ut est Iaponia, in qua tot scholae catholicae existunt magnaque aestimatione fruuntur, imprimis arguendum est rationibus ex iure naturali desumptis, quas nempe etiam non-christiani intelligunt et admittunt; rationes vero ex divina revelatione haustae veram efficaciam habent solum apud christianos, qui in tota natione non sunt nisi parva minoritas.

2. Praecipuae necessitates scholarum catholicarum in Iaponia expositae sunt in relatione a Comitatu Nationali pro Educatione catholica anno 1963 confecta; cuius exemplar separatim simul mittitur.

Quaedam emendationes circa schema de scholis catholicis et schema sacrorum alumnis formandis in foliis separatis proponuntur.

In pag. 8, linn. 37-38: loco « in primis autem respectu habito ad missiones et ad Ecclesiae Orientalis territoria », dicatur: « peculiari ratione habita et territoriorum Ecclesiae Orientalis et terrarum missionis ». *Ratio*: ordo in schemate offendere potest Orientales.

In pag. 10, n. 9, in quo agitur de libertate scholae, quaedam addenda sunt de iure Status efficaciter providendi, ut omnes scholae impleant certas condiciones quas bonum commune postulat. Additio fiat in fine huius paragraphi, a lin. 28, sequenti modo: « Manet tamen apud auctoritatem publicam ius et officium invigilandi et curandi, ut in omnibus scholis iuventuti illa formatio praebeatur, quae cum bono communi societatis in nostra aetate vere congruat, seu curandi « ut cives omnes cum civilia et nationalia iura perdiscant, tum scientia, doctrina morum physicisque ludis instructi sint quantum decet atque hisce nostris temporibus commune bonum reapse postulat » (Pius XI, Enc. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.*, 22, p. 63, 6). *Rationes*: 1. Hoc ius et officium Status agnovit Pius XI in Encyclica citata et si de eo nulla mentio fit, expositio schematis manet manca et apparet unilateralis. 2. De facto auctoritas publica hoc officium ubique exercet, etiam in nationibus in quibus scholae ab Ecclesia et a privatis fundatae et directae magno numero existunt et prospere progrediuntur, ut hic in Iaponia.

In pag. 15, 16, n. 26, quae dicuntur de activitate catholicorum in Universitatibus civilibus, magis elaboranda ampliusque illustranda videntur, quia in multis nationibus, ut etiam in Iaponia, celebres Universitates civiles sunt « in possessione ».

81

CONFERENTIA EPISCOPORUM AUSTRALIAE

1. *Totum schema* nimis prolixum est, immo multa continet quae iam in litteris encyclicis *Divini Illius Magistri* habentur. Totum schema, sectione secunda excepta, sine ulla difficultate unum caput constituere potest et hac in forma uti novum caput schemati *de cura animarum* addi potest.

---

* Cf. nota pag. 984.

2. *Auctoritas loci Ordinarii* relate ad illas scholas quae in religiosorum dominio sunt praecise est determinanda; exempli gratia, de gradibus ad educationem pertinentibus, de instructione religiosa, de schola claudenda vel transferenda nonnisi cum Ordinarii loci consensu.

3. *Definitio scholae vere catholicae* nimis rigida apparet, ideoque ad Australiam non pertinet.

4. *Finis scholae vere catholicae* explicite asserenda est, scil. alumnos imbuere spiritu christiano qui etiam spiritus apostolicus apparet. Talis est finis scholae catholicae tum quia cum ipsa Ecclesiae natura consonat tum quia spiritus vere christianus simul et apostolicus hodie ad fidem catholicam in mundo firmandam omnino requiritur, et tandem quia oportet alumnos qui educatione catholica in ipsis scholis catholicis fruuntur apostolos apud condiscipulos esse, eo quod omnes liberos catholicos in scholis vere catholicis accommodare nimis difficile est. Insuper, ipse scholae catholicae qualitatibus distinguenda est.

*In specie quaeritur.** 1. Utrum in exponenda doctrina de scholis catholicis, praeter argumenta ex divina revelatione, opportunum videatur afferre etiam rationes ex iure naturali depromptas?

Affirmative, tamen hac cum modificatione: Non solum rationes ex iure naturali qua tali depromptae, sed etiam explicationes quae rationibus vere rationalibus innituntur, tradendae sunt.

2. Quaenam sint praecipuae necessitates scholarum catholicarum in propria regione, etiam quoad relationes ad statum vel auctoritatem civilem in genere?

Praecipua scholarum catholicarum nostra in regione necessitas est exigentia subsidium ab aerario publico recipiendi (cf. decretum 10 in schemate *de scholis catholicis*). Subsidii de quo agitur triplex est finis: *a*) Media apta omnibus alumnis catholicis in scholis catholicis praebere; *b*) Magistros vere peritos in omnibus scholis catholicis praebere; *c*) Gradus optimos ad educationem pertinentes in omnibus scholis catholicis praebere et conservare.

Subsidium ab aerario publico finesque de quibus supra locum habent in Australia relate ad omnes scholas vere catholicas, tum inferiores tum superiores, sine ulla exceptione.

* * *

Ad prooemium. Nimis prolixum est. Ad art. II, n. 10, pag. 10. Valde laudatur, nam catholici et alii in pluribus nationibus ingentem iniustitiam in hac re patiuntur. Tamen loco verborum « ad cunctorum scholas sustentandas » melius esset dicere « ad omnes pueros in natione degentes educandos », ne adversarii retorqueant quod vectigalia exiguntur solummodo ad scholas *a gubernio* erectas sustentandas, ita ut illi parentes, qui his scholis uti nolunt, nullum ius habeant quidquid ab aerario recipiendi.

Ibid. n. 11, pag. 11. Definitio scholae vere catholicae nimis rigida apparet. In scholis catholicis apud nos vigentibus (quae quidem sunt gloria nostra) maxima pars docentium sunt religiosi et religiosae, cetera pars autem sunt optimi catholici in nostris institutis efformati. Scholae, pretio incredibilis sacrificii erectae, ad Ecclesiam totaliter pertinent, nihil ab aerario publico recepto. Instructio religiosa

---

* Cf. nota pag. 984.

sive a sacerdotibus sive a religiosis quotidie impertitur et, cum scholae ecclesiis paroecialibus immediate iuxtaponantur, optimae habentur conditiones ad vitam religiosam sub omni aspectu fovendam.

Ex altera parte autem, necesse est ut in disciplinis profanis alumni « studiorum rationem » (i. e. curriculum studiorum) sequantur quae a Re Publica statuitur, ut ingressus ad universitates alumnis nostris pateat, vel ut alias scholas altiores (e. g. technicas) ingrediantur; nam ii soli qui pericula a statu praescripta feliciter superaverint ad universitates etc. admittuntur. Insuper *aliquando* necesse est ut alumni nostri unum vel alium textum a statu praescriptum adhibeant. Si autem aliquid minus rectum in talibus textibus inveniatur, a magistris nostris sedulo corrigitur, ita ut « omnia, in quibus alumnus versatur, christiano spiritu sint imbuta ».

Iamvero magno scandalo foret si quis diceret scholas nostras non esse « scholas vere catholicas ». Et tamen non adamussim quadrant cum definitione in schemate proposita. Proponimus igitur quod res latius investigetur ut definitio quae realismum magis sapiat tradatur.

Ibid. n. 14, pag. 11. Nonne opportunum et iustum esset aliquid dicere in laudem et ad hortamentum monialium et fratrum religiosorum qui totam vitam in scholis catholicis impendunt?

Ad art. III, n. 18, pag. 13, linn. 1-3, scil.: « Inter omnes scholas catholicas Ecclesia particulari cura prosequitur universitates studiorum ».

Nescio utrum verum sit quod *ipsa Ecclesia* universitates studiorum *prae omnibus aliis scholis peculiariter colat.* Si verum sit quod in nonnullis locis *viri ecclesiastici* (non ipsa Ecclesia) sic procedant, scholis catholicis pro pueris ab anno quinto aetatis usque ad annum duodevigesimum aetatis neglectis, procul dubio habetur una valida explicatio istius lamentabilis lapsus a fide catholica ex parte massae civium, et praesertim operariorum et opificum, in istis regionibus. Habetur quoque valida explicatio facti quod solummodo minima pars eorum qui cursum in universitatibus catholicis superaverunt, educatione vere catholica in iuventute neglecta, revera fortes in fide catholica sunt atque ad apostolatum dicati.

E contra, in regionibus in quibus episcopi strenue dimicant pro systemate comprehensivo scholarum catholicarum, in quibus iuvenes usque ad annum duodevigesimum sedulo instruuntur, maxima pars alumnorum boni catholici manent. Deinde in his regionibus episcopi eos, qui universitates publicas ingrediuntur, minime negligunt; e contra, valde solliciti sunt de eorum vita spirituali et religiosa, nam ecclesiam in ipsis universitatibus serunt, et ecclesiis veluti paroecialibus ibi instructis, et centris catholicis stabilitis, et sacerdotibus idoneis tamquam cappellanis tum pro omnibus alumnis catholicis tum pro singulis in singulis facultatibus delegatis.

Evidens omnino apparet quod si iuvenis non bene efformetur in fide catholica usque ad annum duodevigesimum, nulla universitas quantumvis catholica eum postea efformabit. E contrario, si iuvenis usque ad eam aetatem diligenter educetur, maxima spes est fore ut fidem catholicam semper servet, vel saltem non definitive reiiciat.

Emphasis igitur in textu schematis male omnino ponitur, praesertim cum relative parva pars iuvenum universitates, sive catholicas sive publicas de facto frequentet. Ut aequilibrium ad textum restauretur, insistendum est in scholis catholicis pro pueris et iuvenibus usque ad annum decimum et septimum vel duodevigesimum, haud neglectis alumnis qui cursus universitarios aggrediuntur, sive universitatibus catholicis constructis, ubi hoc fieri possit, sive aliis mediis supra indicatis.

Ibid. n. 18, lin. 9. Tollatur, quaeso, maiusculum V a vocabulo « verbum ». Nimis fuit confusio de hac re in disceptationibus « De fontibus revelationis ». Maiusculum V retineatur pro Secunda Persona SS. Trinitatis; minusculum v adhibeatur pro verbo Dei revelato.

Ibid. n. 19, pag. 13, lin. 21. Post verbum « habeantur » inserantur haec verba: « quantum fieri possit ».

Ibid. linn. 21-24, scil.: « quae grave munus ... auxilio adiuvabitur ». Tollantur haec verba, nam ad Concilium Oecumenicum, cuius decreta maxima difficultate postea mutari possint, non pertinet huiusmodi negotia solemniter decernere. Haec res ad Summum Pontificem pertinet, nec iustum esset quod aliquod dicasterium posset ad Concilium Oecumenicum appellare contra voluntatem Summi Pontificis, cuius solius est decernere quaenam negotia ad hoc vel illud dicasterium mandentur.

Aliquibus appareret quod dicasterium in textu nominatum stabilitatem vi Concilii Oecumenici quaereret.

Ibid. n. 21, pag. 14, lin. 23. Post verbum « saecularium », addantur haec verba, « ubi pro posse stabiliuntur » ita ut totus textus sic sonet: « Universitates et facultates catholicae studiorum saecularium, ubi pro posse stabiliuntur, maxima quoque excolantur cura ... » etc.

Ad Appendicem II, pag. 21, n. 1. Salva reverentia, fere absurdum est modo decretorio hoc statuere ex vi Concilii Oecumenici. Evidens est omnino quod universitates et facultates catholicae sive studiorum ecclesiasticorum sive saecularium prorsus non possint haberi *in omnibus orbis terrarum partibus*. Nec hic idealismus, qui conditiones concretas in variis regionibus parvipendet, si ultra limites urgeatur, bonum Ecclesiae vere promovet; nam possit producere seriem universitatum et facultatum gradu valde inferiori universitatibus et facultatibus publicis, sicut hodie non raro accidit in aliquibus regionibus, ita ut istae universitates et facultates catholicae contemnantur. In hac re oportet sapere ad sobrietatem. Nulla enim est natio in qua episcopi non velint universitatem catholicam constituere tamquam coronam systematis educationis catholicae; sed in pluribus regionibus plane deficiunt opes et pecuniae ad universitatem vere dignam stabiliendam.

Igitur exspectandum est donec Ecclesia in istis regionibus adeo evoluta sit ut tam magnum opus catholici aggredi possint.

82

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Quamquam in multis laudandum, tamen schema de scholis catholicis tum in titulo quam in explanatione, nimis superficiale videtur.

De titulo. Schema de scholis, educationem scientiae postponere videtur, et saltem tantum de educatione *in* scholis agere deberet, sed hic etiam de educatione utpote officium principale *parentum* agit. Quare titulus esset magis harmonice constructus si habuisset de educatione catholica (et de Scholis Catholicis).

Prooemium. N. 1, pag. 7, linn. 10-15. Textus « Euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.*) et « Praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc.*) omnino non haberi possunt utpote « fundamentum » quo Ecclesia dicatur « partes habere » debere in imagine tam vasta et solemni, orbem terrarum complectenti, quae datur in alinea prima.

Textus *omnia instaurare in Christo* (*Phil.* 4, 8) hic magis conveniret.

Dein involvatur quodnam sit momentum formationis profanae christianum.

N. 2, pag. 7, linn. 16-26. Expositio non satisfacit. Non enim apparet relatio inter formationem profanam et christianam.

Forsan melius dicitur (17) « educatio qua pueri, *in hac ordine a Christo redempta,* ad absolutam personae humanae formationem assequendam iuvantur ».

Et (20) « Qua homines et christianos formet »: Quare non dicitur ad evitandam vetustissimam istam fissuram: *Qua homines christianos formet?* Ideoque etiam dicendum sub (24): « sed humanam *completam,* i. e. christianam perfectionem intendens ».

N. 3, pag. 7, lin. 28. « In naturali educandi officio iuvandos »: verbum « naturali » forte melius omitti potest, cum ius naturale parentum infra iam explicite determinetur, dum — si non explicatur — nimis materialiter intelligi potest. Ergo: « *in educandi* officio iuvandos ».

N. 3, pag. 8, linn. 1-7. Ecclesia abstineat a laudatione sui.

N. 5, pag. 8, linn. 27 ss. Verba paulo sincera. In hoc enim decreto Ecclesia non stat media inter homines, nec iis offert experientiam suam. Nam monologice loquitur, agit de scholis catholicis solis, non ostendit se aliquid ex experientiis humanis discere posse.

Cap. I. N. 6. Novo modo componatur. Iuvare possunt dicta de fine educationis in pag. 10, lin. 8.

N. 6, pag. 8, lin. 32. Educatio « perfecta et absoluta sit oportet » (cf. n. 2, pag. 7, lin. 17). Verba ambigua, et in sensu obvio, absurda.

N. 6, pag. 8, linn. 35 s. Aspectus educationis exhaustive enumerari nequeunt. Statim apparet deesse e. g. aspectum civilem, culturalem, oeconomicum. Dicetur ergo: « ius habent ad illam educationem integralem *quae includit tam diversos aspectus utpote*: physicam, intellectualem ... ».

N. 6, pag. 9, lin. 2. Numquid sincere dici potest, Ecclesiam hoc ius semper vindicasse?

N. 7, pag. 9, linn. 5-33. Res magni momenti et difficilis, modo insufficienti evolvitur. Ordo hic adhibitus (Familia, Respublica, Ecclesia) alibi invertitur (pag. 29, lin. 7). Paragraphus tota, sicut reliqua multa in hoc schemate, nititur in positione problematis erronea, quae simpliciter contradistinguit familiam ab Ecclesia et republica. Quasi familia non intrinsece sit cellula Ecclesiae et reipublicae.

Rationabilius videtur Ecclesiae locum secundum dare, et quidem quia status, et iura naturalia parentum et iura divina Ecclesiae tueri debet.

Appendix III sub 3 etiam eundem ordinem habet.

Cap. II. N. 8, pag. 10, linn. 1-10. Hic non indicatur finis specificus scholae. Iuxtaponuntur cognitio communicanda et educatio impertienda, quin indicetur mutua harum rerum habitudo.

Quae habentur linn. 7 ss. sunt ita generalia, ut potius constituant finem vitae, quam finis educationis vel scholae.

N. 9, pag. 10, linn. 11-18. Libertas scholae catholicae iuste statuitur quoad erectionem et generis electionem scholae. Addi deberet: quoad scholae moderamen, magistrorum nominationem, discipulorum et instrumentorum electionem.

Ab altera parte Respublica positive ius habere videtur, ut quoad programma, qualitatem etc. quaedam statuat. Quapropter sententia negativa (pag. 10, lin. 14: « dummodo in boni communis detrimentum ne vertat ») non satisfacit.

N. 9, pag. 10, lin. 24. « Scholae monopolium reprobatur ». Explicetur tali modo ne, in certis regionibus ubi tamen monopolium habetur, homines politici catholici in casum perplexum detrudantur. Potestne e. g. homo catholicus iusiurandum praestare erga constitutionem reipublicae, in qua hoc monopolium tenetur?

N. 10, pag. 10, lin. 35. Addatur, hoc subsidium eo aequius concedi, quo numerus alumnorum ostendit quam multi parentes haec (tributa) fovent, et bonum studiorum successus probat quam iuste hisce scholis confidant.

N. 12, pag. 11, linn. 12-18. Dubium est, an hoc in hodiernis adiunctis possibile sit.

N. 13, pag. 11, linn. 21-28. Schola catholica « eo magis urget, *quo scholae indoles est magis educativa* ». Quare alio modo urget pro scholis primariis quam pro universitate, etc. Commendatio scholae catholicae pendet e circumstantiis localibus, et etiam ex indole alumnorum. Ergo quae dicuntur de institutione professionali et technica, immediate post « foveantur » locare velimus, deinde variationem uti supra indicatum est.

N. 14, pag. 12, lin. 1. Non soli magistri debent se perficere, sed etiam auctoritates competentes debent iis ad hoc facultatem praebere.

N. 15, pag. 12, lin. 6. Gravis obligatio moralis mittendi pueros ad scholam catholicam non directe constat. Habetur quidem gravis obligatio impertiendae *educationis catholicae.* Sed educatio catholica non est identica cum schola catholica. Maior ergo est obligatio, quo schola est magis educativa, et quo minor est opportunitas educationis catholicae aliis mediis procurandae.

Caveatur insuper, ne parentes existiment se satisfacere obligationi educationis impertiendae, dum filios ad scholam catholicam mittunt.

Art. 15-16 melius coniunguntur cum art. 9, et ponantur tamquam introductio ad cap. II B.

N. 16, pag. 12, lin. 12. Communitas igitur christiana persuasionem habere debet de iure erigendarum scholarum catholicarum, simul ac de libera scholae electione parentum; et intelligere debet quam eminens auxilium institutio catholica sit ad adiuvandos parentes in implendo suo officio educationis catholicae; et quae mens catholica et apostolica speretur in puero, qui scholam non catholicam ingressus est. Porro communitas christiana omnibus modis conabitur, ut hae ideae introducantur in societatem ad quam pertinet, et pro posse ad realisationem illius perfectionis contribuet.

Cap. III. N. 18, pag. 13, lin. 2. Statuitur Ecclesiam « particulari cura » prosequi Universitas. Ratio tamen non bene indicatur: collaborare in aperienda veritate — partes habere in campo scientifico. Munus universitatis catholicae non iam est institutionem et educationem praebere, sicuti fit in variis typis scholarum primariarum: etenim necessitas vel possibilitas educationis magis magisque recessit cum alumni aetate magis provehantur et modo determinato sint educati.

N. 19, pag. 13, linn. 19-20. Quaeri tamen debet, utrum pro adiunctis concretis magis opportunum sit erigere universitatem catholicam, an adesse professores in universitate neutrali. Saepe enim utrumque simul fieri non poterit.

N. 19, pag. 13, lin. 22. Iustae scholarum libertati non congruit, quod universitates simpliciter subsunt moderamini Congregationis Romanae, etiam reformatae. Confer dicta de scholis catholicis ab ipsis fidelibus conditis et moderatis (n. 11, pag. 11, lin. 10).

N. 20, pag. 14, lin. 16. Iustae scientiarum libertati non congruit, quod scien-

tiae philosophica ac theologica ad rationem S. Thomae tractari praescribuntur. Scientia enim regitur normis obiecti sui, non auctoritate extranea.

N. 21, pag. 14, lin. 30. Quomodo intelligere possumus quod statuitur: « Ideo ... facultas theologiae aut peculiare institutum, quod totius universitatis veluti centrum sit ». Nonne hoc est pura recordatio temporis praeteriti? Quomodo in concreto fiet, ut studium theologicum sit centrum?

N. 23, pag. 15, lin. 4. Sententia ambigua. Estne mens, ut clerici non incumbant nisi scientiis ecclesiasticis, an ut scientias etiam profanas colant in solis universitatibus catholicis? Quare agitur de solis Ordinariis *loci?*

N. 25, pag. 15, linn. 25 ss. De cura pastorali studentium, immo et professorum, apud universitates (etiam catholicas) latius et modo magis positivo agatur. Ne negligatur munus missionale erga non-catholicos.

Centra-studentium et hospita-studentium, tum si agatur de institutione vel universitate catholica tum de non catholica, habent functionem propriam, quae in schemate negligitur. Influxus per hospitium studentium maximus esse potest. Influxus directus per professores catholicos quidem expresse nominatur in n. 26.

Instructio I. Per totum textum Ecclesia videtur identificari cum hierarchia, quasi parentes non sint Ecclesia.

Pag. 19, lin. 27. Concordata ne nimis laudentur. Ius scholarum catholicarum saepe melius fundatur in iure civium democratico, quam in conventionibus inter S. Sedem et Gubernium.

Pag. 20, linn. 13 ss. Timendum ne ridiculo se exponit Ecclesia, quae classificare conatur.

Instructio II. N. 1, pag. 21, linn. 9 ss. Vide dictum ad pag. 13, lin. 22.

N. 14, pag. 24, lin. 29. Vide dicta ad pag. 14, linn. 15 s.

Instructio III. Nn. 2-4. Vitetur disiunctio inter familiam et Ecclesiam.

B – ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

CIRCA SCHEMA PROPOSITIONUM DE SCHOLIS CATHOLICIS

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Pluribus in nationibus, propter rationes historicas, sociologicas necnon politicas, aliqua mentio dandi pecunias ex aerario publico pro scholis catholicis potest gignere contentiones et altercationes. Praeterea, secundum legem fundamentalem seu constitutionalem aliquarum nationum scholae religiosae ut sic nullum habent ius ad oeconomica subsidia recipienda.

Intentio directa schematis est ad iura puerorum et eorum parentum affirmanda, non necessarie ad pecunias ex aerario publico pro ipsis scholis religiosis petenda. Hac de causa propono emendationem sequentem n. 6 schematis. « Iura parentum, iustitia distributiva et ipsum bonum societatis postulant ut communitatis pecunia

eiusque media vel subsidia ad scholarum sustentationem destinata », ad omnes pueros in natione degentes educandos erogari debent, et quidem absque ulla personarum acceptione vel discrimine, quamdiu pueri adsint in scholis quae bono communi nocivae non sint.

Propono hanc emendationum verbalem ut intentio Concilii clarius appareat; ideoque spero ut inutiles lites de verbis schematis in futuro vitentur.

2

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Optandum forte ut duplex elementum educationis, instructio et educatio, adhuc clarius appareat.

3

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 6, lin. 5. Adderem: « *tum seligendi* ».

Pag. 6, lin. 14. Dicerem: « quae *morali ordini et* bono communi nocivae non sint », prout habetur supra, in lin. 6.

Pag. 7, lin. 22. Dicerem: « cuius magister *inter ceteros eximius* exstitit S. Thomas », ne videatur S. Thomas unicus magister.

Pag. 9, lin. 25 loco «exoptat ut », dicerem: « *mandat* ut ».

4

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Forsan meminisse oporteret vel saltem iuvaret, pag. 5, lin. 13, vel pag. 7, n. 11, quod tempore Medii Aevi Ecclesia universitates fundavit.

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

I. *Generalis approbatio.* Mihi placet. Permulta bona, imo eximia, hoc in schemate.

Optimum enim a generalioribus de educatione considerationibus ad problemata circa scholam in generali et praecipue catholicam investiganda descendere. Sic enim tum absolutam sive Ecclesiae sive familiarum obligationem ut cuivis baptizato educatio offeratur christiana stabiliri permittitur, tum relativam eisdem, facultatibus circumstantiisve variis perspectis, ut, mediante schola catholica, educatio illa praebeatur.

Patentibus ad orbem universum aditibus, schemate, educationis ideoque scholae scopus ponitur (cf. pag. 5, linn. 7-9); quomodo enim personae humanae facultates omnes, societas ipsa evolvantur quaeritur sicut et quibus mediis ab homine, omnia quae ad illius usum, a Deo donata sunt, cognoscantur. Quibus positis, quae sit et ad quem tendat finem educatio christiana facile ostenditur.

Propositionum summa ad essentialia properare videtur.

Art. autem 9, multum legislationi can. 1374 derogatur; quod quidem hodiernis circumstantiis aptari videtur; in regione enim, velut in Gallia, actualis legislatio nec viva nec vitalis.

II. *Animadversiones circa ea quae iuxta modum placent.* 1. Ad n. 5. Eodem in gradu iura tum familiarum vel Ecclesiae ad scholas instituendas vel dirigendas tum privatarum societatum aut individuorum non sunt ponenda: sic enim vires enervantur argumenti; pressius ideo exponatur doctrina. Logice autem ante lin. 5, ponendae linn. 17-19.

2. Ad n. 6. Iustum omnino principium allegatum sed minus clare enuntiatum (cf. quae in art. 8, pag. 22 exactius proponuntur). Distributio iusta quidem sed non necessario aequalis inter varias scholas est facienda. Immo facienda annon subministratio scholis quarum institutio nullo modo ad bonum inserviant commune — velut ad coetus cuiusdam vel officinae administratoris commodum tantum — quaeritur.

Criterium ideo est recognoscendum, quod proponitur: « Omnes scholae quae bono communi nocivae non sint ... » melius dicam: « Scholas varias ad subsidia ius habere in quantum bono inserviant communi ».

3. Sive inter primas quae principia exponunt propositiones, sive in conclusione — ad n. 17 — exponendum quantae sit dignitatis educatoris cuiuslibet qualibet in schola doceat, officium (cf. Alloc. a Pio XII ad unionem catholicam publicarum Galliae scholarum die 26 mart. 1951: *A.A.S.,* 1951, pag. 209) de catholici magistri apostolatu in publica schola, etiam laicitate quae in Gallia viget grassante. Alluditur magistrorum catholicorum in acatholicis universitatibus locus (n. 14) sed nihil de eorumdem in scholis mediis vel primarii gradus praesentia. De discipulis scholarum acatholicarum in n. 10.

4. Ad nn. 8-9. Inaequalitas magna inter ea quae his in numeris de scholis in genere et ea quae de universitatibus in nn. 11-16. Sed essentialia mihi videntur dicta.

5. N. 8, lin. 32. Loco « distinguitur » potius « se distinguere debet » dicatur. Quo fidelius christianum suum schola catholica adimplet officium, eo verius suum meretur nomen.

6. N. 15, linn. 31-34. Breviores aequo indicationes: fusiores exoptantur affirmationes de sacrarum scientiarum promotione eodem in sensu ac in schemate *de institutione sacerdotali* ad studia ecclesiastica recognoscenda.

7. N. 17, lin. 12 vel 17. Bonum, paucis exprimere verbis, quantum gaudium Ecclesiae afferunt progressus, nostris diebus, circa scholarum institutionem atque culturae pervulgationem: signum est aetatis nostrae.

6

EXC.MUS P. D. EDUARDUS HOWARD

Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

Prooemium, nn. 5 e 6: Non sarebbe opportuno citare le parole di Papa Pio IX, nella lettera enciclica *Rappresentanti in terra,* qui acclusa, specialmente riguardante la *giustizia distributiva?* Qui negli Stati Uniti molte persone assennate sono convinte che, data la necessità di impiegare sempre più maestri e maestre laiche, con relativo stipendio di almeno $5,000.00 (cinquemila) all'anno, non potremo a lunga andata continuare le nostre scuole cattoliche senza aiuto del pubblico erario.

7

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S.I.

Multi, ni fallor, dolebunt hoc schema, praeter pauca generaliora, de facto non agere nisi de Universitatibus. Innumeri qui desudant per orbem in scholis primariis et secundariis, saltem aliquid magis explicite dictum exspectant.

Nec aperte obviam it schema praeiudiciis hodie a non paucis in publicum sparsis, Ecclesiam desinere debere a scholis promovendis, et hanc curam relinquere debere Statui; tempus esse ut sacerdotes, religiosi, religiosae locum cedant laicis, quorum est profanas disciplinas docere.

Pag. 8, linn. 1 et 2: nimium videtur optare ut in omnibus Universitatibus catholicis per se habeatur Facultas S. Theologiae. Multae Universitates catholicae existunt in gratiam laicorum; in iis utique habeantur cathedrae de altiore studio Religionis. Hoc tamen ne enuntietur per « aut *saltem* »; perinde ac si Universitates illae forent secundi tantum ordinis. Ceterum multiplicatio Facultatum Theologiae non est optanda, quia pari passu incederet cum minore praestantia talium Facultatum.

Prudentius duxerim ut Concilium omittat pag. 9, n. 16: minime enim constat hoc fore in incrementum, et non in detrimentum altiorum studiorum ecclesiasticorum. Experientia docebit. Quantum hucusque videre potui, affiliatione tali minuitur auctoritas Universitatis affiliantis, non augetur praestantia studiorum Instituti affiliati.

8

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. L'on voudrait, dans ce Schema, un langage plus pastoral, plus religieux, moins juridique. La forme employée est, en effet, trop sèche: l'Eglise en sort comme une *entreprise* d'enseignement.

2. L'on désirerait avoir une définition de l'école catholique et de la formation catholique. Il est étrange que, dans tout ce Schema qui traite des écoles catholiques,

le nom du Christ ne soit prononcé aucune fois. C'est à peine si nous le trouvons dans un mot composé: *Christifideles* (p. 8, ligne 19). L'on parle bien de Dieu. Mais c'est là une manière trop abstraite de parler. L'étudiant catholique ne doit-il pas reproduire le Christ et en être l'image (cf. Encyclique de Pie XI sur la formation de la jeunesse).

3. Il serait souhaitable, en parlant d'une faculté de théologie ou d'une chaire de théologie qui devraient être comme le centre des Universités catholiques (p. 8, lignes 1-4), d'ajouter que tous les candidats n'assisteraient pas seulement aux Cours de théologie adaptés à leurs besoins, pour confronter leur science avec la doctrine chrétienne, mais qu'ils auraient à posséder l'un ou l'autre diplôme des disciplines enseignées. Ce ne serait évidemment que pour l'élite, et de certains pays. C'est là, je le comprends bien, un idéal.

Ce que nous souhaiterions aujourd'hui, en effet, c'est que nos étudiants possèdent bien leur catéchisme, obéissent à Dieu et observent ses commandements.

4. Je voudrais reprendre ici ce que j'ai dit dans mes remarques du mois d'août 1963: « Les Eglises Orientales devraient, me semble-t-il, être dotées d'une Université aux horizons larges, et dont l'orientation fût, d'une manière précise, l'Œcuménisme. Les problèmes des Pays d'Orient se ressemblent, sans se recouvrir complètement, il est vrai. Mais l'existence d'une Université où la spécialisation est concrètement finalisée sur les perspectives orientales, pourrait rendre de signalés services à l'Eglise et lui fournir ce qu'ailleurs elle ne peut obtenir au même point: nul n'est meilleur juge de l'Orient que ses propres enfants.

« Je viens de parler particulièrement de la Faculté de théologie de cette Université désirée. L'on ferait bien de créer différentes Facultés qui s'occuperaient, dans le sens de l'évolution des Pays d'Orient, des problèmes qui les caractériseraient sur les différents plans, religieux, interconfessionnel, social, politique, international, juridique, etc. La culture générale est excellente. Mais elle doit, pour être efficace, se doubler d'une culture et d'une spécialisation particulières ».

9

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN

Episcopus Dalatensis

De scholis catholicis in locis Missionum. « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant », ait Dominus. « Haec est vita aeterna ut cognoscant Te solum Deum et quem misisti, Iesum Christum ». Ecclesiae missio est Christum mundo annuntiare et in cordibus fidelium conservare.

Mihi videtur quod in schemate propositionum *de scholis catholicis,* magis attenditur ad scholas in regionibus iam evangelizatis et non satis in lucem ponitur quaestio de scholis in locis Missionum in quibus christifideles sunt tantum in minoritate.

I - *Facta.* Ad societatem promovendam, ad mundum profanum Deo consecrandum, ad Evangelium apud infideles propagandum, ad fidem in fidelibus conservandam, uno verbo ad omnia in Christo instauranda, in locis missionum, schola catholica est medium efficacissimum apostolatus. Etenim mediante schola christiana, multae familiae attingi possunt, quarum parentes, praesertim in Asia christianam

moralem doctrinam in honore habentes, filios suos scholis catholicis educandos committere praeferunt, maxime quando directores et magistri sunt sacerdotes et religiosi laici totaliter huic operi dediti et quarum filii, omni sub respectu educati, sive intellectuali, sive corporali, sive morali sive religioso, quasi in ambitu familiali, in diem crescere sese sentiunt sub paterna magistrorum vigilantia, in fraterna communione cum condiscipulis.

Praeter materias ab officiali programmate obligatas, religiosa instructio non negligitur. Talis tamen instructio traditur diversimode iuxta conditiones psychologico-politicas cuiusque regionis.

a) In regionibus ubi doctrina moralis christiana magni aestimatur et parentes minime timent quin eorum filii sint in religione catholica instructi, sicut in Vietnam, catechismus omnibus alumnis explicatur, modo quidem summario pro non christianis, facta tamen libertate pro iis qui ad eam lectionem venire nolint vel quorum parentes hoc renuant.

Notandum est quod in aliquibus casibus, alumni non christiani protestati sunt contra discriminationem in hac materia inter catholicos et non catholicos atque saepe saepius non-christiani primum praemium tulerunt in instructione religiosa.

Praeterea cultus liturgicus bene exercitus cui libenter assistunt cum suis parentibus, non parvum influxum beneficum in eis producit.

b) Ubi tamen adest religio nationalis alia quam christiana ac simul agnoscitur libertas religiosa, in nostris scholis, datur instructio religiosa pro catholicis obligatoria, sed pro aliis omnino facultativa, non desunt non christiani qui libenter ei assistant, sive propter sympathiam sive propter curiositatem, sive propter religiosum sensum. Ad hanc bonam dispositionem illustrandam, praesto sit exemplum nuper datum Bangkok, Thailandiae: candidatus quidam ad lauream, buddhista religione, ab examinatore interrogatus in qua schola humanitaria studia fecerit, respondit se fuisse in scholis Fratrum Sancti Gabrielis, ibi tamen non frequentasse instructionem religiosam catholicam, « Stultus fuisti, ait examinator, quia bonam occasionem cognoscendi christianismum nactus eam non arripuisti ».

Porro in hac materia distribuenda, doctrina catholica non christianis praesentatur non ut dogma accipiendum sed ut fundamentum vitae moralis ac obiectum utilis cognitionis.

c) Quando vero politica conditio non sinit, iam non traditur doctrina christiana sed vitae moralis regula principiis christianis inspirata in materia civica et sociali. Omnibus in circumstantiis, educatio christiana in nostris scholis distributa bonis exemplis in abnegationis spiritu magistrorum maxime religiosorum fulcita, semper magni aestimatur ac profundam bonamque impressionem in alumnis producit.

II. *Effectus*. *a*) Iuvenes hodierni ad veritatem anhelantes, gustum de re religiosa omnino non amittunt; exigunt tamen ut veritates praesertim religiosae, eis apto modo vivide praesententur. Quod in iuventute didiscunt, tenacius retinere solent.

Quotannis aliqui alumni adulti, cum parentum licentia, ad baptismum admittuntur; multi alii non baptizati facti sunt hominum piscatores ac baptizatores; fere omnes christianismum bene cognoscentes, erga Religionem sympathiam nutriunt et per totam vitam contra detractores eam defendunt.

b) Mediantibus filiis alumnis, faciliores et frequentiores contactus cum eorum parentibus ac amicis obtineri possunt.

c) Cum nostri ex-alumni in variis officiis tum publicis tum privatis inserviunt, doctrina socialis Ecclesiae iam antea in scholis discita et postea in colloquiis clarius exposita, efficacius in societate civili propagatur.

III. *Vota.* Quanta sit utilitas et efficacitas scholarum christianarum in locis missionum, nemo non videt. Ad Dei maiorem gloriam, ad animarum salutem, ad societatum promotionem optamus ut

1. in terris missionum, multiplicentur scholae catholicae gradus elementarii et secundarii;

2. in centris cuiusque regionis et nationis, condantur scholae normales ad bene formandos magistros authochtonos praesertim in materiis religiosa, paedagogica, sociali, historica et philosophica;

3. ad religionem docendam, optimi magistri deputentur contra ordinariam praxim qua instructio religiosa saepe committebatur magistris minus habentibus vel senio affectis;

4. experientia constat scholas directas a religiosis laicis docentibus magnam aestimationem apud gentes non christianas acquisisse. Sed proh dolor! Eorum vocationes religiosae in dies decrescunt. In Concilii schematibus nihil speciale de eis agitur.

Utinam in schematibus *de religiosis* et *de scholis catholicis,* specialis de eis mentio habeatur cum laude ac omine ut hae vocationes totaliter educationi iuventutis dicatae in dies multiplicentur.

10

Exc.mus P. D. IOLANTHUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

1. In prooemio appetendum est quod iura et officia ad scholas attinentia primo ab ipso iure naturali deriventur ut omnis fortuita efflagitatio « laicistica » eradicetur.

2. Desideratur etiam brevis sed clara officiorum expositio circa rationem ac necessitatem scholarum catholicarum in iis viris qui rem publicam regunt in civitate vel provincia vel regione vel statu.

Concilium principia vitae evangelicae praesertim iis qui reipublicae praesunt declarare debet.

Sanctitas vera non est tantum illa quae italice dicitur « verticale » quam illa quae italice dicitur « orizzontale ».

3. Post n. 3 desideratur affirmatum ius facultatis theologiae in omnibus universitatibus, necnon ius religiosae institutionis in omnis ordinis gradusque scholis.

Maxime in scholis catholicis studium mythologiae abolendum est.

11

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Maxime laudanda est clara et bene fundata adfirmatio libertatis condendi et regendi scholas et inalienabilis iuris, a natura parentibus dati, educandi filios seligendique ad hoc scholas et magistros, Communitatis aere interveniente.

Iuste maius videtur momentum datum universitatibus comparatione illius quod scholis primi et secundi gradus tribuitur. Hae scholae vero (primariae, secundariae et lycea) maximi sunt momenti pro institutione et educatione puerorum et iuvenum; atque de his fere nihil dicitur.

Ad n. 15, lin. 34, addatur verbum « sapienter »: auxiliis sapienter adhibitis.

Intentio et mens n. 16 melius exponantur ne reformatione studiorum Pii XI robur auferatur. Praeferendae sunt paucae sed scientia validae universitates multis mediocribus.

12

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Pag. 6, n. 4, linn. 3-4 loco: « cuius veluti centrum et anima est moralis et religiosa formatio », ponatur: « cuius veluti centrum est *catechesis* per tramitem totius educationis intellectualis et moralis tradita ». *Ratio*: in clariorem lucem ponatur ratio specifica necessitatis scholae catholicae quae praecise consistit in connexu institutionali catecheseos et educationis intellectualis et moralis.

Ibid., n. 5, lin. 11 in fine addatur: « cui sese opponendo, Ecclesia eodem nisu et fidem filiorum et libertatem omnium hominum tuetur ». *Ratio* pressius exprimatur ratio insistentiae Ecclesiae quae non solum in defensione libertatis insistit, et eodem motu libertas vindicari apparet ab Ecclesia pro omnibus hominibus.

Pag. 9, § 2, linn. 4-7: Instantissime rogatur ut in elaborandis normis de selectione et institutione iuvenum clericorum praeclari ingenii, cum conferentiis episcopalibus conferatur, quia duplex et momentosa quaestio, quae in discussionem in aula conciliari non veniet, hic includitur: scil. 1) de periculo gravi et reali praematurae specializationis horum iuvenum qui praescribuntur (Constit. *Deus Scientiarum*) mittendi iamiam obtento bacalaureatu civili in facultates theologicas 2) de damnosa absentia pro iisdem clericis formationis pastoralis, ut pro clericis seminariorum maiorum nunc praevidetur.

13

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI GALLIAE OCCIDENTALIS

Apostolicae Galliae Occidentalis regionis episcopi, postquam schema propositionum *de scholis catholicis* perspexerunt, eius principia, propositum, textumque comprobant.

Gaudent quod ius ad educationem affirmatur ut ex humanae personae dignitate ortum, quod iura obligationesque familiae et Ecclesiae necnon et societatis

civilis officia expresse commemorantur. Putant schema catholicarum scholarum et universitatum munera opportunissime definire easque ad perficiendum laborem utilissime hortari.

Attamen optant ut clarissime declaretur scholis catholicis homines formandos in primis qui virtute fidei praestent; quapropter petunt ut in fine § 8 (pag. 6, lin. 34) haec addantur: « Haec religiosa institutio ante omnia intendere debet ut in christiani iuvenis animo crescat illa fidei virtus quam in baptismo accepit. Quod consequitur schola christiana per educationem accommodatam quae discipulorum animi cordisque desideriorum rationem habet, per quemdam aerem spiritalem in quo adolescunt, perque magistrorum vitae exemplum ».

14

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE AEQUATORIALIS

In statu hodierno mundi, ex una parte necesse est missionem pastoralem scholae tueri et augere; ex altera parte praesentiam Ecclesiae, ut fermentum lucis et vitae, in quavis schola efficacem reddere.

Imprimis *titulus ipse* « de scholis catholicis » non placet; cui substituatur novus titulus: « De educatione christiana ». Haec innovatio non mere formalis esse, sed revera et substantiam totius schematis afficere debet, quia agendum est de orientatione ipsa totius materiae et de criteriis ipsis in hoc campo maximi momenti.

Ergo votum conferentiae nostrae est ut penitus reficiantur hae propositiones et quoad titulum et quoad materiam.

1. Post necessitatem scholarum catholicarum inculcetur necessitas praesentiae Ecclesiae in ambitibus culturae.

2. Nisus maior fiat pro scholis mediis et universitatibus.

3. Sed in omni casu serventur integre art. 13 et conclusio n. 17, qui sic sonant: « 13. Universitatum catholicarum aditus alumnis dotibus congruis praeditis facile pateat, iis imprimis qui maioris sunt spei, etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico excipiantur, qui aliis ex gentibus, praesertim ex novis nationibus veniunt; quibus etiam peculiaria subsidia praebeantur.

In universitatibus catholicis praeter accuratam in variis disciplinis institutionem alumnorum institutio religiosa, moralis et socialis diligenter curanda est; illae quaestiones investigentur, quae a cultura proprii temporis christiano homini proponuntur.

Episcoporum est spirituali studentium bono convenienter prospicere, centra universitaria ac hospitia instituendo; quae spiritualia subsidia peculiari cura, congruo ad hoc deputato numero sacerdotum ex utroque clero necnon laicorum, parentur etiam pro studentibus, qui universitates non catholicas frequentant ».

« 17. *Conclusio.* Sancta Synodus omnibus declarare vult sinceram suam voluntatem adiutricem praestandi operam in universo educationis et investigationis opere, ut uniuscuiusque populi filii educationem propriae indoli ac culturae patriisque traditionibus accommodatam recipiant, et ad altiorem veritatis naturalis et supernaturalis cognitionem perducantur.

Gratias deinde Ecclesia persolvit maximas iis magistris christianis, qui pro-

pria scientia et experientia auxilium praestant adolescentibus illarum nationum, quae nuper plenam potestatem suis legibus vivendi adeptae sunt.

Denique Sancta Oecumenica Synodus pondus educationis considerans et prae oculis habens hodiernum scholae momentum tum paedagogicum, sociale, morale ac religiosum, tum pastorale ac missionarium, atque, ad universitates quod attinet, etiam scientificum, exoptat ut etiam in Codice Iuris Canonici recognoscendo normae de scholis catholicis enucleatius tradantur ».

15

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Ad n. 6 (pag. 6, linn. 14-15) expressio « de scholis, quae nocivae non sint » vertatur positive, v. g. his verbis: « scholae, quae bono communi *quocumque modo inserviunt,* etc. ».

Ad n. 10 (de scholis non catholicis, pag. 7, linn. 11-14): textus complendus est ut sequitur: « Ecclesia ... propterea dilaudat auctoritates communitatesque civiles, quae ipsam in hoc munere adiuvant, sed etiam illos catholicos magistros et magistras, qui pro bono Ecclesiae in talibus scholis operam suam praestant ». *Ratio est*: quia alumnorum catholicorum maior pars, necessitate persaepe coacta, has scholas non catholicas frequentare debet.

[*Subsignaverunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis; Joseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solwenziensis; Jacobus Corbey, ep. Monzeensis; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis.

16

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Dum agnoscimus, quanti momenti fuerint et sint scholae catholicae in Ecclesiae ministerio, et quantum locum habeant scholarum problemata in mundo actuali, putamus hoc schema propositionum approbari non posse. Nam a scopo sibi proposito omnino deficit. Pollicetur nempe prooemium Synodum velle « in bonum totius humanae communitatis, quaedam universaliora principia, educationem et scholam respicientia » statuere; et in fine concludit eam velle declarare sinceram suam voluntatem adiutricem praestandi operam in universo educationis ac investigationis opere. Sed haec promissio in textu nullatenus realizatur.

Etenim principia non statuuntur nisi duo, scil. de fine scholarum et de libertate earum. Haec autem principia, quae longe absunt ut universum campum tangant, ipsa non sufficienter fundantur et elaborantur.

I. *De fine scholarum* (nn. 2-4). Statuitur finem scholarum imprimis reponendum esse in adaequata hominis educatione (n. 4, pag. 6, linn. 2 s.). Et ratio adducitur quod scholae sunt instrumentum et medium educationis. Sed ratio haec rem non

probat. Sequitur quidem quod finis ultimus scholarum integram educationem respicit, non vero quod finis *specificus* scholarum est illa integra educatio. Possunt enim haberi plura educationis media et instrumenta, quae se invicem complent, sed quorum singula solum quemdam aspectum educationis completae tamquam finem specificum habent.

Quapropter ut hoc principium fundamentale firmiter fundetur, oportet quaerere, quem locum specificum schola habeat in integro educationis processu, et quomodo inspiratio religiosa scholae ad educationem illam realizandam conferat.

Quia hoc principium praebet fundamentum alteri principio de libertate scholarum, per infirmam demonstrationem hoc etiam labefactatur.

II. *De libertate scholarum* (nn. 5-7). Schema merito postulat libertatem in scholis condendis et regendis (n. 5, pag. 6, lin. 5), ex iure parentum ac familiae ad liberos educandos profluentem. Sed hoc familiae ius non est illimitatum: nam sicut familia non est nisi intra societates maiores, Ecclesiae et Status, sic non agit nisi intra eas. Quapropter tum Ecclesia, tum Status iura habent quoad educationem, et etiam quoad scholas, quibus iura familiae limitantur. Ad haec iura exprimenda non sufficiunt formula « morali ordine communique omnium utilitate servatis » (pag. 6, linn. 5 s.), nec formula negativa « quae bono communi nocivae non sint » (pag. 6, linn. 14 s.). In patria nostra Indonesia vel etiam in Neerlandia lex amplissimam scholarum libertatem concedit, sed tamen multas conditiones apponit quoad programmata, quoad magistros publico examine probatos etc.

Tota res plena est, sicut quotidiana experientia monstrat, gravibus difficultatibus, quas nec egregii iuristae solvere valent. Si autem Concilium eam tractat, oportet ut veram lucem afferat.

In specie quoad subsidia ex aerario publico (n. 6) forte cautius sermo fit de aequitate quam de stricto iure.

His consideratis nn. 1-7 quales iacent videntur approbari non posse.

Quoad nn. 8-9 desideratur magis praecisa determinatio indolis scholarum catholicae. Nn. 11-16, paucis emendatis, approbari possunt. Sed dubitare licet, an materiam conciliarem constituant.

Particularia. Ad n. 1, pag. 5, lin. 7: Mira descriptio finis educationis: personae vires excoluntur, societas promovetur, rerum universitas perfectius cognoscitur. Rerum universitas non solum cognoscenda, sed etiam dominanda et arte technica utilizanda est; et haec omnia sunt explicatio ac realizatio personae et societatis, quae liberantur et sui consciae fiunt.

Pag. 5, linn. 15 s. Quaenam sunt illa universaliora principia?

Pag. 5, linn. 17 s. Non apparet quod schema hoc hominis « relationes ad familiam, societatem et Deum » clare perspectas habet.

Ad nn. 2-7: Omnia refundenda.

Ad n. 8, pag. 6, lin. 27: Dubium est, num in regionibus magis evolutis, schola constituat « veri nominis apostolatum ».

Pag. 8, lin. 30: Quid significat « evolutionem humanam cum perfectione christiana coniunctam? »

Pag. 8, lin. 33: Sapientia christiana non « communicatur » per scholam.

Desideratur in toto hoc numero, quod vult enuntiare « universaliora principia educationem et scholam respicientia », quod omnis educatio debet suscitare activitatem personalem alumnorum, et quod tanto melior est quanto magis hoc facit.

Ad n. 9, pag. 7, linn. 8-10: Parentes non possunt « magistris ... educationis opus » committere. Parentes et magistri certo cooperari debent, quoad educationem singulorum puerorum, sed ad hoc non multum iuvant « associationes et conventus ». Quapropter satis absurdum est loqui « de officio ... cum magistris ... sociam praestandi operam, ope associationum et conventuum favendam ».

Ad n. 10: Hic numerus opportunus est.

Ad n. 11, pag. 7, linn. 20 s.: Universitates hodiernae non solum cognitionem prosequuntur, sed artem quoque medicinalem, technicam etc.

Ad n. 12, pag. 7, linn. 34-36: Hoc praescriptum videtur nimis particulare.

Ad n. 13, pag. 8, linn. 5 ss.: Hic condemnatio expectatur segregationismi in scholis catholicis. Ceterum numerus bonus.

Ad n. 14: Gaudemus quod etiam respicitur labor catholicorum in scholis non catholicis. Eadem laudatio fieri deberet in n. 9.

Ad n. 15, pag. 8, lin. 35: Placet quod rationes studiorum habentur diversificatae.

Pag. 9, linn. 1-3: Hoc praescriptum, etsi iustum, non est materia conciliaris.

Pag. 9, linn. 4-7: Consideratis principiis, quae in De Istitutione Sacerdotali recte statuuntur de studiis ad pastoralem finem ordinandis et ad locos adaptandis, et de contactu cum familia et cum populo suo, consideratis etiam ceteris incommodis quae sequuntur ex praematura clericorum destinatione ad « altiora », non videtur convenire, ut clerici ante ordinationem ad universitates extraneas mittantur. Studia Romana potius destinentur sacerdotibus iam in sua dioecesi et regione formatis.

Ad n. 16, pag. 9, linn. 9 s.: Verba « quae particulari institutione praecellunt » sunt obscura.

Ad n. 17: Conclusio bona, sed contentum huius schematis tali conclusioni minime respondet.

III

DECRETUM DE MATRIMONII SACRAMENTO

[7]

SCHEMA DECRETI
DE MATRIMONII SACRAMENTO *

PROOEMIUM

1. Matrimonium est humanae consortionis principium et fundamentum. Christus Dominus illud ad verum et « magnum » (*Eph.* 5, 32) Novae Legis Sacramentum evexit, et ideo totam illius disciplinam et curam Ecclesiae Sponsae Suae commisit.

Quemadmodum autem Ecclesia casti connubii constitutionem in semper firmiorem disciplinam anteactis saeculis disposuit perfecitque, ita nunc etiam pro christiani populi necessitatibus, eam peculiaribus curis prosequi et accommodare exoptat.

Patres igitur Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani Secundi de momento huius gravis argumenti persuasi, animarum pastores denuo sollicitare contendunt, ut totis viribus in sanctificandis coniugiis incumbant.

Ad hoc autem consequendum, matrimonii institutionem in sua dignitate sacramentali et perpetua firmitate quibusdam novis praesidiis fulcire volunt, sive pastorale ministerium reddendo expeditius, sive eiusdem pericula remediis opportunis praecavendo.

Providae enim leges Ecclesiae non modo divinam christiani coniugii institutionem in sua integritate ac puritate custodiunt

---

* *In initio fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIX mensis Iulii, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

ac fovent, verum etiam christianarum nuptiarum sanctitatem [7] adversus quaelibet, nostri praesertim temporis, erronea principia hominumque libidinem ac pravos mores validissime communire satagunt.

Quo fiet, ut divinitus data veri matrimonii bona et gratia sacramentalis nuptiarum a Christo, venerabilium sacramentorum institutore et perfectore (cf. Conc. Trid., sess. XXIV, prooem.), promissa, ad coniuges ipsos uberiora dimanent, atque christiana vita familiae secundum divinum consilium sanctior et fidelior in dies consistat ac floreat, optatisque pace ac felicitate fruatur.

Caput I [8]

DE IMPEDIMENTIS AD MATRIMONIUM

2. [*Accommodatae disciplinae principium et ratio*]. Dignitati et sanctitati matrimonii consulunt impedimenta, quae vel ex lege naturali vel praesertim ex lege positiva ecclesiastica proveniunt, quaeque celebrationi quorumdam matrimoniorum ob circumstantias bono nuptiarum communiter contrarias, quovis tempore obstiterunt.

Synodus Tridentina, pro condicionibus rerum et personarum ea aetate vigentibus, totam disciplinam de matrimonii impedimentis ordinavit; quae decursu temporum aliquantum mutata est, praesertim per Codicem Iuris Canonici, in quo plura impedimenta ad simpliciorem formam redacta, quaedam etiam suppressa sunt.

Sacrosanctum autem Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum animum suum convertens ad hodiernos mores in vita sociali, aliqua matrimonii impedimenta, quae anteactis temporibus consona erant, hac aetate minus bono communi accommodata aestimavit.

Experientia docet matrimonia invalida, propter memoratam rerum hodiernarum condicionem, nunc esse numerosiora.

Quaedam enim impedimenta dirimentia difficilius deteguntur, sive quia minus attenduntur, sive quia leges ecclesiasticae et civiles diversa ratione impedimenta statuunt.

His aliisve de causis valde aucta sunt matrimonia putativa bona fide contracta, quae nulla evaserunt ob impedimenta non detecta, quaeque ideo gratia carent sacramentali neque spes est sanandi.

Bonum autem animarum postulat, ut provideatur ne matri-

[8] monium christianorum gratia sacramentali nimis frequenter sit destitutum.

Sacrosanctum autem hoc Oecumenicum Concilium ut legem ecclesiasticam novis huius temporis adiunctis adaequet, sequentia statuere decernit:

[9] 3. [*Capita praecipuae reformationis*].

I. Impedimenta gradus minoris (cf. can. 1042, § 2, C. I. C.) abrogantur.

II. Impedimenta consanguinitatis et affinitatis non multiplicantur.

III. Votum *privatum,* quod matrimonio contrahendo quomodolibet obstet, impedimentum canonicum non constituit; sed fideles, dum ligati praedicto voto coram Deo sunt, promissis suis stare debent.

IV. Ad maiorem vero conciliandum honorem statui religioso, omne votum *publicum* perpetuum castitatis perfectae, in professione religiosa, tum sollemni tum simplici, emissum, posthac impedimentum dirimens matrimonii constituet.

Votum autem *publicum* temporale castitatis in professione religiosa emissum, matrimonium prohibet, donec cessaverit.

Professio coram Deo facta coelibatus et castitatis perfectae, quae voto, iuramento, consecratione in conscientia obliganti, ad normam Constitutionum Institutorum Saecularium firmatur, matrimonium prohibet.

[10]

Caput II

DE MATRIMONIIS MIXTIS

4. [*De matrimonio mixto temere non contrahendo*]. Indoles matrimonii religiosa et eius excelsa gratiae et coniunctionis inter Christum et Ecclesiam significatio sanctum in sponsis postulat studium, ut matrimonium, quod ipsi udituri sunt, ad illud archetypum quam proxime accedat; qua in re prae ceteris *deficiunt, qui mixtas temere inire praesumunt nuptias.*

5. [*De causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum*]. Matrimonii inter catholicos et non catholicos ineundis nostra aetate ansam frequenter praebent difficiles vitae condiciones, quibus plures iuvenes multaeque familiae solum patriae relinquere et longinquas regiones, laboris causa, petere coguntur, ubi diversae religionis gentes inveniunt.

Nec saepe prohiberi potest, quominus ipsum civile consor- [10] tium viros ac mulieres diversae religionis ad nuptias inter se conciliandas impellat. Quae res maxime iis in locis obtinet in quibus catholici pauci sunt aut numero inferiores.

Dolendum sane est quod ob huiusmodi condiciones et praesertim ob deminutam fidelium pietatem matrimonia mixta saepius contrahantur cum damno fidei et salutis animarum atque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento.

6. [*De officio pastorum animarum*]. Sacrosancta haec Oecumenica Synodus Ordinarios aliosque animarum pastores obtestatur, ut *fideles a temere ineundis mixtis nuptiis avertant,* omnique studio curent, ne contra Dei et Ecclesiae leges tales nuptiae fiant. Ad quod consequendum coniuges apte erunt praeparandi, iuxta ea quae in *Instructione Pastorali* huic Decreto adiecta, dicuntur.

Nuptiis vero mixtis celebratis, sedula cura ab Ordinariis, aliisque animarum pastoribus habenda est, ut coniuges quod ante matrimonium libere promiserunt fideliter praestent.

7. [*De normis quibus matrimonia mixta regantur oportet*]. Quo autem opportunius christiani apostolatus rationes ad temporum necessitates atque adiuncta accommodentur et sacrum [11] ministerium in re tanti momenti pastores animarum efficacius exerceant, Sacrosanctum Oecumenicum Concilium leges de impedimentis mixtae religionis ac disparitatis cultus conformare statuit iuxta haec principia, quae revisendus Codex Iuris Canonici ulterius complebit.

a) Ipsa lex divina coniugium inter partem catholicam et non catholicam vetat, si inde periculum immineat ne pars catholica a fide deficiat.

Ipsa quoque divina lex catholicum urget coniugem ne suo desit officio prolem baptizandi et educandi in fide catholica.

b) Ecclesia, tamquam provida filiorum mater, prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas quarum altera sit catholica, altera vero communitati religiosae non catholicae adscripta.

c) Matrimonium vero, contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem conversa, ipso iure nullum est.

d) Ab his impedimentis Ecclesia pro temporum, locorum, personarumque rationibus et adiunctis dispensationem non recusat, dummodo Regnum Dei damnum inde non patiatur.

[11] Quapropter necesse est, ut:

1) adsint iustae et graves dispensationis causae;

2) pars catholica sincere cautionem praestet se officio curandi baptismum et educationem catholicam prolis satisfacturam esse;

3) pariter cautionem praestet coniux non catholicus de comparte non avertenda a fide catholica neque impedienda ab eius religionis exercitio, atque se non repugnaturum ut proles catholice baptizetur eiusque catholicae educationi provideatur;

4) adsit quoque spes bene fundata de cautionum expletione.

e) Coniux catholicus memor sit semper doni divini fidei catholicae, eiusque testimonium reddat cum modestia et amore conscientiam habens bonam (cf. *1 Pt.* 3, 16).

f) Canonum praescripta circa formam substantialem celebrationis matrimonii, in matrimoniis quoque mixtis observanda sunt.

Insuper in celebratione matrimoniorum mixtorum quidam ritus sacri, non exclusa benedictione, etiam in Ecclesia adhibeantur; Missae autem celebratio, praesertim Missae « pro sponsis »
[12] erit omittenda, nisi Conferentiae Episcopales in singulis regionibus aliter disposuerint.

Quo melius vero dignae celebrationi matrimoniorum mixtorum consulatur, in libris liturgicis ritus proprius inseratur.

8. [*De facultate Ordinarii loci sanandi in radice matrimonia mixta*]. Si quando coniux catholicus matrimonium invalide contraxerit ratione impedimenti vel defectus formae, et dein vera poenitentia resipuerit, Ordinarius loci sanationem in radice ad normam iuris (cf. cann. 1138-1140, C. I. C.) concedere potest, dummodo ne desint cautiones ad dispensationem necessariae, et pars non catholica renuat matrimonium denuo legitima forma contrahere.

[13]

Caput III

DE CONSENSU MATRIMONIALI

9. [*De consensu matrimoniali*]. Consensus matrimonialis est prorsus necessarius et essentialis ad ineundum matrimonium, etiam quando contractus ad dignitatem sacramenti, ut inter baptizatos, elevatur.

Coniugalis enim coniunctio non oritur nisi ex libero utriusque

sponsi consensu. Qui consensus est liber voluntatis actus, quo [13]
utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, atque adeo necessarius ad matrimonium constituendum, ut nulla humana potestate suppleri possit.

10. [*De vero sinceroque contrahendi animo*]. Huiusmodi consensus, qui numquam consistit nisi sit vera interior intentio, ad validitatem matrimonii necessario exterius manifestetur oportet, tum ex natura ipsa contractus bilateralis tum ex ratione sacramenti, id est signi sensibilis gratiae.

Qui matrimonium, et praecipue matrimonium christianum, celebrare volunt, recta debent intentione ad Magnum Sacramentum accedere, ne se maculent vitio simulationis aut fictionis.

Quod vitium, in re tam gravi et sacra, humano convictui et maxime dignitati christianae adeo repugnat, ut contrahentes semper censendi sint animo sincero id velle et intendere, quod exterius sive verbis sive signis proferunt.

Cum vero condiciones, etiam honestae, quae consensui matrimoniali aliquando apponuntur, pericula haud levia tum honestati nuptiarum tum earumdem validitati generare soleant, Sacrosancta haec Synodus decernit, ne matrimonium sub condicione contrahi queat, nisi ex gravi causa atque de licentia Ordinarii loci.

11. [*De Ecclesiae studio tutandi validitatem matrimonii*]. Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum, non sine moerore conspiciens haud paucas matrimoniales causas, quae in tribunalibus ecclesiasticis ex aliquo consensus defectu agitantur, a prava contrahentium voluntate saepe originem ducere, omnes hortatur ut sollicite attendant ne vinculum matrimoniale periculo nullitatis exponant, neve huius generis actiones, quae tot tantisque solent esse difficultatibus implexae, temere [14]
aut leviter tractandas suscipiant.

Ius canonicum iure meritoque praesumit, partes recta intentione nuptias inire voluisse ac proinde matrimonia rite celebrata valida subsistere.

Ecclesia nihilominus, quia pia Mater est, propter gravissima consectaria ex perversis voluntatibus derivantia, in ea praesumptione sustinenda cedit et, ne compartes vitam peccaminosam ducere cogantur in unionibus, quae matrimonia non sunt, introductionem actionis in contrarium propter bonum animarum admittit.

Qui tamen matrimonium contrahunt sine debita intentione,

[14] sciant necesse est se nequaquam ab obligatione liberari illud convalidandi, saepe hac etiam ratione ut comparti illatum damnum reparent.

[15] ## CAPUT IV

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

12. [*De ratione perficiendi celebrationis matrimonii formam*]. Cum matrimonium sit vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis (cf. Conc. Trid., sess. XXIV, *De sacram. matr.* c. 1), et Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexerit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos (cf. can. 1012, *C.I.C.*), Ecclesiae ius proprium et exclusivum competit determinandi condiciones seu sollemnitates pro valida et licita matrimonii celebratione (cf. can. 1016, *C.I.C.*).

Leges canonicas hucusque vigentes his exigentiis valde contulisse et conferre, neminem latere potest.

Cum tamen sub hodiernis legibus non raro contingat ut matrimonia, sive ob contrahentium ignorantiam, sive ob neglegentiam aut inscitiam quorumdam qui celebrationi nuptiarum assistere debent, sive interdum ex malo nupturientium usu benignitatis Ecclesiae, periculo invaliditatis exponantur, Patres huius Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani Secundi volentes his defectibus mederi et firmiorem reddere matrimonii validitatem, in vigenti disciplina de forma celebrationis matrimonii sequentes immutationes introducendas decernunt.

13. [*Forma ordinaria celebrationis matrimonii*]. *a*) Parochus et loci Ordinarius *iure proprio* valide et licite assistere possunt matrimoniis ad normam sacrorum canonum.

b) Cuilibet sacerdoti potest parochus et loci Ordinarius facultatem etiam generalem concedere, ut matrimoniis, intra fines dumtaxat sui territorii, valide assistant. Quae facultas, ut valeat, expresse dari debet. Qui vero facultatem generalem assistendi obtinuerit, eam subdelegare nequit, nisi agatur de vicariis cooperatoribus, pro paroecia cui addicti sunt.

c) Firmis iuris praescriptis (cf. can. 1097, *C.I.C.*) circa requisita ad licitam assistentiam matrimonii, sacerdos delegatus, si non sit vicarius cooperator, facultate obtenta uti nequit nisi parochus vel loci Ordinarius, pro singulis casibus, licentiam quoque assistendi dederit, quae concedenda non est, nisi expletis omnibus, quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

d) Si contigerit ut matrimonium contrahatur coram sacerdote, qui praescripta delegatione ad assistendum careat, matrimonium ex statuto huius Sacrosancti Concilii validum habendum erit, dummodo sacerdos non sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus aut talis declaratus, et matrimonium in Ecclesia vel oratorio publico celebretur. [16]

Sacerdos autem, qui sine delegatione matrimonio assistere ausus fuerit, incurrit ipso facto in suspensionem a divinis, loci Ordinario reservatam. Sacerdos vero qui, etsi rite delegatus, sine debita licentia matrimonio assistere ausus fuerit, ab Ordinario loci congruis poenis puniatur.

14. [*Forma extraordinaria celebrationis matrimonii*]. Ad valide contrahendum matrimonium coram solis testibus extra periculum mortis, praeter condiciones praescriptas in can. 1098 *C.I.C.*, requiritur:

a) ut petitio Ordinario loci facienda, si fieri possit, omissa non fuerit, vel matrimonium non celebretur nisi post mensem ab interposita petitione sine responsione;

b) ut matrimonium non celebretur contra Ordinarii vetitum.

COMMENTARIUS [17]

De forma celebrationis matrimonii

De forma ordinaria. – Nullum dubium esse potest de necessitate retinendae formae substantialis celebrationis matrimonii. Attamen usum huius formae, prouti in Codice Iuris Canonici determinatur, in praxi haud leves difficultates quandoque genuisse omnes norunt qui ministerio paroeciali incumbunt aut causas matrimoniales ex defectu formae pertractant.

Maior enim pars nullitatum matrimoniorum ex formae defectu, hodie originem habet ex delegatione vel invalide concessa vel carente in sacerdote, qui nuptiis forma ordinaria contrahendis assistit. Praeterea nullitates habentur ob incertum munus sacerdotis assistentis, ob assistentiam rectoris ecclesiae non paroecialis vel cappellani militum, ob delegationem concessam extra fines competentiae delegantis, ob incertos paroeciae fines.

Aliquod remedium in quibusdam casibus attulit applicatio canonis 209 C.I.C. de errore communi, praesertim post authenticam interpretationem datam die 26 martii 1952, qua declaratur praescriptum canonis 209 applicandum esse in casu sacerdotis

[17] qui matrimonio assistit sine delegatione. Sed neque haec interpretatio omnes tollit incertitudines, cum dubia habeantur circa limites et extensionem erroris communis.

Ad has diversas difficultates eliminandas, plures Episcopi in suis propositionibus ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam Concilii diversas proponebant rationes. Quidam enim petebant ut melius definiretur applicatio canonis 209, vel ut eius usus prohiberetur; alii proponebant mitigationem praescripti de necessitate delegationis faciendae sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, alii proponebant ut forma celebrationis matrimonii non esset ad validitatem, sed solum ad liceitatem; iterum alii, ut delegatio extendi posset ad omnes sacerdotes iurisdictione praeditos, vel ad quemlibet sacerdotem approbatum intra limites dioecesis, vel ad omnes sacerdotes, paroeciae quomodocumque addictos, et non solum ad vicarios paroeciales; quidam denique proponebant ut quodlibet matrimonium quocumque modo et loco coram aliquo sacerdote celebratum, vali-
[18] dum esset (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Voluminis II, pp. 166-174).

Cum Pontificia Commissio de disciplina Sacramentorum haec omnia bene perpendisset eorumque agnovisset fundamentum, solutionem quamdam praeparavit, quae bono communi et convenientiae iurisdictionis ecclesiasticae satisfacere posset.

In hac solutione 1) imprimis sustinetur necessitas formae substantialis pro validitate matrimonii, atque etiam ipsa celebratio tamquam functio propria parochi et loci Ordinarii.

2) Extenditur regimen delegationum. Quod si quis non videat necessitatem licentiae parochi, post obtentam delegationem, ad assistendum singulis matrimoniis, attendat oportet delegationes generales consulere quidem matrimoniorum validitati, non vero liceitati, quippe quae postulet expletionem omnium quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

Haec autem a parocho vel loci Ordinario vel de eorum auctoritate peragi debent.

Licentia igitur est pro quodam « nihil obstat » quominus matrimonium celebretur, omnino necessaria, ne ex nova inducta disciplina delegationum generalium, abusus irrepere possint.

Delegationes ad singula matrimonia, communiter licentiam quoque includunt; at delegationes generales solum iis in casibus, omnino extraordinariis, eam includunt, in quibus vel di-

gnitas personae delegatae vel alia peculiaris circumstantia id suadeat. [18]

3) Providetur ut matrimonium celebratum coram quolibet sacerdote, certis tamen condicionibus, sit validum, etiamsi hic delegatione careat. Ita practice excluditur usus erroris communis. Sed cum assistere matrimonio sine debita delegatione et licentia parochi vel Ordinarii sit res gravis, sacerdoti qui ita scienter (« ausus fuerit ») assistat, gravis poena statuitur.

De forma extraordinaria. – Forma substantialis in celebratione matrimonii, quia iure positivo ecclesiastico praescripta, generatim servanda est, nisi in aliquo casu iuri naturali opponatur. Dantur autem casus, nec rari, in quibus observatio formae substantialis ordinariae impossibilis est, sive absolute sive relative.

Tunc vero, ex principio quo lex humana cum gravi incommodo obligare non potest, obligatio eam servandi cessat, cum opponatur iuri naturali quo omnis homo gaudet; in quo conflictu, ius naturale praevalere debet; et matrimonium contractum non servata forma a lege ecclesiastica praescripta, validum et licitum est. [19]

Qua de causa, etsi per legem de forma substantiali ordinaria valde bono publico consulatur, ea tamen non est ita urgenda, ut nimis coarctet naturale ius contrahendi nuptias; secus lex nociva et perniciosa evaderet.

Ut hisce casibus occurratur, exceptiones a forma ordinaria in iurisprudentia SS. Congregationum efformatae sunt. Dein Decretum *Ne temere* et Codex Iuris Canonici (can. 1098) illas in leges traduxerunt.

Necessitatem statuendi hanc formam extraordinariam in missionibus, ipsa rerum adiuncta vehementer suadebant. Paulatim vero etiam in regionibus ubi hierarchia catholica ordinaria constituta est, applicationem invenit in pluribus casibus, in quibus, pro animarum salute, matrimonii celebratio urgeat, nec forma ordinaria canonica iniri possit nisi actus civilis praemittatur; cuius positioni graves difficultates atque etiam impossibilitates, plerumque obstant.

At in applicatione formae extraordinariae plures abusus fiunt. Ut enim alii diversi abusus omittantur, sufficiat prae oculis habere hos tantum casus: Casus minorum, qui forma extraordinaria contrahunt quia parochus, attento canone 1034, eorum matrimonio assistere non vult. – Casus coniugum qui nullitatem iam contracti matrimonii in tribunali probare non possunt et novum

[19] aliquando matrimonium forma extraordinaria contrahunt, inducti saepe a confessario, qui nullitatem eorum matrimonii cognoscit. – Casus coniugum, quorum alter est catholicus, alter baptizatus non catholicus, quibus Ordinarius matrimonium vetat quia, ob denegatas cautiones, dispensatio super impedimento mixtae religionis concedi non potest; hae personae contrahunt matrimonium forma extraordinaria.

Omnes abusuum casus unum commune habent: quod ea via disseminantur matrimonia clandestina, quae adeo severe reprobavit Concilium Tridentinum.

Ad hos abusus impediendos, et practice clandestinitatem tollendam, remedium opportunum in eo invenitur, ut haec matrimonia aliquo modo vigilantiae Ordinariorum subdantur, introducendo ut condicionem ad validitatem, recursum ad Ordinarium, quoties hic recursus fieri possit.

Hoc autem exoptabant plures Episcopi in suis propositionibus ad Concilium, quibus haec diversis modis postulare videntur
[20] (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Voluminis II, pp. 170-172).

Si innovatio prouti in Schemate proponitur introducatur, legislationis ordinatio melior fieri, publicum Ecclesiae bonum aptius conservari atque cum iure ad nuptias, quod singuli habent, satius componi videtur.

[21]

Caput V

DE PROCESSU MATRIMONIALI

Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum, ut sollicite tueatur et stabilitatem sanctitatemque contractus et sacramenti matrimonii, et aeternam salutem eorum, qui matrimonium vel invalide contraxerint, vel solubili vinculo in detrimentum animae adstrictos se invenerint, disciplinam processus matrimonialis munimentis quibusdam vallare decernit.

At simul optatum expeditiorem cursum causarum matrimonialium obtinere cupit, ea tamen lege, ut hac etiam in re abusus praecaveantur.

15. [*De Tribunalium ordinatione*]. Ubique terrarum diffundatur praxis, hucusque ex iure particulari iam pluribus in locis vigens, constituendi Tribunalia Regionalia vel Interdioecesana, pro quibus idonei viri ad iustitiae administrationem a competenti auctoritate praeparandi et eligendi sunt.

Normae editae vel edendae de Tribunalium competentia diligentissime [21] serventur, ne causae pertractentur coram iudicibus rerum personarumque ignaris. Ideo etiam forum peregrinorum in Urbe ne extendatur ad causas quae vinculum matrimoniale respiciunt.

Peculiari adprobatione Ordinarii tum proprii tum loci ubi Tribunal sedem habet, indigent procuratores ad lites et advocati, solis S. Consistorii advocatis exceptis.

Sancta haec Synodus commendat ut munus advocati gratuito exerceatur, oeconomica compensatione a Tribunali data.

At ubi id fieri nequeat, competens auctoritas ecclesiastica territorialis, ad incommoda varia praecavenda, normas praebeat opportunas de honorariis accipiendis.

16. [*De processu summario*]. Haec sancta Synodus aliena non est ab augendis casibus exceptis a normis generalibus processualibus, dummodo, servatis condicionibus processus summarii, novi casus definite dinumerentur.

17. [*De iure accusandi matrimonium*]. Placuit Sacrosancto Oecumenico Concilio ut ius accusandi matrimonium coarctetur, tum quoad habilitatem illorum qui matrimonium accusare valeant, [22] tum quoad tempus accusationis.

In iis vero legibus ferendis eluceat spiritus mansuetudinis Christi, qui semper aurea et perennis regula Ecclesiae est, et leges iudiciaque ecclesiastica informare debet. Attamen hominum malitiae ne indulgeatur.

18. [*Aliae iuris accommodationes*]. Accommodatio iuris canonici, quae in Revisione Codicis Iuris Canonici fieri oportet, inter desideratas emendationes capita sequentia imprimis consideret: causarum dispensationis super rato et non consummato celeriorem pertractationem; maiorem uniformitatem in expediendis causis de solutione vinculi naturalis in favorem fidei; usum novorum mediorum technicorum.

Valde optatur, ut ius ecclesiasticum in re tam gravi fiat in dies ministerium veritatis et salutis animarum.

INSTRUCTIO PASTORALIS [23]

DE PRAEPARATIONE NUBENDORUM AD MATRIMONIUM

19. [*Praeparationis momentum et necessitas*]. Sancta Mater Ecclesia statum coniugalem haud perperam iudicat et praedicat esse ex se « honorabile connubium in omnibus » (*Hebr.* 13, 4),

[23] a cuius provida praeparatione et recta ordinatione plurimum pendet non tantum ipsorum coniugum salus aeterna et temporalis felicitas, sed et bonum societatis civilis, morum candor et integritas in populo.

Familiae exordium et humanae ac civilis societatis fundamentum et principium, matrimonium videlicet, a Deo institutum et natura sua charactere sacro munitum, Christi auctoritate inter baptizatos ad Sacramenti dignitatem evectum est, atque factum Eius ineffabilis cum Ecclesia coniunctionis imago.

Matrimonium insuper, novi et permanentis status vitae primordium, caelesti regno aedificando servit tum supernaturali caritate coniugum tum procreatione et educatione filiorum, qui, baptismo Christi abluti, in Ecclesia peregrinante renati sunt.

Ad Sacramentum igitur, quod gratiam iuxta recipientis dispositiones confert, nupturientes ita se parent oportet, ut Christo per gratiam sacramentalem efficacius configurentur, et corpus Christi mysticum per eosdem aedificetur.

Porro autem status coniugalis in hac peregrinatione est status permanens, vitae communitatem inducens individuam et insolubilem, qui ideo peculiari modo est praeparandus, ut coniugibus sine discrimine fas sit in eum, per omnem vitam tenendum, introduci.

Nec desunt peculiares nostri temporis condiciones, quae futuros coniuges ad tantum opus vere sincereque paratos requirant. Matrimonium enim sat frequenter res est magis coniugum ipsorum quam familiarum, ac plus exigit a personali utriusque coniugis responsabilitate.

Immo constat naufragia matrimoniorum, quae praesenti aetate frequenter lugemus, multoties ex defectu debitae praeparationis oriri.

Patres igitur huius Sacrosancti Concilii Oecumenici sponsos christianos invitant ut pleniorem sibi acquirant maturitatem, [24] antequam perpetuo foedere coram Deo et Ecclesia se coniungant; sperant etiam fore ut desiderium conscientiae christianae, quod hac nostra aetate inter christifideles diffunditur, eosque ad sanam de matrimonio doctrinam melius addiscendam impellit, perfectius expleatur.

Quare Sacrosanctum Concilium pastores animarum hortatur ne omittant omnem impendere curam in hoc gravissimo ministerio adiuvandi sponsos. De iis enim, quae pastoralem coniugum praeparationem spectant praeviamque matrimonio inquisitionem

ut certitudo moralis habeatur nihil obstare validae et licitae matrimonii celebrationi parochus spondere debet. [24]

20. [*Ratio in praeparatione servanda*] – [*Praeparatio remota*]. Remotae quidem praeparationis initium ab ipsis fere vitae incunabulis sumitur. Adolescentes igitur et iuvenes, ea informentur disciplina in familia et in Ecclesia, qua dein sponsi bene animati paratique, ad statum coniugii ineundum accedant.

Pastores animarum frequenter in memoriam parentum aliorumque qui parentum locum tenent, revocent grave officium curandi filiorum educationem, ut in ipsis informetur homo interior, christianaque vita evolvatur.

Ad parentes imprimis pertinet tum prudenter et tempestive filios instituere quoad mysterium vitae propagandae, ita ut ii percipiant dignitatem et nobilitatem virium, quibus Creator hominem ditavit; tum curare ut filii discant in quo verus amor consistat, eum experiendo exercendoque erga familiares sodalesque studiorum et laboris.

21. [*De coniuge eligendo*]. Sponsi christiani eligant oportet coniugem, non caeco cupiditatis instinctu, vel alio minus nobili impulsu ducti, sed vero amore ac recto et sincero erga futurum coniugem affectu, eos fines in matrimonio prosequendo, propter quos illud est a Deo constitutum.

22. [*De matrimonii praeparatione spirituali*]. Praeparatio ad matrimonium peropportunam praebet pastoribus occasionem, non solum ad futuros coniuges instruendos, sed etiam ad fidem in qua baptizati sunt excitandam et amorem erga Christi Ecclesiam fovendum.

Etenim maternam Ecclesiae sollicitudinem eis manifestare potest itemque sensum divinum magni huius eventus revelare. Memorari pariter potest Deum esse amorem atque a Deo huma- [25] num amorem procedere atque a Deo benedici et consecrari. Experientia enim constat per praeparationem ad matrimonium corda futurorum coniugum ad revelationem totius mysterii christiani posse introduci.

Nupturientes igitur modo pastorali ac semper benigno, tum pro institutione catechetica, tum pro praeparatione iuridica matrimonii, animarum curatores recipiant. Parochus sit cum iis benignus atque indulgentia et caritate plenus. Congruum concedat tempus ad fructuosum colloquium cum nupturientibus; saepe enim huiusmodi cum sacerdote colloquium plurimi stabilisque adiumenti est.

[25] A Sacramento ne arceantur sine gravi causa fideles qui matrimonium contrahere contendunt.

23. [*De catechetica institutione*]. Catechetica institutio praebeatur iuxta locorum, personarum ipsarumque nuptiarum adiuncta, secundum normas a competenti auctoritate ecclesiastica tradendas.

Sacrosancta autem Oecumenica Synodus quaedam generalia sua auctoritate commendat:

a) Ea institutio complecti debet doctrinam de sacramento matrimonii, de gratia in sacramento collata et de sacramenti effectibus per totam vitam perdurantibus ad vitam christianam ducendam in sinu familiae atque in ipsa Ecclesiae communitate. Matrimonii proprietates, fines, bona, recte illustrentur; doctrina pariter de libertate consensus accurate tradatur ac cetera proponantur, quae essentialiter afficiunt matrimonialem consensum, ut eum nupturientes dent considerate.

b) Huius institutionis moderatores parochi habeantur, vocatis in auxilium aliis etiam sacerdotibus et, si res postulet, etiam laicis viris vel feminis huic ministerio idoneis.

Igitur Sacrosancta Synodus valde probat industrias multarum synodorum dioecesanarum atque provincialium et Conferentiarum Episcopalium, quae libris et scriptis atque compositis vel aliis idoneis modis futuros coniuges edocere atque iuvare contendunt.

c) Sacrosancta Synodus catechesim peculiari modo commendat in regionibus ubi mixtae nuptiae sunt frequentiores. Tunc enim praesertim necesse erit ut coniuges ante nuptias celebrandas de matrimonio ipso eiusque proprietatibus essentialibus atque de praecipuis catholicae doctrinae capitibus et obligationi-
[26] bus sufficienter instruantur, iidemque in cautionibus exigendis edoceantur quantum eadem caritati et paci coniugali fovendae conferant et quantum urgeat coram Deo et hominibus ut coniuges quod ante matrimonium libere promiserunt, fideliter praestent. Neque post coniugii celebrationem cesset pastorum sollicitudo.

24. [*Praeparatio matrimonii iuridica*]. Parochi religiose servent canonicas praescriptiones circa investigationes peragendas ante matrimonium, ad videndum an aliquid obstet matrimonio valide et licite contrahendo.

Nullo vero praetextu matrimonio assistant, neve sacerdotibus

delegatis assistere permittant, nisi, servatis de iure servandis, [26]
constiterit sibi legitime de libero statu contrahentium.

25. [*Celebratio matrimonii liturgica*]. Pastores animarum denique summam habeant curam de parandis caeremoniis celebrationis matrimonii, ut dignitas, pietas, significatio ritus sacramentalis eluceat et, coniuges imprimis, sed etiam ceteri adstantes, actuosam participationem habeant.

Dies quoque anniversariae matrimonii digne celebrentur.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

CIRCA SCHEMA DECRETI DE MATRIMONII SACRAMENTO *

A - Usque ad diem 1 oct. 1963

PROOEMIUM

1. *Em.mus Paulus M. Card. Richaud, Archiepiscopus Burdigalensis.*

Dolendum est non inveniri in Prooemio aliquam evocationem, bene accuratam, a Christo Domino, originis divinae huius Sacramenti.

Sane est quaestio difficillima si velimus determinare quando Magister ac Salvator hoc Sacramentum instituit. Sed declaratio Prooemii videtur nimis brevis et auctoritativa, absque ullis notationibus e traditione excerptis. Quaedam explanatio esset utilis.

2. *Exc.mus Ioannes J. Weber, Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis.*

Prooemium. – Ut tollatur natura nimis iuridica huius schematis, ponatur post Prooemium, ut Caput I, Instructio pastoralis quae p. 23 et ss. continetur.

3. *Exc.mus Stanislaus Lokuang, Episcopus Tainanensis.*

Totum schema hoc videtur esse aliquod scheletrum iuridicum, quod non est iuridicum neque pastorale. Cur non loqui de dignitate et de sanctitate matrimonii christiani? Cur non loquitur de bonis matrimonii christiani? Speciatim de obligatione educationis prolis. Postea videtur Concilium Oecumenicum timere aliquid loqui de gravissima quaestione controlli nascitae! Omnes complexitates iuridicae in quaestione matrimoniali in his diebus eveniunt ob deficientem cognitionem et deficientem aestimationem de sanctitate matrimonii christiani!

4. *Exc.mus Antonius Tani, Archiepiscopus tit. Scythopolitanus.*

Si licet, videtur mihi subiungenda quaedam animadversio in schemate decreti *De Sacramento Matrimonii.* Minus enim proprium videtur appellari Matrimonium

---

* Animadversiones Patrum ordine systematico materiae referuntur prout a commissione conciliari ordinatae sunt.

sacramentum « magnum », cuius oppositum videretur esse « parvum ». Iamvero peregrina sonat distinctio inter sacramenta magna et parva, cum sint, si forte excipias Eucharistiam, eiusdem dignitatis.

Praeterea illa distinctio, in casu nostro, fundatur in aequivocatione, nam eodem sensu technico hoc loco sacramentum videtur accipi ac sacramentum theologice sumptum. E contra in textu paulino (*Eph.* 5, 32) vox, quam Vulgata reddit «sacramentum », proprio sensu idem sonat ac « mysterium », quod vocatur « magnum », quatenus repraesentat unionem seu intimam coniunctionem inter Christum et Ecclesiam.

Propterea, omisso vocabulo « magnum », sequentem formam simpliciter proponere placet (linea secunda): « Christus Dominus illud ad verum Novae Legis sacramentum evexit, et ideo illius disciplinam et curam Ecclesiae et Sponsae *suae* commisit ».[1]

5. *Exc.mus Franciscus A. Henschke, Episcopus Corvopolitanus.*

A number of young people on the occasion of their engagement ask to have the ring blessed but, as there is no special blessing in the Ritual, most priests are content to simply make a sign of the Cross over the ring. If the blessing were made more solemn it would impress the couple more on the dignity of marriage. It would also give the priest an opportunity to arrange instructions before marriage so. I would like this blessing, if not obligatory, at least more widely known and used.

6. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifacii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, una cum Peritis Canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarques générales:

1. *Le titre.* La Théologie du sacrement de mariage est donnée dans un autre schéma. Le présent schéma ne parle que de la discipline du mariage. C'est pourquoi, nous proposons de changer le titre: « De matrimonii sacramento » par « De disciplina sacramenti matrimonii ».

2. *Le plan.* Pour des raisons d'ordre pédagogique et méthodologique, nous proposons de changer le plan, en gardant cependant les mêmes chapitres:

I. De consensu matrimoniali (ch. III du schéma).
II. De forma celebrationis matrimonii (ch. IV du schéma).
III. De impedimentis ad matrimonium (ch. I du schéma).
IV. De matrimoniis mixtis (ch. II du schéma).
Instructio pastoralis: De praeparatione nubendorum ad matrimonium.

Remarques spéciales:

1. *Prooemium. a*) On désirerait un renvoi explicite à la théologie du sacrement de mariage donnée dans un autre schéma.

b) P. 7, lin. 3: enlever le mot « totam » qui a un caractère trop absolu et

[1] NOTA = suae, inquam, non Suae, nam minus probandus videtur usus litterae, quam vocant « maiuscola » in vocabulis, quae non sunt nomina propria, vel ut talia sumpta. Qui usus non semel in decursu schematum usurpatur, secus ac fit in libris liturgicis, ut in Missali et Breviario Romano.

revendicatif. Les effets civils du mariage ne sont pas, par exemple, du ressort exclusif de l'Eglise.

c) P. 7, linn. 5-7: changer le premier membre de phrase: comme l'Eglise a eu dans le passé le souci d'adapter sa discipline aux nécessités diverses des temps, ainsi fait-elle aujourd'hui.

d) P. 7, lin. 11: changer la formulation de la dernière partie de la phrase « ut totis viribus in sanctificandis coniugiis incumbant » pour indiquer que ce sont les conjoints eux-mêmes qui se sanctifient par et dans le sacrement du mariage.

e) P. 7, lin. 16: enlever « sive eiusdem pericula remediis opportunis praecavendo »; trop négatif.

f) P. 7, linn. 18-23: enlever tout ce paragraphe qui insiste trop sur les malheurs de notre temps.

7. *B. P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.*

Non videtur clare utrum hoc schema amplectetur Orientales etiam.

Nulla enim fit mentio de eis, neque de M. P. « Crebrae Allatae » qui tractat de Matrimonio in Ecclesia Orientali; dum pluries mentio fit de Codice Iuris Canonici.

Optandum est ut hoc schema ita conficiatur ut possit amplecti etiam Orientales.

8. *Exc.mus Carolus H. Helmsing, Episcopus Kansanopolitanus - Sancti Ioseph.*

While this schema has much of value, especially the section concerning pastoral instruction in preparation for marriage, it scarcely answers the needs of the faithful or of many who wish to enter the Church and who are impeded by some previous bond of marriage.

Before all else, there is needed a more complete statement on the sacramental nature of marriage. Perhaps it would be well to add such a statement to the Schema De Ecclesia, to the section concerned with the People of God and to that concerned with the universal vocation to Holiness. It should be emphasised that christian matrimony is a sign of the union between Christ and His Church and that the family is a "little church".

The juridical changes, which are called for in this schema, should be considered by the commission for the revision of the Code of Canon Law rather than by the Ecumenical Council.

9. *Exc.mus Cornelius Lucey, Episcopus Corcagiensis et Rossensis.*

Mutationes: p. 7, lin. 2, in loco « illud » lege « matrimonium inter baptizatos ».
Rationes: ratio evidens est.

10. *Exc.mus Hermannus Schäufele, Archiepiscopus Friburgensis.*

Schema Decreti « De Matrimonii Sacramento » rerum hodiernarum condiciones quidem respicit, tamen pluribus desideriis probatis non respondet.

P. 7, lin. 5: affirmatur ius et cura Ecclesiae circa connubia, nullibi tamen definitur, quo ambitu Ecclesia tale ius sibi vindicare et exercere vult. Exempli gratia: in can. 1099, § 2, C.I.C. Ecclesia renuntiat tale ius; ibi decernitur, quod acatholici non tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam. Cur Ecclesia non declarat acatholicos etiam non teneri impedimentis iuris ecclesiastici?

Praeterea secundum can. 1099, § 2, C.I.C. acatholici non tenentur, si inter se contrahunt, ad catholicam matrimonii formam servandam, sed can. 1133 ss., C.I.C., nihil dicunt, num acatholici etiam dispensantur a forma servanda in casu convalidationis simplicis necne.

11. *Exc.mus Dominicus Fukahori, Episcopus Fukuokaënsis* (*in Iaponia*).

Animadversio Generalis: Mihi videtur hoc Schema optimum esse pro regionibus ubi catholici sunt numero superiores et pro illis ubi catholici cum fratribus nostris separatis permixti vivunt. Attamen, proh dolor!, fere nihil invenitur in Schemate de situatione particulari in terris missionum. Valde, valde optatur ut Schema rescribatur, rationem habens difficultatum specialium quae in terris missionum habentur. Nam Ecclesia a Concilio Oecumenico Vaticano II renovanda, est etiam pars Ecclesiae in qua catholici sunt valde pauci, seu numero valde, valde inferiores. Situatio vigens in hac ultima parte Ecclesiae eadem est ac ea quae initio Ecclesiae vigebat.

Quapropter, desideratur ut Ecclesia legislationem suam relaxet. Ad relaxationis necessitatem et possibilitatem probandam, si necesse est, quae sequntur adduntur...

Aliae Animadversiones: 1. Pro pluribus legisperitis vel iuristis civilibus acatholicis, Ecclesia est velut « Status intra Statum », nam tantummodo matrimonium coram Ecclesia initum validum est (pro catholicis). — Ad relationes cum Statibus acatholicis fovendas, optatur:

— ut in Schemate aliquid dicatur de potestate Status, de eius limitibus, necnon de obligatione quam catholici habent servandi leges a Statu conditas, quando legitimae sunt, v. g. de registratione civili ad effectus civiles obtinendos (iam hoc invenitur in « Directorium Commune » pro Iaponia, n. 221). Aliis verbis, optatur ut potestas Status recognoscatur, quando id fieri potest sine violatione iurium Ecclesiae.

2. Optandum est ut aliquid dicatur de iure naturali ad matrimonium, necnon de obligationibus coniugum, e iure naturali dimanantibus.

V. G. — Ecclesiae catholicae ius et officium est determinandi ius naturale. Oportet rationes quasdam enumerare.

— Ius naturale obligat « omnes homines », non tantum catholicos vel christianos, ut plures falso putant. Praecipuae difficultates versantur circa indissolubilitatem matrimonii, circa fidelitatem erga alium coniugem, circa ius foetus ad vitam, etc. ... Catechumeni, praecise quia ex infidelitate proveniunt, saepe errant de his rebus.

— Hic iuvabit dicere nullum matrimonium auctoritate humana, sive civili, sive ecclesiastica, solvi posse, etiamsi nondum consummatur. Matrimonium tamen duorum baptizatorum, si nondum consummatur, necnon matrimonium infidelium etsi consummatum, solvi possunt a Summo Pontifice, vi potestatis a Deo receptae. — Matrimonium autem duorum baptizatorum si est consummatum, a nemine dissolvi potest, nequidem a Summo Pontifice, quia perfecte significat unionem Christi cum Ecclesia.

Videtur desiderandum ut aliquid dicatur de hoc, ut saltem omnes missionarii sciant quid sit docendum et quomodo docendum sit catechumenis. Consuli potest: A. Abate, O. P., *The dissolution of the Matrimonial Bond in Ecclesiastical Jurisprudence,* Desclée, 1962. — Admitto libenter non habuisse tempus sufficiens ad hoc punctum fusius scrutandum.

Pro terris missionum, valde optandum est ut ius divinum in suis relationibus cum iure naturali ad matrimonium enucleatur. Satis non esse videtur obiter et paucis verbis tantummodo hanc quaestionem tangere ut fit in Schemate, pp. 18-19. De facto, hoc loco agitur tantummodo de relationibus ius naturale inter et ecclesiasticum.

12. *Exc.mus Petrus Zuccarino, Episcopus Bobiensis.*

Schemata probans et omnia laudans de quibus actum est et in novis sicut et in veteribus, hoc ipse tamen sentio quod patefacio; in administrando matrimonii sacramento numquid fas non est vel desiderabilius ut omnia venerabilius fiant quasi sanctius, quae de coeremonia sunt idest e. g. Spiritum Sanctum advocare, in media Missa sacramentum administrare et alia forsitan quae, mea sententia, coeremoniam solemniorem reddant, addicere quam quotiescumque mens repetit et animus nixum ad meliora inveniatur et auxilium ut in Christo finis et iter perficiantur christianae familiae.

Caput I

DE IMPEDIMENTIS AD MATRIMONIUM

13. *Exc.mus Ioseph A. Dammert Bellido, Episcopus Caiamarcensis.*

N. 3-I. Considero que se deben derogar también los impedimentos de « cognatio legalis » (cann. 1059-1080) y del « subdiaconado ». El primero para evitar la disparidad de las disposiciones legales, que crean confusión entre los diferentes países. El segundo para resaltar la importancia de las órdenes de derecho divino y no imponer más cargas, sobre todo para eviter pedidos de dispensa que en los últimos tiempos han aumentado mucho.

14. *Exc.mus Ioannes J. Weber, Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis.*

P. 9: 1) lin. 8, addatur: nisi per Ordinarium a promissis suis dispensati sint.
2) lin. 18, addatur: Dispensationes a S. Sede conceduntur.

15. *Exc.mus Bernardus Stewart, Episcopus Sandhurstensis.*

In cap. I, § 3: melius videtur, addere mutationem etiam circa aetatis impedimentum, nempe: « qui lege civili inhabiles ob aetatem ad nuptias ineundas habentur vi iuris canonici matrimonium valide contrahere ... (cf. can. 1067) ». *Ratio*: ita, lex Ecclesiae et lex civilis hac in re magis inter se concordant.

Eadem urgente ratione melius videtur mutare consanguinitatis impedimentum, v. g.: « qui lege civili inhabiles ob consanguinitatem ad nuptias ineundas habentur nequeunt vi iuris canonici matrimonium valide contrahere... (cf. can. 1076) ».

16. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifacii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, una cum Peritis Canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarque générale: Malgré sa brièveté, ce chapitre est bien fait et le ton est positif.

Remarques spéciales: *a*) p. 9, lin. 13: l'expression « temporale » est nouvelle. Nous préférons « Temporarium ».

b) Nous recommandons de supprimer aussi les empêchements de crime (can. 1075) et d'honnêteté publique (can. 1078):

— il est très rare que ces cas se produisent;

— il faut simplifier la législation du mariage de façon à ce que les fidèles puissent la comprendre facilement.

N. B.: Si nous ne suggérons pas la suppression des empêchements de rapt et de parenté légale, c'est pour garder l'accord entre le droit canonique et le droit civil.

17. *B. P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.*

P. 8, n. 2, lin. 22: Optandum est, in casu matrimonii putativi bona fide contracti, ut Ecclesia consideret dispensatum omne impedimentum dirimens, quod non sit iuris divini.

Hoc agendi modo matrimonia putativa non amplius erunt valde aucta; et quod plus est, non amplius carebunt gratia sacramentali.

18. *Exc.mus Carolus H. Helmsing, Episcopus Kansanopolitanus - Sancti Ioseph.*

It would perhaps be well to consider raising the canonical age for marriage. Possibly the local civil age could be adopted in the Church's legislation. In most of the States of the United States of America, for example, the ages of 21 for men and of 18 for women have been established by civil law. Without parental consent, persons below these ages are not permitted to enter into civil marriage. Since youthful, unconsidered, and hasthy marriages so frequently end in civil divorce, such legislation would be most helpful. Local ordinaries would have the power to dispense from the impediment of non-age, but in every instance the voice of parents should be heard. Pleas of Nullity based on the impediment of non-age should be processed in accordance with the prescriptions of Canon 1990.

19. *Exc.mus Hermannus Schäufele, Archiepiscopus Friburgensis.*

P. 9, n. 3-I. Laudamus abrogationem impedimentorum gradus minoris (can. 1042, § 2, C.I.C.). At cur retinetur impedimentum affinitatis in linea collaterali primi gradus (can. 1076, § 2, C.I.C.), cum tale matrimonium ob opinione publica maxime commendetur, praesertim si ex priore connubio exstent proles?

P. 9, linn. 5-8: votum privatum non iam constituit impedimentum canonicum; simul optandum est, ut eodem tempore supprimatur can. 1309 C.I.C. (vota privata Sedi Apostolicae reservata).

Maxime insistendum est, ut Ordinarius loci super omnibus impedimentis dispensare valeat, super quibus Ecclesia dispensare solet.

Aliud etiam notandum est: frequentissime hodie occurrit casus, in quo quis graviter ac dolose de alterius partis qualitate magni momenti deceptum matrimonium init, quod re vere cognita non contraheret. Optandum est, ut in tali casu matrimonium invalidum declarari posset propter essentialiter vitiatum consensum.

20. *Exc.mus Dominicus Fukahori, Episcopus Fukuokaënsis* (*in Iaponia*).

... Ut in Schemate saltem « principium » legitimitatis canonizationis quorumdam impedimentorum civilium admittatur.

De facto, hoc est possibile, nam Ecclesia iam canonizavit impedimentum cognationis legalis (can. 1080).

Postea, canonistae unius Regionis invitari possunt ad explorandam possibilitatem quorumdam impedimentorum civilium canonizandorum. Propositiones postea Statui fieri poterunt ab Internuntio Apostolico, post consultationem cum Episcopatu necnon cum Sancta Sede.

CAPUT II

DE MATRIMONIIS MIXTIS

21. *Exc.mus Henricus I. Grimmelsman, Episcopus Evansvicensis.*

The diocesan doctors of Canon Law would like all dispensations and questions relating to the that concern the Privilegium Fidei referred to local tribunal for action if this would be possible.

Concerning the view of those who would do away with the "cautiones" regarding mixed marriages, it seems to be imperative that the "cautiones" be retained. The number of mixed marriages is increasing. Without the "cautiones" the faith of the Catholic party and of children of these marriages would be exposed to greater danger. It is possible to make too many concessions to Protestants to avoid offending them and thereby to make them think the Catholic Church will soon be ready to modify or abolish anything even doctrinal truth for the sake of specious unity. (Even now they are saying the Church will soon approve of contraceptive birth-control and will soon admit that the Reformers of the Sixteenth Century were right in separating from the Catholic Church).

The attempt to change the verdict of history on Martin Luther and to represent this heresiarch of the lying abuse, the proud, wilful and devious character, the man who justified any means however bad, if it furthered his revolution, is an instance in point of compromising the truth for the sake of placating the Protestant. It is only once instance of mistaken kindness.

22. *Em.mus Paulus M. Card. Richaud, Archiepiscopus Burdigalensis.*

In Capite II, dignae sunt declarationes magis latae quoad matrimonia mixta, speciatim relate ad cautiones de quibus agitur in *d*) 3) p. 11, linn. 27 et seq.

Sed quousque sit possibile obtinere a coniuge non catholico istam pollicitationem, etiam negativam?

Aliquando non audebunt, timendo contra suam ipsam propriam conscientiam vel fidem sic agere.

Pars moralis: humillimo meo sensu, plane deficit in his argumentis.

Cur etenim, antea p. 11, lin. 17 *c*) renuntiare satis solemniter principia canonica de *nullitate matrimoniorum inter catholicos et non catholicos?* Sufficeret declarare quod in istis matrimoniis dispensatio necessaria est. Eo magis quod absentia dispensationis non facit matrimonium invalidum, si contractum coram sacerdote competenti.

Num de hac materia non posset esse aliqua generalis recognitio? Haec legislatio de invaliditate matrimoniorum mixtorum in Ecclesia est relative recens. Tamdiu ista matrimonia tantummodo ut prohibita habita fuerunt, veram culpam et aliquas sanctiones trahendo, sed non nullitatem praebendo.

Quoad *Missae celebrationem* saepe apparet, saltem apud nos, sine scandalo vel detrimento ullo, e contra, quaedam Missa in altari minori Ecclesiae vel, si tan-

tummodo adest altare maius, cum solemnitate minori, coram coniugibus celebrata. Catholica pars enim aliquo iure gaudet ad talem sacrificii eucharistici celebrationem.

23. *Exc.mus Ioseph Dammert Bellido, Episcopus Caiamarcensis.*

N. 6. Dado el actual intercambio entre los habitantes de diferentes regiones y paises, por motivos de turismo, estudios, funcionarios de organismos internacionales, etc., es muy difícil para los « Pastores de almas » precaver a los fieles de contraer matrimonios mixtos, pues se presentan ante el párroco cuando ya están decididos a casarse y practicamente « omnia ad nuptias parata sunt ».

La instrucción debe hacerse desde las lecciones de catecismo.

N. 7. No pueden ponerse en igualdad de condiciones los impedimentos de disparidad de cultos y de mixta religión. Para el primero debe haber mayor exigencia que para obtener la dispensa del segundo, porque para los bautizados no católicos el matrimonio también es sacramento; en particular para los « ortodoxos » y anglicanos de la "High Church" la omisión de la celebración de la Misa es incomprensible.

Otorgar por derecho ordinario las facultades quinquenales (fórmula IV - caput I nn. 2-3) en la revisión del C.I.C.; lo mismo que las contenidas en el capitulo III (ex S. C. de disciplina Sacramentorum).

24. *B. P. D. Paulus Petrus Meouchi, Patriarcha Antiochenum Maronitarum.*

b) Il me semble qu'il ne faudrait pas exclure des sacrements, les parents, liés par un mariage mixte, et qui font réellement tout leur possible pour assurer l'éducation catholique de leurs enfants, et s'il y a lieu pour régulariser leur situation matrimoniale.

c) Ne pourrait-on pas étendre à tous les Evêques l'autorisation de la *sanatio in radice* aux mariages mixtes qui demandent leur convalidation?

25. *Exc.mus Ioannes J. Weber, Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis.*

Quaestio matrimoniorum mixtorum satis periculosa est, propter instantiam Protestantium, qui anxie solutionem expectant.

P. 11, lin. 28, addatur forsan: *e*) Si coniux non catholicus exigit, pro satisfactione suae conscientiae, celebrationem etiam coram ministro acatholico fieri, res toleranda est.

26. *Exc.mus Stanislaus Lokuang, Episcopus Tainanensis.*

Caput II « *de matrimoniis mixtis* »: videtur nimis durum dictum esse in schemate contra matrimonia mixta.

N. 4 dicitur « ad illud archetypum quam proxime accedat; qua in re prae ceteris deficiunt, qui mixtas temere inire praesumunt nuptias ».

Quid vult dicere verbum « temere » vel « praesumere »? Ii qui cum dispensatione Ecclesiae legitime ineunt matrimonium mixtum, nonne etiam deficiunt ad hoc archetypum accedere?

Postea dicitur « Dolendum sane est quod ... matrimonia mixta saepius contrahantur cum damno fidei et salutis animarum atque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento ». Hoc quod affirmatur in schemate, saltem in missionibus non est verum. In mea nova Dioecesi quasi dimidia pars matrimoniorum inita est cum dispensatione disparitatis cultus nec damna attulerunt, immo conversionem partis paganae vel saltem filiorum secumtulerunt.

Igitur in matrimoniis mixtis insistere oportet in cautionibus praestandis et observandis, non vero dicere in Concilio Oecumenico id esse malum gravissimum quod cotidie evenire debet in Missionibus.

27. *Exc.mus Bernardus Stewart, Episcopus Sandhurstensis.*

In cap. II, n. 7, lin. 30 addantur verba: « quae quidem cautiones, de quibus in 2 et 3 dari et exprimi debent modo ab auctoritate ecclesiastica sive regionali sive dioecesana determinato ».

28. *Exc.mus Paulus Nguyen Van Binh, Archiepiscopus Saigonensis.*

N. 7, pp. 10-11: De ce texte il résulte que pour les mariages mixtes on n'exigerait plus un engagement *écrit* au sujet de l'éducation catholique des enfants et du respect de la liberté religieuse. Ainsi se trouve supprimé le § 2 du canon 1061 « Cautiones regulariter in scriptis exigantur ».

Cette suppression paraît opportune en ce qui concerne la partie non-catholique. En effet les non-catholiques peuvent se considérer comme non-soumis à la juridiction de l'Eglise catholique. Ils sont donc en droit de s'irriter de signer une promesse concernant le baptême et l'éducation des enfants.

Toutefois il semble que cette prescription d'une promesse par écrit pourrait être maintenue pour la partie catholique: un engagement écrit au moment du mariage fait plus d'impression, et la partie catholique qui le refuserait manifesterait par là même qu'elle n'est pas sincère: elle ne répondrait plus aux conditions demandées pour la permission d'un mariage mixte.

Par ailleurs la partie non-catholique pourrait être exhortée à souscrire cet engagement, car il présente une garantie plus grande. Mais le refus de cette signature ne serait pas considérée comme un motif suffisant pour ne pas donner la permission. Une formule de ce genre pourrait être adoptée: « Cautiones in scriptis a parte catholica exigantur, atque parti non-catholicae suaviter proponantur ».

29. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifacii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, una cum Peritis canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarques générales: *a*) Le ton du chapitre est négatif et beaucoup trop « plaignard ». Il n'est pas nécessaire ni vrai de tout expliquer par les « malheureuses conditions de notre temps ».

b) On n'a pas indiqué clairement la distinction importante à faire entre le mariage d'un catholique avec un baptisé non-catholique, et le mariage d'un catholique avec un non baptisé. Les baptisés non-catholiques n'aiment guère qu'on les traite comme les non-baptisés.

c) Le mariage d'un catholique avec un baptisé non-catholique, ainsi que le mariage valide de deux personnes baptisées, sont des mariages chrétiens, sacramentels. Il nous semble que le Concile devrait affirmer une vérité aussi importante et du point de vue théorique et du point de vue œcuménique.

Remarques spéciales: *a*) p. 10, lin. 5: enlever: « prae ceteris » qui est offensant pour les baptisés non-catholiques en ce qu'il les identifie sans distinction aux non-baptisés. Cette expression semble minimiser aussi ce qu'il y a de contraire à l'archétype de l'Union du Christ et de l'Eglise dans le mariage de deux catholiques non-pratiquants.

b) Tout le n. 5, linn. 7 à 20, serait à enlever pour les raisons indiquées plus haut.

c) La formulation du n. 6 (linn. 21 à 30) est à changer pour adopter à peu près le ton suivant:

Les Evêques doivent si bien instruire leurs fidèles de la beauté et de la grandeur du sacrement de mariage que ceux-ci tout spontanément désirent contracter mariage avec une personne partageant les mêmes principes religieux pour pouvoir réaliser parfaitement dans leur vie l'archétype de l'union du Christ avec l'Eglise.

d) *Les « cautiones »*. Nous n'ignorons pas les difficultés que soulève le problème des « cautiones ». Après avoir envisagé toutes les solutions possibles, avec leurs avantages et leurs inconvénients, nous sommes d'avis de faire porter par la partie catholique tout le fardeau des « cautiones ». C'est pourquoi, nous proposons d'éliminer, p. 11, les lignes 27 à 30: « pariter cautionem praestet coniux non catholicus ... etc. ». Par ailleurs, nous ajouterions, p. 10, n. 2, lin. 26: « et affirmet (pars catholica) se habere certititudinem moralem de cautionum expletione ». De cette façon nous heurtons moins les exigences de conscience de la partie non-catholique, et nous amenons la partie catholique à prendre vraiment ses responsabilités.

Toutefois, nous laisserions aux Conférences Episcopales le soin d'exiger davantage des non-catholiques, dans les cas particuliers, puisque les besoins semblent varier avec les diverses régions.

N.B.: Les raisons canoniques de dispenses sont vieillies, ne sont pas prises au sérieux, soulèvent bien des difficultés pratiques, ne permettent pas de toujours régler le problème des mariages mixtes avec équité. Ne pourrait-on pas suggérer une législation positive qui soit plus près de la réalité vécue: par exemple, l'existence d'un véritable amour entre deux jeunes gens est une raison plus sérieuse pour concéder la dispense que le fait d'être enceinte ou d'être « superadulta ».

e) p. 11, lettre e, lin. 35: nous ajouterions que la partie catholique doit respecter la liberté de conscience de l'autre partie et l'œuvre de la grâce en elle.

f) *La forme canonique*. Sur cette question, les Episcopats des différents pays sont partagés, selon les problèmes pastoraux qu'ils rencontrent dans leurs territoires respectifs. Il faut une solution souple qui puisse répondre à tous les besoins. Nous proposons de compléter ainsi le paragraphe sous la lettre *f*), ligne 38:

« Tamen Conferentiae Episcopales nationales dispensare poterunt a forma canonica celebrationis matrimonii pro matrimoniis mixtis, prout exigent bonum Ecclesiae et salus animarum ».

g) *La forme liturgique*. P. 11, lin. 41: donner une formulation positive: « Missae autem celebratio, etiam missae " pro sponsis ", celebrari poterit, si ita disposuerint Conferentiae Episcopales in singulis regionibus ».

h) P. 12, linn. 7-8: enlever les mots « et dein vera poenitentia resipuerit ». Tous les mariages invalides ne sont pas nécessairement coupables.

30. *B. P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.*

P. 11, n. 7: *b*) Haec eadem prohibitio extendenda videtur ad formam matrimonii mixti, ita ut defectus formae non amplius attingat validitatem.

d) Videtur quod Regnum Dei magis patitur per impositionem, ad validitatem, formae celebrationis in matrimoniis mixtis, quamvis adsit possibilitas dispensationis, ad quam rarissime recurritur.

f) In hac forma substantiali determinanda, prae oculis habendae sunt difficultates, quae fere inutilem reddunt facultatem concessam (per hoc schema, p. 12, n. 8) Ordinario loci sanandi in radice matrimonia mixta.

31. *Exc.mus Carolus H. Helmsing, Episcopus Kansanopolitanus - Sancti Ioseph.*

1. In the United States of America there are many non-Catholics who have received Baptism in non-Catholic religious communities. Many of these individuals enter into marriage hastily, often in the presence of a civil magistrate. Many of these marriages end in civil divorce, and yet since the persons are not bound to the form of marriage prescribed for Catholics, the marriage is deemed valid, sacramental, and hence indissoluble. Not infrequently, following civil divorce, the parties to such marriages desire to embrace the Catholic faith and enter into a new marriage. Since, however, their marriage is indissoluble, this becomes impossible.

It would perhaps be well to consider binding these persons to some religious form of marriage, that is, to the form established in their own religious community or denomination.

Such legislation on the part of the Catholic Church would not alienate non-Catholic Christians, since it would be a recognition of the religious value of their own forms of marriage, but would at the same time make it possible for many to embrace the Catholic faith and to enter into a Catholic marriage.

32. *Exc.mus Hermannus Schäufele, Archiepiscopus Friburgensis.*

N. 5, p. 10, linn. 7-20: datis rationibus, quibus crescens numerus matrimoniorum mixtorum adiudicatur, addendum est praeprimis simplex factum, quod in Europa centrali generatim fere dimidia pars populationis est acatholica, et si quis cogitat de matrimonio ineundo, respicit naturae instinctu primo indolem partis humanam, corporalem et spiritualem, deinde eius religionem.

N. 7, p. 11, linn. 33-35: laeto animo notatur, quod can. 1062 C.I.C. non iam apparet, immo suppressus haberi debet.

Quoad celebrationem Missae in matrimoniis mixtis votum meum, duce diuturna observatione, hoc est, ut simpliciter permittatur.

Gaudeo quod Schema non loquitur de possibilitate adeundi ministrum acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum (uti quidam somniabant), sed potius sustinet ex toto can. 1063, C.I.C.

33. *Exc.mus Dominicus Fukahori, Episcopus Fukuokaënsis (in Iaponia).*

Difficultates quae inveniuntur in terris missionum, praesertim in Iaponia:

1. In fere omnibus dioecesibus Iaponiae (una tantum excipitur, in quantum scimus), maxima pars catholicorum matrimonium cum infidelibus ineunt, non quia volunt, sed quia compartem catholicam invenire nequeunt.

2. Non adsunt nisi duae vel tres scholae catholicae in quibus pueri catholici omnes admittuntur. Una ex his scholis sita est in paroecia ubi catholici sunt valde numerosi. Haec schola est paroecialis et recipit tantummodo pueros catholicos. In aliis scholis catholicis, pueri tantum admittuntur qui feliciter examen admissionis subierunt. In fere omnibus dioecesibus Iaponiae, maior pars puerorum catholicorum educationem catholicam recipere nequit, praesertim quia vivunt in locis ubi non adsunt scholae catholicae. In talibus circumstantiis, quid valet cautio de « educatione catholica » danda?

3. Non raro, pars catholica nequit eligere partem quam vult. Saepe coniux praesentatur a parentibus; et si recusat hunc coniugem, magna cum difficultate alium invenire potest. Saepe, alium coniugem invenire nequit.

4. Non raro, valde difficile et saepe impossibile est cautiones exigere a parte infideli: sive quia pars acatholica vivit in pago remoto et non adit sacerdotem nisi die caeremoniae nuptialis. Tunc, impossibile est exigere cautiones, propter defectum temporis; sive quia nonnulli infideles offenduntur, quando cautiones exiguntur. Et infidelis qui iam offensus est, non facile ad fidem converti potest; sive quia plures non volunt documentum officiale subsignare; sive quia infideles nonnulli putant Ecclesiam violare eorum libertatem, hoc exigendo; vel putant se ipsos violare libertatem puerorum suorum si cautiones subsignant.

5. Etiamsi pars acatholica cautiones subsignat, in pluribus casibus nullo modo intendit se ligare, quia bona fide putat Ecclesiam violare sive libertatem suam propriam, sive libertatem puerorum suorum. Propter hoc desiderium servandi libertatem puerorum suorum, multi infideles non volunt promittere suos pueros baptizare vel offerre ad baptizandum, antequam usum rationis attingant. Attamen, de facto, saepe permittunt, postea, ut infans paulo post nativitatem suam baptizetur.

6. Nonnulli acatholici non possunt, vel nullo modo ante sacerdotem se sistere volunt pro celebratione matrimonii: sive quia parentes sese opponunt; sive quia pars catholica templum acatholicum (paganum) adire renuit.

7. Adsunt infideles qui putant matrimonium incipere a momento quo consensus manifestatur secundum consuetudines locales, vel a momento quo matrimonium registratur apud Auctoritatem civilem, non autem a momento quo caeremonia in Ecclesia et coram sacerdote perficitur. Quapropter, nonnulli verum consensum non praebent quando caeremonia religiosa perficitur coram sacerdote, sed tantum quando caeremonia, sic dicta « traditionalis » perficitur postea.

Difficultates supra breviter descriptae non sunt « omnes » difficultates quae inveniuntur in terris missionum, sed tantummodo « praecipuae » difficultates. Valde ergo optandum est ut legislatio canonica relaxetur.

34. *B. P. D. Maximus IV Saigh, Patriarcha Antiochenus Melchitarum.*

Schema Decreti *De Matrimonii Sacramento.*

Nos remarques, en ce qui concerne ce Schéma, d'allure plutôt canonique, porteront uniquement sur le Chapitre II: *De matrimoniis mixtis.*

Nous posons d'abord la question: Ce Chapitre vaut-il aussi des Orientaux? En effet, la matière est traitée de nouveau, en ce qui les concerne, dans le Schéma: « De Ecclesiis Orientalibus ». En ce cas, l'un des deux chapitres ou paragraphes fait double emploi et doit être supprimé. Si, par contre, ce Chapitre est réservé uniquement à l'Eglise latine, il faut le dire clairement.

Mais, même si ce chapitre ne devait s'appliquer qu'à la seule Eglise latine, nous pensons qu'il est rédigé dans un ton inutilement sévère et souvent offensant pour nos frères non-catholiques. Inutilement sévère, car le pourcentage des mariages mixtes ne fait que croître dans tous les pays, et ce n'est pas les paroles dures qui peuvent les empêcher. Souvent offensant, car il considère la partie acatholique comme étant nécessairement un danger, quel que soit, par ailleurs, son comportement personnel.

Au moment, où les Eglises chrétiennes s'ouvrent au dialogue œcuménique, il ne

convient pas au Concile, nous semble-t-il, de parler si superficiellement d'un problème très grave qui touche la vie des fidèles et de l'Eglise elle-même.

C'est un chapitre à refaire entièrement par la base, dans une perspective plus réaliste et plus œcuménique à la fois.

1. Il faut partir du principe que les mariages mixtes sont *inévitables.* Que l'on pense surtout aux pays où les catholiques sont en minorité, ou même à égalité avec d'autres confessions chrétiennes. Il est normal que l'amour naisse chez des jeunes gens de confession différente.

2. Les mariages mixtes ne sont pas *nécessairement mauvais.* Tout dépend des dispositions des contractants. Ni l'Ecriture ni les Pères ne les interdisent absolument.

3. *Il ne faut pas englober sous le même dénominateur commun* les mariages avec des chrétiens non-catholiques et des non-chrétiens. C'est une offense pour nos frères séparés, et c'est une injustice en soi.

Pour une jeune fille catholique, il y a une grande différence entre épouser un orthodoxe et épouser un musulman. De cela le droit canonique doit tenir compte, non seulement théoriquement, mais aussi pratiquement, en n'exigeant pas les mêmes conditions pour un cas comme pour l'autre.

4. L'Eglise ne doit jamais favoriser l'hypocrisie. Souvent les mariages mixtes, du point de vue religieux, sont un conflit entre deux sincérités. Le conjoint catholique estime à juste raison devoir baptiser les enfants dans l'Eglise catholique et les éduquer ensuite dans la foi catholique. Le conjoint non-catholique s'engage bien à respecter les convictions religieuses de son conjoint catholique. Mais, *en conscience,* il ne peut abdiquer ses propres convictions religieuses. Il voudra donc, lui aussi, baptiser les enfants et les éduquer dans sa foi à lui. Que faire? Le droit canon catholique actuel exige de lui qu'il s'engage en conscience à faire des choses contre sa conscience. Est-ce moral? Qu'est-ce qui arrive de fait? Le conjoint non-catholique, s'il est incroyant ou indifférent, promet tout ce que l'on voudra. Ainsi, on autorise le mariage, et on considère du côté catholique que ce mariage mixte est réussi, alors qu'il est basé sur l'irréligion et l'hypocrisie. Mais si, par contre, le conjoint acatholique, conscient de ses devoirs, fait valoir ses droits, qui ne sont pas subjectivement moindres que ceux de l'autre conjoint, à voir baptiser et éduquer ses enfants dans sa foi, on refuse l'autorisation. C'est une attitude pour le moins anormale.

5. En outre, ne pourrait-on pas arriver, avec un peu de bonne volonté de part et d'autre, à voir dans les mariages mixtes, non nécessairement un danger, mais *une chance de rapprochement entre les chrétiens,* un apostolat, une recherche d'œcuménisme? En ce qui concerne nos pays d'Orient, nous déclarons franchement que nos chrétiens, aussi bien orthodoxes que catholiques, sont choqués par la rigidité que met la discipline catholique à autoriser les mariages mixtes. Ce qui scandalise les fidèles, ce n'est pas le fait que des chrétiens de confessions différentes se marient entre eux, mais le fait qu'ils ne puissent se marier que si difficilement.

6. Enfin la conception des « cautiones » exigées par le droit canon actuel doit être complètement revue. Il est normal d'exiger de la partie catholique de s'engager à faire ce qu'elle peut en faveur de sa foi. Mais il n'est pas normal d'exiger d'elle qu'elle s'engage à faire ce qui ne dépend pas d'elle, ou qu'elle s'engage à

amener le conjoint non-catholique à faire ce que sa conscience lui interdit de faire.

Ce chapitre des mariages mixtes doit être étudié par le Concile sur de toutes autres bases que celles de l'actuel Schéma, qui se met encore dans l'hypothèse d'une catholicité vivant entre elle et regrettant amèrement tout contact avec l'étranger, qu'il soit infidèle ou non-catholique. Nous n'en sommes plus là, et fort heureusement du reste. Si le Concile doit opérer une œuvre d'*aggiornamento,* c'est bien dans ce domaine. Il faut voir les réalités, telles qu'elles sont, et y porter la réponse du Christ. Des duretés fictives ne font qu'aggraver le mal.

Observations sur le texte.

1. N. 4, p. 10, lignes 1 et 6; n. 6, p. 10, ligne 23: Pourquoi l'adverbe « témérairement » dans l'expression: « de matrimonio mixto temere non contrahendo » et autres semblables? Dire plutôt: « De matrimonio mixto imprudenter non contrahendo ». Le mot « temere » est offensant.

2. N. 5, p. 10, lignes 7-20: Tout ce paragraphe est à refaire. Les rédacteurs du Schéma entendent expliquer les raisons pour lesquelles le nombre des mariages mixtes a augmenté.

Mais ils le font d'une manière si simpliste que le Concile risque d'être tourné en dérision si leur texte est adopté. La première raison, c'est, dit-on, le déplacement des personnes qui a fait que des populations catholiques sont venues en contact avec des populations qui ne le sont pas, et on semble le regretter.

Ceci vaut peut-être de certaines régions de l'Allemagne. Mais, pour l'ensemble des pays, ce motif est vieux comme le monde. Partout, ou presque, les catholiques côtoient des non-catholiques, et c'est heureux.

La 2[e] raison, c'est, dit-on, « qu'on ne peut souvent pas empêcher » les catholiques d'entrer en contact socialement avec les non-catholiques et que ce commerce civil donne lieu à des mariages. Peut-il se faire qu'il en soit autrement?

Enfin, la 3[e] raison, c'est, dit-on, «la diminution de la piété ». Donc, les mariages mixtes sont un mal, et un catholique qui veut être pieux doit s'abstenir pour cela même de contracter mariage avec un non-catholique, et cela indépendamment de toute disposition personnelle de la partie non-catholique. Nous pensons au contraire que les mariages mixtes sont l'expression de rapports plus étendus que par le passé entre chrétiens de différentes confessions. C'est un signe des temps.

3. N. 7, p. 11, lignes 24-26: On exige, comme condition nécessaire pour autoriser le mariage mixte « que la partie catholique *garantisse* sincèrement qu'elle accomplira son devoir de baptiser les enfants et de les éduquer dans la religion catholique ». Comment la partie catholique peut-elle s'engager à une chose dont l'accomplissement ne dépend pas uniquement d'elle? Il ne faut pas lui demander de s'engager à plus qu'elle ne peut faire. Rationnellement, on doit se contenter de demander à la partie catholique de s'engager *à faire son possible,* sincèrement et honnêtement, pour que les enfants soient de son Eglise et partagent sa foi. Mais elle ne peut s'engager à plus.

4. N. 7, p. 11, lignes 29-30: On exige de la partie *acatholique* « se non repugnaturum ut proles catholice baptizetur eiusque catholicae educationi provideatur ». Comment un chrétien non-catholique, s'il est sincère et convaincu de sa foi, peut-il donner une telle promesse? Il ne le fera que s'il est incroyant, indifférent ou menteur. On a ainsi encouragé les vices, afin de satisfaire au droit canon. Ce n'est pas normal.

5. N. 7, p. 11, ligne 39, fin: Ici on veut montrer jusqu'au bout sa mauvaise humeur. N'ayant pas pu empêcher les mariages mixtes, on veut manifester néanmoins qu'on ne les a autorisés qu'à contre-cœur. Et alors on prévoit un rite de mariage diminué, caché, humiliant, etc. Pourquoi tout cela? Si on a autorisé un mariage mixte, c'est qu'on a estimé que toutes les conditions requises étaient remplies. Il n'y a qu'à le bénir comme les autres mariages.

Caput III
DE CONSENSU MATRIMONIALI

35. *Em.mus Paulus M. Card. Richaud, Archiepiscopus Burdigalensis.*

Caput III videtur insufficiens quando tractat in n. 10 de animo contrahendi matrimonium. Aliunde num nimis severior obligatio, in n. 10, p. 13, lin. 16, pro omnibus coniugibus habendi rectam intentionem circa ipsum Sacramentum, ut tale. Multi non credunt Sacramento. Quid tunc de ista recta intentione?

Valde dolendum est quod in hoc loco non fit quaestio de finibus matrimonii. Doctrina de hac re non est profecto sine controversiis. Sed videtur expetendam esse revocationem quandam finium essentialium matrimonii, inter quos possibile est inserere, saltem ut intentionem non ut elementum ad validitatem necessarium, amorem ipsum coniugum qui amor cordium dat humanam speciem contractui matrimoniali.

Non impossibile est praesertim si sit ad caritatem supernaturalem erectus, de ullo consensu statuere nisi ratione essentialium eius elementorum.

Pars moralis: humillimo meo sensu, plane deficit in his argumentis.

36. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifacii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, una cum Peritis canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarque générale: Ce chapitre répète le plus souvent les lieux communs en droit canon. Mais il fallait peut-être dire encore quelque chose sur le sujet.

Remarques spéciales: *a*) p. 13, lignes 3-4: enlever le texte « etiam quando contractus ad dignitatem sacramenti, ut inter baptizatos, elevatur » non nécessaire. Dans ce n. 9, on répète trois fois la nécessité du consentement. C'est pourquoi on pourrait aussi enlever les textes suivants: « Coniugalis enim coniunctio non oritur nisi ex libero utriusque sponsi ... ad matrimonium constituendum, ut nulla humana potestate suppleri possit » (lignes 7-8-9).

b) P. 13, lignes 18-19: enlever: « Quod vitium, in re tam gravi et sacra, humano convictui et maxime dignitati christianae adeo repugnat, ut » et simplement affirmer « Quare contrahentes semper censendi sunt ... etc. ».

c) P. 14, lignes 3-4-5: enlever ce texte qui est une répétition de ce qui a été dit à la page 13, lignes 19-20-21.

d) P. 14, ligne 6: le paragraphe commençant par « Ecclesia nihilominus » donne-t-il à la partie coupable la possibilité d'attaquer son mariage? Probablement que non (cf. Caput V, n. 17, p. 21, lignes 32-33; p. 22, lignes 1-2), mais le texte n'est pas clair.

e) P. 14, lignes 12-15: ce paragraphe parle d'une façon trop absolue: « nequaquam ».

37. *B. P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.*

P. 13, n. 10, lin. 25: Determinandum est num existentia gravis causae et licentia Ordinarii loci exigantur ad validitatem vel ad liceitatem.

38. *Exc.mus Hermannus Schäufele, Archiepiscopus Friburgensis.*

P. 13, linn. 22-26: vetat, ne apponantur condiciones; quod quidem omnium consensum meretur. At dolendum est quod verba Schematis « nisi ex gravi causa atque de licentia Ordinarii loci » denuo exceptiones reddunt possibiles. Optandum est, ut appositio cuiuslibet condicionis simpliciter prohibetur.

Caput IV

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

39. *Em.mus Paulus M. Card. Richaud, Archiepiscopus Burdigalensis.*

In Cap. IV, n. 13, pag. 14, lin. 28, opportuna est *facultas subdelegandi,* non solum pro vicariis cooperatoribus, sed etiam pro vicariis substitutis.

In eodem numero p. 16, lin. 6, forsan addendum est quod sacerdos de quo agitur, excommunicatus, vel interdictus, vel suspensus, non tantummodo « talis declaratus » sit, sed etiam a coniugibus ut talis cognitus.

In Commentario de forma celebrationis matrimonii, legimus in ultima linea p. 17, quod in conflictu iurium « ius naturale praevalere debet ». Num possit legitime abhinc concludere, in casu partis catholicae et partis non catholicae quae ista vehementer et non sine gravibus minis non vult matrimonium contrahere coram Ecclesia, quod tale matrimonium sine ulla forma non est necessario invalidum, ut antea dicit hoc schema?

40. *Exc.mus Ioseph Dammert Bellido, Episcopus Caiamarcensis.*

N. 14. Para las vastas regiones de América latina que carecen habitualmente de sacerdote, debe estudiarse la posibilidad que los matrimonios se realicen válidamente ante un diácono o catequista debidamente instruído y autorizado por el Ordinario de lugar. De hecho en las zonas andinas las uniones de los indios son monogamas sin recibir la benedición sacerdotal por ignorancia o falta de clero.

41. *Exc.mus Emmanuel Talamas Camandari, Episcopus Civitatis Juarezensis.*

P. 15, n. 13: Frequentissime hic datur casus in re matrimoniali: expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda, parochus designavit sponsis diem, horam et locum pro celebratione eorum matrimonii; at, huius rei obliviosus factus, iter aggreditur per unum alterumve diem, relinquens in paroecia amicum sacerdotem ad celebrationem missae, sed sine delegatione, vel — in nova disciplina huius schematis — sine licentia ad matrimonium adsistendum. Hora autem missae consueta sponsi praesentantur cum omni comitatu. Quid facere? In actuali disciplina potest recursus fieri ad provocationem erroris communis propter nimiam gravitatem casus, nempe, periculum ne sponsi contrahant solum coram civili magistratu, vel saltem magnam tristitiam per totam vitam, vel, quod peius est, iracundiam patiantur.

In nova disciplina Concilio proponenda quomodo providetur his casibus? Si sacerdos sine delegatione assistit tali matrimonio incurritne ipsa facto in suspensio-

nem Ordinario loci reservatam? Et si gaudet delegatione generali sed assistit sine licentia, meretur puniri ab Ordinario loci congruis poenis? Vel iterum matrimonio assistit provocando errorem communem? Ideo videtur necessarium hoc vel aliud simile addere textui schematis: « Quando morali certitudine constat sponsos omnia feliciter explevisse quae ius constituit pro libertate status comprobanda, et non adsit tempus recurrendi ad loci Ordinarium, ad parochum aliumve sacerdotem valentem concedere delegationem vel licentiam, et simul urgeat celebratio matrimonii, valide et licite tali matrimonio assistit quilibet sacerdos, dummodo non sit per sententiam excommunicatus, vel interdictus, vel suspensus aut talis declaratus, et matrimonium in Ecclesia vel Oratorio publico celebretur; aut, si infelici casu nec Ecclesia nec Oratorium publicum in aliquo pago adest, matrimonium celebretur loco decenti et publico, in quantum fieri possit ».

Hoc ultimum comma additur quia in multis regionibus nostrae Americae, et forsan etiam in regionibus missionum, multi admodum adsunt pagi qui carent Ecclesia vel Oratorio. Ideo quando a parocho vel missionario visitantur sacrum litatur et sacramenta administrantur in aliqua domo grandiore vel sub dio si temperies non obstat.

P. 16, n. 14: Forma extraordinaria ibi proposita celebrationis matrimonii non satis solvit fere inextricabiles difficultates quae ex canone 1098 nunc oriuntur. Etenim, quotiescumque matrimonium aliquod ex se valide contractum extra periculum mortis, iuxta canonem 1098, *in nova disciplina,* infelicem successum haberet postea, et ambo sponsi, vel saltem unus illorum in propriam viam abiret vel abire vellet; et ideo affirmat se non contraxisse matrimonium in facie Ecclesiae; quomodo probari posset validitas talis matrimonii si contractum fuit sine recursu facto ad Ordinarium loci quia non potuit fieri hic recursus?

Iterum: quomodo probari posset, post annos, quod revera in aliquo determinato casu talis recursus non potuit fieri? Quia si potuit fieri et non factus fuit, matrimonium esset invalidum.

Item: quomodo probari posset post annos, praesertim in regionibus longinquis nostrae Americae, vel Africae, vel Asiae, quod recursus ad Ordinarium factus fuit, si non pervenit ad Curiam episcopalem, v. g., propter defectus publici servitii postalis? (la posta, italice; correo, hispanice).

Adhuc: quomodo probari posset post annos, matrimonium celebratum fuisse post mensem ab interposita petitione sine responsione, si multi christifideles propter eorum magnam inscitiam, aliquando nec annum eorum matrimonii cum certitudine in memoriam revocant, multo minus mensem et diem?

Ideo, in tam difficili quaestione, haec duo audeo proponere: 1) Ad valide contrahendum matrimonium coram solis testibus extra periculum mortis, praeter condiciones praescriptas in canone 1098 C.I.C. requiritur:

a) vel ut matrimonium celebretur coram teste qualificato illius loci vel regionis, qui potest esse quilibet christifidelis, vir, si fieri potest, potius quam mulier, ob Ordinario loci ad hoc auctoritative nominatus et debite instructus, suggerente vel non proprio parocho. In hoc casu, testis qualificatus praeviam informationem circa statum libertatis sponsorum facere debet; consensum matrimonialem in actu celebrationis exquirere; constantiam matrimonii in libro ad hoc destinato relinquere et opportuno tempore proprium parochum de celebratis tali forma extraordinaria matrimoniis certiorem facere.

b) Vel, ubi testis qualificatus loci vel regionis auctoritative ab Ordinario loci

nominatus desit vel absit, ut fiat in scriptis petitio Ordinario loci aut proprio parocho et matrimonium non celebretur nisi post acceptam responsionem, etiam in scriptis. Curandum est autem, schedulis ad hoc adhibitis, et a sponsis et a testibus quomodocumque subsignatis, ut statim parochus certior fiat de celebratione matrimonii hac forma extraordinaria.

Propositiones ex sequentibus videntur iustificari: etenim ex una parte urget necessitas statuendi formam extraordinariam celebrationis matrimonii, ne multi qui non possunt servare formam ordinariam vivere cogantur in peccato mortali habituali, cum saepe saepius non possit differri matrimonium sine gravi damno utriusque, vel saltem unius sponsi; ex altera parte necessarium est etiam talem formam extraordinariam constituere determinatis condicionibus quae generatim facile et clare possint verificari in quocumque casu, eo fine ut etiam clare et feliciter constet et possit demonstrari in foro externo valor matrimonii hac forma extraordinaria verificati.

Ad utrumque iuvant superius factae propositiones; si enim ubicumque necessarium vel conveniens sit, a loci Ordinario nominatur et ad hoc instruitur aptus christifidelis qui munere fungatur testis qualificati; sponsi qui non possunt contrahere forma ordinaria faciliter poterunt contrahere coram tali teste qualificato, qui supponitur vivere vel in eodem loco ac illi qui volunt contrahere, vel in loco omnino proximo. Si autem nec testis qualificatus haberi potest, tunc exigitur recursus ad Ordinarium loci vel ad proprium parochum cum responsione in scriptis data, ut constantia adsit de verificatis condicionibus in quibus canon 1098 effectum habet, ad hoc ut cessent dubia quae posteriori tempore oriri solent vel promovere audent illi quibus interest impugnare valorem determinati matrimonii.

42. *B. P. D. Paulus Petrus Meouchi, Patriarcha Antiochenus Maronitarum.*

Ne faudrait-il pas revenir à l'ancienne législation pour ce qui regarde la forme du mariage, comme cela fut déjà noté dans le Schéma « De Ecclesiis Orientalibus ». Il y aurait à comparer les deux textes et les rapprocher.

43. *Exc.mus Ioannes J. Weber, Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis.*

Caput IV: Pp. 15-16, nn. 13 et 14 ad simpliciorem formam redigatur.

44. *Exc.mus Victorius Ottaviani, Episcopus Alatrinus.*

P. 16 *d*): Validitas « ex statuto Concilii » matrimonii, quod contrahatur coram sacerdote, qui praescripta delegatione careat ad assistendum, optimum remedium est ad matrimonia vitanda invalida ex defectu formae, insciis contrahentibus.

At concessa validitas ansam praebere potest matrimoniis clandestinis. Contrahentes in mala fide, praetermissis omnibus, quae matrimonii celebrationi praemitti debent, possent invenire sacerdotem, qui valide eorum matrimonio assisteret, parocho ignaro vel etiam contrario, ex iusta causa.

Ad haec pessima consectaria praecavenda ita temperarem optimam concessionem:

« *d*) Si contigerit ut matrimonium, *iam publicatum et a legitima auctoritate adprobatum,* contrahatur etc. ... ».

45. *Exc.mus Radulfus Zambrano Camader, Episcopus Facatativensis.*

Me parece que se presta a tremendas dificultades el hacer depender la *validez* del matrimonio coram solis testibus extra mortis periculum de:

a) ut petitio Ordinario loci facienda, *si fieri possit,* omissa non fuerit.

Una condición indeterminada, como queda la petición *si fieri possit,* dejaría margen para múltiples dudas.

En parroquias de gran extensión, donde no existen buenas vias de comunicación, es muy expuesto el correo, o no lo hay regular y en esos casos, se preguntarían los contrayentes si deberían enviar una persona particular con la solicitud, o si no estarían obligados a éllo. Y sin embargo es precisamente en favor de las personas que habitan en semejantes sitios para lo que sirve la forma extraordinaria.

Me atrevo a sugerir que se deja solamente la condición *b*), o se agregue otra perfectamente determinada que no admita confusión.

46. *Exc.mus Paulus Nguyen Van Binh, Archiepiscopus Saigonensis.*

N. 13 *c*; p. 15 et fin de *d*: D'après ce texte un prêtre qui a reçu une délégation, générale ou particulière, pour assister à un mariage doit *de plus* demander une permission ou autorisation (licentia) pour exercer cette délégation.

S'il n'a pas cette permission, le mariage reste valide, mais il doit être puni (« ab Ordinario loci congruis poenis puniatur »). Dans ce cas la différence entre le prêtre non-délégué et le prêtre délégué est seulement dans la gravité de la sanction. La validité reste la même.

A quoi bon cette délégation si elle ne comporte pas « ipso facto » la permission d'en user?

Elle perd toute signification et entraîne des complications superflues. Cette distinction entre délégation et permission n'existait pas dans le Droit Canon. Elle n'apporte aucune autorité supplémentaire à la Hiérarchie. Celle-ci peut toujours restreindre la délégation aux cas qu'elle juge bons.

N. 14, *a*); p. 16: Une précision pourrait être ajoutée au texte: « ut petitio Ordinario facienda, si fieri possit, omissa non fuerit *cum mala fide,* vel matrimonium... ».

N. 13, p. 15: L'expression « vicarius cooperator » devrait être bien précisée par le droit canon.

47. *Exc.mus Alaphridus Obviar y Aranda, Episcopus tit. Linoënsis, Administrator Apost. Dioecesis Lucenensis.*

N. 13. *Forma ordinaria celebrationis matrimonii.*

Observatio: Saepe cum in paroecia actus ministeriales, nempe confessionis, baptismi, exsequiarum et matrimonii die ipso perdurante conglomerentur, num ritus Matrimonii celebrationis reduci poterint?

N. 14. *Forma extraordinaria celebrationis matrimonii.*

Observationes: Cum peragatur de matrimonii extra periculum mortis celebratione in locis dissitis a centro paroeciali, sicut in illis vicis, quo sacerdos adire nequeat, considerata ignorantia fidelium religiosa, humana malitia, et vitae penuria, num Sancta Mater Ecclesia formam canonicam, concretam et simplicem celebrationis Matrimonii ad validitatem in circumstantiis supra memoratis, omissis condicionibus, determinare poterit? Si hoc possibile est, de validitate talis Matrimonii relate ad effectus subsequentes facile diiudicare poterit.

48. *Exc.mus Dominicus Lucas Capozi, Episcopus Taeiüenensis.*

I – In cap. IV, n. 13, *b*: Inutilis et superflua mihi videtur facultas generalis

ad valide matrimoniis assistendum, si sacerdos sic delegatus indiget insuper licentia expressa pro singulis matrimoniis celebrandis.

Dicatur simpliciter: « Firmis iuris praescriptis circa requisita ad licitam assistentiam matrimoniis, ex expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda, loci Ordinarius et Parochus cuilibet Sacerdoti facultatem et licentiam expressam et si possibile scriptam dare potest pro singulis ac determinatis matrimoniis celebrandis, intra fines dumtaxat sui territorii.

Vicario vero Cooperatori vel alio Vicario a loci Ordinario vel a proprio Parocho delegatio etiam generalis dari potest pro matrimoniis celebrandis, cum facultate etiam subdelegandi in singulis ac determinatis casibus ut supra, et servatis de iure servandis.

II – N. 13, *d*: Deleantur verba in linea sexta, nempe verba: « et matrimonium in Ecclesia vel Oratorio publico celebretur ». Ratio est quia ista verba practice multa dubia de validitate matrimonii ingerere possunt nonnumquam praesertim in locis missionum, vel inter Cappellanos militum, et cetera, etc.

49. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifatii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, una cum Peritis canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarque générale: Les raisons des changements de la législation concernant la forme ordinaire et extraordinaire du mariage sont bien expliquées dans le « Commentarius » qui fait suite à ce chapitre.

Remarques spéciales: *a*) Le n. 12, p. 15, fait encore état des malheurs de notre temps. Nous proposons une rédaction simplifiée et positive. C'est pourquoi nous enlèverions les lignes 9 et 10. Le paragraphe suivant, lignes 11 à 19 pourrait se lire ainsi: « Cum tamen sub hodiernis legibus, propter varias rationes, non raro contingat ut matrimonia periculo invaliditatis exponantur, Patres huius Concilii Vaticani Secundi volentes tueri matrimonii validitatem, in vigenti disciplina de forma celebrationis matrimonii sequentes immutationes introducendas decernunt ».

b) P. 16, n. 14: les nouvelles exigences posées pour la forme extraordinaire se justifient sans doute, mais ne manqueront pas de causer des difficultés canoniques: v. g.: l'interprétation du « si fieri possit ».

50. *Exc.mus Hermannus Schäufele, Archiepiscopus Friburgensis.*

P. 16, linn. 12-20: ad valide contrahendum matrimonium requiritur, ut petitio Ordinario loci facienda non omittatur « si fieri possit »; at non definitur, quandc talis petitio habenda est possibilis. Videtur quod Schema non satis respicit condiciones in terris communismo atheo subiectis vigentes.

CAPUT V

DE PROCESSU MATRIMONIALI

51. *Em.mus Paulus M. Card. Richaud, Archiepiscopus Burdigalensis.*

Caput V *de Processu Matrimoniali,* bene exaratum et multo practicum, clamat logice, ad praeparationem spiritualem et catecheticam institutionem, ut, saltem in principiis, sed accurate propositis, fit expositio vera ac completa in hoc ipso Sche-

mate de doctrina contractus et sacramenti matrimonialis, de iuribus et de officiis coniugum, de debito coniugali et de eius condicionibus, de mediis contra procreationem, etc. ...

Sunt quaestiones omnino actuales de quibus, si Concilium Vaticanum Secundum non tractet in aliis schematibus, forsan in Schemate XVII « de praesentia efficaci Ecclesiae in mundo hodierno », non possunt Patres dicere ad urgentia problemata religiosa ac moralia nostri temporis sese applicare.

52. *Exc.mus Ioseph Dammert Bellido, Episcopus Caiamarcensis.*

6. N. 15 (§ II, linn. 15-18). Agregar que los Tribunales romanos (S. Rota, Signatura Apostolica y aún les Comisiones especiales de Cardenales por Rescripto Pontificio), antes de pronunciar sententia, escuchen al Ordinario de lugar de los cónyuges y si es posible le hagan conocer el proceso « ne causae pertractentur coram iudicibus rerum personarumque ignaris ».

Por lo menos los Ordinarios de lugar sean informados por un resumen del proceso que acompañe a la sentencia, que luego ellos deben hacer cumplir.

Esta observación se presenta con todo respeto por los Tribunales Apostólicos, pero no es concebible que el Ordinario de lugar, responsable de los fieles, no sea informado sobre los motivos y razones de las declaraciones de nulidad matrimonial.

53. *Exc.mus Ioannes J. Weber, Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis.*

Caput V, p. 22, lin. 14 addatur: « Exaratur et publicae fiant regulae de solutione vinculi naturalis in favorem fidei ».

54. *Exc.mus Bernardus Stewart, Episcopus Sandhurstensis.*

In caput V: maturior adhuc desideratur consideratio de processu matrimoniali, speciatim de ordinatione tribunalium regionalium ac de eorumdem competentia.

55. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifacii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, simul cum Peritis canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarque générale: Ce chapitre est bien fait. Il indique clairement, p. 22, n. 18, les principaux problèmes pastoraux qu'il faut aborder en cette matière dans la rédaction du futur code de droit canonique.

Pourrions-nous suggérer aux Evêques canadiens de demander au Saint-Siège la permission de constituer un Tribunal canadien de troisième instance?

56. *B. P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.*

P. 12, n. 17: Ius accusandi matrimonium non videtur posse coarctari, quoad tempus, pro coniugibus, cum agatur de causa de statu personali, quae numquam in rem iudicatam transit.

P. 22, n. 18, lin. 13: Indicanda sunt haec media technica.

57. *Exc.mus Hermannus Schäufele, Archiepiscopus Friburgensis.*

P. 21, linn. 10 ss.: pro Germana Tribunalia Regionalia minime optantur; sed instantissime desideratur, quod Tribunalia dioecesana etiam ut Tribunalia appellationis tertiae instantiae fungi possint, id quod hucusque ut gratia concedebatur.

P. 21, linn. 28-30: processus summarius valere debet etiam pro aliis casibus, v. g. pro impotentia absolute certa vel pro impedimento criminis simplicis, super quo non fuit dispensatio.

Praeterea can. 1990, C.I.C. etiam tunc valere censendus est, quando non omnia elementa documentis probari possunt, sed unum vel alterum certis tamen testium probationibus.

P. 21, linn. 32 ss.: minime placet, quod ius accusandi matrimonium coarctatur; multo magis in votis est, ut Ordinario loci facultas concedatur praebendi ius accusandi etiam iis, qui de iure sunt incapaces.

INSTRUCTIO PASTORALIS DE PRAEPARATIONE NUBENDORUM AD MATRIMONIUM

58. *Exc.mus Ioseph Dammert Bellido, Episcopus Caiamarcensis.*

N. 22. Añadir que no se realicen precipitadamente matrimonios de personas enfermas, en particular en los hospitales por presión de religiosas o capellañes, sin estar ciertos de la libertad y espontaneidad del consentimiento.

También que no se imponga — para salvaguardar el honor — el matrimonic cuando ha habido violación de una menor de edad, pues es muy difícil que haya libre consentimiento.

N. 23 *b*): En America latina y en los países de misión deben prepararse especialmente laicos, hombres y mujeres, para la instrucción de los futuros cónyuges.

59. *Exc.mus Ioannes J. Weber, Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis.*

Instructio: P. 26, ad finem lin. 18 addatur: « Caeremoniale nuptiarum a Conferentiis episcopalibus conficiatur ad normam Sacrae Liturgiae ».

60. *Exc.mus Franciscus Henschke, Episcopus Corvopolitanus.*

I feel that whenever possible, instructions to non Catholic girls should be given by Nuns but that on two or three occasions during the period of instructions, they should interview a priest, preferably in the presence of the Catholic partner.

Girls feel more at home with one of their own sex. Nuns have a way of their own in keeping in contact with their converts for the rest of their lives and, lastly, there have been occasions when girls, either maliciously or with truth, have accused the instructing priest of being imprudent, or worse.

A constant recurring difficulty in a mixed community like ours in Australia is the question of attending marriage in non Catholic Churches. There seems to be no uniformity in the various Dioceses so I feel and know it would be helpful if definite rulings were given in the following cases:

a. Is it permitted to attend a non Catholic Marriage just because one of the parties is a friend?

b. Is it permitted if one of the parties is a relative?

c. May a Catholic act as groomsmam or bridesmaid at a non Catholic marriage? By this I mean may the Catholic be chief witness and thereby sign the Register?

d. When there are several attendants at the ceremony, only two of which sign the Register, may a Catholic be one of these lesser attendants?

We have always had these difficulties but they have increased over the past year or two—the plea being that the Holy Father himself advocates more friendly relations with non Catholics and this is one of the ways of doing so.

The danger is before long some Catholics may attend non Catholic services just to show how broadminded and sympathetic they are.

61. *Exc.mus Mauritius Baudoux, Archiepiscopus S. Bonifacii, Praeses Consilii Conferentiae Episcopalis Canadensis, una cum Peritis canadensibus Concilii Oecumenici.*

Remarque générale: Nous avons beaucoup aimé la présentation très positive de cette « instructio pastoralis ».

Remarques spéciales: *a*) P. 24, linn. 28-29: enlever « non caeco cupiditatis instinctu, vel alio minus nobili impulsu ducti, sed »: non nécessaire.

b) P. 25, linn. 13-14: enlever « A Sacramento ne arceantur sine gravi causa fideles qui matrimonium contrahere contendunt ». Ce texte est inutile et détonne ici.

62. *B. P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.*

P. 26, n. 24: Cum homines, immo et populi, facile migrantur nunc de loco in locum, oportet detegere medium ad statum liberum contrahentium facilius statuendum.

Forsan utile erit instituere, in Ecclesia, « libellum identitatis ecclesiasticae » (carte d'identité ecclésiastique - livret de famille catholique), sicut habetur «libellus identitatis civilis » (carte d'identité).

63. *Exc.mus Dominicus Fukahori, Episcopus Fukuokaënsis* (*in Iaponia*).

Animadversiones quoad partem pastoralem: Praeter instructionem pastoralem « De matrimonii praeparatione », valde optatur ut duae aliae instructiones addantur; scilicet, una Instructio « De modo agendi cum illis qui matrimonium mixtum (v. g. cum parte infideli) inire cupiunt ». In hac Instructione dicetur quomodo agendum sit cum infideli ipso. Et altera Instructio « De modo agendi cum illis qui extra Ecclesiam matrimonium attentaverunt ».

Ultima verba: Qui in terris missionum laborant, valde exoptant ut Concilium Oecumenicum Vaticanum II nonnulla consilia practica et valida pro terris missionum dare dignetur.

Optatur ut « elementum humanum » reformetur, pro salute omnium fidelium, et etiam ut conversio acatholicorum facilior reddatur. « Nel cattolicismo c'è un elemento divino e, perciò, immutabile, ma ci sono anche elementi umani che possono essere riformati, perché siano sempre più perfetti del divino » (P. GRASSO, S. I., *La prima sessione del Concilio Ecumenico,* in *La Civiltà Cattolica,* 15 giugno 1963, p. 558).

Quia tempus deficit, omitto omnes Animadversiones quas praeparavi circa Schema « De Matrimonii Sacramento ». Unum tantum velim notare. Hoc est: in terris missionum, maxima pars matrimoniorum non sunt « sacramenta », quia catholici matrimonium inire debent cum acatholicis non baptizatis seu infidelibus.

64. *Exc.mus Cornelius Lucey, Episcopus Corcagiensis et Rossensis.*

Mutationes: P. 24, n. 21: Substituatur pro paragrapho existenti: « Sponsi christiani, et viri et mulieres coniugem sibi eligant non caeco amoris sensualis impetu vel cuiusdam cupiditatis instinctu vel alio minus honesto impulsu ducti, sed potius quia sibi persuasum habuerint se totam vitam cum felicitate et sanctitate

simul esse acturos, atque ut eos fines in matrimonio prosequantur propter quod illud est a Deo institutum ».

Rationes: Absit a mentibus Patrum Concilii definire matrimonia in amore romantico fundata sola esse commendatione digna. Quid de pluribus quae sunt per parentes, etc. conciliata, anglice « made », « arranged matches », versus « love marriage ».

Mutationes: P. 26, n. 25, lin. 19: omittatur : « Dies quoque anniversariae matrimonii digne celebrentur ».

Rationes: De illis rebus, quia levissimi momenti sunt, neque dignae quae a Concilio praescribantur, nulla oportet mentio fieri.

B - A die 2 oct. 1963 ad diem 31 ian. 1964

PROOEMIUM

65. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

7, 2: Post verbum « illud » addatur « inter christianos ». Praeterea mentio fiat can. 1016 C.I.C. quoad effectus mere civiles.

7, 5: Expressio « casti connubii » usu loquendi associata est clarissimae Encyclicae Pii XI, ita ut moveat ad falsam quamdam associationem idearum coniunctio verborum textus « casti connubii constitutionem »; saltem invertatur ordo verborum in « connubii casti constitutionem ».

7, 6: Loco « semper » stylistice forte melius scriberetur « in dies ».

7, 16: « Eiusdem » hoc in loco non satis clarum esse videtur.

7, 28: Vocabulum « fidelior » non sufficere videtur, ut indicet ea quae indicare intendit, quia verbum « fidelis » comprehensionem suam sumit ex norma vel obiecto, cui quis fidelis est.

66. *Exc.mus Ioseph Satowaki, Episcopus Kagoshimaënsis in Iaponia.*

Animadversiones generales. 1. Ex ratione Sacrosancti Oecumenici Concilii non est aequum quod Schema se abstrahit ab omnibus sollicitudinibus circa difficultates rerum matrimonialium in regionibus Missionum, quae aliis Schematibus, v. g. « De Sacra Liturgia » et « De Episcopis et regimine Dioecesis », sunt magnae sollicitudinis.

2. Videtur non habere rationem evolutionis societatis modernae, quae funditus mutavit conditiones vitae humanae, praesertim psychologiam iuvenum huius aetatis.

3. Quamvis dispositiones legales et systema iuridicum sint expolitissima, si rationem mentis ac vitae humanae inclinationis non habent, possunt esse potius impedimento quam adiumento saluti animarum.

Ad prooemium. *a*) Titulus Schematis « De Matrimonii Sacramento » emendetur hoc modo « De matrimonii disciplina ».

Huius ratio est: in Schemate non agitur solum de matrimoniis inter duas personas baptizatas, sed etiam de matrimoniis mixtis, insuper non de doctrina matrimonii ut Sacramentum, sed de disciplina matrimoniali ex ratione pastorali.

b) Loco « ita nunc pro christiani populi necessitatibus, eam peculiaribus curis prosequi et accommodare exoptat » (p. 7, linn. 7-8) sit « ita nunc etiam hodierni temporis necessitatibus accommodare exoptat ».

Ratio: quando agitur de matrimoniis disparitatis cultus, Ecclesia deberet ha-

bere curam non baptizatorum, v. g. saltem eos instruere de libertate religiosa et educatione catholica prolum.

c) Praeterea, prooemium, quod nullam allusionem facit ad matrimonium inter fidelem et infidelem, non videtur consonare cum capitibus subsequentibus.

67. *Exc.mus Franciscus von Streng, Episcopus Basileensis et Luganensis.*

Observationibus ad Animadversiones Reverendissimorum Patrum Conciliarium factis humiliter adiungo Propositiones ad novum Prooemium tribus partibus constans, ita tamen, ut ideae in Prooemio iam existenti in novo contineantur.

Hae tres partes sunt: Matrimonium ut sacramentum; Matrimonium ut foedus amoris et caritatis; Matrimonium ut societas iuris.

Ad primam partem: Necesse esse mihi videtur, ut breviter quidem, sed clare demonstretur indoles sacramenti. S. Paulus loquitur de aliqua relatione coniugum christianorum cum matrimonio spirituali inter Christum et Ecclesiam. Verba S. Pauli in Epistula ad Ephesios capitulo quinto, versiculo trigesimo secundo, seorsim sumpta indolem sacramentalem matrimonii probare non possunt. Una tamen cum doctrina Concilii Tridentini, matrimonium esse sacramentum, — et quia theologice constat, omnia sacramenta vivam relationem et intimam unionem cum Christo efficere, verba haec S. Pauli viam ad demonstrandam sacramentalitatem matrimonii ostendunt. Si haec relatio est intima et viva, coniuges christiani participant dignitatem et gratiam Christi, qui est Sponsus Ecclesiae —, et Ecclesiae tamquam sponsae Christi. In hac participatione viva et intima sponsi accipiunt augmentum gratiae sanctificantis iusque ad gratias actuales ad implenda officia coniugum et parentum. Ergo sacramentum quoque matrimonii gratias particulares continet. Sicut in sacramento baptismatis homo ut membrum cum Christo Capite vitaliter iungitur, ita per sacramentum matrimonii coniuges vitaliter cum Christi et Ecclesiae foedere uniuntur, ex qua unione sequitur, ut coniuges matrimonio perdurante debent magis ac magis Christi cum Ecclesia foederi sese assimilare.

Ad partem secundam: Antequam tractatur de natura iuridica et de iuribus matrimonii, unio coniugalis lucide praesentanda est tamquam unio intima et permanens amoris et caritatis, et quidem caritatis supernaturalis, caritatis ex fide revelata profluentis, trium virtutum theologalium praecipue, in caelis permanentis. Praeceptum caritatis erga Deum et homines, est praeceptum, quod etiam coniuges et parentes obligat, quodque omnia alia praecepta continet. Caritas est anima vitae coniugalis. Si caritas est bene acquisita et ordinata, totum foedus matrimoniale est ordinatum. Caritas supernaturalis sanctificat totum amorem naturalem et observat ordinem a Deo pro intima vita coniugali constitutum. Caritas supernaturalis auget amorem in filios secundum voluntatem Dei procreandos et educandos.

Caritas supernaturalis est fructuosa et fidelis. In caritate supernaturali matrimonium praeparetur, coniungatur crescatque ad perfectionem et sanctitatem. Haec caritas est finis ultimus vitae coniugalis christianorum. Tota instructio antenuptialis inculcari et comprehendi potest sub titulo: « Amor et caritas vinculum et perfectio matrimonii christiani ».

Ad partem tertiam: Sequitur pars iuridica Schematis, necessaria et ampla, sed etiam cum benevolentia accipienda sensu et nomine « ancillae » sacramenti et unionis amoris et caritatis.

Sunt iura divina et immutabilia et iura ecclesiastica quae tempori nostro et diversitatibus regionum aptanda, ergo recognoscenda sunt.

CAPUT I

DE IMPEDIMENTIS AD MATRIMONIUM

68. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

8, 2: Proponitur, ut dicatur: « ... impedimenta legibus sive divinis sive mere ecclesiasticis omni tempore statuta, quae celebrationem matrimoniorum ob circumstantias bono nuptiarum communiter obstantes prohibent ... ».

Ratio: membra « vel ex lege naturali vel praesertim ex lege positiva ecclesiastica » non adaequant leges, quibus nituntur impedimenta.

9, 3-4: Proponitur, ut inseratur « in ordine ad dispensationem » (non multiplicantur).

Ratio: nupturientes enim dupliciter consanguinei esse possunt, e. g. in secundo gradu lineae obliquae et in secundo gradu lineae obliquae attingente primum (hoc in casu dumtaxat valet praescriptum canonis 96, § 3).

9, 9 ss.: Si votum *publicum* perpetuum *simplex* castitatis perfectae posthac impedimentum dirimens matrimonii constituet, dispensationes, quae laicis conversis et religiosis mulieribus saepius dari solent, tamquam « vulnus legis » aestimationem legis minuentes forte ad maiorem conciliandum honorem statui religioso parum afferent.

9, 13-14: « in professione religiosa emissum » tamquam additamentum superfluum expungatur. Cf. votum *publicum*.

69. *Exc.mus Ioseph Satowaki, Episcopus Kagoshimaënsis in Iaponia.*

Cum in Schemate statuitur abrogatio impedimentorum gradus minoris, par esset ut praevertantur matrimonia invalida neoconversorum, quae in dies numero augentur. Schema tamen nullum studium praebet in hoc capite, neque agit de impedimento disparitatis cultus, nisi obiter.

Si sincere considerat « Sacrosanctum Oecumenicum Concilium ut legem ecclesiasticam novis huius temporis adiunctis adaequet » (p. 8, linn. 29 ss.), deberet reexaminare impedimentum disparitatis cultus, quod saepe urgere videtur defectionem neoconversorum, qui praesentiunt difficultatem nubendi.

Cum res sic se habet, exoptatur ut vis irritativa impedimenti disparitatis cultus mitigetur.

CAPUT II

DE MATRIMONIIS MIXTIS

70. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

11, 29-30: Quaeritur, num dicendi modus « catholice baptizetur » sit satis consentaneus et bonus. Clarius dici videtur: « in ecclesia catholica ».

11, 40-41: Loco « adhibeantur » aptius dicatur « adhiberi possunt ».

12, 5 ss.: Melius videtur dici: « Si quando matrimonium mixtum invalide contractum fuerit ob dirimens impedimentum iuris mere ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae et dein coniux catholicus vera poenitentia resipuerit, Ordinarius loci ... ».

12, 10: « dummodo ne desint cautiones ». Dicendi modus forte mutari vel

compleri debet et quidem ratione habita potestatis quae datur Episcopis in ordine ad sananda matrimonia; ad validitatem enim sufficiunt in hoc casu cautiones *implicitae* (S. Off., 10 maii 1941). Unde textus schematis strictior esse videtur quam praxis Ecclesiae.

71. *Exc.mus Ioseph Satowaki, Episcopus Kagoshimaënsis in Iaponia.*

Articulus 4 et articulus 5 ordine invertantur, nam rationabilius esset primo indicare factum augmenti matrimoniorum mixtorum, dein admonere de adhibenda prudentia.

4. (*De matrimonio mixto temere non contrahendo*).

a) Verba inter uncos posita numeri 4 « De matrimonio mixto temere non contrahendo » emendantur ita « De necessitate cautelae in matrimonio mixto contrahendo ».

Ratio: terminus « temere » graviter offenderet puellas neo-conversas, quae nullam difficultatem habuissent, si non fuissent conversae ad fidem catholicam.

b) Proinde loca « qua in re etc. ... » (linn. 5 ss.) emendantur his positivis verbis: « qui igitur cogitant mixtas nuptias inire, cum cautela procedere necesse est ».

5. (*De causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum*).

a) Post loca « longinquas regiones » (lin. 11) inserantur verba: « vel magnas civitates industriales ».

Ratio: concentratio populi praesertim iuvenum utriusque sexus in magnas civitates laboris vel studii causa est huius temporis phaenomena universale, unde viri et mulieres inter se communicant quam liberrime.

b) Post loca « ob deminutam fidelium pietatem » inserantur verba « et ob amorem personalem iuvenum utriusque sexus ».

Ratio: explicatio causarum quibus hodie augescunt matrimonia mixta dicenda est superficialis et inadaequata; nam in schemate praetermittitur psychologia iuvenum hodierni temporis, amor personalis. Motivum quo iuvenes hodierni volunt constituere suam familiam est quid psychologicum, non est amplius continuatio familiae paternae vel acquisitio prolum.

Diminutio pietatis fidelium et augmentum matrimoniorum mixtorum, utpote consequentia naturalismi materialistici, sane dolenda sunt. Aliunde tamen videntur talia esse consequentia civilizationis modernae, technologicae, scientificae, quae nobis offerunt magnam facilitatem communicationis, transportationis, productionem magnae quantitatis, medicinam, in uno verbo, autosufficientiam. Ipsa paucitas catholicorum est phaenomena naturale in initio evangelizationis. Qua de re, praestat delere loca « Dolendum sane est quod ».

6. (*De officio pastorum animarum*).

Obvium est quod « Sacrosancta haec Oecumenica Synodus ... obtestatur, ut ... avertant ... ne ... tales nuptiae fiant ». Haec igitur loca emendantur ut: « Sacrosancta haec Oecumenica Synodus Ordinarios aliosque animarum pastores obtestatur ut omni studio curent, ne matrimonia mixta contrahantur contra Dei et Ecclesiae leges ».

Ratio: ubi puellae baptizatae, quae volunt nubere, sunt numero maiores quam pueri baptizati, nonne est quasi physica necessitas ut aliqua portio puellarum con-

trahant matrimonia cum non baptizatis? Pro puellis neo-conversis situatio huius temporis magis severa est quam a Schemate figuratur!

7. (*De normis quibus matrimonia mixta regantur oportet*).

Loca *a*) et *c*) articuli 7 exoptatur emendari ut:

a) « Ipsa lex divina vetat coniugium iniri a persona catholica cum non catholica, a qua ad fidem suam deserendam cogitur ».

b) Loca (linn. 12 ss. et loca linn. 16 ss) ordine inversa et simul coniuncta: « Ecclesia, tamquam provida filiorum mater, prohibet ne matrimonium ineatur sive inter personam baptizatam in Ecclesia catholica vel ad eamdem conversam et non baptizatam, sive inter duas personas quarum altera sit catholica, altera vero communitati non catholicae adscripta ».

Ratio: Pericopes *a*) « si inde periculum immineat ne pars catholica a fide deficiat » est sat ambigua; nam pars catholica potest deficere a fide, quia premitur a parentibus compartis, vel incipit habitare apud infideles, vel emigravit in regionem, ubi nulla invenitur cura Pastoris animarum, etc. Hodie videtur non esse ratio sufficiens, cur disparitas cultus habeatur pro impedimento dirimente: nam defectio partis catholicae non est frequentior in casu matrimonii disparitatis cultus quam in casu mixtae religionis. Insuper, conversio partis non catholicae non est minus frequentior in casu matrimonii disparitatis cultus, quam in matrimonio mixtae religionis.

c) Post n. 4 addatur nova clausula: « Quando nequeat a parte non catholica cautiones formales obtinere aut non expediat eas excipere, Ordinarius loci, attentis condicionibus particularibus suae Dioecesis, potest dispensare super has cautiones, dummodo pars catholica sincere parata sit, ut omnia faciat quae possit ad universas proles catholice baptizandas et educandas ».

Rationes: 1) Ex ratione iuris naturalis: cautione formali non praestata a parte non catholica, si accidat parti catholicae remanere nulla spes nubendi, lex ecclesiastica esset adversa iuri naturali nubendi et constituendi familiam.

2) Ex ratione evangelizationis: populus huius temporis, animatus spiritu tolerantiae et doctrina libertatis conscientiae, aegre fert praestare cautiones formales; lex igitur circa cautiones formales infidelibus dat ansam detrahendi de ipsa Ecclesia.

3) Ex ratione salutis partis catholicae: puellae catholicae saepe ante matrimonium deficiunt a fide, timentes ne non petantur in matrimonium, si remanent in religione catholica.

4) Ex ratione matrimonii: pars non catholica, si non sit vere sincera, aegre praestaret cautiones fictas et vanas.

Qua de re, cum cautiones formales obtineri nequeunt a parte non catholica, Ordinarius loci in Iaponia Indulto Apostolico possunt esse contenti cautionibus aequipollentiae, uti nova clausula supra *c*) laudata.

72. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis.*

In n. 4 (p. 10, lin. 5) omittenda sunt verba *prae ceteris,* quia *a*) quoad archetypi (coniunctionis inter Christum et Ecclesiam) proximitatem, magna est differentia inter diversa matrimonia mixta. Matrimonium inter fideles Ecclesiae catholicae et Ecclesiae Orientalis orthodoxae sacramentales sunt et proxime ad archetypum accedunt. Matrimonium inter fidelem catholicum et baptizatum in prote-

stantismo etiam est sacramentale; et ex hoc significat coniunctionem inter Christum et Ecclesiam. Matrimonium inter fidelem catholicum et iudaeam non est sacramentale, sed fit coram Deo vero et bonis matrimonii essentialibus ordinarie fruitur. Matrimonium inter virum mahometanum et fidelem catholicam frequenter bono unitatis et bono sacramenti caret. Nec hodie desunt matrimonia cum hominibus sine ulla religione.

b) Non desunt (proh dolor) matrimonia inter fideles catholicos, quae etsi vi sacramenti coniunctionem inter Christum et Ecclesiam repraesentant, in coniugum mente et corde nullo modo hanc coniunctionem significant.

In n. 5, propter rationes insuper allatas, valde mihi displicet in lin. 8 mentio absque distinctione matrimoniorum « inter catholicos et non catholicos » (Terminus *acatholicus* non distinguit inter paganum, protestantem et orthodoxum).

Aliunde, inter causas quae matrimonia « mixta » favent, prima mihi videtur « civile consortium » (lin. 13), quod hodie in permultis regionibus inter homines diversae religionis, sed et sine religione, necessario coalescunt. Perinutile est dolere de facto quasi universali, maxime in urbibus.

Quapropter redactionem magis positivam optarem. Exempli gratia, textum hunc propono:

5. (*De causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum*). « Civile consortium viros et mulieres diversae religionis frequenter admovet et ad nuptias inter se conciliandas impellit, praesertim in urbibus et in regionibus a patria longinquis quas laboris causa petere coguntur.

Matrimonia mixta impedire de die in diem magis impossibile evadit. Adhibenda sunt media ut, in quantum fieri potest, non contrahantur cum damno fidei et salutis animarum neque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento sed ut in ipsis matrimoniis mixtis fides utriusque coniugis crescat ».

73. *Exc.mus Thomas Muldoon, Episcopus tit. Fesseitanus.*

5. (*De causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum*). Propono hunc novum textum:

« Matrimoniis inter catholicos et non catholicos ineundis nostra aetate *magis quam olim* ansam frequenter praebent difficiles vitae conditiones, quibus plures iuvenes multaeque familiae solum patriae relinquere et longinquas regiones, praesertim laboris causa, petere coguntur, ubi *non tantum* diversae religionis gentes inveniuntur *sed* catholici pauci sunt aut numero inferiores. *Sic in hac re aggravantur conditiones quae iam in istis regionibus pro catholicis nativis semper existebant.*

At dolendum sane est quod *sive* ob huiusmodi conditiones *civilis consortii, sive* ob deminutam fidelium pietatem, *sive praesertim ob magnas difficultates ipsis matrimoniis mixtis insitas,* huiusmodi matrimonia saepius contrahantur cum damno fidei et salutis animarum *vel nuptorum vel prolis* atque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento ».

7. (*De normis quibus matrimonia mixta regantur oportet*). Ad litt. f, pag. 11: Aliquid velim dicere de forma celebrationis matrimonii *mixtae religionis,* quae, in multis orbis regionibus, propter parvos catholicorum numeros, saepissime eveniunt.

Re sedulo perpensa, nunc puto melius fore ut omnia matrimonia talia habeantur *quoad formam* valida, licet graviter illicita, si ineuntur coram ministro haeretico

vel etiam auctoritate civili. Hoc propono propter duas rationes: *a*) ut structura matrimonii in genere magis firmetur et corroboretur, necnon ut scandala removeantur; *b*) quia, ratione pastorali, valde facilius esset matrimonia talia sanare et educationem catholicam prolis in tuto collocare.

74. *Exc.mus Ioannes Van Cauwelaert, Episcopus Inongoënsis.*

Caput II « De matrimoniis mixtis » non satisfacit, quia haec materia non tantum canonica est, sed magnas pastorales, vel et oecumenicas, quaestiones tangit.

Aliunde obliviscendum non est quod in nonnullis regionibus et casibus affirmatio Apostoli vera remanet « Vir infidelis per mulierem fidelem sanctificatur » (*1 Cor.* 7, 14).

Ex altera parte in hoc capite non distinguitur inter diversos acatholicos cum quibus pars catholica matrimonium « mixtum » contrahit, alius est Orientalis orthodoxus, alius baptizatus in protestantismo vel schismatica secta Ecclesiae occidentalis, alius iudaeus vel mahometanus vel qui Deum agnoscit, alius qui sine religione vivit sed et atheismum fovet.

Diversa sunt pericula fidei pro parte catholica et prole: diversa debet esse repugnantia Ecclesiae, diversae cautiones exigendae.

Maxima difficultas in nonnullis regionibus provenit ex obligatione formae matrimonii sub poena nullitatis, praesertim ubi Concilium Tridentinum suo tempore promulgatum non fuit et ubi obligatio formae recens est, maxime in Oriente ubi Codex Iuris Canonici Orientalis anno 1949 tantum promulgatum fuit.

Exoptandum est igitur ut Schema in nonnullis partibus huius capitis melius redigatur, et tandem ut in casibus extraordinariis, sub debitis conditionibus, Ordinarius dispensare possit de forma matrimonii ante factum, et non tantum per sanationem in radice.

Emendationes propositae.

N. 4, pag. 10, lin. 5: omittenda sunt verba « prae ceteris ».

N. 5, pag. 10, linn. 7-20 (De causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum): sic mutetur paragraphus:

« Civile consortium viros et mulieres diversae religionis frequenter admovet et ad nuptias inter se conciliandas impellit, praesertim in urbibus et in regionibus a patria longinquis quas laboris causa petere coguntur.

Etiam in regionibus ubi Ecclesia nuper introducta vel adhuc parva minoritas constituit, non pauci fideles non possunt aliud matrimonium contrahere nisi cum parte infideli.

Ita matrimonia mixta impedire de die in diem magis impossibile evadit. Adhibenda sunt media ut, in quantum fieri potest, non contrahantur cum damno fidei et salutis animarum neque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento sed ut in ipsis matrimoniis mixtis fides utriusque coniugis crescat, vel ubi cum infideli ut verba Apostoli vera remaneant: « Vir infidelis per mulierem fidelem sanctificatur » (*1 Cor.* 7, 14).

N. 6, pag. 10, linn. 21-30 (De officio pastorum animarum). Servandus est textus usque ad verba « nuptiae fiant » (lin. 25). Substituantur linn. 25-30 his verbis:

« Ad quod consequendum, debent pastores fideles monere quam graves difficultates ex talibus nuptiis saepe oriuntur; periculum indifferentismi, periculum pro harmonia et felicitate coniugali, periculum pro christiana filiorum educatione.

Nuptiis vero mixtis inter christianos firmiter decisis, sedula cura ab Ordinariis aliisque animarum pastoribus habenda est ut sponsi spiritualiter praeparentur ad veram vitam christianam in difficilibus circumstantiis exercendam; discant manifestare reverentiam erga sinceram fidem alterius coniugis, vitam christianam absque ostentatione hominumque respectu in mutua fiducia exercere, spiritum apostolicum dirigere in propagationem spiritus oecumenici in propria utriusque communitate religiosa, in eliminationem progressivam dissentionum et divisionis Ecclesiarum, quarum propria familia infelix victima constituta est, quaerere tandem, quantum possibile est, adiumentum apud pastores utriusque coniugis et alias familias mixtas ».

N. 7, pag. 11, lin. 10: verbis « Ipsa quoque divina lex » substituatur « Fides sua catholica ».

N. 7, pag. 11, lin. 21: verbo « prohibet » substituatur « impedit ».

N. 7, pag. 11, lin. 21: post verba « non recusat », addatur « praesertim si speretur extensio fidei vel ... ».

N. 7, pag. 11, linn. 24-30, nn. 2 et 3 sic mutentur:

2) pars catholica sincere iuramentum praestet se officio curandi baptismum et educationem catholicam prolis satisfacturam esse;

3) cautionem praestet de intentione sincera coniugis non catholici quod compartem non avertat a fide catholica neque impediat a religionis exercitio atque non repugnet ut proles catholice baptizetur eiusque catholicae educationi provideatur.

Attamen in casibus extraordinariis, ad maiora mala vitanda, si pars catholica talem cautionem de intentione coniugis circa baptismum et educationem catholicam prolis praestare non potest, omnibus aliis condicionibus adimpletis praesertim de praeservatione fidei partis catholicae et eius intentione curandi quantum in se est illo officio circa prolem, Ordinarius potest dare dispensationem.

N. 7, pag. 11, lin. 38: addatur: « Tamen in casibus extraordinariis, et secundum condiciones a conferentiis episcopalibus determinatas, Ordinarius potest dispensare ab ordinaria forma matrimonii.

N. 7, pag. 12, lin. 5, paragraphus addatur: « Pro celebratione matrimonii mixti inter partem catholicam et orthodoxam regulae speciales praevideantur.

Pro celebratione matrimonii mixti inter partem catholicam et membrum alicuius communitatis ortae et reformatione occidentali Ordinarius potest permittere interventionem ministri huius communitatis secundum normas a Conferentiis Episcopalibus determinatas.

N. 8, pag. 12, linn. 9-12: Omittantur tres ultimae regulae: « dummodo ... contrahere ».

Commentarius ad emendationes explicandas.

N. 4, pag. 10, lin. 5: omittenda sunt verba « prae ceteris », quia:

a) quoad archetypi (coniunctionis inter Christum et Ecclesiam) proximitatem, magna est differentia inter diversa matrimonia mixta. Matrimonium inter fideles Ecclesiae catholicae et Ecclesiae orientalis orthodoxae sacramentales sunt et proxime ad archetypum accedunt. Matrimonium inter fidelem catholicum et baptizatum in protestantismo etiam est sacramentale; et ex hoc significat coniunctionem inter Christum et Ecclesiam. Matrimonium inter fidelem catholicum et iudaeam non est sacramentale, sed fit coram Deo vero et bonis matrimonii essentialibus ordinarie fruitur. Matrimonium inter virum mahometanum et fidelem catholicam

frequenter bono unitatis et bono sacramenti caret. Nec hodie desunt matrimonia cum hominibus sine ulla religione.

b) Non desunt (proh dolor) matrimonia inter fideles catholicos, quae etsi vi sacramenti coniunctionem inter Christum et Ecclesiam repraesentent, in coniugum mente et corde nullo modo hanc coniunctionem significant.

N. 5. Mutatio requisita sic explicatur:

In n. 5, propter rationes insuper allatas (n. 4), valde displicet in lin. 8 mentio absque distinctione matrimoniorum « inter catholicos et non catholicos ». Terminus acatholicus non distinguit inter orthodoxum, protestantem, paganum.

Aliunde, inter causas quae matrimonia mixta favent prima videtur « civile consortium » (lin. 13), quod hodie in permultis regionibus inter homines diversae religionis existit. In labore, in otio, in viis, in domibus viri et mulieres diversae religionis, sed et sine religione, necessario coalescunt. Perinutile est dolere de facto quasi universali, maxime in urbibus.

N. 6, linn. 21-30: Ratio mutationis sic apparet:

De facto in permultis casibus matrimonia mixta efficaciter prohiberi non possunt. In his casibus, necesse est ut sponsi et postea coniuges adiuventur ad vitam christianam quam maxime vivendam, et omne faciendum ut coniuges in matrimonio mixto constituti, sine nimia difficultate communionem cum Ecclesia salvare possint.

N. 7, lin. 10: « Fides sua catholica » loco « Ipsa quoque divina lex ». Divina lex utrumque coniugem urget conscientiam suam sequendam. Nostris temporibus, non potest adhiberi formulatio quae legem divinam tamquam propriam coniugi catholico reservat.

Lin. 12: Verbum prohibet, etsi canonice bonum, nonnullis offendit. Propterea substituitur verbum impedit, quod eamdem significationem habet.

Lin. 21: Obliviscendum non est quod in nonnullis regionibus et casibus affirmatio Apostoli vera remanet: « Vir infidelis per mulierem fidelem sanctificatur » (*1 Cor.* 7, 14).

Linn. 24-30: Quoad legislationem praesertim cavendum est ne nimia severitate et durioribus exigentiis pars catholica ab Ecclesia longinqua fiat, et pars non-catholica offendatur et male disposita sit contra Ecclesiam catholicam.

Theoretice legislatio forsitan omnes optatas cautiones obtinet pro praeservatione fidei coniugis catholici et prolis; practice autem saepe effectum contrarium producit, speciatim cum cautiones non sine pressione in conscientiam partis non catholicae obtentae sunt.

E duobus malis minus eligendum est: non praeferantur maximae cautiones theoreticae, quae inimicitias inter communitates religiosas excitant et conscientiam partis non catholicae insufficienter respiciunt, sed potius minores cautiones, in quibus communitates ecclesiasticae consentire possunt et quas conscientia utriusque coniugis accipere potest. Unde consensus communitatum et coniugum dispositiones partis non catholicae meliores fore sperandum est erga benevolentem Ecclesiam catholicam, erga fidem partis catholicae et erga educationem prolis catholicam.

Cautiones a sola parte catholica exiguntur, quia ab ea requiri potest discussio cum sponso acatholico de normis futuri coniugii. Saepe nimis durum est parti acatholicae cautiones dare coram ministro catholico.

Verbum « iuramentum » verbo « cautionem » substituitur, quia cautio pro

alio datur. In hoc casu, cautio est Deus testis iuramenti. In n. 3 cautio datur pro coniuge acatholico.

Lin. 38: Paragraphus addatur: quia experientia constat quod aliqui sponsi acatholici, qui vitam vere religiosam degunt, renuunt se sistere coram ministro catholico. In his casibus videtur quod fides partis catholicae et educatio religiosa prolis, etsi incompleta, magis fovetur, si pars catholica matrimonium verum contrahit et non simpliciter attentatum quod eam a spiritualibus auxiliis avertit.

Conferentiae Episcopales possunt conditiones exigere secundum regionum necessitates, sicut iuramentum partis catholicae se verum matrimonium velle cum indissolubilitate vel cautionem matrimonii secundum legem civilem facti.

Matrimonia ista inscribi debent saltem in libro secreto Ordinarii.

Lin. 5, pag. 12: paragraphus addatur.

Pro orientalibus cf. Schema *de Ecclesia Orientali.*

Pro matrimonio catholici cum baptizato in protestantismo: talis interventio ministri communitatis non-catholicae nec periculum fidei nec illicita cooperatio a parte catholica est. Obtenta dispensatione et datis cautionibus satis patet partem catholicam non intendere adhaesionem religioni non catholicae, et interventionem ministri acatholici tantum admittit pro bono coniugis. Et talis aestimatio pro fide partis non-catholicae et eius communitate religiosa eius benevolentiam erga catholicam Ecclesiam fovebit et multum adiuvabit actionem pastoralem coniunctam pastorum utriusque coniugis ad salvandam eorum fidem christianam.

N. 8, linn. 9-12: omittantur verba « dummodo ... contrahere ». *Ratio*: *a*) quoad cautiones cf. supra; *b*) quoad legitimam formam non necessarium est ad concedendam sanationem in radice ut pars non catholica renuat denuo matrimonium legitima forma contrahere.

75. *Exc.mus Vincentius Brizgys, Episcopus tit. Bosanensis, Coadiutor Kaunensis in exilio* (Nomine Episcoporum Lituaniae).

In cap. II (de matrimoniis mixtis) pag. 10, censeo n. 5 integrum omittendum esse. Causae matrimoniorum mixtorum hic nec plene exponuntur nec aliquid inde concluditur.

Caput III

DE CONSENSU MATRIMONIALI

76. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

N. 9, pag. 13, lin. 3: loco « etiam quando » melius scribatur: « sive agatur de matrimonio inter baptizatos sive de matrimonio inter non baptizatos ».

77. *Exc.mus Vincentius Brizgys, Episcopus tit. Bosanensis, Coadiutor Kaunensis in exilio* (Nomine Episcoporum Lituaniae).

In cap. III (de consensu matrimoniali), pag. 13, n. 10, versibus 15-17, dictum ita sonat, ut etiam matrimonia inter non baptizatos vocantur Magnum Sacramentum.

78. *Exc.mus Guido Aloisius Bentivoglio, Archiepiscopus Catanensis.*

Pag. 13, n. 9, linn. 1-9: Totus numerus contrahatur sic: « Consensus matrimonialis, qui est liber voluntatis actus quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, perpetuum et exclusivum, adeo necessarius est ad matrimonium constituendum, ut nulla humana potestate suppleri possit ».

CAPUT IV

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

79. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

Pag. 15, lin. 31: « Si non sit vicarius cooperator » — utiliter forsan citaretur can. 476, § 6 C.I.C. (cf. Responsum a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos datum die 20-5-1923).

Pag. 15, lin. 31: Genus dicendi « uti nequit » per aliud suppleatur, ita ut clarius eluceat sacerdotem delegatum hoc in casu facultate uti *non invalide, sed illicite.* Dici possit v. g. « ne utatur ».

Pag. 15, lin. 33: Illud « quae concedenda non est, nisi expletis omnibus, quae ius constituit pro libertate status comprobanda » videtur expungi posse, quia in canone modo citato iam sufficienter cautum est (cf. lin. 29, pag. 15: « firmis iuris praescriptis »; cf. can. 1097, C.I.C.).

Pag. 16, lin. 4: Quaeritur, num sacerdos olim catholicus et dein adscriptus sectae vulgo dictae « altkatholisch » re vera assistere possit matrimonio, cum non sit « per sententiam excommunicatus ».

Pag. 16, lin. 7: Inseratur « praescripta » post « delegatione ».

80. *Exc.mus Ioannes Van Cauwelaert, Episcopus Inongoënsis.*

Pag. 16, n. 14: post lin. 20. Quando forma canonica ordinaria adhiberi non potest, necesse est ut tamen matrimonium initum maximas cautiones possibiles innitatur. Ita addatur:

c) ut matrimonium, in quantum fieri potest, secundum legem civilem fiat.

CAPUT V

DE PROCESSU MATRIMONIALI

81. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

Pag. 21, n. 15, lin. 10: Loco « Ubique terrarum » melius dicatur « Ubicumque utile videatur ».

E. g. in Germania difficile et fortasse superfluum esset Tribunalia Regionalia vel Interdioecesana constitui.

Pag. 20, n. 15, lin. 20: Quaerendum est, num haec duplicatio licentiae vere necessaria sit ad effectum, qui intenditur. Est etiam quaerendum, utrum adeundus sit Ordinarius e. g. actricis an ipsius procuratoris.

Pag. 21, n. 17, lin. 33: « ut ius accusandi matrimonium coarctetur ». Quaeritur, num ius accusandi matrimonium usquemodo iam coarctatum magis coarctari debeat, ita ut Promotor iustitiae saepius adhuc in auxilium vocetur. Quodsi Promotor iustitiae saepius partes actoris ageret, tunc vere coniux culpabilis, quem Promotor iustitiae repraesentat, magnum lucrum reportaret et constitueretur in condicione privilegiata. Cf. *S.R.R. Dec.,* 28 (1936), p. 77 sq.

Pag. 22, n. 18, linn. 7-10: Dicendi modus « Accommodatio iuris ... consideret » minus bene sonare videtur ita, ut melius sit, formam « Passivi » adhibere. Immo totus articulus 18 modo dicendi faciliore redigendus videtur.

82. *Exc.mus Michael Balaguer, Episcopus tit. Castellominoritanus.*

... Sobre *las causas matrimoniales* que deben ir in instancia a Roma.

También los gastos romanos son excesivos y se prestan a comentarios poco favorables para el espiritu de justicia y de desinterés de la Iglesia. Esto, en gran parte, se debe a la ingerencia de abogados laicos con ansias desmedidas de dinero y con ilusiones sobre las posibilidades económicas de los demás.

No se puede decir que muchas personas sean pobres, en el sentido que se exige para la tramitación gratuita; pero sí hay peligro de que lo sean al final de la causa. Por esta razón varias personas que, según mi criterio, tenían razón al pedir la tramitación de su causa matrimonial, están viviendo en pecado mortal, al desistir de su causa, en nuestra ciudad.

En general aquí en América Latina, no se entiende por que la justicia de la Iglesia deba ser tan cara, y cómo no deba ser fundamentalmente gratuita. Comprendo que hay razones de *necesidades* materiales de quienes trabajan en esto para ciertas compensaciones monetarias; pero hay *razones de índole espiritual,* dada la ignorancia o incomprensión de mucha gente, en el otro sentido. Y en ese conflicto, es fácil pensar hacia donde debe inclinare la balanza.

83. *Exc.mus Vincentius Brizgys, Episcopus tit. Bosanensis, Coadiutor Kaunensis in exilio* (Nomine Episcoporum Lituaniae).

Ad caput V. Episcopi Lituaniae, qui hoc tempore pro tota regione sunt solummodo tres et impediti, ita ut nec ad primam nec ad secundam Sessionem Romam adire potuerunt, et Tribunalia dioecesana Lituaniae ad me miserunt quasdam observationes, simul rogantes, ut eas tradam iis, quorum est novas leges vel decreta de Processibus matrimonialibus ferre.

Sacerdos deputatus. Rogatur ut sacerdos deputatus ad normam can. 1770, § 2, n. 4, possit solus partes vel testes interrogare et acta conscribere, quia: in quasi omnibus locis est unus et solus sacerdos nec facile est alium advocare, cum sacerdotes non habent libertatem alter alterum invisere; cum vero aliquis laicus functione notarii participat, praesertim in hodiernis circumstantiis sub regimine communistico-atheo, nec partes nec testes libere loqui volunt.

Citatio per edictum (can. 1720, § 1) in regionibus sub regimine Russiae nec possibile nec facile est. Rogatur, ut ab hoc aliquo modo dispensetur.

De poenis in testes inobedientes (can. 1766, § 2): prae mente habendum est laicos poenas ecclesiasticas pro nihilo habere, eo vel minus mulctas ipsis impositas. Ceterum, in Lituania talis actio dicasteriorum ecclesiasticorum etiam lege civili prohibita est.

Lingua sententiae. Optatur, ut liceat sententiam lingua vernacula exarare.

De sententia. Optatur ut liceat in sententia exaranda adnotare duorum vel trium principalium testium depositiones pro valore sententiae (can. 1791, § 2). Facta autem appellatione omnia acta causae et processus una cum sententia transmittantur ad Tribunal superioris instantiae.

Promulgatio sententiae. Optatur ut liceat sententiam promulgare non integram per extensum, sed eius dispositivam partem.

84. *Exc.mus Albertus Leménager, Episcopus Yarmuthensis in Canada.*

Pag. 22, n. 18: Quod in casibus Privilegii Fidei, investigatio Curiae dioece-

sanae, facta utique secundum regulas canonicas, agnoscatur ut sufficiens ad dirimendum dubium de non baptismo unius vel alterius partis, ita ut sola gratia sit petenda a Sancta Sede.

Ratio voti. 1. Investigatio est absolute eadem ac in casu Privilegii Paulini, in quo non requiritur recursus ad aliud tribunal.

2. Recursus ad aliud tribunal in his casibus tantas plerumque secumfert dilationes, quod partes putant Ecclesiam de ipsis non curare, et fidem in ea quasi amittent.

INSTRUCTIO PASTORALIS DE PRAEPARATIONE NUBENDORUM AD MATRIMONIUM

85. *Exc.mus Ioseph Schneider, Archiepiscopus Bambergensis.*

Pag. 23, n. 19, lin. 21: in hac peregrinatione » expungatur.

Pag. 23, n. 19, lin. 23: Loco « coniugibus » rectius dicetur « sponsis » vel « contrahentibus » tamquam coniugibus futuris. Cf. pag. 23, linn. 26-27.

Pag. 23, n. 19, lin. 25: Modus dicendi « introduci » stylistice durus esse videtur.

Pag. 24, n. 19, lin. 9: Loco « inquisitionem » aptius dicatur « investigationem ». Cf. can. 1020, § 3, C.I.C.

Pag. 24, n. 21, lin. 27: Aptius dicatur « nupturientes christiani » loco « sponsi ».

Pag. 24, n. 22, lin. 38: Non bene perspicitur, cur hic dicatur « magni » eventus.

Pag. 25, n. 22, lin. 6: Proponitur, ut « ac semper benigno » post « pastorali » expungatur. Ratio: continetur in « pastorali ». Vel dicatur: « benignitate pastoris ».

Pag. 25, n. 23, lin. 22: Forsan melius dicitur « conferenda » loco « collata ».

Pag. 25, n. 23, lin. 25: Loco « Matrimonii proprietates, fines, bona » concinnius dici possit « Matrimonii proprietates et fines ... ». *Ratio*: « bona » sic dicta matrimonii iam per « proprietates et fines » annuntiantur.

Pag. 25, n. 23, lin. 28: Post « considerate » addatur « et valide ». *Ratio*: validitas ex considerate dato consensu oriens ut attendatur, gravis momenti est.

Pag. 25, n. 23, lin. 36: Inseratur « hanc » post « Sacrosancta Synodus ».

Pag. 26, n. 24, lin. 13: Post dicta de « praeparatione iuridica » et ante dicta de « celebratione liturgica » aliquid dicatur de « praeparatione religiosa vel ascetica-morali », v. g. per exercitia spiritualia, praesertim ea, quae futuris sponsis peculiariter praedicantur.

86. *Exc.mus Thomas Muldoon, Episcopus tit. Fesseitanus.*

Pag. 25, n. 23, lin. 35: Propono ut addatur haec paragraphus: « Haec Sacrosancta Synodus instantissime monet omnes animarum pastores eisque imperat ut fideles omnes frequenter per annum praemoneant ne relationes cum acatholicis, quae ad matrimonium conducere possint, ineant, nisi prius clare exponant ea omnia quae conscientias suas devinciant et quoad matrimonium ipsum celebrandum et quoad procreationem necnon educationem prolis ».

87. *Exc.mus Franciscus Von Streng, Episcopus Basileensis et Luganensis.*

Pag. 24, n. 20, lin. 21: Post « tempestive » addatur « gradatim ».

Pag. 24, n. 20, linn. 24-26: Dicatur: « tum curare, ut filii discant amorem, qui tempore pubertatis nascitur, recte comprehendere, dominare et Deo offerre, ita ut ipsi se praeparent ad electionem felicem aut caelibatus aut matrimonii et se liberos conservent ad vocationem futuram Dei ».

Pag. 24, n. 20, lin. 26: Addatur: « Ad pastores animarum pertinet parentum animas ad haec officia educationis advertere et eos adiuvare, ut haec problemata unanimiter cum parentibus resolvi possint. Ecclesia ardenti cura fiduciam iuventutis assequi debet ».

Pag. 25, n. 23, lin. 28: Addatur: « Insuper matrimonium clare demonstretur tamquam unio amoris et caritatis, quae caritas est ligamen matrimonii eiusque perfectionis et sanctitatis. Caritas supernaturalis complectitur et sanctificat amorem naturalem, observat ordinem a Deo in matrimonio constitutum. Caritas est fructuosa et fidelis. Caritas est anima foederis nuptialis et vitae familiaris. Si caritas bene ordinata est, totum foedus nuptiale ordinatur. Caritas cum auxilio gratiae sacramentalis finis ultimus est matrimonii ».

Pag. 25, n. 23, linn. 30-31: Verba « si res postulet etiam » expungantur.

C - Post diem 1 febr. 1964

PROOEMIUM

88. *Exc.mus Villelmus Motolese, Archiepiscopus Tarentinus.*

Quae observanda videntur super Schemate *De matrimonii sacramento.*

In genere. Schema Decreti *De matrimonii sacramento* si ex una parte satisfacit nostrorum temporum necessitatibus a multis animarum Pastoribus animadversis et praecipue eorum sollicitudinibus ob matrimonii validitatem, non videtur ex altera satis consulere instituto matrimonii, quod per experientiam et iuris prudentiam certis ac statutis legibus regitur.

In specie. Ad n. 1, in lin. 21, post verba « erronea principia » adiungere iuvat « praesertim circa indissolubilitatem ».

89. *Observationes propositae a quibusdam Ordinariis Conferentiae Episcopalis Indonesiae.*

Brevitatis causa omnes omittentes laudationes, has quae sequuntur observationes proponimus:

I. *Relate ad Schema in genere*: Quamvis persuasum nobis est omnia de matrimonii sacramento in hoc Schemate tractari nec posse nec debere, tamen dolendum esse putamus in eo nulla vel fere nulla alia inveniri nisi quaedam statuta iuridica, quae pro maiori parte ius matrimoniale hodie vigens corrigere intendunt.

Revera nemo est qui negare audet Ecclesiam matrimonium regere et ordinare debere normis iuridicis, sed puto dignitati sacramenti laederi et veritatem obscurari, si matrimonium fere unice sub aspectu suo iuridico consideretur. Insuper — et forsan praecise quia nimis iuridice est compositum — Schema omnino extra realitatem vitae hodiernae stare videtur, et habet tenorem nimis negativum.

Nostra opinione non tantum ipsius Schematis titulo magis conforme, sed

etiam documento authentico Concilii, quod dicitur pastorale, magis consentaneum ac exspectationi fidelium magis correspondens esset, si Schema hoc primarie consideraret matrimonii sacramentum sub suo aspectu theologico et pastorali, et secundarie tantum sub suo aspectu iuridico. Qui aspectus enim iuridicus locum subsidiarium tenere debet, eique tribui deberet aliqua functio adiuvans et serviens, scilicet in quantum indicat normas magis generales, quae fundatae sint oportet in motivis theologicis, pastoralibus, sociologicis et psychologicis.

Tali modo ex hoc Schemate clarius appareret non tantum utilitas et necessitas legum ecclesiasticarum, sed etiam quod Ecclesia est revera Provida et Pia Mater, quae non ignoscit problemata et quaestiones intricatissimas vitae matrimonialis hodiernae, ex variis circumstantiis et condicionibus oeconomicis, sociologicis etc. provenientes, sed quae e contra sua sollicitudine pastorali coacta, omnibus suis viribus tendit ad promovendam felicitatem temporalem simul et aeternam eorum qui matrimonio sunt coniuncti.

Proponimus ergo ut novum componatur Schema iuxta normas supra datas in quo ius matrimoniale recognoscatur ex conceptione reali circa matrimonium in Ecclesia et in mundo hodierno. Quaedam correctiones — uti propositae in Schemate — nequeunt creare aliquod ius matrimoniale nostris temporibus adaptatum, nec opus est Concilium pro talibus correctionibus.

II. *Relate ad Prooemium*:

1. Ad pag. 7, linn. 2-3: Quia inter exegetas vera significatio textus adhuc disputatur, haec citatio *Eph.* 5, 32 in documento authentico Concilii melius deleatur vel magis scientifice exprimatur.

2. Ad pag. 7, linn. 18-20: Haec linea sonat nimis negative. Quamvis dicta sunt vera, tamen impressionem falsam excitare possunt, quasi nostra tempora tantum haberent principia erronea et homines nostri temporis tantum ducerentur libidine et pravis moribus.

Insuper dolendum est hoc in loco intentionem pastoralem Concilii non apparere; praeter principia erronea enim, nostro tempore etiam habentur alia principia ex progressu scientiarum (medicina; psychologia etc.) provenientia, quae ab Ecclesia ignorari vel a priori reprobari nequeunt. Forsan melius esset si hoc loco Schema exprimeret positivam aestimationem ex parte Ecclesiae pro omni conatu progrediendi in scientiis, declarando Ecclesiam libenter valorem positivum illorum principiorum examinare et in quantum possibile absque laesione iuris divini applicare velle.

Proponimus ergo ut addantur quaedam verba magis positive sonantia et haec linea componatur v. g. ut sic: « Providae enim leges Ecclesiae, quae divinam christiani coniugii institutionem in sua integritate ac puritate custodiunt ac fovent, ideoque etiam christianarum nuptiarum sanctitatem adversus quaelibet erronea principia hominumque libidinem ac pravos mores validissime communire satagunt, nullomodo obstare intendunt quominus vita coniugalis, etiam christianorum, accommodaretur condicionibus et necessitatibus hodiernis iuxta principia ex progressu scientiarum emanantia, salvis tamen semper iuribus divinis et Ecclesiae ».

90. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis.*

Matrimonium ab initio ipsius generis humani instituit Deus, ut docetur in libro Genesis: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos » (*Gn.* 1, 27); matrimonium qui-

dem praeditum proprietatibus unitatis et indissolubilitatis, sicut monet auctor sacer: « Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una » (*Gn.* 1, 22-24). Hanc naturalem institutionem Conditor assignavit constitutioni familiae generisque humani propagationi: « Benedixitque (viro et mulieri) Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam » (*Gn.* 1, 28 a), necnon et felicitati ipsorum coniugum: « Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi » (*Gn.* 2, 18).

Cum autem « per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit » (*Rom.* 5, 12), decurrentibus saeculis, praecepta legum divinarum de matrimonio, etiam inter populum electum, in corde hominum obscurata sunt. Hoc non obstante, unio coniugalis, in puritate primordia spectata, saepe a traditione Prophetarum praesentatur ut imago relationum quas fovere vult Dominus cum Israël: « Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in iustitia, et iudicio, et in misericordia et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus » (*Os.* 2, 21-22).

Matrimonium in pristinam dignitatem cum proprietatibus unitatis et indissolubilitatis restituit Christus. Docet quidem: « Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam maechari: et qui dimissam duxerit, adulterat » (*Mt.* 5, 31-32).

Apostolus Paulus doctrinam Domini Ecclesiae tradet: « His autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat » (*Cor.* 7, 10-11).

Christus etiam matrimonium ad pleniorem perfectionem direxit cum unionem viri et mulieris ad sacramenti dignitatem evexit, ita ut relationem inter Christum et Ecclesiam imaginem figuraret: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Sacramentum (i. e. mysterium) hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 30-31). Hac dignitate auctum, matrimonium fit coniugibus gratiae sanctificantis signum et fons, sicut amor Christi Ecclesiam sanctificat. « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret ... » (*Eph.* 5, 25-26 a). Ideo Ecclesia inter septem sacramenta Novae Legis adnumerat matrimonium, quod iure regitur sacro, lege scilicet Dei et Christi legibus Ecclesiae explicata et protecta.

Ne obliviscantur tamen statum virginitatis Deo sacratae de se perfectiorem esse ac matrimonium, ratione finis (« Bonum est homini mulierem non tangere »; *1 Cor.* 7, 1 b), ratione significationis et ratione libertatis quae caelibibus pro Dei servitio relinquitur: « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo » (*1 Cor.* 7, 32-33). Sed hunc statum virginitatis ingredi debent ii tantum qui a Deo vocati sunt, sicut docet Christus (*Mt.* 19, 10-12) et testatur Paulus: « Volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic » (*1 Cor.* 7, 7).

Lex sacra matrimonii ... » *et la suite de prooemium dactylographié distribué à la Commission, c'est-à-dire, paragraphe 2 et suivants.*

91. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis* (aliae animadversiones).

1. Pag. 7, lin. 3: post verba « novae legis sacramentum », addatur « inter baptizatos ».

Caput I

DE IMPEDIMENTIS AD MATRIMONIUM

92. *Exc.mus Henricus Nicodemo, Archiepiscopus Barensis nomine Conferentiae Episcopalis Apulae.*

Caput I, n. 2, deleantur linn. a 26 ad 28. In lin. 29 textus ita compleatur: « Sacrosanctum autem hoc Oecumenicum Concilium ad bono animarum consulendum, legem ecclesiasticam novis huius temporis adiunctis adaequare intendens, sequentia statuere decernit ».

Ad n. 3, art. IV, pag. 9, lin. 14 verbo « prohibet » praeferatur « impedit ».

93. *Exc.mus Villelmus Motolese, Archiepiscopus Tarentinus.*

Abrogatio et contractio quorumdam impedimentorum adprobandae et laudandae sunt; attamen quod scriptum legitur in lin. 27, matrimonium scil. christianorum gratia sacramentali nimis frequenter esse destitutum, exaggeratum videtur, quare in locum verborum « nimis frequenter » aptius « interdum » substituendum videtur.

Ad n. 3 - IV: Non satis constat quonam sensu accipiendum sit verbum « prohibet » quod ad n. 3 in lin. 14 scriptum legimus; habetne sensum impediendi an dirimendi? Videtur priorem sensum habere; quapropter textus hoc modo exprimendus proponitur: « Votum autem publicum temporale castitatis in professione religiosa emissum, matrimonium prohibet, donec cessaverit, illicitum tamen reddit. Professio coram Deo facta ... matrimonium prohibet, illicitum tamen reddit ».

94. *Observationes propositae a quibusdam Ordinariis Conferentiae Episcopalis Indonesiae.*

1. *In genere.* Recte revera abrogantur quaedam impedimenta hac aetate minus bono communi accommodata, ne sacramenti matrimonii invaliditas sit nimis numerosa. Sed quaeri hoc loco forsan liceat, an in iure ecclesiastico alia impedimenta introduci non debeant ad impedienda matrimonia « male-valida », puto matrimonia quae revera valida sunt, sed potius invalida esse possent. Non raro enim accidit, quod matrimonium contrahitur cum tali errore, ut hoc matrimonium secundum ius Codicis est validum (quia non habetur sic dictus error substantialis), dum tamen vita coniugalis non fit nisi horribile infernum. Casus habetur v. g. si matrimonium initur cum aliqua parte, quae laborat aliquo vitio psychico, physico vel morali latenti et dolose reticito, quod tantum post matrimonium contractum apparet (e. g. epilepsia, kleptomania etc.).

Separatio thori in tali casu non est solutio. Proponimus ergo ut alicui Commissioni post-Conciliari, cui auxilium praestare debent etiam periti laici, uti medici, psychologiae ac psychiatriae periti etc., detur mandatum examinandi casus,

qui impedimenta efformarent dirimentia, quae talia matrimonia invalida redderent.

2. Ad pag. 9, sub III, linn. 5-8: Per additionem: « sed fideles, dum ligati praedicto voto coram Deo sunt, promissis suis stare debent » textus fit minus clarus, cum obligatio haec est potius obligatio moralis, quae poni non debet uno loco cum lege iuridica. Quia tantum causat confusionem, melius deleatur.

95. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis.*

N. 2, pag. 8, lin. 14 ... *aliqua matrimonii impedimenta, quae anteactis temporibus* necessaria erant, cum nunc semper dispensationem obtinent ad petitionem nupturientium, reapse videntur esse inutilia, ideoque abolenda in novo Codice Iuris Canonici.

N. B. Reliqua totaliter supprimantur in I capite.

Caput II

DE MATRIMONIIS MIXTIS

96. *Exc.mus Carolus De Provenchères, Archiepiscopus Aquensis in Gallia.*

Maximi momenti quaestio de matrimoniis mixtis; a qua soluta, magna ex parte, pendet dialogus oecumenicus, qui inter ultimos scopos Concilii annumeratur. Problema insuper grave est circa pastoralem, cum, circumstantiis faventibus novis, huiusmodi matrimonia in dies augeantur. Multis enim in regionibus, iuxta formam canonicam multa non celebrantur, et ideo invalida sunt, persaepe etiam, vita spirituali tepescente, religiosi indifferentismi periculum, instabilitasque domesticae coniugalis vitae augetur.

Schemate quidem, legibus vigentibus, aliquantulum opportune derogatur; emendandum est autem, ut mihi videtur, in sensu magis oecumenico atque magis pastorali. Id schema enim non sufficienter rationes concludit de differentiis quae vigent inter matrimonia cum acatholica, baptizata autem, parte, et matrimonia cum non baptizata parte inita (cf. p. 11, linn. 12-18).

E rei natura, tres oriuntur quaestiones:

1. Pressius explananda est *Actio pastoralis* instauranda apud eos qui matrimonium inierunt mixtum, ut pericula supra memorata removeantur.

Quae « de officio pastorum animarum » (n. 6) dicta sunt, non sufficiunt. In capite VI (pag. 26, lin. 5) certo dicitur: « neque post coniugii celebrationem cesset pastorum sollicitudo »; id autem exponendum est etiam in n. 6, postulatis episcoporum consessibus ut adaptata directoria exarent.

A Protestantibus reprehendimur quod huiusmodi coniugatorum curam insufficientem agamus. Parocho quidem officium incumbit partem catholicam ita adiuvandi ut fidei fidelis permaneat eamque augeat, obligationes in prole catholice educanda adimpleat, societatemque domesticam pro parte sua in unitate servet.

Pressius formula sit explananda: « ut fideles a temere ineundis mixtis nuptiis avertant » (lin. 23). Modo generali quidem a matrimoniis mixtis absterrendi sunt fideles; quandoque autem graves causae huiusmodi matrimoniis favent, cautionibus firmis ac felicis unionis praestitis, nec videtur quomodo ita ius alicui detur ut vero opponatur amori. Parandi tunc sunt sponsi ut difficultates ex religionum diversitate forte obfuturas superent.

2. *De cautionibus*. Hic difficillima iacet quaestio, cuius solvendae normae generales ab episcoporum consessibus sint explanandae.

Pag. 11, lin. 10: Num dici potest: « Divina lex catholicum urget coniugem »?

Particularibus quibusdam in casibus, a Sancta Sede et ab episcopis — praesertim in parte orientali — concessum est prolem in religione partis baptizatae acatholicae institui, cum de pace publica (cum his qui supremum regimen populorum obtinuerint), de societatis coniugalis unione, de prolis perseverantia in fide, gravissimo apostasiae urgente periculo, ageretur. Tunc certo auctoritati religiosae nunquam ad legem divinam non obtemperari licuisset. Recolenda igitur obligatio, quin illius definias naturam: « Catholicus coniux officium habet prolem, etc. ... ».

Pag. 11, linn. 27-29: Sic corrigatur: « pariter cautionem praestet de intentione sincera coniugis non catholici quod compartem non avertat a fide catholica neque impediat a religionis exercitio atque non repugnet ut proles ... ».

Pars acatholica invitari possit ut coram parocho de disciplina catholica certior fiat, se autem obligans relate ad compartem tantum.

3. *De forma canonica*. Forma canonica praecipue imposita est ne fiant matrimonia clandestina; quod, hodiernis diebus, aliis modis obtineri potest.

Formae canonicae obligatio ab anno 1917 quibusdam in regionibus, ab anno 1949 in orientalibus ritibus, incepit.

Obligatio enim illa non bene videtur fundata: a) *nec iuridice quidem,* cum legislationis vigentis elementa non cohaereant: parochi adsistentia, ad matrimonii validitatem requisita, ab existentia dispensationis pendet, qua dispensatione deficiente, non tamen invalidum est matrimonium; b) *nec theologice*: sponsi enim ministri sacramenti sunt, parochus autem testis. Cur ad validitatem sacramenti parochi requiritur praesentia (cum aliunde, in can. 1098, § 1, admittatur matrimonii validitas, etiam deficiente parocho)?

Obligatio insuper illa inducit incommoda plura quam commoda. In Oriente praesertim, eadem obligatione vigente, permulta matrimonia efficiuntur invalida, et apostasiae multae. Quare omnes Orientales Episcopi eius abrogationem postulant, ut matrimonii sanctitas atque validitas, necnon et familiarum concordia, firmentur.

Intempestivum insuper Nobis apparet duas distinctas legislationes condi, quarum altera circa matrimonia cum parte acatholica orientali, altera circa matrimonia cum parte acatholica non orientali. Multis in casibus, huiusmodi distinctio fundamento careret. Alia ex parte, dialogum oecumenicum valde impediret, nulla prorsus allata causa proportionata.

Quoquo modo res se habeat, examinandus est iterum casus puerorum in Ecclesia Catholica baptizatorum, extra autem illam institutorum: iam a Decreto « Motu proprio », die 7 augusti 1948, promulgato, necesse est eorum matrimonia fore invalida.

Conclusiones. Reformanda legislatio vigens. Duae solutiones proponi possunt:

a) Forma « extraordinaria » (can. 1098, § 1) extendatur ad casus in quibus pars acatholica matrimonium coram parocho recusaret; qua forma extraordinaria adhiberi possit, non ex particulari, sed ex generali dispensatione, dummodo pars acatholica sit baptizata.

b) Dummodo pars acatholica sit baptizata, forma canonica ad liceitatem tantum, non ad validitatem, requiritur.

(Invalidum, ut patet, esset matrimonium, exclusa ab alterutra parte matrimonii indissolubilitate, vel prolis procreatione, etc.).

Episcoporum consessus, tandem, facultatem habeant permittendi coniugibus ut, matrimonio catholico celebrato, coram ministro partis acatholicae sistant, stipulatione tamen facta eam caeremoniam non esse sacramentalem (derogatione facta can. 1063). Talis permissus iam a Sancta Sede sponsis ex regia stirpe ortis concessus fuit; cur omnibus non permittatur, non apparet. Quo concesso, actio pastoralis apud coniugatos diversarum religionum efficacior esset, ubi quidem verificatae fuerint aliquae certae conditiones.

Abrogetur excommunicatio de qua in can. 2319, § 1.

97. *Exc.mus Villelmus Motolese, Archiepiscopus Tarentinus.*

a) In hoc capite, in quo agitur de matrimoniis mixtis, etiam quae a sponsis disparis cultus contrahuntur sunt comprehendenda.

b) Cum nihil novi de matrimoniis mixtis dicatur praeter ea quae ad ritum referuntur et ad facultatem Ordinariis datam matrimonia sanandi in radice in duobus casibus expresse consideratis, aptius videtur de hoc argumento agi in pastorali Instructione et quoad normas iuris statuendas vel quoad ius condendum ad eos quibus munus Codicis reformandi commissum est remittere atque ad libros liturgicos et ad facultates Ordinariis concessas.

98. *Exc.mus Andreas Pangrazio, Archiepiscopus Goritiensis.*

Pag. 11, lin. 19: Dictio « ab his impedimentis » non felix.

Ratio: quod ponitur sub littera *d*), cum incipiat verbis « ab his impedimentis », videtur esse aliqua conclusio, quae refertur ad ea quae dicta sunt sub litteris *a*), *b*), *c*). At quod continetur sub littera *a*) dispensari nequit, cum agatur de « lege divina ».

Pag. 12, lin. 11: Dictio « renuat » ambigua esse videtur, vel etiam nimis severa. Quomodo sumenda est? Pars non catholica praestare debet oppositionem formalem et explicitam, vel etiam implicitam tantum?

Ratio est: Sanatio in radice saepe datur ad tranquillitatem conscientiae partis credentis; pars infidelis ne interpellari quidem potest, ne pax familiaris in periculo ponatur. Si poneretur conditio ut pars infidelis interpellaretur (verbum « renuat » supponit explicitam negationis partis interpellatae), de pace familiari saepe actum esset.

Hic loquitur tantum de sanatione in radice ubi una pars « non catholica » sit. Quid dicendum de matrimoniis sic dictis « civilibus », ubi utraque pars catholica est?

99. *Observationes propositae a quibusdam Ordinariis Conferentiae Episcopalis Indonesiae.*

A. *Notae criticae.* 1) *De obiecto huius capitis.* Agitur de matrimoniis inter catholicos et non catholicos (10. 8). Distinguuntur, sicut in C.I.C. mixta religio et disparitas cultus (11. 4).

Notio haec iuridica matrimonii mixti et divisio in mixtam religionem et disparitatem cultus non iam correspondet situationi et evolutioni actuali. Notio haec et divisio matrimonii mixti pertinet ad tempus praeteritum, quando bene distinguebantur matrimonia catholicorum cum christianis non-catholicis (membris

aliarum communitatum christianarum) et cum membris aliarum religionum nonchristianarum. Nunc autem permulti homines sunt qui vel non participant in vita Ecclesiae, omnino indifferentes sunt, vel etiam extra omnem Ecclesiam et religionem vivunt et vivere volunt.

Novus typus matrimonii mixti ortus est, nempe matrimonium catholici cum persona indifferente vel cum persona, quae nulli Ecclesiae vel religioni adhaeret. Hic novus typus praesertim in magnis civitatibus invenitur et hic etiam efformat maioritatem.

In nostra ergo societate moderna multi sunt typi matrimonii mixti et valde difficile videtur pro omnibus his typis facere normas iuridicas strictas et uniformes, sicut in schemate fit.

Schema deficit in scopo suo pastorali, in adaptatione nempe mundo hodierno.

Schema potius principia pastoralia quam leges efformet. Ad Episcopos pertinet haec principia applicare variis typis matrimonii mixti.

In hoc capite de matrimonio mixto Concilium speciali modo attendere debet ad matrimonia mixta inter catholicos et christianos non-catholicos. Haec matrimonia mixta in sensu magis arcto non sunt cum aliis matrimoniis mixtis simul et pari modo tractanda. Principia oecumenismi catholici hic consequenti modo applicari debent.

2) Ad 10, 5 s. Est modus loquendi nimis rigidus et etiam iniustus erga multos catholicos (et etiam non-catholicos), qui matrimonium mixtum ineunt. Verba carent spiritu misericordiae Ecclesiae erga filios et filias, qui saepe conditionibus difficillimis ad talia matrimonia perveniunt. Caput hoc ita incipere non oportet.

3) 10, 7 ss. Modo simplicistico et non satisfacienti exigentiis scientificis sermo fit de causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum.

Estne verum matrimonia mixta ita auxisse, etiam relative sumpta? Hoc serio investigandum est, antequam Concilium se pronuntiet. Perfacilia sunt verba « ob diminutam fidelium pietatem ». Inter causas matrimoniorum mixtorum omittitur modus quo homines in hodierna societate convivunt, praesertim in maioribus civitatibus.

Insuper magna diversitas istorum matrimoniorum hic negligitur, e. g. in regionibus, ubi Ecclesia Catholica in statu vere missionali parvam minoritatem, sed crescentem mediantibus illis matrimoniis, efformat, vel in regionibus ubi catholici convivunt cum orthodoxis a nobis separatis aut cum protestantibus, vel in magnis civitatibus, ubi dechristianizatio maiorem iam vim obtinuit et novus typus matrimonii mixti ortus est etc.

4) 10, 29 s. Conditio autem est, quod hae promissiones ex utraque parte omnino libere et rationabili modo factae sint. Haec autem libertas pro parte non catholica in Codice et etiam in hoc schemate non satis observatur.

5) 11, 7 et 11, 10. Expressio « lex divina » in textu schematis (sicut in Codice) confusionem parit. Impressionem enim facit, quod lex divina sit regula concreta et fixa, sicut lex ecclesiastica. Lex divina et ius divinum essent ergo regula absoluta et immutabilis. De facto autem vox « lex » analogice sumitur. Lex divina non est lex sicut lex ecclesiastica vel civilis, sed potius norma generalis, quae variis modis applicari debet in variis circumstantiis. Probatur ex hoc quod Ecclesia in aliis casibus matrimonii mixti, e. g. in matrimonio cum acatholico, qui practice a fide defecit, non ponit impedimentum strictum et quod tale matrimo-

nium in praxi facile admittitur. Lex ergo divina variis modis applicari potest. Est enim potius norma pastoralis, quam lex in sensu stricto.

6) 11, 9. Expressio « a fide deficere » nimis ruda videtur. Infidelitas completa, fides christiana orthodoxorum et aliorum fratrum separatorum hic permiscentur.

7) 11, 16 ss. Quaestio est, num hic (attentione facta ad mutationem typi matrimonii mixti necnon ad libertatem humanam et religiosam) impedimentum dirimens in forma traditionali sustineri debet.

Sunt enim argumenta magni valoris pro possibilitate matrimonii validi etiam in his matrimoniis mixtis.

8) 11, 21. Quomodo determinari potest, Regnum Dei damnum non pati? Insuper: factum quod dispensatio datur nullam certitudinem dat de absentia illius damni.

9) 11, 27. Ne dicatur « pariter cautionem praestet coniux non catholicus de comparte non avertenda ... ». Ex utraque parte in matrimonio mixto exspectari debet verus respectus pro fide et conscientia alterius partis. Superfluum et nocivum videtur hic loqui de cautione, sicut in schema fit.

10) 11, 29. Cautio partis non catholicae « se non repugnaturum ... » potest esse contra conscientiam. Ecclesia catholica hanc cautionem exigere non potest a non-catholico. Videtur esse contra principium fundamentale libertatis religiosae et mutui respectus. Ecclesia hoc quidem rogare (sed tunc non vocatur cautio), sed nullomodo nec directe nec indirecte exigere potest.

11) 11, 36 ss. Forma canonica hic sine restrictione applicatur matrimoniis mixtis. Hoc faciendo legislator ex impedimento impedienti practice facit impedimentum dirimens. Forma enim canonica est conditio pro validitate. Nec hic forma extraordinaria matrimonii, prout in capite 4 huius schematis habetur, iuvare potest. Intentio enim cap. 4, n. 14 videtur esse conditiones requisitas pro illa forma extraordinaria aggravare.

Praecise haec invaliditas matrimonii mixti sine dispensatione initi pro fratribus separatis est obstaculum et scandalum. Hoc maxime valet pro matrimoniis catholicorum cum orthodoxis, sed etiam pro matrimoniis cum protestantibus. Haec invaliditas matrimonii mixti sine dispensatione tantum ab anno 1908, resp. 1918, 1949 valet. Valde commendatur ut Ecclesia catholica redeat ad praxim anteriorem. Hac invaliditate multorum matrimoniorum mixtorum fit ut multi catholici ex Ecclesia expellantur et ut reditus iis valde difficile fiat. Tum argumentum oecumenicum tum argumentum pastorale postulant, ut revideatur lex urgens formam canonicam pro matrimoniis mixtis.

12) Hic distinguendum videtur inter matrimonia mixta cum orthodoxis et cetera matrimonia mixta. Quoad matrimonia cum orthodoxis: concedatur completa celebratio matrimonii, sicut in matrimonio duorum catholicorum (sicut in constitutione de Sacra Liturgia habetur). Quoad alia matrimonia mixta: Episcopus concedere potest Missam immediate post ritum matrimonii, si ambo nupturientes hoc rogant et opportunum videtur (non autem ritum matrimonii durante Missa).

13) Supprimatur in C.I.C. can. 1063 et 2319.

Hae notae criticae ita textum impugnant, ut novus textus huius capitis necessarius videtur.

B) *Positive proponitur.* 1) Quae dicuntur n. 5 bonum initium huius capitis efformare possunt, dummodo etiam dicatur:

a) Ecclesiam misericordia motam esse erga eos, qui circumstantiis saepe difficilibus ad matrimonia mixta perveniunt.

b) Ecclesiam ergo nullomodo velle damnare vel a se depellere catholicos qui saepe non tam malevolentia quam fragilitate humana et pressione circumstantiarum ad talia matrimonia perveniunt.

c) Ecclesiam eos Christi nomine monere, ne in re tanti momenti, tam sibi quam coniugi et proli bonum concordiae, fidei et salutis aeternae negligant.

d) Ecclesiam agnoscere specialem conditionem matrimoniorum catholicorum cum christianis non-catholicis, imprimis orthodoxis sed etiam protestantibus. Principia oecumenismi catholici hic serie applicare necesse est.

e) Ecclesiam etiam agnoscere magnam varietatem matrimoniorum mixtorum in nostro tempore, e. g. in regionibus ubi Ecclesia in statu missionali parvam adhuc minoritatem, sed crescentem, efformat vel in regionibus ubi catholici iam per multum tempus cum christianis non-catholicis convivunt vel in magnis civitatibus, ubi dechristianizatio maiorem iam vim obtinuit et novus typus matrimonii mixti ortus et auctus est. Ecclesia etiam agnoscere debet valde difficile, immo impossibile esse uniformes leges praecise condere pro his situationibus tam differentibus ab invicem.

f) Quoad causas matrimoniorum mixtorum maximi momenti esse modus quo homines nunc in societate convivunt, praesertim in maioribus civitatibus. Si Concilium loquitur de illis causis, scientia psychologica et sociologica consulentur. Concilium e. g. ne dicat sine argumentis, numerum matrimoniorum mixtorum auxisse.

Modus ergo, quo Concilium de matrimoniis mixtis loquitur, sit et vere pastoralis et scientifice (ratione habita ad scientias modernas) elaboratus.

2) Admonitio, quae habetur n. 6 modo magis pastorali exprimatur. Non negare volumus, adesse matrimonia mixta, in quibus vita christiana florescit et bona concordia habetur inter coniuges. Experientia autem docemur, pluribus in casibus haec matrimonia ducere ad indifferentismum religiosum et ecclesiasticum, praesertim quando antea iam propensio ad talem indifferentismum adest.

Pastores animarum ita fideles, praesertim iuniores, instruant et efforment, ut ipsi fideles bene videant magnas difficultates inhaerentes istis matrimoniis, etiam si iuxta Ecclesiae leges ineuntur. Necesse nunc est educare catholicos ad maturitatem fidei.

In multis casibus autem, ubi talia matrimonia evitari non possunt, pastores animarum catholicos adiuvent, ut matrimonium suum ineant in fidelitate erga fidem et conscientiam suam. Partem non-catholicam adiuvent, ut respectum pro fide catholica habeat.

Difficultates, praesertim quod attinet ad educationem prolis in quantum possibile solvantur iuxta principia fidei christianae.

Pastores autem bene sciant, hoc non semper plene possibile esse. Praesertim autem pastores animarum curent, ne matrimonia extra Ecclesiam et invalida ineantur et ita nexus cum Ecclesia rumpantur.

3) Ad n. 7. Legislatio tantummodo in accidentalibus aliquomodo mutata est. Leges in essentia immutatae manent. Tantum formulae mitigatae sunt.

Proponitur: *a*) Quod Concilium det tantum principia pastoralia pro matri-

moniis mixtis. Episcopi autem magis concrete, ratione habita situationis matrimonii mixti in sua regione, pastoribus normas pastorales dent.

b) Pastores catholicos advertant ad debitum fidei prolem suam baptizandi et educandi in Ecclesia catholica. Bene inquirant utrum revera bona intentio et propositum adest. Partem non-catholicam quaerant, num velit serie respectum habere fidei et libertatis conscientiae partis catholicae et etiam num in conscientia consentire possit in baptismo et educatione prolis nasciturae in Ecclesia catholica. Si autem hoc ultimum possibile non apparet, res Episcopo proponatur. Episcopus autem iudicet de opportunitate matrimonii coram Ecclesia in casibus, ubi pars catholica quidem vult prolem catholice baptizare et educare, sed pars non-catholica ex conscientia hoc promittere non potest.

4) Quoad formam matrimonii ut conditionem validitatis matrimonii: *a*) Pro matrimoniis mixtis inter catholicos et orthodoxos omnino concedatur ritus matrimonii in Ecclesia Orthodoxa (a nobis separata) ut verus et sacramentalis ritus. Concedatur hic etiam communicatio in sacris, i. e. in celebratione Eucharistiae ut complementum ritus matrimonii.

b) Pro matrimoniis mixtis inter catholicos et protestantes valet forma canonica matrimonii, non tamen ita, ut validitas matrimoniorum, quae sine hac forma ineuntur, omnino impediatur. In casibus, ubi matrimonium in forma canonica possibile non est, Episcopus iudicet de opportunitate, utrum non obstante absentia formae canonicae, tamen hoc matrimonium ut validum agnosci possit. In hoc iudicio imprimis ratio habeatur intentionis nupturientium matrimonium pro tota vita ineundo.

5) Quoad ritum matrimonii mixti: *a*) Adhibeatur formula magis positiva. Distinguantur: *a*) matrimonia catholicorum cum orthodoxis; *b*) matrimonia catholicorum cum ceteris christianis non-catholicis; *c*) matrimonia catholicorum cum non-christianis.

Ad *a*) Concedatur ritus completus matrimoniorum duorum catholicorum.

Ad *b*) Concedantur ritus sacri, in quibus sanctitas et sacramentalitas matrimonii exprimuntur. Concedatur etiam, si nupturientes hoc cupiunt, Sacra Missa post ritum matrimonii. Non autem concedatur ritus matrimonii durante Sacra Missa sicut fit in matrimonio catholicorum. Omnia evitentur, quae intentionem prae se ferunt alicuius punitionis vel discriminationis, quae non stricte exigitur natura ipsa matrimonii mixti.

Ad *c*) Concedatur ritus, distinctus autem a ritu sub *b*), quia hic non adest matrimonium duorum baptizatorum sacramentale.

100. *Exc.mus Laurentius Jäger, Archiepiscopus Paderbornensis.*

Appendix ad animadversiones ad Schema *De matrimonii sacramento*: Cap. II. « De matrimoniis mixtis ». In Commissione C.I.C. reformandi instituatur specialis Subcommissio, quae deliberet de canone 1099, § 1 n. 2 reformando. Deliberet utrum inter baptizatos, quorum una pars est catholica altera vero non-catholica, vero consensu matrimoniali, sed sine forma canonica contracta, matrimonia mixta illicita attamen valida possint declarari.

Rationes: Praeter alias saepius iam vocatas liceat in memoriam revocare:

1. Concilium Tridentinum tam magni facit vim consensus, ut sollemniter declaret matrimonia etiam sine ulla forma publica contracta « ex eo quod libero

contrahentium consensu facta » sunt, « rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit » (Decr. *Tametsi,* DENZ. 990).

Hoc principio « consensus facit nuptias » innixa Ecclesia catholica per quattuor fere saecula tot matrimonia inter catholicos et non catholicos valida et rata considerabat, etiamsi in multis regionibus non in forma Tridentina contracta erant. Ecclesia illa matrimonia nullatenus irrita facit, quamvis hoc facere potuisset. Et iustae aderant causae, quae hodie de novo erunt considerandae. Nam hodierna legislatio talia matrimonia invalida declarans quasi vulnere afficit vim consensus matrimonialis, quem Tridentina Synodus tantopere exaltavit.

2. Hoc in contextu considerandum est, quod nullum aliud sacramentum tam arcto vinculo cum naturali inclinatione humana coniungitur sicut matrimonium. Officium naturae et sacramentum supernaturale in baptizatis quasi in unum coalescunt, et quidem vi et virtute consensus matrimonialis. Insuper dicendum videtur hunc consensum in baptizatis saltem inscio desiderio tendere in matrimonii sacramentum. Quod desiderium frustratur per legislationem hodiernam de mixtis matrimoniis non in forma Tridentina contractis. Tridentina Synodus hoc nullatenus praevidit, nam eius intentio tantummodo certum facere voluit ipsum vinculum matrimoniale, quod per clandestina matrimonia saepius in dubium vocabatur.

3. Quaestio, de qua agitur, tam complexa et ex variis aspectibus difficilis est, ut non iam firmam solutionem, sed solummodo illam quaestionem serio considerandam proponam. Qua in re praesertim rationes pastorales sunt perpendendae. Constat enim, legislationem Decreti « Ne Timere » et Codicis Iuris Canonici nullatenus inhibuisse numerum crescentem matrimoniorum mixtorum etiam sine forma Tridentina contractorum et ex alia parte ansam praebuisse multis, ut propter excommunicationem sibi inflictam penitus ab Ecclesia solverentur, unde etiam eorum liberi a fide catholica avertebantur.

4. Pondus oecumenicum huius quaestionis magni momenti est. Et plurimi theologi non catholici Ecclesiae catholicae amici insistunt in eo, quod nulla lex divina impedit, ne catholica Ecclesia illa matrimonia mixta sine forma canonica contracta valida declararet. Difficultas ex eo provenit, quod magnae illae confessiones reformatoriae generaliter quidem indissolubilitatem matrimonii tenent, attamen in determinatis singulis casibus, ubi divortium civile iam antecessit, exceptiones admittunt.

Recentiores autem quaedam communitates, quas sectas nominamus, matrimonia pluribus ex causis solubilia autumant.

101. *Exc.mus Franciscus Hengsbach, Episcopus Essendiensis.*

De Sacramento matrimonii. Ich würde es begrüssen, wenn der ganze Text des Entwurfs « De Sacramento matrimonii » an die Kommission zur Reform des C.I.C. überwiesen wird.

Doch würde ich mich freuen, wenn in dem Schema « De oecumenismo » eine Nummer aufgenommen würde im Sinn meiner Intervention bei der Diskussion des zweiten Kapitels im Schema « De oecumenismo ».

Der Text könnte etwa in folgender Weise gefasst werden: Commissio constituta ad revidendum ius C.I.C. diligenter examinet quomodo principia huius decreti « De oecumenismo » in canonibus de matrimoniis mixtis agentibus applicari possint; quod ut attingatur commendatur etiam praevius dialogus cum fratribus seiunctis hac de re a competentibus auctoritatibus instituendus.

102. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis* (aliae animadversiones).

Animadversiones generales. Hoc schema, in quantum canonicum est et nonnullorum matrimoniorum validitatem extra dubium ponit, valde placet.

Attamen cap. II de matrimoniis mixtis non satisfacit, quia haec materia non tantum canonica est, sed magnas pastorales, vel et oecumenicas quaestiones tangit.

Aliunde obliviscendum non est quod in nonnullis regionibus et casibus affirmatio Apostoli vera remanet: « Vir infidelis per mulierem fidelem sanctificatur » (*1 Cor.* 7, 14).

Ex altera parte, in hoc capite non distinguitur inter diversos acatholicos cum quibus pars catholica matrimonium « mixtum » contrahit: alius est Orientalis orthodoxus; alius baptizatus in protestantismo vel schismatica secta Ecclesiae occidentalis; alius iudaeus vel mahumetanus vel alius qui Deum agnoscit; alius qui sine religione vivit sed et atheismum fovet. Diversa sunt pericula fidei pro parte catholica et prole: diversa debet esse repugnantia Ecclesiae, diversae cautiones exigendae.

Maxima difficultas in nonnullis regionibus provenit ex obligatione formae matrimonii sub poena nullitatis, praesertim ubi Concilium Tridentinum suo tempore promulgatum non fuit et ubi obligatio formae recens est, maxime in Oriente ubi Codex Iuris Canonici Orientalis anno 1949 tantum promulgatum fuit.

Exoptandum est igitur ut schema in nonnullis partibus huius capitis melius redigatur, et tandem ut in casibus extraordinariis, sub debitis conditionibus, Ordinarius dispensare possit de forma matrimonii ante factum, et non tantum per sanationem in radice.

Emendationes propositae. N. 4, pag. 10, lin. 5: omittenda sunt verba « prae ceteris ».

N. 5, pag. 10, linn. 7-20 (De causis aucti numeri matrimoniorum mixtorum). Sic mutetur paragraphus: « Civile consortium viros et mulieres diversae religionis frequenter admovet et ad nuptias inter se conciliandas impellit, praesertim in urbibus a patria longinquis quas laboris causa petere coguntur.

Matrimonia mixta impedire de die in diem magis impossibile evadit. Adhibenda sunt media ut, in quantum fieri potest, non contrahantur cum damno fidei et salutis animarum neque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento, sed ut in ipsis matrimoniis mixtis fides utriusque coniugis crescat.

N. 6, pag. 10, linn. 21-27 (De officio pastorum animarum). Servandus est textus usque ad verba « nuptiae fiant », lin. 25. Linn. 25-27 haec verba substituantur: « Ad quod consequendum, debent pastores fideles monere quam graves difficultates ex talibus nuptiis saepe oriuntur: periculum indifferentismi, periculum pro harmonia et felicitate coniugali, periculum pro christiana filiorum educatione.

Nuptiis vero mixtis inter baptizatos firmiter decisis, sedula cura ab Ordinariis aliisque animarum pastoribus habenda est ut sponsi spiritualiter praeparentur ad veram vitam christianam in difficilibus circumstantiis exercendam ».

Postea resumentur linn. 28-30: « Nuptiis vero mixtis celebratis ... » etc.

N. 7, pag. 11, lin. 10: verba « ipsa lex divina » sic mutentur: « *Fides sua catholica* catholicum urget coniugem ... » etc.

N. 7, pag. 11, lin. 12: verbum « impedit » verbo « prohibet » substituatur:

b) Ecclesia, tamquam provida filiorum mater, *impedit* ne matrimonium ineatur ... » etc.

N. 7, pag. 11, linn. 24-30: nn. 2) et 3) sic mutentur: « Pars catholica sincere iuramentum praestet se officio curandi baptismum et educationem catholicam prolis satisfacturam esse:

Cautionem praestet de intentione sincera coniugis non catholici quod compartem non avertat a fide catholica neque impediat a religionis exercitio atque non repugnet ut proles catholice baptizetur eiusque catholicae educationi provideatur ».

N. 7, pag. 12, lin. 5: paragraphus addatur: « In casibus extraordinariis, si sponsi cautiones recusent, et secundum conditiones a conferentiis episcopalibus determinatas, Ordinarius potest dispensare ab ordinaria forma matrimonii ».

Emendationum commentarius. 4. P. 10, lin. 5: omittenda sunt verba « prae ceteris », quia:

a) quoad archetypi (coniunctionis inter Christum et Ecclesiam) proximitatem, magna est differentia inter diversa matrimonia mixta.

Matrimonium inter fideles Ecclesiae catholicae et Ecclesiae orientalis orthodoxae sacramentale est, et proxime ad archetypum accedit. Matrimonium inter fidelem catholicum et baptizatum in protestantismo etiam est sacramentale; et ex hoc significat coniunctionem inter Christum et Ecclesiam. Matrimonium inter fidelem catholicum et iudaeam non est sacramentale, sed fit coram Deo vero et bonis matrimonii essentialibus ordinarie fruitur. Matrimonium inter virum mahumetanum et fidelem catholicam frequenter bono unitatis et bono sacramenti caret. Nec hodie desunt matrimonia cum hominibus sine ulla religione.

b) Non desunt (proh dolor) matrimonia inter fideles catholicos, quae etsi sacramenti coniunctionem inter Christum et Ecclesiam repraesentant, in coniugum mente et corde nullo modo hanc coniunctionem significant.

5. Pag. 10, linn. 7-20: mutatio requisita sic explicatur:

In numero 5 propter rationes insuper allatas (n. 4), valde displicet in lin. 8 mentio absque distinctione matrimoniorum « inter catholicos et non catholicos ». Terminus acatholicos non distinguit inter orthodoxum, protestantem, paganum.

Aliunde, inter causas quae matrimonia mixta favent prima videtur « civile consortium » (lin. 13) quia hodie in permultis regionibus inter homines diversae religionis exsistit. In labore, in otio, in viis, in domibus viri et mulieres diversae religionis, sed et sine religione, necessario coalescunt. Perinutile est dolere de facto quasi universali, maxime in urbibus.

6. Pag. 10, linn. 21-27: ratio mutationis sic apparet: De facto in permultis casibus matrimonia mixta efficaciter prohiberi non possunt. In his casibus, necesse est ut sponsi et postea coniuges adiuventur ad vitam christianam quam maxime vivendam.

7. Pag. 11, lin. 10: verba « fides sua catholica » verbis « ipsa quoque lex divina » substituantur:

Divina lex utrumque coniugem urget conscientiam suam sequendam. Nostris temporibus, non potest adhiberi formulatio quae legem divinam tanquam propriam coniugi catholico reservetur.

7. Pag. 11, linn. 24-30: novus textus quoad nn. 2 et 3:

Hic non agitur de minuendis cautionibus, sed cautiones a sola parte catho-

lica exiguntur, quia saepe nimis durum est parti acatholicae cautiones dare coram ministro catholico.

Verbum « iuramentum » verbo « cautionem » substituitur, quia cautio pro alio datur. In hoc casu, cautio est Deus, testis iuramenti.

In n. 3 « cautio » datur pro coniuge acatholico, et a parte catholica requiri potest discussio cum sponso acatholico de normis futuri coniugii.

7. Pag. 12, lin. 5: Experientia constat quod aliqui sponsi acatholici qui vitam vere religiosam degunt renuunt se sistere coram ministro catholico. In his casibus, videtur quod fides catholica et educatio religiosa prolis, etsi incompleta, magis fovetur si pars catholica matrimonium verum contrahit et non matrimonium simpliciter attentatum, quod eam a spiritualibus auxiliis avertit.

Conferentiae episcopales possunt conditiones exigere secundum regionum necessitates, sicut iuramentum partis catholicae se verum matrimonium velle cum indissolubilitate.

Matrimonia ista inscribi debent saltem in libro secreto Ordinarii.

Ad iustificandam paragraphum 7-bis, credimus quod argumentatio a Benedicto XIV proposita in *De synodo dioecesana* lib. VI, cap. VI, n. XII, p. 158 magni momenti est.

Mentionem facit de decreto Congregationis Concilii die 13 maii 1641, per ipsum Benedictum XIV approbatum die 4 novembris 1741 (cf. Tomus I, *Bullarii Benedicti XIV,* n. 34).

Tractat de matrimonio in Belgii provinciis et in unitis Provinciis, in quibus regionibus non fuerat immediate promulgatum a Philippo II Hispaniae et determinat validitatem tam inter haereticum et haereticum, quam inter haereticum et catholicum.

Notandum est quod ad affirmandam validitatem matrimonii mixti sine forma Concilii celebrati argumentatio Papae Benedicti XIV innititur super validitate matrimonii inter duos haereticos recognita.

Pensanda est haec formula « exemptio, qua ipse (haereticus) fruitur, alteri parti communicata remanet ».

Propositae difficultatis summam in eo esse, ut dispiceretur, num, contracto iam matrimonio in dictis regionibus a catholica parte cum alia haeretica, et iam expleto huiusmodi actu, qui sine dubitatione ulla illicitus est, nullum praeterea et irritum declarandum esse matrimonium, propterea, quod in eo contrahendo minime servata fuisset Concilii forma: adeoque quum matrimonium inter duos baptizatos diversae licet communionis de facto initum, non quidem nullum, sed dumtaxat illicitum sit, num pro nullo habendum esset, ex eo quod sine parochi praesentia in iis regionibus contractum fieret. Sensu igitur quaestionis explanato, concordibus suffragiis in eam sententiam itum est, quod *sicuti* valide declarata fuerant ea matrimonia, quae in praedictis foederati Belgii provinciis inter duos contrahentes haereticos, sine parochi praesentia, irrita essent; *ita* valida dici deberent illa, quae in iisdem locis inter duas partes, alteram catholicam et alteram haereticam, eodem modo contracta forent; quoniam, quum coniugum alter, tum ratione loci in quo habitat, tum ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentina Synodi lege, exemptio, qua ipsa fruitur, alteri parti communicata remanet, *propter individuitatem contractus,* vi cuius exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram, secundum etiam civiles leges, extenditur eidemque communicatur.

103. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis* (tertiae animadversiones).

I. « *Emendationes* ». Celles qui sont jointes à cette lettre ont été rédigées par le R. P. Le Guillou, o. p., puis étudiées par les Evêques de la Région Provence-Méditerranée. Pour éviter tout retard, je les ai déjà fait parvenir à Rome. Mais, en vue de la discussion prochaine, vous me rendriez grand service en m'adressant, à leur sujet, vos remarques.

Je me permets d'attirer votre attention sur deux points:

1. *La question des « cautiones »*. Si exigeant que paraisse l'actuel schéma (p. 11, lin. 24 et sq.), il insiste davantage (à la différence du can. 1061, § 1) sur le *devoir* qui incombe au conjoint catholique que sur le *fait* du baptême et l'éducation catholique des enfants; il demande à la partie non catholique *de ne pas s'opposer* à ce qu'on procède au baptême des enfants et pourvoie à leur éducation catholique.

Néanmoins, afin de ne rien demander au non catholique qui puisse être contraire à sa conscience, on voudrait que la partie catholique porte seule le poids des « cautiones »: *serment* (iuramentum) de faire baptiser ses enfants et de les élever dans la foi catholique; *garantie* (cautio) de l'intention sincère de son conjoint « de comparte non avertenda, etc. » (ce qui l'obligerait, avant le mariage à envisager explicitement cette question avec l'autre partie).

2. *L'obligation de la forme canonique*. Actuellement, la « forme » est nécessaire à la validité et cela revient à abolir en *pratique* la distinction entre l'empêchement (prohibant) de religion mixte et celui (dirimant) de disparité de culte.

Sur cette question, la discipline de l'Eglise a connu deux tendances: celle qui aboutit au décret « Provida » (1906): la partie exempte de la loi communique son exemption à l'autre; celle (qui a prévalu en 1908-1918) du décret « Ne temere » et du Code: la partie soumise à la loi communique cette soumission à l'autre.

Faut-il rétablir la dispense de la forme canonique?

Le Cardinal Frings le pense: au Concile, le 27 novembre 1963, il déclarait: « Matrimonia mixta vitanda sunt. In omni matrimonio mixto manet gravissima obligatio partis catholicae curandi educationem catholicam omnium liberorum. Si altera pars sine laesione suae conscientiae hoc praestare non potest, ne cogatur, sed tale matrimonium ne ineatur. Ecclesia vero declaret valida matrimonia mixtae religionis non in forma canonica contracta, et tollantur poenae ecclesiasticae ex hoc capite profluentes ».

D'autres sont moins absolus et voudraient seulement que l'Ordinaire puisse dans certains cas en dispenser. C'est l'avis du R. P. Le Guillou.

II. *Refonte éventuelle du texte*. Si comme je le souhaite, nous pouvons espérer un remaniement plus profond de ce chapitre, vous m'obligeriez beaucoup en m'adressant vos réponses aux questions suivantes:

1. Ne faut-il pas rappeler d'abord le grave devoir pastoral qui incombe aux prêtres de connaître l'idée que le fiancé non catholique se fait du mariage: son unité, son indissolubilité, ses « fins », le sacrement qu'il peut conférer?

2. Ne faut-il pas distinguer le cas d'un mariage conclu entre deux chrétiens (qui est ou peut être sacramentel) et celui d'un mariage conclu entre un catholique et un non baptisé?

3. Distinguer aussi le mariage d'un catholique avec un conjoint qui est orthodoxe, ou protestant, qui croit en Dieu ou non?

4. Distinguer encore le non catholique qui refuse de donner les « cautiones » (par lui-même ou par son fiancé) et celui qui refuse seulement de contracter mariage selon la forme canonique (c'est-à-dire de se présenter devant le prêtre catholique)?

5. Pour ceux qui se récusent, faut-il admettre la validité du mariage sans forme canonique (solution du Cardinal Frings)?

Ou au moins dispenser explicitement de la forme canonique ordinaire (solution du R. P. Le Guillou)?

Ou concéder la forme canonique extraordinaire (prévue, en des circonstances toutes différentes, par le can. 1098)?

6. Les Conférences épiscopales pourraient-elles autoriser les époux à se présenter (après le mariage catholique) devant le ministre du conjoint non catholique, étant bien précisé qu'il ne s'agit pas là d'un rite sacramentel (ce qui est contraire à l'actuel can. 1063)?

II. « *Emendationes* » *relatives au chapitre II* « *De matrimoniis mixtis* ».

4. Pag. 10, lin. 5: Omittenda sunt verba « prae ceteris ».

5. Pag. 10, linn. 7-20: Loco huius paragraphi, proponitur novus textus: « Civile consortium viros et mulieres diversae religionis frequenter admovet et ad nuptias inter se conciliandas impellit, praesertim in urbibus et in regionibus a patria longinquis quas laboris causa petere coguntur.

Matrimonia mixta impedire de die in diem magis impossibile evadit. Adhibenda sunt media ut, in quantum fieri potest, non contrahantur cum damno fidei et salutis animarum neque etiam cum ipsius pacis familiaris detrimento, sed ut in ipsis matrimoniis mixtis fides utriusque coniugis crescat ».

6. Pag. 10, linn. 21-30: Servandus est textus usque ad verba « nuptiae fiant » lin. 25.

Linn. 25-30 haec verba substituantur: « Ad quod consequendum, debent pastores fideles monere quam graves difficultates ex talibus nuptiis saepe oriuntur: periculum indifferentismi, periculum pro harmonia et felicitate coniugali, periculum pro christiana filiorum educatione. Nuptiis vero mixtis inter baptizatos firmiter decisis, sedula cura ab Ordinariis, aliisque animarum pastoribus habenda est, ut sponsi spiritualiter praeparentur ad veram christianam vitam in difficilibus circumstantiis exercendam.

N.B. Le R. P. Le Guillou propose d'ajouter les précisions suivantes: « Discant manifestare reverentiam erga sinceram fidem alterius coniugis, vitam christianam absque ostentatione hominumque respectu in mutua fiducia exercere, spiritum apostolicum dirigere in propagationem spiritus oecumenici in propria utriusque communitate religiosa, in eliminationem progressivam dissentionum et divisionis Ecclesiarum, quarum propria familia infelix victima constituta est, quaerere tandem, quantum possibile est, adiumentum apud pastores utriusque coniugis et alias familias mixtas ». Est-ce opportun?

Par contre, il omet purement et simplement les lignes 28-30: « Nuptiis vero mixtis celebratis, sedula cura ab Ordinariis, aliisque animarum pastoribus habenda est, ut coniuges quod ante matrimonium libere promiserunt fideliter praestent ». Ce texte n'est-il pas à maintenir?

7. Pag. 11, lin. 10: Verba « Ipsa lex divina » sic mutentur: *Fides sua catholica* catholicum urget coniugem, etc. ...

N.B. Le motif donné par le R. Père est le suivant: « Divina lex utrumque coniugem urget conscientiam suam sequendam. Nostris temporibus, non potest adhiberi formulatio quae legem divinam tamquam propriam coniugi catholico reservat ». Mais la nouvelle formule proposée est-elle meilleure? Outre l'allitération qu'elle introduit, elle semble comporter une équivoque sur le sens du mot « fides ».

7. Pag. 11, lin. 12: Verbum « impedit » verbo « prohibet » substituatur: « Ecclesia, tamquam provida filiorum mater, *impedit* ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas ... etc. ».

N.B. « Verbum *prohibet,* etsi canonice bonum, nonnullis offendit. Propterea substituitur verbum *impedit,* quod eamdem significationem habet » (R. P. Le Guillou).

7. Pag. 11, linn. 24-30: nn. 2 et 3 sic mutentur: « Pars catholica sincere iuramentum praestet se officio curandi baptismum et educationem catholicam prolis satisfacturam esse ».

N.B.: Cette « emendatio » reporte sur la partie catholique tout le poids des engagements demandés par l'Eglise. Voici la justification donnée par le R. Père: « Verbum iuramentum verbo cautionem substituitur, quia cautio pro alio datur. In hoc casu, cautio est Deus, testis iuramenti ».

« Cautionem praestet de intentione sincera coniugis non catholici quod compartem non avertat a fide catholica, neque impediat a religionis exercitio atque non repugnet ut proles catholice baptizetur eiusque catholicae educationi provideatur ».

Mais le mot « iuramentum » est-il satisfaisant?

« Hic non agitur de minuendis cautionibus, sed cautiones a sola parte catholica exiguntur, quia ... saepe nimis durum parti acatholicae cautiones dare ministro catholico » (R. P. Le Guillou).

Mais cette répugnance ne doit pas normalement empêcher la partie non-catholique de prendre contact avec le prêtre. Et, de toute manière, le devoir qu'aurait la partie catholique de se porter garante pour son futur conjoint requérerait d'elle une conversation franche avec celui-ci « de normis futuri coniugii ».

7-bis, pag. 12, lin. 5: Paragraphus addatur: « In casibus extraordinariis, si sponsi cautiones recusent, et secundum conditiones a conferentiis episcopalibus determinatas, Ordinarius potest dispensare ab ordinaria forma matrimonii ».

N.B.: Le R. P. Le Guillou justifie ainsi son projet: « Experientia constat quod aliqui sponsi acatholici qui vitam vere religiosam degunt renuunt se sistere coram ministro catholico. In his casibus videtur quod fides partis catholicae et educatio religiosa prolis, etsi incompleta, magis fovetur si pars catholica matrimonium verum contrahit et non matrimonium simpliciter attentatum, quod eam a spiritualibus auxiliis avertit.

Conferentiae episcopales possunt conditiones exigere secundum regionum necessitates, sicut iuramentum partis catholicae se verum matrimonium velle cum indissolubilitate. Matrimonia ista inscribi debent saltem in libro secreto Ordinarii.

En fait, ne faut-il pas distinguer le cas de ceux qui refusent toute promesse

(« si sponsi cautiones recusent ») et le cas du conjoint qui refuse seulement de se présenter devant le prêtre pour la cérémonie religieuse? Cf. le schéma « de Ecclesiis Orientalibus » (p. 11, nn. 32 et 33) qui prévoit la dispense de la forme canonique lorsque « pars acatholica suaderi nequeat ut se coram competente parocho sistat », mais maintient la nécessité des garanties prévues par le Droit.

8. Pag. 12, linn. 9-12: Deleantur tres ultimae lineae, a verbis « dummodo ne desint cautiones ... ». Et ita, hoc caput verbis « concedere potest » terminetur.

Caput III

DE CONSENSU MATRIMONIALI

104. *Exc.mus Villelmus Motolese, Archiepiscopus Tarentinus.*

N. 10, lin. 15: Verba sequentia: « Qui matrimonium, et praecipue matrimonium christianum, celebrare volunt, etc. » hoc modo corrigenda videtur: « Christiani, qui matrimonium celebrare volunt etc. » quod soli baptizati Sacramentum intendere possunt.

105. *Observationes propositae a quibusdam Ordinariis Conferentiae Episcopalis Indonesiae.*

1. Ad pag. 13, n. 9, linn. 1-9: Quod iam dictum est pro toto Schemate in genere, scilicet quod est nimis iuridice, etiam valet pro hoc loco, ubi Schema loquitur de consensu matrimoniali. Definitio consensus matrimonialis hic data et ex Codice Iuris Canonici assumpta, tantum refert aspectum iuridicum et quidem fundatum in cultura occidentali. Considerando tantum hunc aspectum iuridicum, Schema devaluare videtur matrimonium ad quoddam contractum impersonale.

Concedimus quod definitio iuridica consensus matrimonialis debet esse accurata et debet continere requisitum minimum ut matrimonium sit validum. Hoc minimum ut consensus sit validus, habetur in acceptatione alterius personae in ordine ad matrimonium. Quae acceptatio variis modis fieri potest apud varias personas et varias culturas, uti e. g. per electionem liberam personalem, sed etiam — ut non raro fit — per acceptationem personae, quae electa est a parentibus vel a familia partium.

Proponimus ergo ut Schema quidem definiat requisita iuridica pro consensu valido matrimonii contractus, sed tantum sese coarctet ad requisita minima et quidem tali modo, ut praeter aspectum stricte iuridicum etiam alii aspectus considerentur, uti v. g. relatio personalis inter partes. Consensus enim iuridicus tantum requisita minima exprimit. Matrimonium est relatio specialis inter duas partes, qua una pars libenter aliam partem vult accipere in ordine ad matrimonium. Consensus iuridice expressus est signum quod haec relatio in sua essentia adest.

2. Ad pag. 14, linn. 6-11: Minus placet Schema saepe iterare Ecclesiam esse piam Matrem, Providam Matrem etc. Loco huius lineae ponentur quaedam normae pastorales, quomodo agendi in casu matrimonii invalidi ex defectu consensus. Proponatur uti suprema lex: felicitas partium.

Singulus casus in sua propria situatione considerari debet. Omnes conatus sacerdos adhibere debet ut haec matrimonia convalidentur.

106. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis.*

Consensus matrimonialis, qui est liber voluntatis actus quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, perpetuum et exclusivum, adeo necessarius et essentialis est ad matrimonium constituendum ut nulla humana potestate suppleri potest. Apud baptizatos est etiam signum sensibile gratiae sacramentalis.

Qui ad matrimonium et praecipue ad matrimonium christianum accedunt, recta cum intentione consensum, tam interne conceptum quam externe manifestatum, proferre debent, ne se maculent vitio simulationis aut fictionis, etiam partialis.

Exoptat autem Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum ut rectitudo et libertas consensus matrimonialis legibus circumstantiis hodiernis vere accommodatis efficaciter tegantur.

Patres non sine moerore conspicientes haud paucas matrimoniales causas, quae in tribunalibus ecclesiasticis ex aliquo consensus defectu agitantur, a prava partium voluntate saepe originem ducunt, omnes contrahentes hortantur ut solliciti attendant ne vinculum matrimoniale periculo nullitatis exponant.

Qui tamen matrimonium contrahunt sine debita intentione conscii fiant obligationis illud convalidandi, saepe etiam hac ratione ut comparti illatum damnum reparent.

N.B.: Hic textus loco textus typis impressi proponitur.

Caput IV

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

107. *Exc.mus Henricus Nicodemo, Archiepiscopus Barensis, nomine Conferentiae Episcopalis Apulae.*

Cap. IV, n. 13, *d*), pag. 16: Nova disciplina quae hic statuitur parum opportuna videtur, cum iam satis consulatur validitati matrimonii canone 209 C.I.C. iuxta authenticam interpretationem diei 26 martii 1952.

108. *Exc.mus Villelmus Motolese, Archiepiscopus Tarentinus.*

N. 13 *b*), lin. 23: rectius dicendum videtur: « cuilibet sacerdoti potest parochus, audito loci Ordinario, et Ordinarius etc. ».

Ibidem, lin. 24: « nisi agatur de vicariis cooperatoribus, pro paroecia cui addicti sunt, vel de delegatis ab Ordinario ad universitatem negotiorum » (can. 199, 3, C.I.C.).

N. 13 *c*), lin. 31: « ... si non sit vicarius cooperator, vel delegatus ab Ordinario ad universitatem negotiorum ... ».

d) : Haec norma, etiamsi sacerdos qui sine delegatione matrimonio assistere ausus fuerit ipso facto in suspensionem a divinis, loci Ordinario reservatam, incurrat, non videtur esse probanda, cum graviora sint damna ex non legitimo vel imprudenti (nec tamen ficto) facultatis usu omnibus sacerdotibus concessae procedentia, quam quae validitatis tutela compensari possint.

Ad pag. 17, lin. 13: « Ob incertos paroeciae fines » matrimonia illicita videntur dari posse, non vero invalida.

109. *Exc.mus Andreas Pangrazio, Archiepiscopus Goritiensis.*

Pag. 15, lin. 25: Sub littera *b*) agitur de facultate generali ex delegatione, sub littera *d*) videtur agi de facultate generali « ex iure ».

Desideratur expositio clarior.

« *Facultas generalis* » omnibus sacerdotibus delegabilis et *licentia pro singulis casibus concedenda*:

1) Facultas generalis saepe saepius superflua erit, nam parochi eam includent in licentiam, quam semper dare debent, et quidem « pro singulis casibus ».

2) Facultas generalis *delegata* est adhuc necessaria, cum ex littera *d*) constet concessa *iam ex iure?*

Rogatur ut concedatur aliqua mitigatio quoad concessionem *licentiae*: Licentia enim concedi posset tantum « expletis omnibus, quae ius constituit pro libertate status comprobanda ». Ergo tantum post publicationes peractas. Sed saepe parochus abire debet perdurantibus publicationibus!

Pag. 16, lin. 16, sub *a*): « Petitio Ordinario loci facienda, *si fieri possit* ... ». Hic agitur *de validitate* matrimonii; conditiones deberent esse clarae, determinatae, non autem hypotheticae « si fieri possit », alioquin multae erunt perplexitates et angustiae spiritus. *Ratio*: in terris ubi regimen Ecclesiae est hostile, petitio Ordinario per se facilis esse potest, sed periculosa. Non facile erit ergo statuere, num petitio « fieri possit ».

110. *Observationes propositae a quibusdam Ordinariis Conferentiae Episcopalis Indonesiae.*

1. Ad pag. 15, n. 12: Etiam in hoc numero, ubi Schema loquitur de forma matrimonii, tantum consideratur aspectus iuridicus. Melius hic numerus 12 rescribatur, quia cum emphasi nimis magna proponi videtur ius Ecclesiae, dum nihil omnino dicitur de ipsis partibus.

Thesis quod Ecclesiae ius proprium et exclusivum competit determinandi condiciones seu sollemnitates pro valida et licita matrimonii celebratione, pro his temporibus forsan sonat nimis auctoritative, quasi Ecclesia rationem habere non deberet cum conditionibus et circumstantiis temporum, cum vinculis socialibus et civilibus, et arbitrarie tantum suam formam determinare posset, non attendendo ius naturale hominum — etiam christianorum — nubendi.

Melius, nostra opinione, esset, si hic numerus 12 inciperet proponere quod matrimonium contrahitur a duabus personis et quod haec coniunctio etiam pro societate est maximi momenti; quod in societate Ecclesiae matrimonium illud a Christo in sacramentum, i. e. signum et medium sanctitatis christianae, evectum est. Ex his praemissis concludi posset, quod societas, et ergo etiam — propter characterem sacramentalem — fundamentaliter Ecclesia condiciones ponere debet pro valida celebratione illius matrimonii. Ex his etiam sequitur quod forma matrimonii primarie est forma ritualis, de qua ergo primarie Schema verba facere deberet. In hac forma rituali, quaedam condiciones iuridicae impleri debent. Sed determinatio formae iuridicae hoc in Schemate paucis tantum verbis fieri deberet, indicando scilicet quasdam imperfectiones, quarum correctio demandari deberet Commissioni ad recognoscendum Codicem.

2. Ad pag. 15, linn. 7-8: Verbis: « Ecclesiae ius ... competit determinandi

condiciones seu sollemnitates pro valida et licita matrimonii celebratione » addatur « casu quo una saltem pars est baptizata ».

3. Ad pag. 15, linn. 9-10: « Leges canonicas ... latere potest » videtur affirmatio superflua et insuper in sua generalitate haec affirmatio historice non convenit veritati.

4. Ad pag. 16, linn. 1-6: Haec exceptio pro sacerdote excommunicato deleatur, quia non pertinet ad documentum Concilii talia determinare, et insuper quia haec exceptio supponit ius poenale, quod nunc quidem adhuc viget, sed quod certe recognosci debet.

111. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis.*

Lin. 18 (Patres) exoptant *in vigenti disciplina* de celebrandi matrimonium forma, tam ordinaria quam extraordinaria, immutationes quae vigilantiam Ordinariorum locorum et parochorum supra conclusionem matrimonii efficaciorem reddant simulque facultatem valide et licite assistendi matrimonio non arctius restringant quam exigit bonum sociale et individuale fidelium.

N.B.: Reliqua totaliter supprimantur in capite IV.

Aliae animadversiones:

Pag. 16, n. 14, post lin. 20 addatur: c) « *ut matrimonium, in quantum fieri potest, secundum legem civilem fiat* ».

112. *Animadversiones Conferentiae Episcopalis Insulae Madecassensis* (Madagascar).

In Schemate Decreti, vestigia premendo Concilii Tridentini, statuitur necessitas retinendi formam substantialem matrimonii; iure hoc fit, saltem pro matrimonio inter catholicos, nam rationes quae Concilium Tridentinum moverunt ad formam ad valorem matrimonii instituendam, et quae in Decreto « Tametsi » lato die 11 novembris 1563, exponuntur suam vim nostris diebus servant.

In supradicto Decreto asseritur: « ... Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa (sc. matrimonia clandestina) semper detestata est atque prohibuit » et inferius « cum Sancta Synodus gravia peccata perpendat, quae ex eiusmodi clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum propria uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt ... » (DENZ.-SCHÖN. 1813-14; *DB* 990).

His rationibus consideratis mira omnino est legislatio Codicis Iuris Canonici quoad matrimonia baptizatorum acatholicorum inter se vel cum non baptizatis: in canone 1099, § 2 isti iure eximuntur a forma catholica matrimonii, sed nulli aliae formae submittuntur.

Cum autem « Ecclesiae ius proprium et exclusivum competit determinandi condiciones seu sollemnitates pro valida et licita matrimonii celebratione (cf. can. 1016, *C.I.C.*) », ut in Schemate Decreti denuo affirmatur in n. 12, pag. 15, linn. 6-8, et in Ecclesia « Supremae Auctoritati privativae ius est impedimenta matrimonialia impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis » (cf. can. 1038, § 2) et « consueto novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur » (can. 1041), fit ut acatholici baptizati quoties contrahunt inter se vel cum non baptizatis non tenentur neque forma requisita a Potestate civili, neque forma forte requisita ab

eorum confessione religiosa; pro ipsis ergo matrimonia stricte clandestina, sc. sine assistentia cuiuscumque testis, valida et licita sunt. Lata sic aperitur via illis unionibus adulterinis de quibus in Decreto « Tametsi ».

Sed haec clandestinitas aliquando damnum contrarium causat cum dispendio animarum. Non raro in regionibus in quibus forma matrimonii lege civili aut moribus populi inducta non semper servatur a contrahentibus, in foro externo difficile omnino est scire cum certitudine an duae personae, quae etiam diu cohabitaverunt, hoc fecerint uxorio modo an fornicario; cum autem praesumptio, etiam ex lege naturali, faveat matrimonio, in foro externo respondendum est pro matrimonio. Ex hoc fit ut quando acatholicus, qui ingredi petit in ecclesiam catholicam, publice vixit in statu matrimoniali cum persona alia quam illa cum qua nunc vivit, etiamsi coniugium nulla forma civili aut consuetudinaria servata initum fuerit, repellendus est ab admissione in Ecclesiam et a matrimonio ex dubio insolubili circa praecedens vinculum, si a novo coniuge separari nequit vel non vult.

Neque his casibus remedium afferri potest per privilegium, quod appellari consuevit petrinum, quando ambo sunt baptizati extra ecclesiam catholicam, etiam baptismo dubio.

Ad talia damna praecavenda necessarium est baptizatos acatholicos subiicere alicui formae ad valorem matrimonii, ita ut matrimonium stricte clandestinum, scilicet sine assistentia testium, pro omnibus baptizatis nullum sit.

Forma aptior videtur esse forma extraordinaria statuta in canone 1098, § 1, sc. praesentia duorum saltem testium. Si tali formae acatholici baptizati lege generali tenebuntur, fiet ut matrimonium stricte clandestinum nullum erit; e contra matrimonium civile et matrimonium more patrio celebratum, si saltem duo testes habentur, validum erit.

Episcopi Insulae Madecassensis (15) petunt ergo ut Sacrum Concilium talem formam statuat pro baptizatis extra Ecclesiam catholicam, quoties inter se vel cum persona non baptizata contrahunt, supprimendo clandestinitatem eorum matrimoniorum; vel saltem ut in textu decreti mandatum includatur pro Commissione pro revisione Codicis talem legem statuendi.

Caput V

DE PROCESSU MATRIMONIALI

113. *Observationes propositae a quibusdam Ordinariis Conferentiae Episcopalis Indonesiae.*

Ad pag. 22, n. 18, linn. 7-15: Inter desideratas emendationes Schema enumerare velit etiam: processum matrimonialem in genere celeriorem pertractationem. Hoc verificari potest per proceduram magis efficientem, quae sit simplex et clara, et plura relinquit superioribus dioecesanis, puto Episcopis vel Conferentiis Episcoporum.

Ratio pastoralis exigit hanc celeriorem pertractationem.

114. *Exc.mus Marcus Lallier, Archiepiscopus Massiliensis.*

Etsi legislatores et pastores competentes intensiori cura caveant ne matrimonia invalide contrahentur, de facto propter imbecillitatem vel malitiam humanam plura matrimonia invalide celebrantur.

(*De Tribunalium ordinatione*). Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad tribunalia ecclesiastica spectant.

Causas illas tractantia, tribunalia tueantur tam stabilitatem sanctitatemque matrimonii quam aeternam salutem eorum qui coniugium vel invalide contraxerint, vel solubili vinculo in detrimentum animae adstrictos se invenerint. Ad hoc bonum obtinendum disciplina processus matrimonialis efficacioribus munimentis valletur.

(*De Tribunalium circumscriptione*). Circumscriptio iudiciaria ecclesiastica congruenti modo aptetur ut, etsi competentia tribunalium extra limites dioecesanas extendi debeat (semper in tuto posita potestate iudiciaria uniuscuiusque Episcopi), possibilis fiat inter maiorem numerum clericorum et in praxi iudiciali et expeditior securiorque obtineatur cursus causarum matrimonialium. Auditis Episcopis quorum interest, Conferentiae episcopales territoriales videant si et quaenam immutationes sint inducendae easque Apostolicae Sedis iudicio proponant et, ab hac Sede approbatione forte data, ad effectum deducant.

(*De iure accusandi matrimonium*). Coniuges habiles sunt ad accusandum matrimonium suum, nisi ipsi fuerint nullitatis causa culpabilis. Hoc ius lex canonica tueatur, attamen eius exercitium definiatur secundum ea quae postulantur a bono societatis, coniugii et filiorum forte in unione procreatorum. Quoad vero coniuges ad accusandum inhabiles, ne compartes vitam peccaminosam ducere cogantur in unionibus quae tantum matrimonii speciem habent, et quorum convalidatio in casu impossibilis vel noxia esset, introductio actionis propter bonum animarum admittatur, cautionibus tamen adhibitis ne huius favoris concessio videatur hominum malitiae indulgentia et vinculi perpetui indirecta solutio.

N.B.: Hic textus loco textus typis impressi proponitur.

115. *Animadversiones Conferentiae Episcopalis Insulis Madecassensis* (Madagascar).

In n. 18, pag. 22, linn. 7-12 schema decreti opportune dicit inter desideratas emendationes quae in revisione Codicis Iuris Canonici fieri oportet, necessarium esse ut considerentur imprimis: causarum dispensationis super rato et non consummato celerior pertractatio et maior uniformitas in expediendis causis de solutione vinculi naturalis in favorem fidei.

Tamen hae ameliorationes iuris insufficientes erunt ad bonum animarum obtinendum si non extendantur usque ad suppressionem reservationis Sanctae Sedis harum causarum, ita ut habeatur potestas quaedam inferior quae illas pertractare et decidere possit ad normam iuris.

I. *De matrimonio rato et non consummato.* Numerus fidelium et dioecesium nostris diebus ita auctus est ut Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum impar sit ad causas, quae ad ipsam undique mittuntur, tempore convenienti expendendas; ex hoc fit ut causae in dioecesibus instructae ex facultate ab ipsa Sacra Congregatione accepta, vel a Nuntiis aut Delegatis Apostolicis facultatem habentibus, apud S. Congregationem remaneant pro examine et decisione per unum aut duos annos. Ipsa petitio gratiae Summo Pontifici post votum favorabile « Congressus » aut coetus Consultorum non raro locum habet post plures menses.

Ut citius occurratur animabus qui in necessitate gravi sunt et simul debita cautela procedatur in re tam gravi, necessarium et sufficiens videtur ut in una-

quaque regione vel natione tribunal designetur cui tales causae mittantur ad examen, postquam instructae fuerint in unaquaque dioecesi, et Praesidi Conferentiae Episcopalis eiusdem regionis vel nationis facultas tribuatur concedendi gratiam dissolutionis vinculi rati et non consummati post votum favorabile praedicti tribunalis. Singulis Ordinariis locorum facultas generalis tribuenda esset tales causas instruendi.

Difficultas moveri possit de possibilitate talem facultatem concedendi Praesidi Conferentiarum Episcopalium, quia in casu non applicatur potestas iurisdictionalis, seu socialis, Ecclesiae, sed potestas ministerialis seu vicaria, quam Summi Pontifices nomine Dei exercent. Sed etiam haec potestas delegari potest, ut patet ex usu delegandi potestatem dispensandi a votis, quae etiam pertinet ad potestatem ministerialem seu vicariam Summi Pontificis.

Quod si consultius videretur talem facultatem non delegare, saltem statui potest dissolutio ipso iure matrimonii rati et non consummati post votum favorabile praedicti tribunalis, sicut in iure actuali habetur pro professione religiosa sollemni.

Quoniam agitur de potestate ministeriali Summi Pontificis sacrum Concilium votum Summo Pontifici manifestare deberet ad praedictas mutationes iuris concedendas.

II. *De Privilegio Fidei.* Ut iam supra relatum est, in schemate commendatur maior uniformitas in expediendis causis dissolutionis vinculi naturalis in favorem fidei.

Pro matrimoniis in infidelitate contractis in iure vigenti satis provisum est per dissolutionem ipso iure vinculi coniugalis per privilegium paulinum post interpellationes forma summaria et extraiudiciali factas (can. 1122), vel eorum dispensationem certis in casibus ex facultate a S. Sede concessa. E contra pro dissolutione vinculi naturalis inter partem baptizatam et partem non baptizatam, quod privilegium petrinum recentioribus temporibus appellari consuevit, nihil in Codice habetur, si excipitur declaratio canonis 1120, § 2, talia matrimonia non includi in privilegio paulino si cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus inita fuerint.

In praesens tales casus reservantur S. Officio et tractantur secundum « Normas » a S. O. latas die 1 maii 1934. Videtur autem necessarium ut sacrum Concilium expresse votum exprimat Summo Pontifici pro suppressione reservationis S. Sedi horum casuum et pro concessione formae summariae et extraiudicialis in eorum expeditione, ut nunc fit pro privilegio paulino.

Tales casus enim, post suppressionem impedimenti disparitatis cultus pro baptizatis extra ecclesiam catholicam per Codicem statutam, et post declarationem Pii Papae XII factam in allocutione ad S. R. Rotam die 3 oct. 1941 (*A.A.S.*, 1941, pp. 424-426), quod etiam matrimonia celebrata coram ecclesia dispensatione ab impedimento disparitatis cultus possunt dissolvi in favorem fidei per potestatem ministerialem Summi Pontificis, saepe occurrunt, praesertim in locis missionum.

Forma iudicialis requisita a praedictis *Normis* S. O. ad demonstrandam existentiam conditionum requisitarum pro dissolutione talis vinculi coniugalis valde difficulter servatur in locis missionum, in quibus saepe missionarius solus est in ampla regione et graves difficultates existunt ut fideles accedere possint ad civitatem episcopalem.

Ex hoc fit ut instructio causae plures menses aut etiam annum requirat ut ad

exitum ducatur; isti tempori addendum est illud necessarium ut causa ad S. O. mittatur et ab eo examini subiiciatur et ut a Summo Pontifice gratia petatur. Istae morae temporis in perniciem animarum vertunt, quia ipsae facile in periculo concubinatus adulterini inveniuntur aut saepe in ipso iam vivunt, quin facile separari possint ex rationibus familiaribus.

Videtur ergo necessarium ut sacrum Concilium in voto ad Summum Pontificem desiderium exprimat ut legislatio pro privilegio petrino eadem sit ac pro privilegio paulino, ita ut solutio vinculi naturalis inter partem baptizatam et partem non baptizatam ipso iure locum habeat per novum validum matrimonium a parte oratrice initum ex facultate Ordinarii loci, non danda antequam forma summaria et extraiudiciali ipse Ordinarius certitudinem acquisierit de conditionibus requisitis ad normam iuris, praecipue de absentia baptismi perdurante in uno coniuge toto tempore vitae coniugalis, etiamsi copula carnalis secuta sit (cf. can. 1126).

Quod si talis generalis facultas nondum opportuna videatur, facultas dari possit Praesidi Conferentiae episcopalis regionalis, cui processus summarius et extraiudicialis remittendus esset.

INSTRUCTIO PASTORALIS
DE PRAEPARATIONE NUBENDORUM AD MATRIMONIUM

116. *Exc.mus Henricus Nicodemo, Archiepiscopus Barensis, nomine Conferentiae Episcopalis Apulae.*

Instr. past. 20, linn. 15-16: post verba « et in Ecclesia » sic emendetur: « ut qui matrimonio, dein, ineant, bene animati paratique accedant ».

22, linn. 13-14: determinetur *a quibus* et *qua de causa* fideles a matrimonio celebrando arceri possint.

IV

VOTUM DE MATRIMONII SACRAMENTO

SCHEMA VOTI [5]

DE MATRIMONII SACRAMENTO *

1. Matrimonium iam inde ab humani generis exordio ut sacrum amoris foedus ad dignam hominum propagationem sacramque vitae legem tuendam a Deo institutum, Christus Dominus ad sacramenti dignitatem ita evexit ut mirabili modo particeps fieret sanctitatis et firmitatis sui Novi et Aeterni Foederis cum Ecclesia (cf. *Eph.* 5, 32).

Qui ergo iam per baptismum sunt Christo iuncti et configurati, per matrimonii sacramentum Christum peculiari modo induant oportet eo amore, quo Ille Ecclesiam redemit ac reddidit matrem viventium fidelem, et illi fiunt amoris Ecclesiae erga Christum participes.

Profecto matrimonium, utpote humanae consortionis principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter christianos initum adnumeretur inter Novae Legis sacramenta, disciplina eius et cura, quod ad integritatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae Sponsae suae commissae sunt.

2. Ecclesiae autem officium est non solum ius divinitus revelatum et sancitum firmiter tenere et docere, sed etiam pro temporum locorumque necessitatibus eius observantiam tueri ac promovere per additas ecclesiasticas leges diversis condicionibus accommodatas, sive pastorale ministerium reddendo expeditius, sive eiusdem pericula remediis opportunis praecavendo.

---

* *In initio fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo suffragandum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

[5] 3. Sacrosancta Synodus Oecumenica Vaticana II in Spiritu Sancto congregata animum convertit ad vigentes hodiernae vitae socialis mores rationesque sentiendi et cogitandi, quae in rebus multis nec levibus legitime ab iis differunt, quae anteactorum temporum propria et consueta erant; item ad condiciones vitae, quibus plures novi populi evolvuntur, plures iuvenes et familiae natale solum relinquere coguntur, ut vel urbes vel longinquas regiones petant, et homines diversae quoque stirpis et religionis una simul vivunt et ideo plurimis periculis obnoxii sunt, quibus vel ipsa nuptiarum validitas labefactari potest.

Concilium igitur exoptat ut futura legislatio canonica, ad matrimo-
[6] nium quod attinet, magis consentanea curae animarum fiat, in iis praesertim quae in hoc voto continentur, prout sequitur:

a) Cum reformationis principium e simpliciore disciplina desumendum sit, legislatio de matrimonii impedimentis ad nova temporis adiuncta accommodetur oportet, abrogatis impedimentis gradus minoris, sublata multiplicitate quorumvis impedimentorum, ceterisque impedimentis retractatis.

b) Quo opportunius condicioni personarum consulatur, ad matrimonia mixta quod attinet, salvis exigentiis iuris divini, leges canonicae de impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus accommodentur attentis peculiaribus normis quae Sacrosancta Synodus statuit de Oecumenismo.

c) Sancte servato principio sive de vitanda matrimoniorum clandestinitate sive de matrimoniis non exponendis periculo invaliditatis, forma substantialis celebrationis matrimonii ita retractetur ut et formae ordinariae usus facilior reddatur, et forma extraordinaria extra mortis periculum non omnino subtracta sit vigilantiae Ordinariorum.

d) Expeditior habeatur cursus causarum matrimonialium et, ad abusus praecavendos, disciplina processus matrimonialis congruis munimentis fulciatur. Nova statuatur horum processuum disciplina, in qua praecipue provisum cautumque sit tum de praeparatione et electione iudicum idoneorum, qui rerum ac personarum non sint ignari, tum de munere advocati gratuito exercendo, quantum fieri possit.

Casus qui in vigenti disciplina canonica a processu sollemni excipiuntur, modo definito amplientur.

In iis vero omnibus legibus ferendis eluceat spiritus caritatis et mansuetudinis Christi, qui semper aurea et perennis regula Ecclesiae est, et leges iudiciaque ecclesiastica informare debet.

4. Patres denique Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II, de tanti Sacramenti et dignitate et influxu in vitam christianam apprime

conscii, tum pastoribus tum christifidelibus in memoriam revocant grave [6] officium curandi aptam matrimonii praeparationem:

a) Pastores omnes conscientia tenentur, ut munus impertiendi catecheticam institutionem, aliis quoque sacerdotibus vel, si res postulet, etiam laicis viris ac feminis huic ministerio idoneis in auxilium vocatis, fideliter et impense adimpleant. De animarum saluti solliciti, nupturientes tamquam oves sibi concreditas cognoscant eosque ad fidem, in qua baptizati sunt, strenue profitendam excitent atque ad amorem erga Christi Ecclesiam fovendum inducant sincero cordis affectu.

b) Parochi canonicas praescriptiones circa praeparanda et investiganda ante matrimonium numquam omittant ac nulla de causa ma- [7] trimonio assistant vel aliis sacerdotibus assistere permittant, nisi legitime sibi de libero constiterit statu contrahentium.

c) Pastores autem animarum summam praeterea curam habeant de parandis caeremoniis celebrationis matrimonii ut dignitas, pietas, significatio ritus sacramentalis eluceat et, coniuges imprimis, sed etiam ceteri adstantes, actuose participent.

5. Neque post coniugii celebrationem cesset pastorum sollicitudo. Coniuges post nuptias subsidiis utantur, quibus vita christiana nutritur et augetur, animorum coniunctio in caritate magis magisque fovetur ac solidatur, filiorum educationi consulitur et Ecclesia aedificatur.

APPENDIX [11]

RELATIO

de laboribus a Commissione Conciliari de Sacramentorum disciplina peractis

Sacramenti matrimonii disciplina digna erat ut in hoc Sacrosancto Concilio attente consideraretur.

Inter ecclesiasticas enim institutiones haud multae sunt, quae tam gravi et adsidua cura per longam saeculorum seriem ab Ecclesia pertractatae fuerint.

De re sacra in omni matrimonio agitur, et, si sermo sit de matrimonio baptizatorum, ad solam Ecclesiae iurisdictionem illud spectat, salva competentia potestatis civilis circa eiusdem matrimonii effectus mere civiles.

Deinde consideranda est Sacramenti dignitas, qua matrimonia christianorum evasere longe nobilissima.

[11] I - STUDIA AC LABORES COMMISSIONIS CONCILIARIS

Commissio Conciliaris de Sacramentorum disciplina a Commissione Praeparatoria sex Schemata de Sacramento matrimonii recepit. Ea a Commissione Centrali Concilii Praeparatoria suo tempore fuerunt examinata et approbata.

Novimus Commissionem Praeparatoriam longe lateque pluribus aliis quaestionibus studuisse, earum nonnullas, quae maioris momenti videbantur, Concilio attente considerandas proposuisse.

Cum vero, post primam Concilii periodum, Commissio de Concilii laboribus coordinandis Schemata de Sacramento matrimonii ad unum reducendum die 25 ianuarii 1963 decrevisset, Commissio nostra, cuius erat novam redactionem peragere, ad id manus alacriter apposuit.

Schema igitur Concilio proponendum haec capita complecti debebat:

a) Prooemium
b) Caput I, de impedimentis ad matrimonium
c) Caput II, de matrimoniis mixtis
d) Caput III, de consensu matrimoniali
e) Caput IV, de forma celebrationis matrimonii
f) Caput V, de processu matrimoniali.

Quibus adiicienda iubebatur instructio pastoralis de praeparatione matrimonii.

Caput vero de matrimoniis mixtis exarandum nobis erat conlatis consiliis cum Commissione Conciliari de doctrina fidei et morum et cum Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam.

[12] Ut hisce suggestionibus fieret satis, die 15 ianuarii atque 5 et 12 februarii eiusdem anni 1963 Commissio per suos Peritos singula capita novi Schematis per reductionem antiquorum componere studuit.

Quod autem attinet ad caput de matrimoniis mixtis, peculiaris constituta est novem Membrorum Commissio, quae die 2 martii 1963 lineamenta de ea re in novo Schemate continenda approbavit.

Post haec Commissio Conciliaris de Sacramentorum disciplina comitia plenaria celebravit a die 22 martii 1963 ad diem 1 aprilis 1963.

Dupliciter capita novi Schematis pertractavit:

a) per Sub-Commissiones, quae sex numero constitutae sunt ut singula capita examinarent eaque nova forma conciperent;

b) per compositionem universi Schematis in coetibus plenariis, et definitivam eiusdem approbationem ex parte Commissionis.

Iterum caput de matrimoniis mixtis examini subiectum est peculiaris Commissionis quindecim Membrorum seu Sodalium, qui a Commissionibus de doctrina fidei et morum atque de Sacramentorum disciplina necnon a Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam designati fuerant.

Haec autem Commissio sub ductu Eminentissimorum Cardinalium Praesidentium, die 18 maii 1963 denuo caput expendere voluit atque approbavit.

Huic coetui intererant etiam Secretarii tum duarum Commissionum, tum Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam.

II - Schematis distributio Patribus Conciliaribus [12]

Schema igitur sic praeparatum et compositum Commissio de Concilii laboribus coordinandis perpendit in Sessione diei 3 iulii 1963.

Quibusdam iterum inductis modificationibus, Schema, ex statuto Ss.mi Domini Nostri Pauli Pp. VI, Patribus Concilii die 19 iulii 1963 transmissum est.

III - Animadversiones a Concilii Patribus scripto exhibitae

Patres Conciliares plerasque animadversiones ad Commissionis Secretariam tempestive, id est, usque ad diem 1 octobris 1963, miserunt.

Aliae ad Secretariam pervenerunt etiam deinceps usque ad diem 31 ianuarii 1964, praesertim vero post absolutam alteram Concilii periodum.

Nec defuerunt quae primis mensis februarii diebus perlatae sunt ad Commissionem.

Omnes autem pro commoditate studii tribus fasciculis collectae sunt, quorum primus eas continebat quae usque ad diem 1 octobris 1963 exhibitae fuerant; alter eas, quae postea usque ad diem 1 februarii 1964 ad nos pervenerunt; tertius denique reliquas omnes.

Animadversiones primo fasciculo contentas Commissio Conciliaris diligenter atque sollicite consideravit. In eiusdem congressu die 23 octobris 1963
habito, denuo sex constitutae sunt Sub-Commissiones ex Membris et Peritis [13]
compositae, quae singulas Schematis partes, hoc est prooemium, capita atque instructionem pastoralem iterum perpenderent, atque factas animadversiones iudicio attento submitterent.

Sub-Commissiones vero immutationes in Schemate fieri nondum posse statuerunt, donec ceterae animadversiones receptae fuissent. Interea unaquaque Sub-Commissio provisorias suas conclusiones Commissioni plenariae diebus 14 et 21 novembris 1963 celebratae tradidit. Quae, etsi nihil sibi definitive deliberandum censuit donec ceterae animadversiones ad Commissionem pervenissent, tamen pluribus iam satisfacturam curabit, alias vero praetermittendas esse censuit. Reliquis denique animadversionibus receptis, universas denuo Commissio nostra examinavit in sessionibus habitis a die 3 ad diem 7 martii anno 1964.

Die 23 ianuarii 1964 mandatum fuerat a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, ut Commissio de Sacramentorum disciplina Schema de matrimonii Sacramento ad aliquod « Votum » reduceret, in quo, mentione facta de necessitate vel opportunitate accommodandi ad nostram aetatem disciplinam canonicam circa *impedimenta, matrimonia mixta, formam celebrationis matrimonii* et *processum* in causis declarationis nullitatis, exoptata significaretur congruens legislatio, in proxima Codicis Iuris Canonici recognitione statuenda.

« Votum » complendum erat aperta praescriptione omnibus animarum

[13] Pastoribus facta, ut in parandos ad matrimonium nupturientes sedulo incumberent.

Commissio, dicebatur nobis, « Relationem », omnibus numeris absolutam, conficere curabit de laboribus ab eadem peractis, necnon de examine animadversionum, quas in Schema Patres Conciliares proposuerint.

Cum vero quae hucusque diximus satis referant labores Commissionis nostrae, nunc breviter de examine animadversionum Patrum Conciliarium dicendum est.

IV. Examen praecipuarum animadversionum

Animadversiones, quas Patres Conciliares Schemati fecerunt, diversi generis sunt; etenim:

a) quaedam dictiones vel etiam stylum respiciunt;

b) quaedam complementa aliqua proponunt;

c) quaedam substantiam alicuius praescriptionis immutandam enuntiant.

De defectibus styli

Priores *animadversiones,* stylum dictionesve respicientes, satis numerosae sunt; eas tamen nunc recensere inutile est, cum Schema suffragationi Concilii non sit subiiciendum.

[14]

De additionibus vel suppressionibus in Schemate faciendis

Quaedam aliae *animadversiones* vel dispositionem paragraphorum vel earumdem redactionem meliorem exoptant, ut Schema magis pastorale et minus iuridicum appareret.

His animadversionibus Commissio satisfacere contendit, tum supprimendo quasdam paragraphos, tum alias nova ratione conceptas inserendo, tum supplendo quod deficere dicebatur.

Inter huius generis animadversiones praecipuae tenorem ipsius *Prooemii* Schematis spectabant. Nam quidam censuerunt in eo vel non satis completam haberi de sacramentali natura matrimonii declarationem; vel non accurate revocatam enuntiatamque esse divinam huius sacramenti originem, quod sane utile esset; vel tractationem deesse de natura, finibus, proprietatibus bonisque matrimonii.

Quibus animadversionibus Commissio generatim respondit ea reapse ad aliud Schema, in quo de matrimonio et familia agatur, praecipua ratione pertinere; se tamen a novo exarando *Prooemio* alienam non esse, immo vero eius exemplar iam conficiendum curasse.

Alii volebant ut matrimonium magis efferretur ut intima et permanens amoris et caritatis unio, atque ut ideo hoc caritatis coniugalis signum elatioribus verbis describeretur, quatenus caritatis perfectionem in casto connubio exaltat. Hac de re opportunae paragraphi compositae sunt atque etiam no-

vum *Prooemium* in quo sensus ille amoris et caritatis in matrimonio explicatur. [14]

Nonnullae quoque maiores explanationes in *Instructione Pastorali* desiderabantur circa spiritualem ad matrimonium praeparationem; quibus optatis pariter a Commissione satisfactum est.

In capite *de matrimoniis mixtis* quidam Patres reprehendebant matrimonia mixta in initio capitis (n. 4) plus aequo damnari, quod praesertim fratribus seiunctis offensioni esse poterat.

Alii novos textus proposuerunt circa occasiones celebrandi matrimonia mixta, quia in Schemate (n. 5) modo nec satis accurato neque hodiernis adiunctis accommodato de hac re sermo fieri videbatur. Item de pastorali matrimoniorum mixtorum curam (n. 6) alia quaedam suggerebantur, quae rem paulo uberius et aptius illustrabant.

Hic etiam Commissio censuit posse votis et suggestionibus Patrum facile satisfieri novaeque illarum paragraphorum formulae propositae et perpensae sunt, quae rem accuratius declararent et minus rectam Schematis interpretationem impedirent; praesertim vero circumstantias in Missionibus contingentes prae oculis ponerent.

Animadversiones substantiam dispositionum respicientes [15]

1. *De impedimentis ad matrimonium.*

Commissio, in aptando Schemate id prospexit, ut disciplinam totam redderet faciliorem atque hodiernis necessitatibus pastoralibus accommodatam. Ideo, in materia impedimentorum, recepit multorum Patrum propositiones, quibus postulabatur ut aliqua impedimenta, hactenus vigentia, supprimerentur.

Ex *animadversionibus* receptis, sequentes solum sunt commemorandae, utpote quae ad finem huius *Relationis* aliquatenus spectant:

a) Proponebatur ut largius admitteretur principium legitimandi canonizationem legis civilis in impedimentis quibusdam, v. gr. aetatis, consanguinitatis, etc.

Commissio nostra huiusmodi consilium sequendum esse renuit. Namque leges civiles hac de re criteriis adeo diversis impedimenta proponunt, ut facile non sit consequentias praevidere, quae iuri canonico e proposita canonizatione derivarentur.

b) In casu matrimonii putativi bona fide contracti, quidam Pater proposuit dispensatum considerari posse omne impedimentum dirimens, quod non sit iuris divini, ne multiplicentur haec matrimonia nulla et, quod magis est, ne coniuges careant gratia sacramentali.

Ratione gravium difficultatum quae exinde possent oriri, Commissio talem dispensationem opportunam non esse putavit. Cum enim agatur de aliquo facto interno, pars quae bona fide contraxit, hanc postea posset negare,

[15] si matrimonium ex hypothesi validum, infelicem habuerit exitum. Praeterea, huiusmodi sanatio in radice videri posset *automatica,* quod, attenta conditione sociali matrimonii, absonum videtur.

c) Quaesitum pariter est ut ne retineretur impedimentum affinitatis primi gradus lineae collateralis (can. 1077, *C.I.C.*), cum matrimonium maxime commendetur ab opinione publica, si ex priori connubio proles exstiterit.

Qua in re Commissio ad unam sententiam non pervenit, cum alii opinarentur finem intentum, quando sit procurandus, sufficienter obtineri posse per dispensationem, alii vero impedimenti remotionem gravi ratione carere. Commissio tandem definivit quaestionem maiore studio indigere; quare melius rem definiet Commissio redigendo Codici Iuris Canonici praeposita.

d) Quidam Patres desiderabant ut abrogarentur impedimenta cognationis legalis, subdiaconatus, criminis et publicae honestatis.

Cum vero rationes boni publici procurandi, sustentandi decoris status clericalis et moralitatis christianae fovendae, adhuc exstare viderentur, animadversio haec recepta non est.

e) Propositum quoque fuit ut, quoad impedimentum impediens Institutorum saecularium adderetur: « Dispensationes a Sancta Sede concedantur ».

[16] Verum hoc satis per se patet. Agitur enim de lege ecclesiastica, quod spectat ad impedimentum matrimoniale; et, quatenus iure divino exigitur fidelitas erga promissa, Ecclesia eodem modo sese habet atque respectu cuiuscumque voti.

f) In universum denique adverterunt plures Patres, esse inutilia et ideo expungenda, impedimenta quae semper dispensantur.

Hoc admissum fuit quoad impedimenta gradus minoris. Ast, dispensatio supponit semper causam, quae ab ea, propter quam inducitur impedimentum, diversa est.

2. *De matrimoniis mixtis.*

Hoc caput, ut facile praevideri poterat, plures maioresque genuit *animadversiones.*

a) Imprimis, commune manifestatum est desiderium ut distinctae essent tractatio et normae, quibus regantur matrimonium mixtum stricto sensu sumptum, i. e. matrimonium inter baptizatos quorum una pars sit catholica, altera vero communitatis non catholicae, et matrimonia catholicorum cum non baptizatis.

Quibus animadversionibus Commissio communi consensu respondendum censuit ut aut materia in separatis articulis tractaretur aut distinctio vigens inter utramque speciem aptius et modo convenienti (i. e. non solum normam iuris indicante) efferretur.

b) Nonnullis Patribus non arrisit in Schemate nostro sermonem ha-

beri de « ipsa lege divina » quae catholicum urget coniugem ne suo deficiat officio baptizandi et educandi prolem in fide catholica. [16]

Haec animadversio diversimode apud Patres proposita est. Nam:

a') dicunt verba « lex divina » hanc significationem habere posse, quod nempe lex divina sit regula concreta et fixa sicut lex ecclesiastica, cum tamen sit potius norma generalis variis modis pro variis circumstantiis applicanda, norma pastoralis potius quam lex sensu stricto.

b') Divinam aiunt legem utrumque coniugem urgere ut conscientiam suam sequatur et nostris temporibus rem non posse forma quadam exhiberi, quae legem divinam tamquam propriam coniugi catholico reservet.

Minime inficians legem divinam pro varietate circumstantiarum ad conclusiones practicas partim differentes perducere posse, immo debere, Commissio censuit celari ab Ecclesia non posse hominem catholicum quoad obligationes in hoc articulo enuntiatas non solum a lege ecclesiastica neque a sola persuasione catholica determinari, sed lege divina obiective ligari.

c') Alii Patres opposuerunt concessiones a S. Sede vel ab Episcopis factas ut proles in religione non catholica aut etiam non christiana educaretur si adiuncta gravissima id postularent; quod fieri non posset, aiunt, si revera de lege divina ageretur.

At in allegatis dispensationibus impedimentorum disparitatis cultus et mixtae religionis, quae in regionibus Sinensi et Iaponensi dari consueverunt iuxta responsiones S. Officii ad rem declaratas, minime agitur de dispensatione [17]
in lege divina, sed de modo procedendi Ordinariorum in relatis casibus. Nempe cum coniuges iuxta mores regionis, v. gr. unam aliamve prolem nascituram parentibus aut tutoribus paganis vel etiam mahumetanis tradere tenentur qui educationem catholicam impedire praevidentur et propter hoc contrahentes educationem universae prolis promittere non possunt, Ordinarii dispensare valent super impedimento disparitatis cultus, *dummodo* partes catholicae paratae sint facere quod in se est ad obtinendam catholicam educationem universae prolis.

Quodsi in illis condicionibus pars catholica parata sit ad curandum pro viribus ut proles catholice baptizetur et educetur, Ecclesia hoc satis esse iudicat ad observandam in gravissimis adiunctis legem divinam, super quam dispensare non intendit nec potest.

Quae cum ita sint, Commissio aestimavit doctrinam catholicam in re adeo gravi clarius declarari si verba Schematis retineantur.

c) Potiores difficultates Patres Conciliares moverunt de cautione a parte non catholica praestanda pro dispensatione super his impedimentis concedenda.

Praecipuae sequentes sunt:

a') Quidam censuerunt totam paragraphum, quae illam cautionem praestandam proponit, esse delendam.

b') Alii moderandam esse exigentiam ita ut Ordinarius loci, attentis condicionibus peculiaribus suae Dioecesis, possit dispensare super cautio-

[17] nes, dummodo pars catholica sincere parata sit ad omnia, quantum poterit, praestanda, ut universa proles catholice baptizetur et educetur.

c') Alii volunt ut sola pars catholica cautionem praestet etiam de sincera coniugis non catholici intentione non avertendi compartem a fide catholica neque eam impediendi a religionis exercitio aut a prole catholice baptizanda eiusque curanda catholica educatione.

d') Optant quidam ut in Schemate, loco « cautionis » partis catholicae, aptius sermo faciendus sit de « iuramento », ab ea praestando.

e') Alius subicit contentos nos esse debere, si pars non catholica coram parocho se sistat, ut de disciplina catholica certior fiat et edoceatur de cautione praestanda non avertendi compartem a fide catholica neque eam impediendi a religionis exercitio neque repugnandi ut proles catholice baptizetur et eiusdem catholicae educationi provideatur.

f') Alii denique disciplinam hodiernam retinendam esse censuerunt.

Commissio iudicavit omnes propositiones Patrum ex eo pendere quod in diversis adiunctis solutiones pastorales ut plurimum diversae dari deberent; ideoque autumavit in reformando Codice Iuris Canonici normas formulasque condi oportere, quae totam hanc disciplinam magis flexibilem reddant.

d) Quamvis Schema nostrum de forma celebrationis matrimonii mixti nihil novi introducendum innuerit, tamen complures Patres animadverterunt
[18] quaestionem hanc valde agitatam, a Concilio solvi debere, prout conati sunt demonstrare praesertim ubi ageretur de matrimonio mixto inter christianos.

Verum etiam hic propositiones satis diversae apparent. Nam:

a') Alii vellent ut forma canonica nunc in Codice Iuris Canonici praescripta pro matrimoniis mixtis aboleretur, vel saltem non diceretur necessaria ad validitatem matrimonii, vel permitteretur forma extraordinaria.

b') Alii putaverunt concedendam esse Ordinariis locorum facultatem dispensandi a forma canonica celebrationis matrimonii pro matrimoniis mixtis prout exigant bonum Ecclesiae et salus animarum; si v. gr. parti acatholicae suaderi nequeat ut se coram competenti parocho sistat et simul adsit periculum ne eadem partem catholicam ad sibi adhaerendum adigat: onerata tamen semper conscientia Ordinariorum de observantia cautionum in iure praescriptarum.

Hanc facultatem, quae in Schemate de Ecclesiis Orientalibus adest, censet Commissio posse etiam in Ecclesia latina opportune concedi.

c') Alii denique huiusmodi facultatem ducunt esse remittendam iudicio Conferentiarum Episcopalium, quae possint, pro singulis regionibus, ea statuere quae bono communi consulant.

d') Neque hic defuerunt qui, prope contrarium sentiens, adnotandum esse dicerent matrimonia mixta, quae sine forma canonica celebrantur in multis regionibus (excepto Oriente christiano), esse mere matrimonia civilia, quibus ex parte religionum christianarum accedat benedictio. Si ergo illa matrimonia essent canonice valida pro quibusdam catholicis, matrimonium civile, quando cum non catholico contrahatur, legitimari videretur.

Omnibus his difficultatibus perpensis, Commissio censuit quaestionem de forma celebrationis matrimonii mixti, in quantum exceptiones admittendae essent, uti nimis implexam et a particularibus adiunctis pendentem, ad Commissionem pro recognitione Codicis Iuris Canonici pertinere. [18]

e) Quod attinet ad celebrationem *etiam* coram ministro acatholico matrimonii forma canonica celebrati, quidam Patres observaverunt rem in peculiaribus adiunctis esse forte tolerandam.

Cum vero res multum ab illis peculiaribus adiunctis pendeat, censuit Commissio non esse opportunum ut de ea lex feratur generalis.

f) Quidam Pater opportunum esse putat ut in reformatione Codicis Iuris Canonici diligenter examinetur ratio qua principia decreti de « Oecumenismo » possint in canonibus de matrimoniis mixtis applicari. Ad hunc autem finem obtinendum commendat praevium dialogum cum fratribus seiunctis, hac de re a competentibus auctoritatibus instituendum.

Commissio censuit huiusmodi dialogum esse opportunum.

N. B.: Quidam Pater insinuat ut sanationis facultas concedatur etiam pro matrimoniis catholicorum invalidis, in quibus pars recuset convalidationem.

3. *De forma celebrationis matrimonii.* [19]

Ex *animadversionibus* quae de hoc capite a Patribus factae sunt, eas modo recensebimus quae maioris momenti visae sunt et rem ipsam attingunt.

a) Ad formam ordinariam quod attinet (*Schema,* cap. IV, n. 13), eam Patres nonnulli simpliciorem esse debere autumarunt.

Commissio censuit formam matrimonii in Schemate determinatam posse complicatiorem videri ex duplici inducta innovatione: 1) ex maiore nempe facilitate quam in hodierna disciplina, concedendi delegationes generales; 2) ex declaratione validitatis matrimonii coram sacerdote non delegato contracti, sub condicionibus pag. 16, litt. *d*) descriptis.

Hae innovationes in Schemate primaevo clariores simplicioresque se exhibebant, cum ordo canonum uberiorem in eo haberet descriptionem.

Cum vero argumentum in novo Codice Iuris Canonici denuo retractandum sit, confidimus fore ut praescriptiones in eo tradantur simplici ratione ac perspicua.

b) Plures Patres contra ipsas innovationes animadverterunt delegationem generalem de qua in pag. 15, litt. *b*) inutilem esse, quia:

a') nemo illa licite uti poterit sine licentia singulis casibus concessa ad normam litt. *c*);

b') etiam sine illa licentia assistentia cuiuscumque sacerdotis valida erit ad normam litt. *d*).

Ad haec Commissio, praeter ea quae dicta sunt in Schemate sub titulo « Commentarii », pag. 18, respondendum sic censet:

1) Firmum stare debet principium, matrimonia esse summa cum cura paranda et accuratam indagationem de statu libero esse praemittendam (cf. *In-*

[19] *structio Pastoralis,* pag. 23 ss.); quae nonnisi ab illo fieri possunt, qui curam animarum erga sponsos exercet. Stricte igitur prohibendum erit, ne alius quicumque se in hanc rem interponat.

Ceterum, ut vitentur incertitudines de validitate matrimoniorum, propositum est, ut transgressio huius legis reservationis nullitatem non secumferat matrimonii.

2) Licentia assistendi pro singulis casibus non ita intelligenda est, ut detur oporteat determinato sacerdoti; sed ita, ut semel dato a parocho vel Ordinario « nihil obstat », unusquisque sacerdos generaliter delegatus matrimonio assistere possit.

Sacerdos autem qui generali vel speciali delegatione careat, valide quidem assistit matrimonio, sed graviter legem Ecclesiae offendit si hoc scienter faciat.

Quod communiter sufficit ad avertendos sacerdotes, ne talia agant.

c) Ut praecaveantur abusus, qui ab aliquibus timentur, quidam Pater proponit, ut norma de qua sub litt. *d*) valeat solummodo de matrimoniis iam approbatis et publicatis.

Quod tamen normam legis nimis extenuaret et prope inutilem redderet.

[20] *d*) Quoad condiciones autem ad validitatem requisitas si quando sacerdos facultate carens assistat, animadvertendum est:

a') sententia condemnatoria vel declaratoria poenae ecclesiasticae raro fertur; sed plures dari possunt sacerdotes talibus affecti poenis sine sententia (v. gr. apostatae a fide), qui facile per abusum assistere possent.

Commissioni visum et aptius ponendum esse in textu: « dummodo sacerdos non sit notorie excommunicatus etc. ... ». Ceterum plures abusus praecaventur altera clausula: « et matrimonium in ecclesia vel oratorio publico celebretur ».

b') At contra hanc alteram clausulam animadverterunt fieri posse ut ecclesiae non adsint, vel adiri non possint sine periculo (v. gr. tempore persecutionis).

Respondendum Commissio censuit hanc clausulam positam fuisse ad avertendos abusus; attamen non adeo extendi debere, ut sacerdos sine facultate liberius possit matrimoniis assistere.

Ubi ergo hae condiciones habentur, Ordinarius vel parochus remedium afferat concedendo generalem delegationem ad normam litt. *b*).

e) Petierunt quidam Patres, praesertim e regionibus quae magis sacerdotibus carent, ut praeter parochos aliosve sacerdotes delegatos, etiam diaconi vel laici praestantes et peculiariter instructi tamquam testes qualificati delegari possint ad assistendum matrimonio canonico.

Commissioni visum est hoc opportune propositum esse; immo valde commendandum censet, ut eo modo evitentur incommoda timenda ex frequentiore usu formae extraordinariae, hoc est, incertitudines de validitate

matrimonii atque etiam defectus cuiusvis religiosae matrimonii celebrationis. [20]

f) Ad formam extraordinariam quod attinet, plures Patres animadverterunt condicionem ad validitatem positam n. 14, litt. *a*) de non omittenda petitione Ordinario facienda « si fieri possit », facilem ansam dubiis et cavillationibus posse praebere, utrum nempe petitio fieri potuerit necne.

Commissio hoc agnoscens commendat Commissioni Codici recognoscendo praepositae, ut ex una parte servetur necessitas recurrendi ad Ordinarium, propter rationes datas in « Commentario », pag. 19; ex alia vero parte perspicue determinentur exceptiones ab hac necessitate eximentes.

Nova autem quae postulabatur addenda condicio: « ut matrimonium, in quantum fieri potest, secundum leges civiles fiat », visa est nimium fortasse urgere condiciones usus formae extraordinariae.

4. *De processu matrimoniali.*

In hoc capite Schema ea tantum comprehendere voluit quae generaliora sunt, et puncta designare in quibus optata processus matrimonialis instauratio largius desideratis occurrat.

a) In constitutione tribunalium dioecesanorum haud eaedem necessitates ubique terrarum sentiuntur. Cum autem tribunalia interdioecesana vel regionalia, ubi instaurata sunt, optimos tulisse fructus iam probatum sit, ut [21] haec experientia ad alias quoque mundi partes extenderetur, opportunum visum est diffusionem huiusmodi tribunalium commendare.

Quidam vero Patres opinati sunt ea tribunalia non esse ubique terrarum necessaria; quod verum esse Commissio libenter agnovit.

Censuit tamen diffusiorem praxim, id promoventibus, si opus fuerit, ipsis Conferentiis Episcopalibus, instaurari posse ac forte debere.

b) Maiores nacta est difficultates paragraphus Schematis, quae de iure accusandi matrimonium agit.

Pluribus enim visum est principium ibidem enuntiatum de coarctando iure accusationis matrimonii, nimis rigide proponi et minus prae oculis tenere bonum animarum propter quod actiones huiusmodi in tribunalibus admitti debent.

Voluit igitur Commissio paragraphum reformare, ita ut iudices sciant introductionem actionis, etiam ex parte coniugis culpabilis, in animarum bonum admitti posse et quandoque debere, cauto tamen ne huius favoris concessio videatur indulgere hominum malitiae et indirecte vinculum perpetuum dissolvere.

Quare in casibus dubiis opportunum ducitur per eumdem Ordinarium ad competentem S. Congregationem recurrere, ut tales coniuges facultatem accusandi matrimonium obtineant.

c) Postularunt quidam Patres ut Regulae ederentur in dispensatione matrimonii ex privilegio sive Paulino sive Petrino, quod dicitur, servandae.

[21] Cui voto Commissio nostra satisfaciendum esse duxit totumque negotium ad competens Apostolicae Sedis Dicasterium remisit.

d) Pariter Commissio nostra censuit ad Commissionem pro recognoscendo Codice Iuris Canonici remittendas esse eas definitiores determinationes, quas quidam Patres in Schemate nostro desiderabant: velut de usu mediorum technicorum in processibus ecclesiasticis inducendo, de modo breviandi causas dispensationis super rato et non consummato, et de huiusmodi aliis.

5. *De instructione pastorali circa praeparationem ad matrimonium.*

Ex *animadversionibus* quae ad Commissionem de Sacramentorum disciplina pervenerunt, facile colligitur instructionem pastoralem Patribus Concilii generatim placuisse.

Nam praeter quaedam complementa a quibusdam desiderata, v. gr. ut sermo fieret de praeparatione spirituali nubendorum; vel ut intensior praeparatio describeretur in casibus matrimonii mixti; vel etiam ut magis in luce poneretur caritatis coniugalis exercitium, quod est fundamentum vero matrimonio christiano constituendo requisitum; ipsa quoque sollicitudo quam Patres per opportunas animadversiones demonstrarunt de expoliendo instructionis stylo, Commissioni suaserunt utilitatem cuiusdam documenti, quod eam rem plenius tractaret.

[22] Verum Commissio, ut patet, textum suum definitivum proponere non iam debebat, cum auctoritatis competentis sit illud parare et publici iuris facere, prout res postulabit, atque etiam curare ut pastoralis instructio nubendorum apprime congruat diversis regionum necessitatibus.

His omnibus declaratis, Commissio Conciliaris de Sacramentorum disciplina gratias quam maximas agere voluit Patribus Conciliaribus, qui Schema ab ea confectum tam benevolenter probarunt.

Plurimae enim fuerunt Patrum animadversiones, quae omnes ex eorum mente eo tendebant ut Schematis principia atque dispositiones re vera finem assequerentur a Commissione intentum: ut nempe sanctum matrimonii sacramentum cedat in spirituale christifidelium bonum atque omnes illas gratias et bona societati populoque Dei afferat, ad quae consequenda Christus Salvator, naturae Auctor et perfector, voluit illud sanctificare ac perficere. Namque « bonum sunt nuptiae in omnibus quae sunt propria nuptiarum. Haec autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiae, connubii sacramentum » (S. AUGUSTINUS, *De peccato originali,* 34, 39. *PL* 44, 404).

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

CIRCA SCHEMA VOTI DE MATRIMONII SACRAMENTO

Ante schematis disceptationem

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Nomine omnium episcoporum Iaponiae.

In pag. 6, lin. 10: post « cultus » addatur: « necnon leges de forma in eis celebrandis observanda ». *Ratio*: etiam lex de forma tali accommodatione indiget.

In eadem pag., lin. 12: post « de Oecumenismo » addatur: « et de libertate religiosa ». *Ratio*: in terris non christianis, pro matrimoniis cum impedimento disparitatis cultus, normae in Declaratione de libertate religiosa respiciendae sunt.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Hoc schema valde insufficiens sese praebet et quamdam regressionem dolendam a priori schemate de hac re constituit.

Omnes quaestiones circa quas opinio universa exoptat solutiones ad commissionem postconciliarem Revisionis Codicis Iuris Canonici remittit.

Patres conciliares non sunt incompetentes ad eas declarandas. Immo Concilium Oecumenicum debet sua auctoritate superiori decernere de aliquibus punctis:

1) In matrimoniis mixtis, sufficiens est quod pars catholica sincere cautionem affert de officio curandi baptismum et educationem catholicam prolis satisfacturam esse; quod etiam coniux non catholicus cautionem dat non avertendi a fide catholica partem catholicam, neque impediendi hanc partem ab exercitio eius fidei. Aliae cautiones, olim quaesitae, a parte acatholica videntur contra eius conscientiam ire.

2) In iisdem matrimoniis, semper in ecclesiis ipsis catholicis celebratio, etsi minore solemnitate, non prohibetur, et etiam, cum Ordinarii consensu, possibilis manet, post hanc celebrationem catholicam, aliqua oratio in ecclesia vel templo non catholico ad bonum spirituale coniugis non catholici, attamen sine ulla consensus matrimonialis sacramentalis renovatione.

3) In n. 4, non sufficit vaga et pia hortatio circa praeparationem ad matrimonium. Prior textus valde opportune in Instructione Pastorali commendabat institutionem quamdam prudentem de mysterio vitae a parentibus factam pro eorum filiis et quoque catecheticas, psychologicas, ethicas introductiones bene ordinatas ad futuros coniuges instruendos.

3

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BERECIARTUA BALERDI

Episcopus S. Sebastiani

1. Sententiam nostram circa schema Decreti *de matrimonii sacramento* prolaturi, reque mature perpensa atque considerata, sequentia nobis visa sunt animadvertenda:

2. Debitis laudibus extollere volumus tale Decretum. Idque sive ob brevitatem, qua fuit redactum (in iuridicis quippe opportunus locus non adest loquacitati), sive praesertim ob praevalentem pastoralem indolem, qua undequaque apparet perfusum. Harum qualitatum vi praesens Decretum normis datis ab Apostolica Constitutione Ioannis XXIII, diei 25 decembris mensis 1961, *Humanae Salutis Reparator,* adamussim correspondet.

3. Perplacet, imprimis, notio, etsi descriptiva tantum, universo huic Decreto praemissa, Ecclesiam, videlicet, impedimentis consulere « dignitati et sanctitati matrimonii » (Cap. I, n. 2). Quam ideam expediret quoque ut omnes animarum Pastores iuvenibus praesertim nupturientibus exponerent, ne plerumque horum impedimentorum investigatio, necessario nuptiarum celebrationi praemittenda, taedio futuris coniugibus sit atque averso animo ab ipsis interpretetur.

4. Ex hac descriptiva notione descendit quaenam mens nostra sit circa opportunas immutationes, admissibiles vel minus, systemati canonico-matrimoniali nunc vigenti afferendas, et de quibus v. g. sub nn. 3 et 14 huius decreti agitur. Principii instar — qua modalitate vere necessariis mutationibus minime praecludimus viam — proclives haud sumus iisdem mutationibus, quippe quod, prout antiqui nostri aiebant, ab eo quod a longo tempore aequum visum fuit, non est temere recedendum. Mater Ecclesia vero ad nunc vigens matrimoniale systema pervenit non quidem *a priori,* exceptis principiis ipsius iuris divini et naturalis, immutabiliter servandis, sed sensim sine sensu, gressu prudenti ac potissimum aeque longa ac divite saeculorum experientia edocta. Nemo itaque non videt, quam caute quamque sapienter in huiusmodi inducendis mutationibus procedere debeamus.

5. Summopere autem nobis placent non modo suppressio multiplicationis in impedimentis consanguinitatis et affinitatis (n. 3, II), fons qui semper exstitit confusionum atque difficultatum etiam pro praevio matrimoniali processiculo conficiendo, verum etiam opportuna revocatio in omnium Conciliarium Patrum mentem et considerationem illius, magni abs dubio, momenti quod hodie obtinuerunt matrimoniali illa impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus. Vere actuale argumentum sedula cura a nobis perpendendum. Nuperrimi namque belli exitus, quibus etiam politicus influxus Nationum non catholicarum ad plures etiam catholicos Status pertingit, ipsamet fere omnium gentium promiscua conversatio, frequentibus ac systematicis itineribus (vulgo turismo) nutrita, summi momenti talia matrimonialia impedimenta effecerunt.

Cap. II, proinde, totaliter approbamus simulque et laudamus.

6. Redactio ultimi commatis n. 9 cap. III nobis consona non videtur originali redactioni, quae in canone 1081 prostat. Certum quidem matrimonialium iurium vicariam traditionem atque acceptationem oriri ex libero utriusque contrahentis

consensu. Sed formaliter non quia talis necessarius consensus « nulla humana potestate suppleri possit » (n. 9), ut actualis redactio innuere videretur, sed, quia, uti notum, talis consensus est causa efficiens matrimonialis contractus.

A. v., citatus can. 1081 duo distincta, et quidem per punctum et virgulam, refert. Alterum, matrimonialem contractum causam esse efficientem eiusdem matrimonii. Alterum, vero, acriter inter theologos potius agitatum, in connexione cum quaestionibus circa divinam promotionem: talem consensum nulla humana potestate suppleri posse. Iuxtapositio, igitur, facta in Decreti textu, horum duorum, praeterquam quod consona non est originali textui, potest in posterum seminarium esse discussionum atque confusionum inter canonistas.

7. Ampullosae, abs dubio, redactioni ultimi commatis n. 10 nobis praeferenda videtur sobria illa, e iure romano deprompta, quae legitur in § 1 can. 1086: « Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis ». Idque etiam quia verbum « censere », in tali numero usurpato, non clarae atque pacificae inter canonistas significationis est, dum, e contra, verbum praesumptio vel ipsum legalem sensum habet, in canone, scil., 1825, § 1

8. Claritati item et simplicitati consulentes, littera *b* n. 11 sic teneremus redigenda: « Prohibitum est, vel prohibetur matrimonium sub condicione celebrare, nisi etc. ». Ratio quia adhibita expressio: « Matrimonium sub condicione *contrahi nequit* », ansam praebere potest, et proh dolor fundatam, quaestionibus ac discussionibus inter canonistas, prae oculis habito principio, non semper perspicuo, in can. 11 tradito.

9. Eadem expressio — adhiberi nequit — et ob eamdem rationem delenda esset, nostra sententia in n. 14, littera *c,* quum agitur de sacerdote delegato, facultate ornato assistendi matrimonio.

10. Clariorem redactionem, sententia nostra, expostulat praescriptum, valde momentosum, sub littera *d* eiusdem n. 14 positum. Illud «contigerit », vi grammaticalis sensus, aeque comprehendere potest matrimonia *ante* hoc Concilium celebrata et matrimonia forsitan *post* hoc Concilium celebrata. Unde conformiter verbo postea adhibito (« contrahatur »), verbum contigerit, mutandum erit in hoc aliud: « Quod si contingat ».

11. Vera cum laetitia salutamus praescriptum n. 17 contentum, cum experientia, re quidem vera, demonstraverit infelicitatem illius responsionis Pontificiae Commissionis Interpretis Codicis diei 6 decembris 1943, iuxta quam casus recensiti in can. 1990 taxative intellegendi erant et non exemplificative. Paucis annis postea S. S. Congregatio Sancti Officii alium casum exceptum agnoscere cogebatur, illum, scilicet, evidentis carentiae mandati procuratoris in matrimonio per procuratorem celebrando (et proh dolor! sic celebrato).

12. Qua occasione hoc quaesitum proponi posset: curnam semper et in omnibus causis iudicialibus matrimonialibus duplex conformis sententia sit necessaria? Adsunt, etenim, casus et casus. Et propterea, horum processuum brevitati consulentes, contemplari deberent illi, in quibus nullitas adeo evidens sit (v. g. ex peritiis medicis, ex allatis documentis, etc.) ut altera sententia, in aliquibus casibus atque adiunctis, omitti possit, vel melius altera instantia.

Dictisque satis superque ad munus nostrum in casu adimplendum.

4

Exc.mus P. D. MICHAEL BLECHARCZYK
Episcopus tit. Jotanus, aux. Tarnoviensis

N. 3 *a*), lin. 7, post verba « impedimentis retractatis » addere sequentia: « Instituatur medici investigatio tum si agitur de morbis psychophysicis, quam etiam syphilisticis; et in casu provecti morbi matrimonium differatur ».

Ratio: multae familiae vel in discordia vivunt vel dispareunt propter morbos nervosos; interdum vita cum psychico morbo laborante est difficilis et spiritum martyrii a consorte postulat; tales aegroti matrimonium non debent inire. Quid dicam de syphilisticis? Infelix consors, infelices, si sunt, infantes, unde Synodus inculcet, ut in casibus, in quibus est suspicio de morbo nervoso, consulatur medicus et saltem differatur matrimonium.

N. 4 *a*), lin. 36, post verba: « impense adimpleant » addere sequentia: « et quidem in specialibus cursibus tum quoad instructionem catecheticam in fidei veritatibus quam etiam quoad praxim uti de charactere, de difficultatibus vitae communis, de relatione ad conviventes ».

Ratio: Tot matrimonia sunt infelicia propter imprudentiam, qua contrahuntur. Apud multos quaedam proclivitas sensualis sufficit ad matrimonium contrahendum sine respectu ad aetatem, conditiones vitae, sustentationis media, characteris indolem. Quapropter tempus antematrimoniale favet instructioni debitae. Tria momenta in vita quoad possibilitatem fructuosae instructionis sunt respicienda: Prima Communio, Confirmatio, Matrimonium. Praxis praeparationis ad Primam Communionem ostendit quam multum talis instructio assequi potest. Confirmandi iterum instruendi sunt — hoc sacramentum eis confertur, quando indigent corroboratione, proinde illis et pericula ostendenda et media perseverantiae praebenda. Tertium momentum est tempus ineundi matrimonii. Experientia docet, nupturientes maxima cum attentatione instructiones suscipere. Tradenda sunt eis non solum ea, quae naturam, proprietates, maxime indissolubilitatem matrimonii eiusque fructus respiciunt, sed etiam totum compendium veritatum fidei. Talis cursus finem cum accessu ad sacramenta et sacrificium Missae habebit in sedibus episcopalibus optime, si ipse episcopus celebrat et homiliam habet.

Insuper valde opportunum censeo, ne animarum pastores fideles suos, qui modo matrimonium contraxerant, iam propriis relinquant viribus, sed ut iisdem — adiuvantibus medicis et in psychologia peritis — auxilium spirituale libenter praestent ac paternam exhibeant curam, superando scil. difficultates, pericula, etc., ne ipsa futuram eorum vitam maritalem ex integro vel ex parte inficiant.

5

Exc.mus P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Schema — iuxta pag. 13 linea penultima — suffragationi Concilii non subiciendum.

Valde desideratur ut « expeditior habeatur cursus causarum matrimonialium » p. 6, n. 3.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 5, lin. 2, addatur: « ad dignam hominum propagationem et *educationem* ». *Ratio*: matrimonium non habet ut finem solam propagationem, sed et educationem quae est veluti complementum propagationis.

Pag. 5, lin. 19, sic legatur: « sive eiusdem *matrimonii* pericula ». *Ratio*: secus viderentur pericula referri ad ministerium pastorale.

Pag. 6, lin. 5. Dicerem: « abrogatis *quibusdam* impedimentis gradus minoris ». *Ratio*: non videtur bonum *omnia* impedimenta gradus minoris abrogare. Quaedam maneant, etsi facultas dispensandi sit apud Ordinarium loci.

Pag. 6, lin. 30. Post verba « in vitam christianam » addendum censeo: « necnon et de erroneis principiis pravisque moribus contra naturam et fines matrimonii grassantibus apprime conscii ». *Ratio*: secus, Concilium videretur unice sollicitum de accommodandis suis legibus hodiernis moribus, minime vero de erroribus et de vitiis contra sanctitatem matrimonii hodie proh dolor! grassantibus.

7

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEANE
Episcopus Civitatis Mariae

1. En la parte jurídica de este esquema se han dicho muchas cosas muy utiles, y de gran alcance pastoral. En cambio en la parte que trata de la espiritualidad conyugal, de la espiritualidad especial de los casados, del matrimonio como camino de santidad con todas las gracias de un sacramento especial, el esquema es muy, muy pobre. Casi diría, que no hace honor al Concilio.

Asi como se ha hablado mucho y bien sobre la necesidad de la formación del laico para el apostolado, tambien corresponde hablar y decir un poco mas sobre la formación integral de los esposos para su noble vocación.

A esposos buenos, fervorosos y formados cristianamente, corresponden hijos fervorosos, buenos cristianos, dignos miembros del Cuerpo Mistico de la Iglesia. De esto resulta ordinariamente, muchas vocaciones sacerdotales y religiosas, y legiones de voluntarios para las numerosas obras de apostolado laical.

Se ha escrito admirablemente en el Adnexo segundo « De Ecclesia in mundo huius temporis », pags. 15-24. Hago votos para que la Comisión postconciliar ad hoc, tenga esto en cuenta para sintetizar toda esta admirable doctrina que tanto esperan los matrimonios fervorosos de todo el mundo, de este Sacrosanto Concilio Ecuménico.

Pero yo lamentaría, y ténganlo por cierto, puesto que conozco muy bien el movimiento familiar cristiano de varios países de America Latina, lo sentirán muchísimo esos millares de matrimonios catolicos que trabajan en el apostolado de la familia, si el Concilio se limitara a dar solamente lo que se dice en el número 5 en este esquema « De matrimonii sacramento ».

Ecce verba huius numeri: « Coniuges post nuptias subsidiis utantur, quibus

vita christiana nutritur et augetur, animorum coniunctio in caritate magis magisque fovetur ac solidatur, filiorum educationi consulitur et Ecclesia aedificatur ». Et nihil aliud pro apostolatu familiae!

In Adnexo secundo, supra cit., dicitur: « Nostris temporibus maximi momenti est ut ipsae familiae christianae concurrant liberis suis unionibus et consociationibus ».

Respetuosamente pido por lo tanto que se diga en el Esquema este, algo mas explicito, para instrucción de tantos de nuestros sacerdotes por todo el mundo esparcidos, para que vean que hay obras que se ocupan de la santificación de la familia, y que están recomendadas por el Concilio.

Para que todo el mundo conozca que hay asociaciones que especializan en la espiritualidad conyugal, en la instrucción mas profunda a los esposos, en la técnica de enseñar a los esposos como caminar por el camino de santidad propio de su estado. Que sepan que hay asociaciones que instruyen en forma familiar sobre las riquezas espirituales del matrimonio. Que se pongan estas cosas en el esquema de matrimonio, para consuelo espiritual de todos los que están consagrados a este apostolado tan especial, y para que los esposos catolicos de todo el mundo sepan que la S. Iglesia en el Concilio les brinda medios especiales para caminar dignamente y santamente en la vocación a que Dios les ha llamado.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Optima sunt verba quae in schemate *de matrimonii sacramento,* die 27 mensis aprilis 1964 edito, continentur super disciplina processuum matrimonialium (n. 3, *d,* pag. 6). Ad mentem huius articuli, liceat mihi Commissioni pro emendatione C.I.C. aliquas mutationes submittere in legislatione canonica introducenda circa: 1) Praesumptiones; 2) Appellationes; 3) Causas nullitatis.

I. *De praesumptionibus.* Actores qui accusant matrimonium non omnes indistincte considerandi sunt ut rei et simulatores. Miror Sanctam Matrem Ecclesiam omnia in favorem iuris et sacramenti statuisse, dum in defectu plenae probationis, quando adest dubium iuris aut facti, pro actore probo, qui compassione et tuitione dignus est, ne quidem praesumptionem hominis cum benignitate accipere voluit. Ita in causa dubii, iudices, sine inquietudine sed tuta et serena conscientia, dummodo salva sint ius et sacramentum, declarant nihil constare ab actis et probatis, standumque esse privilegio iuris et sacramenti. Haec praxis iudicialis non mihi videtur aequa.

1. Quia sacramenta et leges sunt propter homines. In dubio, nequidem constat contemptus iuris aut sacramenti, nec iudex peccato gravandus est. Sed contra infelix et probus actor in eodem casu dubio pro certo subit iniuriam; sententia eum libertate privat et infelicitati, desperationi, poenis canonicis et peccato exponit. In dubio libertas. Exinde et pro homine etiam, cuius iura et dignitas parvipendenda non sunt, sed potius tuenda.

2. Quia iudices, quantumvis sapientiores sint, sunt tamen homines fallibiles,

non semper praeiudiciis et ex eorum officio ortis mentis habitibus immunes, quibus defectus nequidem « turnus mutabilis », quando possibilis est, obviare valet. Quod uni minime, hoc alteri iudici facile constat. Sententiae quidem S. R. Rotae non sunt infallibiles.

3. Quare ergo in *C.I.C.* (can. 1825-1828) aegre praesumptio pro homine accipitur? Num dignitas humanae personae minus quam ius aut sacramentum est tuenda?

Itaque, ego, prae oculis habens doctrinam sapientissimam enunciatam a S. S. Pio Pp. XII, venerabilis memoriae, in suis allocutionibus ad Praelatos S. R. Rotae (*A.A.S.*, 34 [1942], pp. 338-443), All. die 2-10-44 (*A.A.S.*, 36 [1944], pp. 281-290) ad iudices et ad defensores vinculi, propono:

Ut can. 1014 *C.I.C.* sic enuntietur: In casu dubii, tam iuris quam facti, ad certitudinem moralem efformandam, licet considerare complexum aut agglomerationem probabilitatum, ut argumentum credibilitatis in favorem actoris.

Et can. 1828 eodem modo mutetur in his verbis: Praesumptiones quae non statuuntur a iure, iudex non facile reiiciat, quum ex agglomeratione probabilitatum, quae cum facto de quo controversia est, vi principii rationis sufficientis, certe cohaerent.

Necnon can. 1975, par. 2, testimonium septimae manus ut argumentum credibilitatis quod robur addit depositionibus coniugum considerandum est. Et in isto canone expungantur reliqua verba: (sed vim plenae probationis non obtinet nisi adminiculis aut aliis argumentis fulciatur), quae sunt verba obscura et effugiis plena.

Maximi momenti est, non obstante quavis praxi iuridica vigente, non reiicere vim probativam « complexui aut agglomerationi probabilitatum » cum fundamento in re, quando adest dubium de iure aut de facto; quando desunt probationes plenae, aut quando etiam testes desunt. Quia non est secundum leges dialecticae, aequiparare ordinem iuridicum et realem obiectivum. A defectu testimonii aut probationis ad inexistentiam facti non valet consecutio. Effatum ipsum « Testis unus, testis nullus » non valet, quia in iure romano vigebat tantum pro casibus damnationis capitis. Alioquin, in sacramento Poenitentiae, credimus soli poenitenti. At hic non adest defensor vinculi..., sed sola misericordia divina. Omnia haec sunt exempla a iudicibus meditanda.

II. *De appellationibus.* Processus matrimoniales nimiis expensis gravantur ac nimio tempore protrahuntur detrimento religionis, morum et animarum. Ut expeditior evadat processus propono ut:

1. Defensor vinculi a prima sententia matrimonii nullitatem declarante, *recedere* possit ab obligatoria appellatione ad tribunal secundae instantiae, si in conscientia nihil contrarii habeat opponendum. Et tunc causa erit finita cum approbatione episcopi.

2. Si haec appellatio necessaria sit et si altera sententia a prima differt, tunc ad appellationem in tertia instantia, ad maius tribunal non est recurrendum, ita ut liceat actori in conscientia et cum approbatione proprii episcopi, sequi sententiam sibi faventem, iuxta principia recti probabilismi.

Notandum. Ante reformationem Benedicti Pp. XIV, quaeso, quomodo procedebant lites matrimoniales? Processus erat simplicior et expeditior, sine detrimento sacramenti et incommodis rigidioris actualis legislationis. Insuper haec nova praxis magis conformis erit iurisprudentiae Ecclesiae Orientalis et sic unionem favebit.

III. *De causis nullitatis.* Ad fovendam propinquitatem cum Iure Canonico Ecclesiae Orientalis cuius institutiones in processibus matrimonialibus non sunt parvipendendae et referunt formam iuridicam apud nos vigentem ante Constitutiones Benedicti Pp. XIV, attente considerandum est si non sunt admittendae causae nullitatis sequentes recognitae in Ecclesia Orientali:

1. Amentia incurabilis et quidem subsequens unius coniugis.
2. Iniusta fuga et affectata coniugis, non obstantibus debitis interpellationibus.
3. Apostasia a fide unius coniugis cum affectato adulterio (2° et 3° sint causae *impedientes* et non *dirimentes*).
4. Condemnatio ergastulo aut exsilio perpetuo coniugis.

In his casibus non est homo qui separat quos Deus coniunxit, sed natura et ius civile in 1° et 4° casu; in 2° et 3° casu periculum Fidei et ipsa verba Domini « nisi ob fornicationem ».

9

EXC.MUS P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER

Episcopus Petriculanus

Subiectum. In pag. 6, n. 3, sub littera *b,* proponitur ut in matrimoniis mixtis, salvis exigentiis iuris divini, leges « accommodentur peculiaribus normis quas Sacrosancta Synodus statuit de Oecumenismo ».

Ratio. Mea sententia lex divinum de universa prole in Ecclesia catholica baptizanda et educanda tantummodo secure salvabitur si ea quae in praesenti codice et in priore schemate huius Concilii proponuntur, de integro in Concilio statuantur. Loquor de Ecclesia in Occidenti.

Conceditur membrum Ecclesiae catholicae non debere persuadere fratrem seiunctum, vel sororem, ut contra vocem propriae conscientiae obligationes suas derelinquat. Ideoque si aliqua pars acatholica ad prolem in propria religione educandam se obligari sincere sentit, matrimonium omnino locum habere non debet.

Sed nostris in Statis Unitis acatholici ut plurimum non ita se obligatos credunt et libere cautiones praescriptas praebent; et quod maioris momenti est, eas fideliter implent.

Mihi videtur eos offensam praeferre qui dicunt acatholicos, qui matrimonium cum catholico contraxerunt sine sinceritate cautiones praebuisse aut eos non fideliter implere.

Utique hoc malum aliquando evenit. Propterea sacerdotes nostri, et qui curam animarum exercent et qui in scholis docent et qui moderatores iuvenum sunt, cum vera pastorali sollicitudine hortantur ut iuvenes sponsam idoneam catholicam invenire conantur et si id fieri non potest; ut saepius in societate pluralistica accidit, tunc nuptias inire solummodo cum acatholica parte quae secundum propriam conscientiam potest et libere vult conditiones implere quas Ecclesia in veritate et in caritate imponere debet.

10

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

De sacramento matrimonii. Generatim, mira quadam arte, hoc documentum omnes vitat controversias adeo ut quae insunt absque omni discrimine rerum hodiernarum sint. Permulta differuntur ad Commissionem recognoscendo Codici Iuris Canonici.

In particulari, status idealis maritorum laboriosius indicatur, et posset clarius exprimi eo quod idealem amorem mutuum reflectit inter Christum et Ecclesiam eius.

Plura possent instantius dici de ministris sacramenti matrimonii.

11

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Votum generaliter placet. Ad ea quae in *Appendice* dicuntur quasdam animadversiones adiungam: Pag. 18: Quae sub litteris *a, b, c,* dicuntur, respondent necessitatibus, quae in regionibus exstant, ubi catholici cum christianis non catholicis permixti vivunt. Valde desideratur, ut commissio pro recognitione Codicis Iuris Canonici deliberet de propositis hac pag. 18 sub litteris *a, b, c,* prolatis, praesertim de sequentibus:

1. Etiam pro matrimoniis mixtis forma canonica sic dicta Tridentina maneat praecepta et debita, sed non necessaria ad validitatem, ita ut matrimonia mixta cum vero consensu matrimoniali in forma publica contracta rata ac valida sint matrimonia.

2. Qui sine forma canonica nunc in *C.I.C.* praescripta matrimonium mixtum contrahunt, morali culpa onerantur, nullatenus tamen excommunicatione vel similibus gravibus poenis ecclesiasticis puniantur.

12

REV.MUS P. D. GERMANUS LALANDE
Superior generalis Congr. a S. Cruce

Ad 1. Quem ad finem traditionalis formula matrimonii finium postponitur?

Ad 3. Ad propositum retractationis super impedimentis, nonne esset locus suggerendi maiorem aetatem ad matrimonium contrahendum?... Etenim, quasi universaliter comperitur iuvenes maturitatem psychologicam magis tarde adipisci.

Ad 5. Cum schema finem potius pastoralem intendat, nonne hic esset occasio secunda magis explicite laudandi et favendi associationes ut « groupes de foyers »?

N.B.: Aliquis posset desiderare hoc schema non affirmare mentem Ecclesiae super spinosam et momentosam quaestionem regulationis prolis. Totus orbis terrarum exspectat clara et adaptata principia!

13

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Il me semble que les principes généraux de retour à une considération plus simple et plus religieuse du mariage, de ses conditions, de ses effets, de ses empêchements (dont la plupart proviennent de la législation civile), de la procédure, sont à adopter.

Quant aux mariages mixtes, qui intéressent particulièrement nos Pays d'Orient, la Commission « de Ecclesiis Orientalibus » en a discuté et a donné une solution qui me semble la meilleure pour nos régions.

2. De toute façon, une plus grande flexibilité dans les principes qui ne sont pas proprement de droit divin, avec la prudence nécessaire, serait la bienvenue en ces temps de rapprochement entre chrétiens de différentes confessions et l'Eglise catholique.

3. Il me semble qu'il faudrait insister davantage sur la formation au mariage donnée par la Curé aux couples, surtout si le mariage est mixte, pour éclairer la conscience des conjoints et les mettre plus clairement devant leur responsabilité.

14

Exc.mus P. D. IOLANTHUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

1. Optatur asseveratio explicita matrimonium esse medium sanctificationis pro coniugibus, et ideo omnis resonantia manichaeismi circa legitimum usum matrimonii quae in quibusdam manualibus theologiae moralis adhuc inveniri potest, aperte contradicit huic Sacramento.

2. Item optatur ut bene in lumine collocetur principalem finem matrimonii. Sacra Scriptura post creationem primi hominis dicit: « Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi » (*Gn.* 2, 18). Post creationem autem primae mulieris, Sacra Scriptura haec refert verba: « Crescite et multiplicamini et replete terram ... » (*Ibid.,* 1, 28).

Ex his textibus primigeniis de matrimonio colligitur quod unio virum inter et mulierem primo institutam fuisse a Deo ut mutuum adiutorium et complementum alterutrius personae; secundo et consequenter ut medium procreationis. Proinde matrimonium sine reciproco adiutorio et reciproco complemento (pleno sensu, nam Scriptura post creationem mulieris subiungit « quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una » [*Ibid.,* 2, 24] et hoc ante praeceptum procreationis) dari non potest nullo in casu.

Dum e contra, matrimonium sine quod secundo et consequenter indicatur, dari potest et de facto multoties datur.

3. In n. 2 exoptatur simplificatio legislationis de disciplina matrimonii. Huic scopo valde conferre nobis videtur canonizatio legislationis civilis in subiecta materia. Salvo iure divino, matrimonium valide contractum iuxta propriam legem civilem contrahentium, ipso facto et canonicam haberet validitatem, et si inter baptizatos sacramentum esset.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH POGAČNIK
Archiepiscopus Labacensis

Animadversiones pro instructione pastorali nubendorum vel pro commissione pro recognoscendo C.I.C.

Schema *de praeparatione iuridica* sub n. 4 haec habet: «Parochi canonicas praescriptiones circa praeparanda et investiganda ante matrimonium nunquam omittant ac nulla de causa matrimonio assistant vel aliis sacerdotibus assistere permittant, nisi legitime sibi de libero constiterit statu contrahentium ».

At hodiernae canonicae praescriptiones quoad *publicationes* in hodiernis vitae conditionibus difficile servantur et nupturientibus saepe molestae apparent. Ideo exigentiae pastorales exigunt, ut in novo Codice publicationes ad *unam* restringantur.

Certe extra dubium est et esse debet, quod de baptismo in statu nupturientium libero (libertate a quovis impedimento et libertate consensus) ex documentis certo constare debet.

Rationes. 1. Publicationes ut nunc praescribuntur in conditionibus nostri temporis valde raro possibiles sunt. Ideo Curia dioecesana multas dispensationes largire debet quo fit ut opus Curiae nimis gravatur.

In multis regionibus, praesertim in statibus socialisticis, nupturientes, proh dolor, saepe saepius tunc demum parochum adeunt, cum dies matrimonii civilis obligatorii iam statutus sit, hoc est paucis tantum diebus ante matrimonii celebrationem. Si vero statim cum matrimonio civili non ineant et matrimonium in facie Ecclesiae, hoc saepe ad annos, vel saepe saltem ad nativitatem primi infantis, differunt. Fit etiam, ut parocho cum eis severiore modo ad normam iuris agente matrimonium civile tantum ineunt et ita se ab Ecclesia penitus avertunt.

Ita nec ulla praeparatio pastoralis, remota vel saltem proxima, nec publicationes possibiles sunt. Labor parochi qui omnia saltem a iure praescripta servare vult et cum nupturientibus suaviter agere debet, multiplicatur ita, ut praeparatio nupturientium sit persaepe magna crux parochorum.

Fit etiam, ut nupturientes, civiliter iam iuncti, parochum alienum et lontanum adeant, eo fine, ut domi se ecclesiastice iunctos esse notitia non divulgetur, ne ita in officio molestias vel damnum patiantur.

2. In locis maioribus homines se invicem non cognoscunt. Ita publicationes finem suum, i. e. detegendi impedimenta matrimonialia, non obtinent. Practice in talibus casibus sunt superfluae et mera iuridica formalitas aestimantur, cui se nupturientes subtrahere student. Quod praeprimis valet de operariis ab uno loco in alium migrantibus.

Ad medendum his difficultatibus et ad opus pastorale parochorum in talibus adiunctis alleviandum legislatio de iuridica praeparatione, sc. de publicationibus, revisenda censetur. Supposita, ut intelligitur, morali certitudine de statu nupturientium libero, statuendum esse censeo:

1) Publicationes nupturientium, sive orales sive ad valvas ecclesiae affixae, restringantur ad unam.

2) Ordinario detur facultas, ex quavis iusta causa a publicatione dispensare.

3) Parochus vel eius delegatus, qui ex iure vigenti sine licentia parochi proprii in gravi necessitate licite matrimonio assistunt (can. 1097 § 1, 3), etiam a publicatione facienda dispensare valeant.

Quod tanto magis urget, cum parocho iam nunc in can. 1045 in similibus adiunctis immo aliqua facultas dispensandi etiam ab impedimentis tribuatur.

Ut vero nupturientes saltem immediate ante actum matrimonii vel etiam post illum aliquam congruam instructionem de sanctitate christiani matrimonii accipiant, conscientiae et curae ordinariorum est relinquendum.

16

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloensis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

1. In art. 3, litt. *b* (pag. 6, lin. 12) post verbum « Oecumenismo » addatur: « et conceditur missa etiam in matrimoniis mixtis ».

2. In eodem art. 3, litt. *c* (pag. 6, lin. 17) post verbum « Ordinariorum » addatur: « immo in matrimoniis mixtis possunt Ordinarii in singulis casibus a forma ordinaria dispensare. Poenae autem ecclesiasticae pro matrimonio coram ministro acatholico tolluntur ».

Ratio harum propositionum est, quod exc.mus Rusch desiderat, ut Votum puncta quaedam magis concreta contineat et fratribus separatis indulgentem animum modo quodam concreto ostendat.

17

Exc.mus P. D. IOSEPH ASAJIRO SATOWAKI

Episcopus Kagoshimaensis

I. Loca linn. 1-5 n. 1: « Matrimonium iam inde ... a Deo institutum, Christus Dominus ad sacramenti dignitatem ita evexit ut ... » emendentur ut infra: « Matrimonium ... a Deo institutum est et inter fideles ad sacramenti dignitatem a Christo Domino ita evectum est ut ... ». *Ratio* est: quia, si dicitur ut in textu, sonat ac si matrimonium generaliter i. e. etiam infidelium evehitur ad dignitatem sacramenti.

II. Loca linn. 6-8 n. 1: « Qui ergo iam per ... erga Christum participes » emendentur ut: « Qui ergo iam per baptismum sunt Christo iuncti et configurati et matrimonio inter se coniuncti Christum peculiari modo ... ». *Ratio* huius est: si dicitur ut in textu, intelligitur ac si omnes per baptismum Christo iuncti deberent inire matrimonium.

III. *Vota.* In terra missionis causa matrimonialis quandoque protrahitur per annos propterea quod singulae dioeceses non habent personas capaces. Interea pars innocens manet orbata iure naturali habendi propriam familiam. Naturaliter infideles non dicunt bene de Ecclesia catholica. Unde valde optatur,

1) ut in nova codificatione consideretur de necessitate creandi Tribunal provinciale vel regionale in terra missionis, ubi singulae dioeceses non possunt semper habere proprium tribunal;

2) ut concedatur Ordinariis locorum facultas dissolvendi vinculum naturale matrimonii, et tribunali regionali facultas declarandi nullitatem matrimonii rati et non consummati.

18

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Ad n. 4, pag. 7, linn. 5-6. « Ut dignitas, pietas, significatio ritus sacramentalis »: mutetur ordo vocum: « ut significatio, dignitas, pietas, ritus sacramentalis ». Cf. quae habentur in constitutione *de s. Liturgia* de praestantia significationis in s. Liturgia, praesertim in art. 33 et 59. Pietas consequitur actum liturgicum, cuius significatio perspicitur.

19

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

Mihi videtur Sacrum Concilium, sive in hoc schemate, sive in alio, duas quaestiones praeterire non posse:

1. *De matrimoniis mixtis,* propter rationes oecumenicas et nimiam frequentiam horum casuum. In nostra dioecesi celebrantur in ecclesiis catholicis quotannis circiter 700 matrimonia mixta (inter 7000 matrimonia celebrata) et forsan etiam prope 700 in ecclesiis protestantibus. Media coercitiva et poenae non sufficiunt ad malum minuendum: quaerere debemus quid salvo iure divino, fieri potest ad maius bonum animarum.

2. *De fine et usu matrimonii.* Quaestio haec est nimis gravis, eo magis quod opinio publica de hac re imprudenter excitata est. Si Concilium nihil diceret, eius silentium ut abdicatio consideraretur.

Adsit nobis Spiritus Sanctus ut in omni sapientia, ministerio nostro conformiter, solutiones invenire possimus.

20

EXC.MUS P. D. CAESAR ZERBA

Archiepiscopus tit. Colossensis

Sia conservata la « forma » vigente per la validità del matrimonio nello schema « de Sacramentis » preparato per il Concilio Ecumenico.

La proposta prospettata nello schema presentato, secondo la quale basta la presenza di un qualsiasi sacerdote al matrimonio per renderne valida la forma, può portare inconvenienti gravissimi (confusione, superficialità, diminuzione di senso pastorale, diminuzione dell'autorità del parroco, ogni religioso potrà benedire il matrimonio senza la conoscenza delle norme da osservare, ecc.).

21

CONFERENTIA EPISCOPORUM LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

Patres conciliares linguae germanicae et scandinaviae, Oeniponte in Austria a die 19 usque ad diem 21 maii 1964 adunati, quoad « Votum de matrimonii sacramento » in Concilio suffragandum haec animadvertunt.

I. 1) In art. 1 (pag. 5, linn. 13 s.) legitur: « disciplina eius et cura, quod ad integritatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae Sponsae suae commissae sunt ».

Fines, quibus hic disciplina curaque Ecclesiae quoad matrimonium circumscribuntur, non ex integro verbis istis « integritas, sanctitas » definiri videntur; vel saltem dubitari potest, num bona matrimonii, i. e. fides, proles, sacramentum, dictis terminis secundum communem intellectum concludantur.

Ideo ante « ad integritatem ... » inserendum censetur verbum « praesertim » vel simile.

2) In art. 3, litt. *b* (pag. 6, linn. 9 ss) leges canonicae de *impedimentis* mixtae religionis et disparitatis cultus accommodandae dicuntur; leges autem de *forma* celebrationis in mixtis matrimoniis observanda expresse non allegantur.

Quamvis in C.I.C. in capite, ubi de his impedimentis agitur, etiam quaedam de forma celebrationis tractentur indeque desumendum sit in accommodatione leges de forma celebrationis praetereundas non esse, opportunum videtur hanc accommodationem faciendam expressis verbis indicari.

Inde post verba « disparitatis cultus » inserenda erunt verba fere haec: « necnon leges de forma in eis celebrandis observanda ».

3) In art. 3, litt. *b* (pag. 6, lin. 11) accommodatio dicitur perficienda « attentis peculiaribus normis quas Sacrosancta Synodus statuit de Oecumenismo ». Quae verba secundum tenorem redactores futurae accommodationis ad normas peculiares remittere videntur, quae insint in Decreto de Oecumenismo circa matrimonia mixta. At normae quae quoad matrimonia mixta peculiares dici queant in Decreto de Oecumenismo non inveniuntur.

Unde concludendum est redactores accommodationis iuberi potius peculiariter attendere ad normas decreti dicti ad rem attinentes, quam ad peculiares normas huius decreti circa rem.

Loco ergo « attentis peculiaribus normis » dicendum erit: « attentis peculiariter normis ».

II. Votum a commissione conciliari exaratum ut plurimum quidem indicat sola themata, circa quae accommodatio desideratur, quin edicat aut evolvat ulterius, quaenam praecise talis accommodatio esse debeat. Votum propterea « aporiam » quandam prodere dicetur. Sane si votum comparetur cum animadversionibus Patrum in Relatione positis (vide pag. 13 ss.), satis conspicitur viam et modum accommodationis auspicatae ex circumstantiis Concilii determinationes non exiguas accipere.

Fortasse in Concilio Votum suffragandum modo apto cum dictis animadversionibus coniungi poterit.

[*Subscripserunt*] Card. Ioseph Frings, arch. Colonien.; card. Iulius Döpfner, arch. Mon. et Fris.; Alfred Bengsch, ep. Berolinen.; Adolf Bolte, ep. Fuldensis;

Guillaume P. B. Cobben, ep. Helsinkiensis; Isidor Markus Emanuel, ep. Spirensis; Rudolf Graber, ep. Ratisbonensis; Ioseph Hasler, ep. S. Galli; Lorenz Jäger, arch. Paderbornensis; Heinrich Maria Janssen, ep. Hildesiensis; Wilhelm Kempf, ep. Limburgensis; Ioseph Köstner, ep. Gurcensis; Simon Konrad Landersdorfer, ep. Passaviensis; Stefan László, ep. Sideropolitanus; Karl Ioseph Leiprecht, ep. Rottenburgensis; Leo Lommel, ep. Luxemburgensis; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis; Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis; Paulus Rusch, ep. tit., adm. apost. Oenipontanus; Herman Schäufele, arch. Friburgensis; Josef Schneider, arch. Bambergensis; Josef Schoiswohl, ep. Grecensis-Seccoviensis; Josef Schröffer, ep. Eystettensis; Otto Spülbeck, ep. Misniensis; Josef Stangl, ep. Herbipolensis; Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vind.; Matthias Wehr, ep. Trevirensis; Herman Volk, ep. Moguntinus; Helmut Hermann Wittler, ep. Osnabrugensis; Franz Zak, ep. S. Hippolyti; Ioachim Amman, ep. tit. Münsterschwarzach; Iulius Angerhausen, ep. aux. Essen; Hugo Aufderbeck, ep. aux. Erfurt; Ioseph Buchkremer, ep. aux. Aachen; Berthold Bühl, ep. tit. Landshut; Wilhelm Cleven, ep. aux. Köln; Ioseph Ferche, ep. aux. Köln; Augustin Frotz, ep. aux. Köln; Edgar Anton Häring, ep. Shohchow; Ioseph Hiltl, ep. aux. Regensburg; Franz Jachym, arch.-coad. Wien; Walther Kampe, ep. aux. Limburg; Alfons Kempf, ep. aux. Würzburg; Johann Lenhardt, ep. aux. Bamberg; Heinrich Pachowiak, ep. aux. Hildesheim; Leo Pietsch, ep. aux. Graz; Otto Raible, ep. tit. Limburg; Josef M. Reuss, ep. aux. Mainz; Friedrich Rintelen, ep. aux. Magdeburg; Gerhard Schaffran, ep. tit., vic. cap. Görlitz; Eduard Schick, ep. aux. Fulda; Bernhard Schräder, ep. aux. Schwerin-Lankow; Wilhelm Sedlmeier, ep. aux. Rottenburg; Heinrich Tenhumberg, ep. aux. Münster; Bruno Wechner, ep. aux. Feldkirch; Josef Zimmermann, ep. aux. Augsburg; Platon Kornyliak, exarcha ap.; Basilius Niederberger, abbas-praeses; Benedikt Reetz, archiabbas; Maurus Riha, abbas-praeses; Raimund Tschudy, abbas nullius; Karl Braunsdorfer, abbas-praeses; Suso Brechter, archiabbas; Heinrich Groner, abbas nullius; Ioannes Hoeck, abbas-praeses; Gerhard Koberger, abbas generalis.

22

QUIDAM EPISCOPI EX INSULA MADAGASCAR

N. 3, *b*), pag. 6, linn. 9-11. Post verba: « disparitatis cultus » addatur: « et de ritu celebrationis matrimonii ».

Rationes sunt: can. 1102, § 3 prohibet omnes sacros ritus in celebratione matrimonii inter partem catholicam et partem acatholicam, data facultate Ordinariis concedendi « aliquam ex consuetis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, ad graviora mala vitanda ».

Can. 1109, § 3 praecipit ut talia matrimonia mixta extra ecclesiam celebrentur, concessa facultate Ordinariis super hanc legem dispensandi ad graviora mala vitanda.

Considerandum est quod talia matrimonia, si cum parte baptizata extra Ecclesiam catholicam celebrantur, sunt sacramentum (cf. can. 1012, § 2) et ideo honore digna, licet ex gravibus rationibus quantum fieri potest fideles ab ipsis ab Ecclesia arceantur. Insuper considerandum est quod tales leges offendunt fratres aliarum Ecclesiarum et communitatum ecclesialium et non congruunt cum spiritu

mutui honoris et fiduciae, quem Sacrum hoc Concilium commendavit in Decreto de Oecumenismo.

Etiam lex statuta in can. 1063, § 1, qua prohibetur ne coniuges ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum adeant quoque ministrum acatholicum uti sacris addictum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum, accommodanda est novis relationibus cum aliis Ecclesiis et communitatibus ecclesialibus. Constat ex alia parte quod talis lex saepius a catholicis praetergreditur cum dispendio animarum, quia postea tales coniuges difficilius ad praxim religiosam revertuntur.

N. 3, *c*), pag. 6, linn. 13-14. Post verbum: « clandestinitate » addatur: « etiam in matrimoniis initis ab acatholicis inter se vel cum parte non baptizata ».

Rationes sunt: Iure hoc Sacrum Concilium in hoc schemate Voti de matrimonii sacramento, vestigia sequendo Concilii Tridentini, denuo affirmat sancte servandum esse principium de vitanda matrimoniorum clandestinitate; nam rationes quae Concilium Tridentinum moverunt ad formam ad valorem matrimonii instituendam totam suam vim nostris diebus servant. Dicit enim Concilium Tridentinum in Decreto « Tametsi »: « ... Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa (sc. matrimonia clandestina) semper detestata est atque prohibuit »; et inferius: « cum sancta Synodus gravia peccata perpendat, quae ex huiusmodi clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum propria uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt ... » (DENZ.-SCHÖN., 1813-14; *DB* 990).

His rationibus prae oculis habitis mira omnino est legislatio Codicis Iuris Canonici quoad matrimonia baptizatorum acatholicorum inter se vel cum parte non baptizata: in canone 1099, § 2 ista matrimonia eximuntur a forma catholica celebrationis matrimonii, sed nulli aliae formae subduntur. Ecclesiae autem « ius proprium et exclusivum competit determinandi conditiones seu solemnitates pro valida et licita matrimonii celebratione (cf. can. 1016 *C.I.C.*) », ut dicitur in praecedenti schemate *de matrimonii sacramento*, n. 12, pag. 15, linn. 6-8, et in Ecclesia « Supremae auctoritati privative ius est impedimenta matrimonialia impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis » (cf. can. 1038, § 2); insuper « consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur (can. 1041) »; quae leges, licet in Codice defectus formae inter impedimenta non recenseatur, communiter etiam formae matrimonii applicantur. Ex hoc fit ut acatholici baptizati non tenentur, si contrahunt inter se vel cum parte non baptizata, neque forma statuta a Potestate civili, neque forma forte requisita ab eorum Ecclesia, neque forma a consuetudine alicuius loci inducta; pro ipsis ergo matrimonia stricte clandestina, scil. sine assistentia cuiuscumque testis, valida et licita sunt. Lata sic aperitur via ad illas uniones adulterinas de quibus in decreto *Tametsi.*

Sed haec clandestinitas aliquando damnum contrarium causat cum dispendio animarum: impossibilitatem scil. exeundi a statu quod obiective est simplicis concubinatus. Non raro enim in regionibus in quibus forma matrimonii a lege civili aut ab aliis ecclesiis aut moribus populi inducta non servatur semper a contrahentibus, etiamsi verum matrimonium contrahere velint, difficile omnino est in foro externo scire cum certitudine an duae personae quae etiam diu cohabitaverunt hoc fecerint uxorio modo an fornicario. Cum autem praesumptio etiam ex lege naturali faveat matrimonio, in foro externo pro illo respondendum est.

Ex hoc non raro fit quod quando acatholicus qui ingredi petit in Ecclesiam catholicam publice vixit in statu matrimoniali cum persona alia ab ea cum qua nunc vivit, etiamsi vita matrimonialis inita fuerit nulla forma civili aut religiosa aut consuetudinaria servata, repellendus est ab admissione in Ecclesiam et a matrimonio cum persona cum qua nunc vivit ex dubio insolubili circa praecedens matrimonium, si a novo coniuge separari non possit vel nolit.

Neque his casibus remedium afferri potest per privilegium quod appellari consuevit «petrinum», cum hoc locum non habeat quando ambo coniuges baptizati sunt, etiam extra Ecclesiam catholicam, baptismo sive certo sive dubio.

Ad talia damna praecavenda necessarium est baptizatos acatholicos alicui formae subiicere ad valorem matrimonii, ita ut matrimonium stricte clandestinum, scil. sine ulla assistentia testium, pro omnibus baptizatis nullum sit.

[*Subscripserunt*] J. Wolff, arch. Diego-Suarez; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; L. Messmer, ep. Ambanja; J. Puset, ep. Tamatave; F. Vollaro, ep. Ambatondrazaka; J. Rakotomalala, arch. Tananarive; F. Thoyer, arch. tit. Odesso; C. Rolland, ep. Antsirabe; J. Zimmermann, ep. Morombe; F. Rajaonariva, ep. Miarinarivo; C. Chilouet, ep. Farafangana; J. David, ep. Majunga; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; M. Canonne, ep. Tulear; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa.

23

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Ad n. 1, linn. 1-3, quaeritur: *a*) utrum « digna hominum propagatio » comprehendat etiam prolis educationem. Secus « educationis » explicita mentio fiat; *b*) quisnam sit hoc loco sensus expressionis « ad sacram ... vitae legem tuendam ».

Linn. 10-11: loquendo de matrimonio quatenus ad societatem civilem spectat, utile erit adiungere Ecclesiam paratam esse in condendis de matrimonio legibus civilibus coniunctam operam praestare (cogita de « novellis » nationibus quae plerumque tali legislatione adhuc carent).

Ad n. 3, litt. *b* (pag. 6, linn. 10-11): post verba « disparitatis cultus » inseratur « *et etiam leges de forma observanda in horum matrimoniorum* (mixtorum) *celebratione,* accommodentur, attentis *praesertim* normis quae Sacrosancta Synodus statuit de Oecumenismo ».

Ratio est: *a*) explicita mentio de accommodandis legibus formam matrimoniorum mixtorum respicientibus videtur omnino necessaria; *b*) mutatio expressionis « peculiaribus » in « praesertim » ideo necessaria quia in schemate *de Oecumenismo* nullae exstant « peculiares » normae de matrimoniis mixtis.

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis; Ioseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis; Rupert Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

24

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

I. *Quoad schema in genere haec animadvertere volumus*: 1. Valde dolemus, quod nunc schema de matrimonii sacramento fere omnino subtrahatur summae auctoritati Concilii. Hoc valet pro toto hoc obiecto momenti maximi pastoralis et speciatim pro matrimoniis mixtis. Positio enim Ecclesiae catholicae in problemate matrimonii mixti maximi valoris est pro Oecumenismo catholico. Votum ergo nostrum est, ut matrimonii sacramentum a Concilio in vero schemate, et non, prout nunc proponitur, in aliquo schemate voti tantum discutiatur.

2. Insuper exspectationi fidelium (et etiam aliorum) magis correspondens esset, si hoc Concilium pastorale non sese coarctaret ad aliquod votum, quaedam principia generalia, et praesertim iuridica, continens circa matrimonii sacramentum, sed si e contra in lucem ederet aliquod decretum in quo Ecclesia explicaret hoc sacramentum sub suo aspectu theologico et pastorali et etiam, secundarie tamen, sub suo aspectu iuridico, et simul in quantum possibile clare et concrete suam opinionem proponeret circa quaestiones cum vita matrimoniali huius temporis cohaerentes. Proponimus ergo ut novum componatur schema iuxta normas supra datas in quo ius matrimoniale recognoscatur ex conceptione reali circa matrimonium in Ecclesia et in mundo hodierno.

3. Si hoc autem, quod valde dolendum esset, reprobatur, ad minus nobis necessarium videtur, quod de matrimonio et certe de matrimoniis mixtis Concilium se clare pronuntiet et quod commissioni pro reformando Codice edentur normae vere obligatoriae et non tantum, prout nunc fit, aliquae propositiones minoris momenti et sine ulla stricta obligatione.

Ergo loco verborum « exoptat » (5, 30), « accommodentur oportet » (6, 5), « accommodentur » (6, 10) etc. ponere oportet verba magis stricta et auctoritativa sicut: «Concilium decernit » etc.

Insuper valde optandum est, ut Concilium etiam in exsequendis mandatis partem habeat et quod executio non tantum relinquatur commissioni pro reformando Codice, quae nullomodo ligatur Concilio vel ei rationem reddere debet.

II. *In specie*: 1. Relate ad pag. 6, linn. 3-7. Recte revera abrogantur quaedam impedimenta hac aetate minus bono communi accommodata, ne sacramenti matrimonii invaliditas sit nimis numerosa. Sed quaeri hoc loco forsan liceat, an in iure ecclesiastico alia impedimenta introduci non debeant ad impedienda matrimonia « male-valida », puto matrimonia quae revera valida sunt, sed potius invalida esse possent. Non raro enim accidit, quod matrimonium contrahitur cum tali errore, ut hoc matrimonium secundum ius Codicis est validum (quia non habetur sic dicta error substantialis), dum tamen vita coniugalis non fit nisi horribile infernum. Casus habetur v. g. si matrimonium initur cum aliqua parte, quae laborat aliquo vitio psychico, physico vel morali latenti et dolose reticito, quod tantum post matrimonium contractum apparet (e. g. epilepsia, kleptomania etc.). Separatio thori in tali casu non est solutio. Proponimus ergo ut alicui commissioni post-conciliari, cui auxilium praestare debent etiam periti laici, uti medici, psychologiae ac psychiatriae periti etc., detur mandatum examinandi casus, qui impedimenta efformarent dirimentia, quae talia matrimonia invalida redderent.

2. Relate ad pag. 6, linn. 8-12: de matrimonio mixto, sequentia proponimus:

a) Concilium incipiat suam declarationem de matrimoniis mixtis cum gravi dissuasione et cum monitione omnibus catholicis speciatim sacerdotibus, ut in cura sua pastorali matrimonia mixta pro possibilitate prohibeant.

b) In fine, lin. 12, post «de Oecumenismo» addatur: «et in specie de libertate religiosa, ita ut iura personarum et communitatum in legislatione ecclesiastica de matrimoniis mixtis omnino serventur».

c) Quoad sic dictas cautiones ex corde adhaeremus commendationi commissionis pag. 17, sub *f*, nempe ut disciplina in hac re magis flexibilis reddatur, ita ut in variis circumstantiis episcopi agere possint pro sua responsabilitate. Votum nostrum est, ut lex ecclesiastica sub hoc respectu ita formuletur, ut debitum fidei partis catholicae pro posse curandi baptismum et educationem catholicam clare enuntietur sed tamen a parte non-catholica per modum legis universalis et inviolabilis nihil exigatur, quod contra eius conscientiam sit. Bene nobis conscii esse debemus, quod bona solutio huius problematis non est possibilis, quamdiu deplorabilis disiunctio persistat.

d) Quod attinet ad formam canonicam matrimonii mixti lex ita formuletur, ut episcopo detur facultas dispensandi ab hac forma ut condicio ad validitatem.

Ratio est, quod ius hominis ad matrimonium validum in genere praevalere debet, et quod in multis casibus lex ista habet efficacitatem vel minimam vel nullam.

e) Tollatur restrictio can. 1102, § 2 *C.I.C.* «exclusa semper Missae celebratione». Votum nostrum est, ut episcopus possit concedere Missam post ritum matrimonii mixti. Distinctio cum matrimonio catholicorum manet, quia ibi ritus nunc intra Missam assumptus est. Pro matrimoniis autem catholicorum cum orthodoxis a nobis separatis concedatur ritus sicut pro catholicis.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CXXIII

Congregatio Generalis CXXIV

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema propositionum de institutione sacerdotali

CONGREGATIO GENERALIS CXXVI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD DECLARATIONEM DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Congregatio Generalis CXXVII

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA VOTI DE MATRIMONII SACRAMENTO

SESSIO PUBLICA V

APPENDIX